ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS I

SESSIO PUBLICA IV

CONGREGATIONES GENERALES LXXX-LXXXII

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIII

DOCUMENTA

EPISTULA APOSTOLICA *

Ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos orbis catholici: die Pentecostes adveniente, preces indicuntur ad Concilii Oecumenici Vaticani II felicem invocandum exitum.

PAULUS PP. VI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Spiritus Paracliti adventante sacro sollemni, quo Ecclesia mater, ortus sui primordia repetens, flagrantibus precibus fulgentem illum recolit diem, quo « foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia »,[1] omnes in Episcopatu venerabiles Fratres, ad tertiam peragendam Oecumenici Concilii Vaticani II sessionem se diligentissime parantes, sueto incensiore affectu complectimur. Etenim, ut Decessor Noster ven. mem. Ioannes XXIII primum animadvertit, magnum illud inceptum nova quaedam Pentecoste reputandum est, qua Apostolorum Successores, « perseverantes unanimiter in oratione cum ... Maria matre Iesu »,[2] et duce Petro, in altero veluti Hierosolymitano Cenaculo simul congregati, ad Dei regnum hisce in terris constanti auso proroगandum, una caelesti ope confisi, incumbunt.

Ut Ipsi haud ita pridem sacrorum Antistites Italicae nationis alloquentes diximus, Concilium « res est quam quae umquam sollemnis atque admirabilis, qua Deo honor tribuatur, Christo amor praestetur, oboedientia deferatur Spiritui Sancto: ut scilicet religiosae rationes inter Deum eiusque Ecclesiam artius usque corroborentur, et christianae religionis necessitas, indoles atque felicitas coram nostri temporis hominibus palam fiant. Itidem Concilium incomparabilis est opportunitas, qua Ecclesia se in aperto lumine ponit, se agnoscit, semetipsam conglutinat intimis congressionum, amicitiae et mutui adiumenti vinculis,

* *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 353-356.

[1] S. Gregorii M., *Hom. 30 in Ev.; PL* 76, 1220.

[2] Cf. *Act.* 1, 14.

quae aliter effici prorsus nequeant. Concilium est hierarchicae fraternaeque caritatis vertex, ad quem nondum hactenus perventum erat ».[3]

Qui tanti ponderis eventus postulat profecto affluentem Spiritus Sancti virtutem, quae mentes sua luce compleat, animos confirmet ad nova ineunda consilia et onera suscipienda, quae huius temporis rerum adiuncta suadent, communes labores dirigat et ad felices rei effectus adducat. Quam ob rem, vos omnes, venerabiles Fratres, Ecclesiae Sanctae Pastores, atque christianos greges, vigilantiae vestrae commissos, etiam atque etiam adhortamur, ut proximis potissimum appropinquantibus festis ob Divini Paracliti adventum, preces ingeminetis vestras, ut ex Oecumenico Concilio magni exspectatique fructus ubertim percipiantur.

Nil prorsus aliud ob oculos habentes, hoc ineunte anno iter ad Terrae Sanctae loca atque sacraria invisenda et colenda suscepimus. Nam illic « cum omni humilitate et lacrimis »[4] Deum deprecati sumus, ut cuncti e christiana familia fideles caelestis gratiae copiam participent, in eaque renoventur, induentes « novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis »;[5] itemque ut nostrae aetatis homines ad « Christi sensum »[6] magis cognoscendum efficienter advocentur, idoneis ad id susceptis viis atque rationibus, quibus ipsi Evangelii lumine penitus illustrentur, et ad falli nescium Ecclesiae magisterium sincero animo accedant; ut denique securi habeantur progressus in redintegranda nostrorum fratrum unitate, qui, Christi nomine decorati, a nobis adhuc pro dolor seiuncti sunt.

Immo, illa data opportunitate, cum varia hominum multitudine saepti et consalutati ad sanctissimas Christi Servatoris venerandas memorias deferebamur, commoti animadvertimus, quo flagranti studio et quo incenso caritatis sensu, etiam praeter christianae religionis fines, mentes nostrae dirigendae sint ad omnes animos omnesque populos, qui unum Deum colant ac venerentur: id enim magnas spes portendere videtur, fore ut recta mentium conspiratio, mutua caritas, civilisque consortionis secura pax confoveatur.

Ad haec omnia ad effectum adducenda omnes vires cogitationesque iam intendimus Nostras, ex quo providentissimi Dei voluntas Nobis supremi Pontificatus praegrave onus imposuit. Haec pariter sunt Concilii Oecumenici Vaticani II consilia et incepta — laetantes sane id

[3] Cf. *A.A.S.* hoc ipso fasciculo, p. 382.
[4] Cf. *Act.* 20, 19.
[5] *Eph.* 4, 24.
[6] *1 Cor.* 2, 16.

Nobiscum in animo reputamus — in quae absolvenda alacres ac sollertissimae Patrum voluntates conspirant, ita ut, ex hoc catholicae unitatis fastigio et veluti centro, omnibus gentibus summae benevolentiae indicia praebeantur, et amicae veluti voces ad illas perveniant, easque ad miram Mystici Corporis vitam participandam attrahant et alliciant.

Quod in Nobis est, nihil prorsus omittemus, quod ad haec perficienda securo gressu conducat, ut Ecclesia coram omnibus resplendeat hominibus, non habens maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed sit sancta et immaculata; [7] dilectissimos filios e clero atque e laicorum ordine magis magisque hortabimur, ut, agnoscentes dignitatem suam,[8] se suaque omnia impendant ad Christi regnum hisce in terris fortiter constabiliendum; immo, non desistemus seiunctos fratres leniter reverenterque convenire, qui serena et amica non recusent colloquia, atque, de eorum magis commodo quam de Nostro honore solliciti, una simul quaeremus, quibus modis ac viis fraterna coniunctio restituatur, in fidei unitate et in mutua caritatis necessitudine innixa, prout Christus Ecclesiae suae praescripsit.

Qua data opportunitate, propensam voluntatem Nostram ipsis libentissime ostendimus, iisdemque paterno animo adsumus, eorum sive gaudia sive anxias sollicitudines participantes. Atque Deum etiam atque etiam pro illis praesertim deprecamur, qui de sua praesenti condicione timore afficiuntur, ut, amotis periculis, ii suis iuribus, quae etiam naturae lege innituntur, in libertate, in securitate et in pace ubique fruantur.

Interea, iam nunc animo gaudium praecipimus, quo complebimur, cum Episcoporum agmina Romae tertio simul congregata in proxima Concilii sessione conspiciemus. Ubi primum singulae Commissiones Concilii schemata, ad pressam adstrictamque formam egregia sollicitudine redacta, accurate recognoverint, prae oculis habitis quae ipsi Episcopi iam significaverunt, ea ad Concilii Patres sedulo mittentur, ut eadem suo commodo attenteque perpendant atque considerent; ii pariter certiores fient, qua ratione singula schemata, prout eorum proprietas et forma postulant, in publicis Oecumenicae Synodi coetibus sive examinanda sive probanda sint.

Quae dum diligenter apparantur, christifideles omnes sive precibus et voluntariis paenitentiae operibus communes hosce labores prosequantur, sive opportunis rationibus de Concilii argumentis certiores fiant, praesertim per scripta typis edita atque per accommodas explicationes.

Concilii pariter Peritos, viros animi dotibus ac sapientia praestantes,

[7] Cf. *Eph.* 5, 27.

[8] Cf. S. Leonis I, *Sermo XXI,* 3; *PL* 54, 192.

paterna benevolentia complectimur, qui ad tantum honorem et onus vocati sunt. Officii sui optime conscii, demandatum sibi munus fideliter servent; Concilii utilitatibus, quae uniuscuiusque commodis anteferantur oportet, exemplis vitae, verbis et scriptis, si opus est, faveant, ut, Concilii primoribus obtemperantes, magni huius incepti exitum, auxiliatrice praestita opera, pro sua parte promoveant atque deproperent.

Ecce, venerabiles Fratres, fiduciae plena verba, quae, appropinquantibus Spiritus Sancti sollemnibus, ad omnes Episcopos facere ex animo percupimus. Tam gravi inceptioni, ad quam omnes homines summa exspectatione oculos convertunt, consiliisque nostris aspiret Deus, totius gratiae et bonitatis fons atque principium. Dulcissima Virgo Maria, ad cuius redolentes floribus aras proximo mense Maio fideles omni cum veneratione concurrent, adsit nobis, sicut Apostolis in Hierosolymitano Cenaculo materna caritate animum addidit eosque solata est; adsint S. Ioseph, Oecumenicae Synodi benevolentissimus praestes, S. Petrus, quem Christus « amoris sui nobis velut vicarium » reliquit,[9] S. Paulus, omnesque Apostoli et beati Caelites, quorum fidae tutelae confidimus.

Ii omnes superna lumina et auxilia cunctis Ecclesiae Sanctae Pastoribus gregibusque deposcant, et iis potissimum, qui iusta debitaque libertate carentes quomodocumque vexantur, ut Divini Paracliti solatiis fruantur praesentissimis et ad optatam redeant tranquillitatem.

Divinorum autem munerum conciliatrix ac propensae Nostrae voluntatis pignus sit Apostolica Benedictio, quam vobis omnibus, venerabiles in Episcopatu Fratres, simulque dioecesium vestrarum sacerdotibus et christifidelibus peramanter dilargimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXX mensis Aprilis anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

[9] S. AMBROS., *Exp. Ev. sec. Luc. X,* 175; *PL* 15, 1942.

2

VOTUM

Pontificiae Commissionis de Re Biblica circa n. 22 schematis constitutionis de Ecclesia

Patribus distributum est in octogesima congregatione generali, die 15 septembris 1964.

Rev.mi Consultores Romae degentes — externi, quia res urgebat, interrogari non poterant — die 31 maii 1964 convenerunt, ut quaesitis a Sanctitate Sua Paulo Pp. VI positis responderent.

*Aderant Exc.mus D. Smit, Rev.mus P. Ciappi, Ampl.mus D. Salmon, Ill.mus D. Garofalo, Rev.mi PP. Duncker, Penna, Kerrigan, Kearns, Castellino et Secretarius.**

A. – « ad 1um S. Scriptura probatur: *statuente Domino, sanctum Petrum, et ceteros Apostolos unum Collegium Apostolicum constituisse;* cf. ea quae habentur in Constitutione n. 19 ».

« ad 2um E sola Scriptura non constat: *eadem ratione, Romanus Pontifex successor Petri, et Episcopi, successores Apostolorum, inter se coniunguntur.*

---

* *Die 27 maii 1964 Exc.mus Secretarius Generalis Concilii Oecumenici, iussu Summi Pontificis, litteras misit ad Rev.mum P. Beniaminum Wambacq, Pont. Commissionis de re biblica Secretarium, ut eadem Commissio quaestiones, quae sequuntur quaeque n. 22 schematis Constitutionis de Ecclesia respiciunt, sub aspectu scripturistico, examinaret.*

1° – Quoad assertum: « statuente Domino », ex quo n. 22 initium sumit (cf. *Schem.*, p. 63, alin. 14-16), Commissio dicat an et quibus textibus Sacrae Scripturae probari possint ea quae in citato loco affirmantur.

2° – Quoad assertum: « illud autem ligandi ac solvendi munus, quod uni Petro datum est (*Mt.* 16, 19), Collegio quoque Apostolorum, suo capite coniuncto, tributum esse constat (*Mt.* 18, 18) » (*Schem.*, p. 64, alin. 16-19), Commissio dicat an ex citatis textibus Sacrae Scripturae statui possit munus ligandi atque solvendi uni Petro tributum, competere quoque Collegio Apostolorum, sensu quidem in schemate definito.

Die 2 iunii eiusdem anni Rev.mus P. Secretarius illius Commissionis responsum, quod supra transcribitur, ad Exc.mum Secretarium Concilii Oecumenici transmisit.

N.B. In responsione Pont. Commissionis de re biblica primum quaesitum divisum est in duas partes et tota enumeratio ita proponitur: A. – 1, 2 (= 1° –), B. – (= 2° –).

Fundamentum tamen scripturisticum praebent hi textus quibus voluntas Domini manifestatur ut Collegium Apostolicum a Se fundatum maneat usque ad consummationem saeculi.

In *Mt.* 28, 16-20 " Undecim " discipuli debent docere omnes gentes, easque baptizare, illisque " Undecim " Christus Dominus suam praesentiam promittit " usque ad consummationem saeculi ".

In *Apoc.* 21, 14 legitur: " Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni ", quo indicatur duodecim Apostolos esse fundamentum Ecclesiae.

In *Mc.* 16, 14-18 " Undecim " mittuntur in mundum universum et debent praedicare Evangelium omni creaturae.

Quomodo autem re haec voluntas Domini exsecutioni mandata sit et qua forma illud Collegium in Ecclesia permansurum sit, id in S. Scriptura non dicitur, sed eruendum est e doctrina Ecclesiae, quae Spiritu Sancto duce, hanc voluntatem interpretata est ».

B. – « Potestas ligandi et solvendi de qua in *Mt.* 18, 18 videtur esse eadem ac in *Mt.* 16, 19. Quod autem sit " suprema ac plena in universam Ecclesiam " ad mentem schematis, *non constat.*

Interpretes unanimes non sunt in explanandis verbis *ligare* et *solvere.*

Quidam ea intellegunt de potestate doctrinali et disciplinari, in qua includitur potestas absolvendi a peccatis; alii de potestate remittendi peccata, cf. *Io.* 20, 23; alii in *Mt.* 18, 18 de potestate excludendi peccatorem a coetu Ecclesiae eumque reconciliandi; cf. *Mt.* 18, 17 18 ».

B. N. WAMBACQ, *ab actis*

3

ADDITAMENTA AD ORDINEM CONCILII OECUMENICI VATICANI II CELEBRANDI

1. Ut schematum vel eorum partium disceptatio aptius ordinari possit, quivis Pater — Em.mis Cardinalibus non exceptis —, qui de illis verba facere vult, orationis suae summam Secretario Generali, saltem quinque diebus antequam disceptatio initium sumat, scripto exhibeat.

2. Moderatorum est non tantum Concilii labores dirigere, sed et Congregationum generalium disputationes ordinare (cf. *Ordo...*, art. 4, § 2). Ideoque, cum ipsis opportunum videtur, ad inutiles repetitiones vitandas, antequam in Congregatione generali disceptatio fiat, congre-

gare possunt Patres, qui de eadem re similes rationes exponere intendant, ut inter se conveniant ad unum vel duos oratores eligendos, qui nomine ceterorum loquantur, eorum nominibus necnon rationibus publice citatis.

3. Oratorum indice exhausto, Moderator facultatem loquendi concedere potest Patribus, qui nomine saltem 70 aliorum Patrum illam petierint praeter assignatos temporis limites.

4. Disceptationi fine imposito, Moderator facultatem loquendi concedet Patribus, qui illam petierint nomine saltem 70 aliorum Patrum et novas rationes proponere velint.

5. Sine expressa Praesidis licentia, petenda per Secretarium Generalem, nemini licet distribuere in Aula vel in eius viciniis, cuiusvis generis folia, opuscula, libellos etc.

Spectat ad Secretarium Generalem huius normae exsecutionem curare.

Ss.mus Dominus Noster PAULUS PP. VI, in Audientia infrascripto hac die impertita, praedictas normas approbare dignatus est, derogando, quatenus opus sit, Ordini Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi.

Die II mensis Iulii, anno MCMLXIV.

✠ PERICLES FELICI
Archiepiscopus tit. Samosatensis
Ss. Concilii Secretarius Generalis

4

RESCRIPTUM

DE INITIO TERTIAE PERIODI CONCILII OECUMENICI VATICANI II *

Sanctissimus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut tertia Ss. Concilii Oecumenici Vaticani Secundi periodus initium habeat die XIV mensis septembris, in Exaltatione S. Crucis, anno MCMLXIV.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Iulii, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

* *A.A.S.,* 56 (1964), p. 600.

5

LITTERAE SECRETARII GENERALIS AD PATRES SS. CONCILII OECUMENICI VATICANI II

E Civitate Vaticana, die 7 iulii 1964

Prot. N. 1341 CV/64

Venerabilis Pater,

uti notum factum est per Rescriptum Em.mi P. D. Cardinalis a publicis Ecclesiae negotiis, ex Audientia Ss.mi, diei III iulii c. a., tertia Ss. Concilii Oecumenici Vaticani II periodus exordietur die XIV proximi mensis septembris, in Exaltatione S. Crucis.

Tibi igitur mittere propero reliqua schemata, in Concilio examinanda, scilicet:

— *De divina Revelatione*
— *De Ecclesia*
— *De activitate missionali Ecclesiae*
— *De Ecclesia in mundo huius temporis*
— *De Oecumenismo*: Declaratio altera: *De Iudaeis et de non Christianis.*

Tibi pariter communico additamenta quaedam ad Ordinem Concilii celebrandi, a Summo Pontifice approbata.

Disceptatio et suffragatio fiet, ex ordine, super schematibus: *De Ecclesia, De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, De Oecumenismo, De divina Revelatione, De Apostolatu laicorum, De Ecclesia in mundo huius temporis.* Cetera schemata suffragationi subicientur, iuxta ordinem et modum ab Em.mis Moderatoribus suo tempore statuendum.

Cum schematis *De Ecclesia* duo praecipue posteriora capita (*De indole eschatologica vocationis nostrae ac de nostra unione cum Ecclesia caelesti — De Beata Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae*) discutienda sint, rogo te, Venerabilis Pater, ut, si in disceptatione verba facere cupias, Tuae orationis summarium ad hanc Secretariam Generalem, non ultra diem IX septembris proximi, transmittere cures; ita ut disceptatio ordinari atque, ineunte tertia periodo, statim incipere possit.

Interea sensus meae venerationis Tibi pando, atque permaneo

Tibi add.mus

✠ PERICLES FELICI
secr. gen.

6

NOVA COMMISSIONUM CONCILIARIUM MEMBRA *

[*a Summo Pontifice Paulo VI electa*]

I

COMMISSIO « DE DOCTRINA FIDEI ET MORUM »

Le Loro Eccellenze Rev.me:

Mons. Ancel Alfredo, Vescovo tit. di Mirina, Ausiliare di Lyon.
Mons. Henríquez Jiménez Luigi E., Vescovo tit. di Lamdia, Ausiliare di Caracas.
Mons. Heuschen Giuseppe, Vescovo tit. di Drua, Ausiliare di Liége.

Il Rev.mo Padre:

Ab. Butler D. Cristoforo, Presidente della Congregazione Benedettina di Inghilterra.

II

COMMISSIO « DE EPISCOPIS ET DIOECESIUM REGIMINE »

Le Loro Eccellenze Rev.me:

Mons. McCann Osvaldo, Arcivescovo di Cape Town.
Mons. Carrol Giacomo, Vescovo tit. di Atenia, Ausiliare di Sydney.
Mons. Schick Edoardo, Vescovo tit. di Aradi, Ausiliare di Fulda.
Mons. Viola Alfredo, Vescovo di Salto.

III

COMMISSIO « DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS »

Le Loro Eccellenze Rev.me:

Mons. Baudoux Maurizio, Arcivescovo di Saint Boniface.
Mons. De Provenchères Carlo, Arcivescovo di Aix.
Mons. Ziadè Ignazio, Arcivescovo di Bairūt dei Maroniti.

---

* *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 350-352.
[Cf. *Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II*, vol. II, pars I, pp. 90 ss.; pars VI, p. 308].

IV

Commissio « de Sacramentorum disciplina »

Le Loro Eccellenze Rev.me:

Mons. Hervás y Benet Giovanni, Vescovo tit. di Dora, Prelato « nullius » di Ciudad Real.
Mons. Moors Pietro, Vescovo di Roermond.
Mons. Taylor Giovanni, Vescovo di Stockholm.

Il Rev.mo Padre:

de Reeper Giovanni, Prefetto Apostolico di Ngong.

V

Commissio « de disciplina cleri et populi christiani »

Le Loro Eccellenze Rev.me:

Mons. Conway Guglielmo, Arcivescovo di Armagh.
Mons. Gantin Bernardino, Arcivescovo di Cotonou.
Mons. Rosales Giulio, Arcivescovo di Cebù.
Mons. Rusch Paolo, Vescovo tit. di Meloe di Isauria, Amministratore Apostolico di Innsbruck-Feldkirch.

VI

Commissio « de Religiosis »

Le Loro Eccellenze Rev.me:

Mons. da Conceiçao Cordeiro Giuseppe, Arcivescovo di Karachi.
Mons. Borromeo Luigi Carlo, Vescovo di Pesaro.
Mons. McDevitt Gerardo, Vescovo tit. di Tigia, Ausiliare di Philadelphia.
Mons. Stein Bernardo, Vescovo tit. di Dagno, Ausiliare di Trier.

VII

Commissio « de Missionibus »

Le Loro Eccellenze Rev.me:

Mons. D'Souza Eugenio, Arcivescovo di Bhopal.
Mons. Comber Giovanni Guglielmo, Vescovo tit. di Foraziana, Superiore Generale della Società per le Missioni Estere degli Stati Uniti d'America (di Maryknoll).

Mons. Dogget Ignazio, Vescovo tit. di Mundinizza, Vicario Apostolico di Aitape.

Il Rev.mo Padre:

Schütte Giovanni, Superiore Generale della Società del Verbo Divino.

VIII

COMMISSIO « DE SEMINARIIS, DE STUDIIS ET DE EDUCATIONE CATHOLICA »

Le Loro Eccellenze Rev.me:

Mons. Jáchym Francesco, Arcivescovo tit. di Maronea, Coadiutore s.d. di Wien.
Mons. Maurer Giuseppe Clemente, Arcivescovo di Sucre.
Mons. Lane Loras Tommaso, Vescovo di Rockford.
Mons. Wall Bernardo Patrizio, Vescovo di Brentwood.

IX

COMMISSIO « DE FIDELIUM APOSTOLATU, DE SCRIPTIS PRELO EDENDIS ET DE SPECTACULIS MODERANDIS »

Le Loro Eccellenze Rev.me:

Mons. Pessõa Câmara Helder, Arcivescovo tit. di Salde, Ausiliare di São Sebastião do Rio de Janeiro.
Mons. Babcock Allen Giacomo, Vescovo di Grand Rapids.
Mons. Da Silva Giuseppe Pietro, Vescovo tit. di Tiava, Ausiliare di Lisboa.
Mons. Fernández-Conde Emanuele, Vescovo di Córdoba.

X

SECRETARIATUS AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM

Le Loro Eccellenze Rev.me:

Mons. Hermaniuk Massimo, Arcivescovo di Winnipeg degli Ucraini.
Mons. Ramanantoanina Gilberto, Arcivescovo di Fianarantsoa.
Mons. Cantero Cuadrado Pietro, Vescovo di Huelva.
Mons. Gran Nicolaysen Guglielmo, Vescovo tit. di Rafia, Coadiutore di Oslo.

Mons. Helmsing Carlo Ermanno, Vescovo di Kansas City-St. Ioseph.
Mons. Lamont Daniele, Vescovo di Umtali.
Mons. Lorscheider Luigi, Vescovo di Santo Angelo.
Mons. Primeau Ernesto, Vescovo di Manchester.

7

EPISTOLA SUMMI PONTIFICIS

*Ad Em.mum P. D. Eugenium S. R. E. Cardinalem Tisserant, Episcopum Ostiensem, Portuensem et S. Rufinae, Sacri Collegii Decanum et primum Purpuratum Patrem e Consilio Praesidentiae Concilii Oecumenici Vaticani II, proxime ineunte tertia Sacrosanctae Synodi Sessione.**

PAULUS PP. VI

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Iam prope accedit tertia Sessio Concilii Oecumenici Vaticani II, quae, ut statuimus ac nuntiavimus, initium capiet die XIV huius mensis Septembris, quo liturgicum festum Exaltationis Crucis Domini Nostri Iesu Christi celebratur. Non sine causa hoc festum ad Concilii Oecumenici coetus iterum agendos delectum est, quippe quod apte ostendere videatur, e quonam fonte nostra salus suam repetat originem, atque undenam Ecclesia spem hauriat felicis exitus magnae huius Synodi, hoc est e Passione nostri miserantissimi et amantissimi Redemptoris.

Nos tanto huic mysterio debitum tribuere honorem cupimus, eius perennem ac salutarem memoriam recolendo, scilicet in ipsa eiusdem Sessionis inauguratione sacrosanctum Missae sacrificium Deo offerendo, quod Redemptionis nostrae opus repraesentat et renovat modo incruento. Ac Nobis in animo est sacrum huiusmodi ritum, utpote primum ac praecipuum Synodi actum, quae mox cogetur, per sollemnem concelebrationem perficere, quae quidem a viginti quattuor Concilii Patribus ex variis ordinibus et regionibus delectis ac Nobiscum coniunctis peragetur; idque eo consilio volumus, ut apud omnes clarior pateat et apud Deum efficacior valeat illa mentium voluntatumque unitas, vi cuius omnes *cor unum et anima una* [1] sint, quotquot Sanctae Synodo intererunt et super communes labores devocabunt divina lumina, e quibus

* *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 747-749.
[1] *Act.* 4, 32.

universa catholica Ecclesia, dum divinam voluntatem inquirit, supremum ductum sumere debet. Constat, enim, Concilium Oecumenicum circa S. Petri Successorem congregatum, ut a Conciliis Oecumenicis Tridentino et Vaticano I asseveratum est, vere universalem Ecclesiam repraesentare.

Haec, Venerabilis Frater Noster, ad te scribimus, Sacri Collegii Decani munere fungentem, ut, qui praegrave officium a Nobis iterum suscipis primi Purpurati Patris e Consilio Praesidentiae Oecumenicae Synodi Vaticanae II, eiusdem Concilii Patres Nostro nomine et auctoritate adhorteris, ut, ad sollemnes coetus die praestituto celebrandos venientes, ad eosdem animum praeparent, velut ad singularem vitae Ecclesiae eventum; qui quidem sperare iubet fore ut Ecclesia eo magis Divino Paraclito excitetur ac permoveatur, quo intentiores, quo magis concordes, quo humiliores animi ad recipiendam gratiam una simul componentur. Huiusmodi eventus a nobis postulat impensam divinarum rerum considerationem, flagrantissimum animi fervorem, humilem pietatem, integram fidelitatem erga Christi praecepta, vigile studium Ecclesiae et humani generis necessitatibus consulendi.

Cupimus autem, ut tua hortationis verba non tantum Concilii Oecumenici Patres respiciant, ut magnum illum eventum integra cum animi alacritate concelebrent, sed ad christifidelium quoque universitatem facias, Sacrorum Antistitibus tibi ferentibus opem, ad quos converteris: scilicet, ad sacerdotes in primis, ad religiosos sodales ac virgines Deo devotas, ad eosque omnes, qui e catholicorum hominum familia arcto vinculo atque e conscientia Ecclesiae adhaerere cupiant; item ad animi corporisve doloribus affectos, qui Ecclesiae iam coniungantur, atque ad innocentes pueros puellasque, eiusdem Ecclesiae decus atque gaudium.

Oportet profecto, singula Mystici Corporis Christi membra hunc singularem Oecumenici Concilii eventum, historia sane dignum, etiam ad seipsos pertinere censeant, atque vigilanti ardentique conspiratione eiusdem Concilii participes sint. Etsi, cum superiores Oecumenicae Synodi Sessiones initium ceperunt, ad universos Ecclesiae ordines huiusmodi invitatio facta est; eam tamen iterare Nobis est visum, sive quia ob assuetam iam fidelibus maximam huiusmodi convocationem eorum exspectatio remissior fieri potest, quae contra nunc vigeat necesse est; sive quia, ad exitum properantibus argumentis, quae Concilio ad considerandum proposita sunt, decernendarum agendarumque in ipso rerum gravitas augetur.

Duobus autem modis usu probatis, quemadmodum notum est, sive singuli christifideles sive ecclesiastica communitas rei, quae ratione

religiosa et morali tanti est momenti, possunt spiritualiter sociari, et ad felices eius exitus operam conferre: paenitentia et precatione. Priore homo componitur ad impedimenta ex animo auferenda, peccata dicimus pravasque cupidines, quae obstant quominus Deo reconcilietur; altera vero comparatur ad accipiendam abundantiam caelestis misericordiae; utraque opportune efficit, ut locus detur regeneratrici actioni divinae et ad ineffabilem illum veluti occursum duarum voluntatum perducit: voluntatis hominis, qui se submittens humilitate purificatur atque erigitur ad impense implorandum et sperandum; voluntatis Dei, qui libere tandem in vacuum cor hominis potest penetrare idque, illo in occursu, perfundit et inflammat Amore, naturam transcendente.

Volumus igitur, Venerabilis Frater Noster, ut voce tua, quae quasi totius Concilii sit vox, Ecclesia catholica moveatur ad peculiaria quaedam paenitentiae opera et precationes facienda. Haec autem sunt, quae suademus: hoc anno Quattuor Tempora, quae in dies XXIII, XXV et XXVI mensis Septembris incidunt, reapse sanctificentur: praedictis scilicet diebus is, qui poterit, ieiunium servet, et unusquisque officio se intellegat obstringi mortificationis alicuius vel paenitentiae exercendae; studeat etiam Deo peculiares preces piaculares et impetratorias adhibere. Die autem XXVII, quae est dominica, in toto terrarum orbe, in quovis coetu fidelium et qualibet ecclesiastica communitate, universales preces fundantur ea mente, ut Concilium Oecumenicum prospere eveniat: quod significanter fieri poterit sollemni recitatione precationis, quae a verbis « Pater noster » incipit.

Ut neminem latet, Nos arbitramur Concilium secundos habere exitus, si spiritus Christi in eius Ecclesia renovetur, si fratres a nobis adhuc seiuncti in unitate eiusdem Ecclesiae componantur, si conscientia religiosa in humana consortione excitetur, si iustitia et pax in eadem vigeant: haec quidem proposita ad summam ac generalem spectant utilitatem; haec vota ut perficiantur nemo non vehementer exoptabit, quemadmodum probe confidimus, eaque, utpote a te, Venerabilis Frater Noster, cum gravitate ac benevolentia enuntiata, homines pio et magno animo praediti sine dubio sedulo alacriterque secundabunt.

Pro hac, quam plurimi facimus, cura tua gratias in antecessum agentes, tibi, universali Ecclesiae totique orbi terrarum Benedictionem Apostolicam peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die I mensis Septembris, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI

8

INTIMATIO

per cursores facienda, domi dimisso exemplari

Feria II, die 14 septembris 1964, in festo Exaltationis Ss.mae Crucis, *hora nona,* Concilii Oecumenici Vaticani II celebratio solemniter resumetur, Ss.mo D.no Nostro PAULO PP. VI Missam cum viginti quatuor Patribus Conciliaribus concelebrante.

Intimentur omnes et singuli E.mi et R.mi DD. Cardinales, qui vestibus sericis rubris, calceis nigris cum oris rubris et galero usuali rubro induti, ad Aulam II Borgianam accedent ubi, depositis mantelletis et mozzetis, supra rochetum sericas cappas rubras sine pellibus assument, ac deinde in Aulam Paramentorum convenient ibique Summi Pontificis adventum expectabunt, accessuri cum Eo ad Basilicam Vaticanam.

Cappellani Caudatarii consuetam croceam assument supra vestem violaceam.

Exc.mi Patres Conciliares cum Summo Pontifice concelebraturi, in prima Aula Paramentorum omnes vestes sacras pro Missae celebratione assument, ac deinde una cum E.mis Cardinalibus Sanctissimum Dominum processionali more comitabunt, ad Basilicam Vaticanam accessuri.

Omnes Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates ceterique Conciliares Patres, vestibus sibi propriis induti, sollicite et ordinate pergent per atrium ad Basilicam Vaticanam propria subsellia adepturi.

Praelati et alii Officiales Cappellae Papalis, vestibus respective sibi debitis induti, in Aula Ducali sistent.

Summus Pontifex, in Aula Paramentorum sacris vestibus assumptis cum mitra pretiosa, gestatoria sella in Basilicam Vaticanam evehetur; ubi, facta prius ad altare oratione, ac deposita mitra, Missae celebrationem inchoabit.

Intimentur itaque omnes et singuli E.mi DD. Cardinales, Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, nec non Abbates et supremi Moderatores Ordinum et Congregationum ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano II habentes.

Insuper intimentur Vice-Camerarius, Princeps solii, Concilii Custodes, Auditor et Thesaurarius Generalis R.C.A., Praefectus Palatii Apostolici, Protonotarii Apostolici de numero Participantium, Audi-

tores R. Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae, Officiales Concilii; ceterique intimari soliti, qui suis locis praesto esse debent *hora* saltem *octava cum dimidio.*

De mandato Sanctissimi D. N. Papae

✠ Henricus Dante, Archiep. Carpasien.
Apost. Caerem. Praefectus

9

NORMAE CIRCA OPERAM A PERITIS PRAESTANDAM

Distributae sunt Patribus Conciliaribus in octogesima congregatione generali, die 15 septembris 1964.

In coetu habito die 28 decembris 1963 a Commissione de Concilii laboribus coordinandis, Em.mus Cardinalis Praeses has normas communicavit, quae a Summo Pontifice impertitae sunt circa operam a Peritis praestandam:

1) Pro munere sibi commisso, Rev.mi Periti omni scientia, prudentia et secundum rei veritatem respondere debent quaestionibus, quas Commissiones Conciliares eorum examini ac studio commiserint.

2) Periti omnino prohibentur sive factiones constituere vel opinionum cursum flectere secundum quamdam sententiam (italice: « organizzare correnti o tendenze »), sive percontationes admittere (italice: « dare interviste »), sive suas privatas opiniones circa Concilium publice evulgare vel defendere.

3) Pariter sese abstineant Periti a detrectando Concilio, neque extraneos edoceant de rebus in Commissionibus actis, religiose observantes ea omnia quae Summus Pontifex statuit de secreto servando super labores Conciliares.

Translationes in linguas vernaculas

Versio gallica

Au cours de la réunion du 28 décembre 1963 de la Commission de Coordination, le Cardinal Président a communiqué les règles suivantes du St-Père concernant l'activité des Experts:

1) Selon le travail qui leur est demandé, les Experts doivent répondre avec toute leur science, prudence et objectivité, aux questions que les Commissions confient à leur examen.

2) Il leur est demandé de ne pas susciter des courants d'opinion, donner

des interviews et soutenir publiquement des idées personnelles sur le Concile.

3) Qu'ils s'abstiennent de critiquer le Concile, de communiquer à l'extérieur des nouvelles sur l'activité des Commissions, observant en cela ce que le St-Père a établi au sujet du secret des travaux conciliaires.

Versio germanica

In der Zusammenkunft der Koordinierungskommission am 28. Dezember 1963 teilte der Kardinalpräsident folgende Normen des Hl. Vaters bezgl. der Tätigkeit der « Periti » mit:

1) Gemäss der ihnen anvertrauten Aufgabe sollen die HH. « Periti » mit Wissen, Klugheit und Objektivität auf die Fragen antworten, die die Kommissionen ihnen zur Prüfung unterbreiten.

2) Es ist ihnen verboten, bestimmte Strömungen oder Tendenzen zu organisieren, Interviews zu gewähren und öffentlich ihre persönliche Ansichten über das Konzil zu äussern.

3) Sie sollen sich ferner davon enthalten, am Konzil Kritik zu üben und an Aussenstehende Mitteilungen über die Tätigkeit der Kommissionen zu machen, unter Beachtung der Vorschriften, die der Hl. Vater bezüglich des Konzilsgeheimnisses erlassen hat.

Versio anglica

In the meeting on December 28, 1963 of the Coordinating Commission, the Cardinal President announced the following norms of the Holy Father, regarding the activities of the Periti:

1) According to the work assigned, the Reverend Periti should answer with knowledge, prudence and objectivity the questions which the Commissions have proposed to them.

2) They are forbidden to organize currents of opinions or ideas, to hold interviews or to defend publicly their personal ideas about the Council.

3) They should not criticize the Council, nor communicate to outsiders news about the activities of the Commissions, observing always in this regard, the decree of the Holy Father about the secret to be observed concerning conciliar matters.

Versio hispanica

Durante la reunión que la Comisión Coordinadora del Concilio tuvo el 28 de diciembre de 1963, el Emmo. Cardenal Presidente comunicó las siguientes normas del Santo Padre sobre la actividad de los Peritos Conciliares:

1) Conforme el oficio que se ha asignado, los Peritos deben responder

con ciencia, prudencia y objectividad a las cuestiones que las Comisiones Conciliares les den a examinar.

2) Se les prohibe organizar corrientes o tendencias de opiniones, conceder entrevistas y sustentar en público ideas personales sobre el Concilio.

3) Absténganse de criticar el Concilio, comunicar a personas extrañas noticias sobre la actividad de las Comisiones, observando en este respecto, cuanto el Santo Padre ha establecido acerca del secreto que se ha de guardar sobre los labores conciliares.

10

AVVISO PER I PADRI CONCILIARI

Distributus est Patribus conciliaribus in octogesima tertia congregatione generali, die 18 septembris 1964.

SECRETARIATUS PRO REBUS OECONOMICIS
CONCILII VATICANI II

E Civitate Vaticana, 10 Septembris 1964

Il Segretariato Amministrativo del Concilio Ecumenico Vaticano II ha rinnovata la polizza di assicurazione contro gli infortuni che potessero occorrere a tutti i Componenti del Concilio Ecumenico Vaticano II.

Le denunce degli eventuali infortuni dovranno essere inoltrate con ogni possibile sollecitudine al:

SEGRETARIATO AMMINISTRATIVO
DEL CONCILIO ECUMENICO VATICANO II
Tel. 698 - Int. 3953 CITTÀ DEL VATICANO

o alle ASSICURAZIONI GENERALI - GERENTE RAMO INFORTUNI
PIAZZA VENEZIA, 11 Tel. 681244

AVIS POUR LES PERES CONCILIAIRES

Le secrétariat Administratif du IIème Concile Œcuménique du Vatican a renouvelé la police d'assurance contre les accidents qui pourraient arriver à tous les participants du IIème Concile du Vatican.

Dans l'éventualité d'un accident, prière d'en informer le plus rapidement possible le:

SECRÉTARIAT ADMINISTRATIF
DU IIème CONCILE ŒCUMÉNIQUE DU VATICAN
Tél. 698 - Int. 3953 CITÉ DU VATICAN

ou les ASSICURAZIONI GENERALI - GERENTE RAMO INFORTUNI
(branche accidents)
PIAZZA VENEZIA, 11 Tél. 681244

NOTICE TO THE CONCILIAR FATHERS

The Administrative Secretariat of the Second Vatican Ecumenical Council has renewed the assurance policy for accidents that may happen to members of the Second Vatican Council.

In case of an accident, one should inform, as soon as possible:

SEGRETARIATO AMMINISTRATIVO
DEL CONCILIO ECUMENICO VATICANO II
Telephone: 698 - interno (extension) 3953 CITTÀ DEL VATICANO

or

ASSICURAZIONI GENERALI - GERENTE RAMO INFORTUNI
PIAZZA VENEZIA, 11 Tel. 681244

BEKANNTMACHUNG FÜR DIE KONZILSVÄTER

Das Sekretariat für Administrative Angelegenheiten des 2. Vatikanischen Konzils gibt bekannt, dass die Versicherungs-Polizze gegen Unfälle für alle Teilnehmer des 2. Vatikanischen Konzils erneuert wurde.

Etwaige Unfälle sind unverzüglich an folgende Adresse zu melden:

SEGRETARIATO AMMINISTRATIVO
DEL CONCILIO ECUMENICO VATICANO II
Tel. 698 - Int. 3953 VATIKANSTADT

oder:

ASSICURAZIONI GENERALI - GERENTE RAMO INFORTUNI
(Abteilung Unfälle)
PIAZZA VENEZIA, 11 Tel. 681244

11

VERBA EM.MI CARD. EUGENII TISSERANT,

PRIMI PURPURATI PATRIS E CONSILIO PRAESIDENTIAE
CONCILII OECUMENICI VATICANI II, HABITA IN BASILICA VATICANA,
DIE XV SEPTEMBRIS, ANNO MCMLXIV

Venerabiles Patres,

Initio sollemnis gravissimique huius consessus, pergratum mihi est officium persolvere salutandi vos, qui in hac aula adestis; ac nomine quoque Purpuratorum Patrum e Consilio Praesidentiae, admodum gaudeo vobis gratulationes meritas exhibere.

Revera, si cogitatione complectimur laboriosum hucusque a nobis

emensum iter, est profecto cur de salutaribus iam perceptis fructibus laetemur. De quibus fructibus maximae agendae sunt gratiae Eminentissimis atque Excellentissimis Conciliaribus Patribus, qui sive in studia incumbendo, sive itinera suscipiendo, sive sueta negotia intermittendo, non pauca perferre debuerunt incommoda, ut ad felicem Concilii exitum vires suas totas conferrent. Item peculiari modo gratum profiteri animum aequum est Commissionibus Conciliaribus, iisque omnibus qui, vel ipso feriarum aestivarum tempore, impigram dederunt operam Schematum examini peragendo atque tertiae huius Concilii Sessioni diligenter apparandae.

Hac sollemni hora, facere non possumus quin mens nostra ad eos convolet, superiore anno nobiscum in hac aula praesentes, qui hisce mensibus e vivis erepti sunt; hos dum maesto commemoramus animo, pia precum suffragia Deo pro eis offerimus, spe certa innixi, fore ut ipsi sua apud Deum intercessione nos nostrosque labores adiuvare pergant.

Denique salutem dicere iuvat novis Conciliaribus Patribus, necnon iis omnibus, qui nunc primum Concilii coetibus intersunt; hos fraterno animo excipimus atque in eorum adiutrice opera spem multam collocamus.

Auxiliante Deo, igitur, vobisque egregiam navantibus operam, Concilium Oecumenicum Vaticanum II tertiae Sessionis initium feliciter sumit.

Antequam tamen labores nostri incohentur, Consilio Praesidentiae visum est quaedam vobis ad considerandum proponere, quae quidem respiciunt sive nonnullas peragendorum laborum normas, sive muneris nostri gravitatem atque momentum.

I. In primis vos vehementer rogo, Venerabiles Patres, ut vota atque hortamenta Augusti Pontificis, per Epistulam « *Iam prope* » nuper significata, omni qua par est diligentia per vos ad effectum deducantur. Agitur, ut probe nostis, de peculiaribus precationibus ac poenitentiae operibus pro felici Concilii exitu faciendis, praesertim diebus Quattuor Temporum huius mensis septembris. Quodsi iisdem diebus iam non viget praeceptum ieiunii ecclesiastici, adhuc tamen permanet generalis obligatio poenitentiae exercendae. Quare magni facienda est Summi Pontificis adhortatio, ut hoc anno proxima Quattuor Tempora impensiore studio sanctificentur; quae quidem veluti animorum praeparatio esse debent ad publicas illas piaculares supplicationes, quae in toto catholico orbe postrema die dominica huius mensis peragendae erunt. Qui poterit, igitur, praedictis diebus ieiunium et abstinentiam servet; qui vero impedimento tenebitur, studeat aliis christianae mortificationis operibus poenitentiam exercere.

II. Praeterea expedit in memoriam revocare, hoc Concilium Oecumenicum, ut Summus Pontifex Ioannes XXIII iterum iterumque asseveravit, nullo modo ad nova doctrinae capita statuenda spectare; sed proprium eius finem hunc esse, ut navitas pastoralis Ecclesiae incrementum capiat, eademque actuosior et fructuosior evadat in dioecesibus, in paroeciis et in Missionum regionibus universis, itemque apud omnes religiosas familias laicorumque hominum ordines. Ad hanc normam Schemata omnia redacta sunt; ac propterea id ipsum nostrae discussiones nostrique labores spectare debent, nisi de hac re aliud forte statuatur.

III. Ad Schemata autem quod attinet, de iis necessariae peragendae erunt sive disceptationes sive suffragationes, quibus quidem rite faciendis praeerunt quattuor Eminentissimi Cardinales Moderatores. Hoc loco probe animadvertendum est, quam plurimos Episcopos ex omnibus terrarum orbis regionibus valde exoptare, ut Concilium Oecumenicum hac tertia Sessione concludi possit. Quod quidem ego ipse expertus sum in meo itinere ad Mexicum, quod nuper confeci. Plures enim Episcopi, sive singuli sive in coetum collecti, quibuscum colloqui potui, mihi huiusmodi vota aperte significaverunt, ac me enixe rogaverunt, ut de ipsorum mente sive Romanum Pontificem sive hunc nobilissimum consessum certiores facerem. Cuius quidem rei causam ipsi afferebant tum necessitates suarum dioecesium, tum non levia incommoda ob diuturnam absentiam e suis sedibus. Quare ad rectum Concilii ordinem in tuto ponendum, optandum omnino est et enixe commendandum, ut in disceptationibus peragendis et in quaestionibus proponendis omnia fiant diligenti ac debita consideratione, plena animorum coniunctione et abundantia caritatis; at simul etiam nulla fiat temporis iactura, et repetitiones, quantum fieri poterit, vitentur. Pariter ea omnia vitentur, quae ad argumenta proposita non pertineant; sed intra praefinitos limites disceptationes omnino contineantur. Quam ad rem opportunae normae iam latae sunt a Secretaria Generali; ac sperandum est ut eaedem ab omnibus religiose serventur. Quae autem de Concilio concludendo habui, vix attinet dicere, eadem votum dumtaxat, non autem iussum significare.

IV. Patres Conciliares probe meminerint, plura esse, quae ad Commissionem de Codice Iuris Canonici recognoscendo remittenda erunt, ac plura pariter, quae in peculiaribus Directoriis fuse atque apto ordine pertractabuntur. Quare Episcopi, si quid forte habeant proponere ac suadere de iis rebus, mentem suam opportuno tempore significare poterunt sive per se sive per Conferentiam Episcopalem suae Nationis.

V. Denique, magna qua par est reverentia, rursus urgetur necessitas servandi secretum et omnem cautelam — vulgo *riserbo, réserve* —, adhibendi circa ea de quibus in hoc gravissimo consessu disceptabitur.

Ad rem quod attinet, pro dolor, in superioribus Sessionibus multum dolendum fuit, quod colloquia et percontationes — vulgo *interviste, interviews* — a quibusdam minus opportune habita sunt. Quare omnes, quotquot in hanc Concilii aulam admissi sunt, enixe rogantur, ut omni cum prudentia et cautela, itemque diligenti cum secreti observantia sese gerant, iidemque sciant disceptationibus tunc tantum finem impositum iri, cum Schemata ad ultimam approbationem pervenerint.

Deus nos adiuvet, intercedente Beatissima Virgine Maria una cum Sanctis Concilii Oecumenici Patronis.

12

NUNTIUS SECRETARIATUS PRO NON-CHRISTIANIS

Distributus est Patribus conciliaribus in nonagesima congregatione generali, die 29 septembris 1964.

Versio italica

L'annuncio della creazione del Segretariato per i non-Cristiani, fatto da Sua Santità Paolo VI, suscitò un entusiasmo generale, segno che l'iniziativa corrispondeva a un bisogno sentito da tutti; se ne salutò la nascita come una garanzia di grandi speranze. Molti tuttavia ebbero di tale Segretariato un'idea piuttosto vaga e troppo parziale, a giudicarne dagli articoli apparsi in quella occasione. Sono dunque necessarie alcune precisazioni, per quanto è possibile darne allo stato attuale delle cose.

Di fatto, la direzione del Segretariato non pretende di avere, nè ha ancora definito le sue idee in tutti i particolari, perchè teme di irrigidire anzi tempo delle strutture che hanno interesse a restare flessibili ed aperte. Sono stati consultati tutti gli Ordinari delle Missioni: molti ci hanno fornito informazioni e suggerimenti di grande valore che saranno utilizzati con profitto. Attendiamo le altre risposte che ci perverranno certamente nel corso della terza sessione del Concilio, sia per iscritto, sia nei contatti personali.

Per ora, piuttosto che precisare quel che sarà il Segretariato per i non-Cristiani, riteniamo preferibile e più semplice esporre ciò che non è e non deve essere.

Innanzitutto il Segretariato per i non-Cristiani *non è un organo del Concilio,* come lo ricordava il Santo Padre nel suo discorso al Sacro Collegio il 23 giugno scorso. Ciò dipende dal fatto che opera in un ambiente di *non-cristiani.* Il Concilio ha la missione di trattare gli affari interni della Chiesa. Ortodossi e Protestanti, la cui unione ai Cattolici non è più esclusa dalle possibilità, hanno un certo diritto e un grande interesse a vedere in che senso si orienta la Chiesa Cattolica; motivo per cui è stato loro concesso di essere rappresentati nel Concilio da alcuni osservatori. I non-Cristiani non

hanno motivi validi a giustificare la loro presenza al Concilio; perciò anche il Segretariato che se ne interessa ne è rimasto separato.

Per lo stesso motivo questo Segretariato ha una costituzione diversa da quella delle Commissioni Conciliari e dal Segretariato per l'unità dei Cristiani. Esso si tiene in stretta relazione con gli Ordinari delle Missioni e avrà, in tutte le nazioni in cui lo si giudicherà utile, una sottocommissione nazionale al livello della conferenza degli Ordinari. Non ha dunque bisogno di affiancarsi un Consiglio di Vescovi: tutti gli Ordinari interessati sono suoi consiglieri d'ufficio, e già tutti sono stati consultati.

Certuni sono stati indotti a pensare che il Segretariato per i non-Cristiani si limiterebbe alle sole religioni monoteiste, o almeno a quelle che ammettono una divinità personale. Se dovesse limitarsi ai monoteisti, il Segretariato non avrebbe più ragione d'essere da quando un decreto della Segreteria di Stato ne ha staccato gli Ebrei e i Musulmani: dei primi si occuperà il Segretariato per l'Unione dei Cristiani, dei secondi una Commissione mista della S. C. de Propaganda e della S. C. Orientale. Nel campo che resta, ci sono ben poche religioni che, almeno nella loro teologia speculativa e al di fuori della credenza popolare, ammettono un Dio personale.

Ma il Segretariato rivolge la sua attenzione a tutti gli uomini il cui cuore si eleva al di sopra di questo mondo in uno sforzo verso lo spirituale, se non verso il soprannaturale; e dà meno importanza alla religione stessa che all'anima dei suoi seguaci, spesso più pura e più elevata di quanto potrebbe farlo pensare la religione professata.

Il Segretariato per i non-Cristiani non è nemmeno, come certuni sembrano averlo pensato, *un sostituto all'opera della conversione delle anime e dell'apostolato diretto*. La Sacra Congregazione di Propaganda Fide continua immutata la sua opera perseguita da ben tre secoli e mezzo; essa rimane sempre l'organo, venerando ma sempre moderno ed aggiornato, per mezzo di cui la Chiesa adempie alla sua missione di evangelizzazione nel mondo intero.

Il Segretariato intende solo affiancare i suoi sforzi a quelli della Propaganda Fide, ma in un dominio e sotto aspetti differenti. Si propone di creare fra i Cristiani e i seguaci di altre religioni un clima di grande cordialità e di intesa nella sincerità e nella carità. Non tende dunque il Segretariato a trattare problemi dottrinali, nè tanto meno ad occuparsi del ministero della predicazione e della grazia, compito dei Missionari, bensì a stabilire contatti con i non-Cristiani su questioni di indole generale. In una parola vuole lavorare per dissipare i pregiudizi degli altri nei nostri riguardi, aprendo gli occhi sui pregiudizi che, a nostra insaputa, potremmo nutrire noi stessi contro i non-Cristiani. Vuole insomma trattare con loro da uomo a uomo e da fratello a fratello, il che costituisce il miglior modo di diminuire le inimicizie, di cambiarle anzi in simpatia.

La ragion d'essere della nuova iniziativa del Santo Padre a fianco della Propaganda Fide è la visione della massa sempre crescente di coloro che non

conoscono Cristo e che, a giudicare dalle leggi ordinarie della Provvidenza, non potranno essere raggiunti dal Vangelo prima che passino molti anni.

Non si può nemmeno concepire il Segretariato per i non-Cristiani come *un centro esclusivo di studi religiosi teorici,* in cui gli esperti si sforzano di approfondire i diversi sistemi di pensiero e di credenze per paragonarli poi alla fede cristiana. Esso dà il suo giusto valore alla scienza delle religioni comparate, all'etnografia e alle altre conoscenze annesse, e si affianca di esperti in queste materie in qualità di consultori. Ma come dà importanza maggiore alla conoscenza delle religioni quali sono vissute hic et nunc piuttosto che alle forme standardizzate nei libri, così intende considerare questa conoscenza solamente come un mezzo e non come un fine.

Esso mira soprattutto a stringere contatti con l'uomo; quell'uomo di cui una data religione, nel corso degli anni, ha informato la mentalità e improntato le reazioni, foggiato il linguaggio e condizionato la logica, forse influenzata la coscienza. Suddetta religione è come l'interprete necessaria per poter farci capire da lui, per utilizzare i suoi concetti e indovinare i sentimenti a cui sarà sensibile. Per mezzo di essa noi arriveremo a distinguere nell'uomo le vestigia della legge naturale, quel sigillo del divin vasaio che ci ha fatti gli uni e gli altri, lasciando in ciascuno questo segno di fraternità universale e rendendo possibile a tutti i contatti *umani,* intesi nel senso più alto di questa parola.

L'uomo di cui sopra non lo possiamo cercare a Roma; dobbiamo cercarlo e raggiungerlo dove sta, cioè soprattutto nei paesi di Missione. Il modo di realizzare questo contatto passa dunque necessariamente attraverso gli Ordinari delle Missioni e i loro ausiliari, come pure attraverso gl'istituti di ricerche e di formazione di cui dispongono gli Ordinari stessi. Persino la scelta, la formazione e il controllo dei collaboratori atti a portare a termine tale compito spetta ai Vescovi.

L'apostolato dei contatti umani è aperto a tutte le categorie di persone di buona volontà, e ciascuno può svolgere la sua parte purchè sia in possesso dei requisiti di flessibilità per adattarsi e di prudenza nelle parole e nell'azione: sacerdoti, religiosi e religiose, laici di qualsiasi livello intellettuale, persino proseliti e non-Cristiani simpatizzanti; questi ultimi, lungi dal costituire un fattore trascurabile, sono a volte i soli capaci di stringere i primi contatti.

Con tali collaboratori si potrà imitare un Francesco Saverio che, fra un catechismo e una predicazione, s'intratteneva apparentemente di cose estranee alla religione con il suo grande amico bonzo Ninshitsu, che morirà poi cristiano una trentina d'anni dopo.

A Roma, un gruppo, ristretto al personale necessario, mirerà a costituire come il cervello e il cuore che coordinerà, stimolerà o modererà, secondo il caso, tutta questa attività. Si incaricherà anche di tutti i contatti *in Urbe.* Inoltre è nostra intenzione allargare la sfera della nostra attività per agganciare i gruppi, spesso importanti, di non-Cristani che si raggruppano nei

centri di studio d'Europa e d'America. Non si potrà mai dare abbastanza importanza a questi studenti che saranno un giorno i capi e le guide dei paesi da cui provengono. Anche in tal senso il Segretariato si è già messo in relazione con la gerarchia dei diversi paesi interessati per conoscere tutte le organizzazioni esistenti e promuovere i primi approcci.

Per quanto riguarda la sfera dei *contatti* umani da allacciare, occorre estenderla il più possibile. La maggior parte di quelli che hanno esposto per iscritto le loro idee sul lavoro del Segretariato per i non-Cristiani hanno delimitato il suo scopo alla ricerca intellettuale speculativa, e più esattamente alle ricerche sul dogma delle diverse religioni. Ma vi sono religioni che non hanno dogmi propriamente detti, mentre molte altre, ed è il caso di quelle dell'estremo Oriente, dànno un'importanza eccezionale alla morale che diviene così il punto focale indicato per le prime relazioni. Non bisogna inoltre dimenticare che il laicismo della nostra epoca ha profondamente contaminato anche le religioni non cristiane, che viviamo in un'epoca in cui il senso religioso si sta raffreddando dappertutto, e che la preoccupazione del temporale, del guadagno e del benessere prende il primo posto negli spiriti e nei cuori. Sarebbe un errore imperdonabile trascurare la potente leva di azione sulle folle che ci offre la dottrina sociale della Chiesa: per esempio la sua concezione dei rapporti fra lavoro e capitale, fra padroni ed operai.

In altri casi ed in altri ambienti gli scambi culturali potranno servire da collegamento; per mezzo di essi un Matteo Ricci forzò le porte ermeticamente chiuse dell'Impero Cinese, aprendole al Vangelo. Insomma, nulla di ciò che è buono, vero e nobile, deve essere trascurato. Dio è infatti l'autore della natura come della grazia. « Deus auctor naturae et gratiae », dice San Tommaso. E Pio XII ci ricorda che anche dopo la caduta di Adamo questa natura conserva *qualche cosa di naturalmente cristiano*.[1]

Benchè si parli spesso di *nuovo* Segretariato, noi non abbiamo la pretesa di essere dei novatori o degli innovatori su tutti i punti. La maggior parte delle iniziative che abbiamo inteso promuovere ed incoraggiare erano già perseguite in alcuni territori di missione con buoni frutti, il che ci incoraggia nei nostri sforzi. Tutto ciò che si è dimostrato utile in qualche posto, noi intendiamo portarlo a conoscenza degli altri, pur raccomandando le modifiche e gli adattamenti necessari. Or suggerendo del nostro, più spesso copiando da altri; or incoraggiando a procedere oltre, altre volte richiamando alla prudenza e alla realtà, intendiamo esercitare un'attività di coordinazione, di stimolo o di freno, secondo il bisogno.

Per il Segretariato per i non-Cristiani accettiamo la qualifica di « nuovo » solo nel senso di *sorto recentemente* e ancora ai suoi primi passi. Per soprav-

---

[1] « Humana natura, quamvis ob miserum Adae casum hereditaria labe infecta sit, aliquid tamen in se habet naturaliter christianum » (Evangelii praecones, *A.A.S.* [1951], p. 522).

vivere e svilupparsi ha bisogno dell'aiuto e della cooperazione degli Ordinari delle Missioni. È chiaro che, stando così le cose, esso non può disporre di risorse tali, che alcuni sembrano supporre, proponendo la creazione e il funzionamento in ogni paese di uno o più Istituti di ricerche religiose, dotati di quanto la scienza moderna mette di più perfetto a disposizione dei ricercatori. Anche ammettendo che il profitto ne valga la spesa, ciò non potrà realizzarsi senza esaurire le risorse di cui vivono le Missioni.

Prima di terminare vorremmo mettere in guardia contro due pericoli che minacciano, se non si sta bene attenti, l'attività di coloro che lavorano nel senso del Segretariato per i non-Cristiani. Il primo di essi è il disfattismo, che paralizza in anticipo ogni iniziativa. Il secondo, più sottile, è l'eccesso di entusiasmo che rischia di assopire la prudenza e di far pervenire all'indifferentismo o al sincretismo. Non si pensi che siano pericoli immaginari: molti Ordinari ne hanno richiamata la nostra attenzione e noi stessi ne abbiamo delle prove nelle prime relazioni che ci sono pervenute.

Per indifferentismo non intendiamo la freddezza o l'incredulità di certuni nei riguardi della fede cristiana, ma piuttosto l'attitudine di coloro per cui tutte le religioni sono uguali: in ognuna di esse vedono altrettante strade che conducono alla cima della montagna. Perciò, dicono essi, purchè l'ospite arrivi all'appuntamento, non ci si deve inquietare della strada che percorre.

Per quanto riguarda il sincretismo, basta conoscere un po' le religioni dell'estremo Oriente per rendersi conto della forza di tale tendenza; vi è come naturale. Tutte le credenze conosciute si uniscono e si fondono in una sola, purchè presentino alcuni aspetti secondari comuni. Il fenomeno è talmente forte e generale che è passato come principio nella scienza delle religioni comparate.

Crediamo opportuno aprire bene gli occhi su questi pericoli, giacchè averli intravisti chiaramente vuol dire averli già vinti a metà.

Avrà colpito il fatto che le parole *conversione* e *ingresso nella Chiesa* sono state appena accennate nel presente esposto. È stato fatto di proposito. Nostro scopo è quello di porci di fronte ai nostri fratelli sul terreno delle relazioni franche e sincere di simpatia e di carità, di considerarli quali sono, cioè seguaci di una religione diversa dal Cristianesimo. Non vuol dire che rinunciamo per ciò stesso alla missione ricevuta da Gesù di predicare il Vangelo. Prendendo su di noi il compito ingrato di eliminare gli ostacoli più grandi sul sentiero del ravvicinamento, di creare a poco a poco un clima d'intesa e di cooperazione, noi abbiamo la certezza di essere dei seminatori, anche se non dovessimo mai raccogliere; sappiamo che questi due compiti, seminare e raccogliere, sono ordinariamente compiuti da persone differenti. Anzi, noi pensiamo di poter seminare in terre in cui qualsiasi altra penetrazione sarebbe praticamente impossibile.

La principale virtù che esige il nostro compito è la prudenza: nel nostro comportamento, nelle nostre parole e nelle nostre azioni. Una parola imprudente può rovinare un lavoro che si prevedeva promettente. Si può offendere

e chiudere i cuori quando si credeva di far piacere: commiserando, per esempio, colui che non ha coscienza di provocare col suo stato un tale sentimento di commiserazione. È il motivo per cui gli Ordinari non saranno mai abbastanza vigilanti nella scelta e nella formazione dei loro cooperatori in questo campo.

La miglior salvaguardia contro tale pericolo sarà una sincera umiltà basata sulla coscienza viva che noi non abbiamo nulla di buono che non ci sia stato dato gratuitamente. Noi potremo allora metterci allo stesso livello e anche al di sotto di coloro con cui parliamo, senza timore di offenderli.

Simile prudenza è necessaria nelle informazioni date alla stampa, anche cattolica e ben pensante. Molti Ordinari hanno insistito su tali punti. Occorrerà dunque che i giornalisti comprendano che noi non possiamo dare loro tutte le informazioni desiderate, malgrado la nostra buona volontà e malgrado il piacere che proveremmo ad accontentarli.

Se noi uniremo a una somma prudenza lo zelo della carità, pensiamo che l'iniziativa di Sua Santità potrà portare frutti consolanti, che la testimonianza della volontà salvifica del Cristo sarà offerta alle masse, che tutti gli uomini conosceranno la sollecitudine della Chiesa Cattolica nei loro riguardi. I credenti saranno resi più forti nella resistenza alla fredda onda di materialismo ateo che minaccia di travolgerli, e potranno così salvare la loro personalità e la loro libertà, quella libertà « qua Christus nos liberavit » (*Gal.* 4, 31).

Roma 26 settembre 1964.

Segretariato per i non-Cristiani
PAOLO Card. MARELLA, *Presidente*
Humbertclaude P. Pietro, *Segretario*

Sede del Segretariato:
Ospizio S. Marta
CITTÀ DEL VATICANO
Tel. 698/4308

Versio gallica

L'annonce par Sa Sainteté Paul VI de la création du Secrétariat pour les non-Chrétiens provoqua un enthousiasme général, preuve que l'initiative répondait à un besoin généralement senti. Beaucoup y virent un gage des plus grandes espérances.

A en juger cependant par les articles alors parus, on s'en faisait une idée assez vague et trop partielle. De là la nécessité de quelques précisions, pour autant qu'il est possible d'en donner au stade actuel.

De fait, la direction du Secrétariat elle-même ne prétend ni ne veut avoir des idées définitivement arrêtées dans le détail. Elle craindrait de durcir avant l'heure des cadres qui ont tout à gagner à rester souples et ouverts.

Déjà tous les Ordinaires de Mission ont été consultés et beaucoup nous

ont fourni des informations et suggestions appréciées. Elles seront utilisées avec profit. Nous en attendons beaucoup d'autres encore, soit écrites, soit verbales lors de la troisième session du Concile.

Pour le moment, plutôt que de dire ce que sera le Secrétariat, il nous semble à la fois plus sûr et plus facile d'exposer ce qu'il n'est pas et ne doit pas être.

D'abord le Secrétariat pour les non-Chrétiens *n'est pas un organe du Concile,* comme le Saint Père le rappelait encore dans son discours du 23 juin au Sacré Collège. Cela tient au milieu auquel il s'adresse, celui des non-chrétiens. Le Concile a mission de traiter les affaires internes de l'Eglise. Orthodoxes et protestants, pour qui l'union n'est plus aujourd'hui chose exclue des possibilités, ont un certain droit et un réel intérêt à voir dans quel sens l'Eglise s'oriente: c'est la raison pour laquelle il leur a été permis de se faire représenter par des observateurs. Il n'en va pas de même des non-chrétiens dont rien ne motive la présence au Concile, et c'est la raison pour laquelle le Secrétariat en est lui-même séparé.

Ce Secrétariat a par suite aussi une constitution différente de celle des Commissions du Concile et du Secrétariat pour l'Unité des Chrétiens. Comme il se tient en relations étroites et directes avec tous les Ordinaires de Missions et aura en outre, dans les pays où la chose sera retenue utile, une sorte de relais national au niveau de la Conférence des Ordinaires, il n'a pas à s'entourer ici d'un Conseil d'évêques: tous les Ordinaires intéressés sont ses conseillers et ont déjà tous été consultés.

Certains ont paru croire que le Secrétariat se limiterait aux seules religions monothéistes, ou du moins à celles qui admettent une divinité personnelle. S'il devait se borner aux monothéistes, le Secrétariat n'aurait déjà plus de raison d'être maintenant qu'une décision de la Secrétairerie d'Etat en a détaché les Juifs et les Musulmans: des premières s'occupera le Secrétariat pour l'Union des Chrétiens et des seconds une Commission mixte de la S. C. de Propaganda Fide et de l'Eglise Orientale. Dans le domaine qui lui reste, il est bien peu de religions qui, dans leur théologie spéculative du moins, et en dehors des croyances populaires, croient à un Dieu personnel.

En fait, nous nous adressons à tous les hommes dont le cœur s'élève au-dessus de ce monde dans un effort vers le spirituel, sinon vers le surnaturel. Il accorde moins d'importance à la religion elle-même qu'à l'âme de ses sectateurs, souvent plus pure et plus élevée que le système religieux ne pourrait le faire croire.

Le Secrétariat n'est pas, comme certains ont paru le croire, un *substitut à l'œuvre de la conversion des âmes* et à l'apostolat direct. La Sacrée Congrégation de Propaganda Fide continue inchangée son œuvre poursuivie depuis plus de trois siècles. Elle reste l'organe, vénérable certes mais toujours moderne, par lequel l'Eglise remplit en pays de mission sa tâche d'évangélisation.

Le Secrétariat entend seulement juxtaposer son effort à celui de la

Propagande dans un domaine et sous un aspect différent. Son but est de créer entre chrétiens et autres religionnaires un climat de plus grande cordialité et entente dans la sincérité et la charité. Le Secrétariat ne se propose donc pas de traiter des problèmes doctrinaux et moins encore de vaquer au ministère de la prédication et de la grâce, ce qui est la tâche des missionnaires; mais bien d'établir des contacts avec les non-chrétiens sur des questions de caractère général. En un mot, il veut travailler à dissiper les préjugés des autres à notre endroit en commençant par faire ouvrir les yeux sur ceux qu'à notre insu nous pourrions nourrir contre les non-chrétiens. Il veut faire que les relations soient d'homme à homme et de frère à frère, ce qui est la meilleure manière d'amortir les inimitiés existantes et de les changer même en sympathie.

Ce qui a motivé l'initiative du Saint Père, c'est la vision de la masse toujours plus dense de ceux qui ne connaissent pas le Christ et qui, à en juger par les lois ordinaires de la Providence, ne pourront être vraiment touchés par l'Evangile que dans un nombre d'années bien difficile à déterminer.

Le Secrétariat ne constitue ni exclusivement ni principalement *un centre d'études religieuses théoriques* dans lequel des experts s'efforcent d'approfondir les divers systèmes de pensée et de croyance pour les comparer un à un avec la foi chrétienne. Il apprécie à sa juste valeur la science des religions comparées, l'ethnographie et toutes les connaissances annexes et il s'entoure, à titre de consulteurs, d'experts en tous ces domaines. Mais outre qu'il apporte bien plus d'importance à la connaissance des religions telles qu'elles sont vécues hic et nunc qu'aux formes classiques de musée fixées dans les livres, il fait de cette connaissance un moyen et non pas une fin.

Ce qu'il veut atteindre c'est l'homme; cet homme dont une religion a, au cours des années, puissamment informé la mentalité et moulé les réflexes; qui lui donne son langage et conditionne sa logique; qui influence même sa conscience. Elle est par suite le truchement nécessaire pour nous faire entendre de lui, nous servir de ses concepts et trouver les sentiments auxquels il pourra vibrer. A travers elle nous arriverons à dégager dans l'âme les vestiges de la loi naturelle, cette marque du divin potier qui nous a modelés les uns et les autres, laissant ainsi dans chacun la marque de la fraternité universelle, et par suite rendant possibles entre tous les contacts *humains* au sens le plus haut de ce mot.

Cet homme que nous voulons atteindre, il nous faut le chercher là où il est, c'est à dire dans les pays de mission et non pas à Rome, du moins essentiellement. Le moyen de réaliser ce contact passe donc nécessairement par les Ordinaires missionnaires et leurs auxiliaires, comme aussi par les Instituts de recherche ou de formation dont ces Ordinaires disposent. Sur ces Ordinaires retombera forcément la lourde responsabilité de choisir, former et suivre le personnel, prêtres, religieux et laïcs, susceptible de mener à bien la tâche.

Avec de tels collaborateurs seulement, il sera possible d'imiter un François-Xavier qui, entre les fatigues de ses catéchismes ou de ses prédications, venait apparemment causer de choses et d'autres avec son ami le grand bonze Ninshitsu qui finira par mourir chrétien á quelque trente ans d'intervalle.

L'apostolat des contacts humains s'ouvre largement à toutes les catégories d'âmes de bonne volonté: il n'en est aucune qui ne puisse trouver son emploi pourvu qu'elle ait les qualités voulues de souplesse pour l'adaptation et de prudence dans la parole et l'action: prêtres, religieux et religieuses, laïcs de tout niveau intellectuel, prosélytes même et non-chrétiens sympathiques; ces derniers, bien loin d'être des facteurs négligeables seront parfois les seuls à pouvoir nouer les premiers contacts.

De Rome, un personnel qui entend se tenir toujours dans les limites du strict nécessaire, visera à être le cerveau et le cœur qui coordonnera, stimulera ou retiendra selon le cas toute cette activité. Il se chargera en outre de tous les contacts *in Urbe.*

Notre intention est en outre d'élargir cette sphère d'activité pour l'étendre aux groupes, souvent importants, de non-chrétiens qu'attirent les grands centres d'études d'Europe et d'Amérique. On ne saurait trop attacher d'importance à ces étudiants qui seront un jour dans tous les postes-clefs des jeunes nations dont ils sont issus. Pour cette question aussi le Secrétariat s'est mis en relation avec la hiérarchie des divers pays intéressés afin de connaître et contacter toutes les organisations compétentes.

Pour ce qui est de l'étendue *des contacts humains* à nouer, nous sommes d'avis qu'elle doit être aussi large que possible. De ceux qui ont livré à la presse leurs opinions sur ce que devrait être le travail du Secrétariat, beaucoup ont borné son rôle à la recherche intellectuelle spéculative, et plus spécialement aux recherches sur le seul dogme des diverses religions. Or il est bien des religions qui n'ont pas de dogme à proprement parler; mais beaucoup, et c'est particulièrement le cas de celles de l'Extrême-Orient, font une place de premier plan à la *morale* qui devient par suite le foyer tout indiqué des premières rencontres. Mais il convient de ne pas oublier que le laïcisme de notre époque a aussi profondément contaminé les religions non-chrétiennes; que le sens religieux s'est partout refroidi et que la première place dans les esprits et les cœurs est au souci du temporel, du gain et du bien-être. Ce serait donc de notre part une grave erreur que de négliger le puissant levier d'action sur les masses que nous donne la doctrine sociale de l'Eglise, sa conception, par exemple, des rapports entre travail et capital, employeurs et ouvriers.

Dans d'autres cas ou d'autres milieux, le domaine de la culture pourra servir de pont comme ce fut autrefois le cas en Chine pour un Mathieu Ricci qui amena de la sorte à s'ouvrir à l'Evangile, les portes hermétiquement closes de ce vaste empire. En somme, rien de ce qui est bon, vrai ou noble ne saurait être négligé. Dieu est en effet l'auteur de la nature comme il

l'est de la grâce comme dit Saint Thomas: *Deus auctor naturae et gratiae.* Et Pie XII nous rappelle que, même après la chute d'Adam, cette nature garde *quelque chose de naturellement chrétien.*[1]

Bien que l'on parle souvent de *nouveau* Secrétariat, nous n'avons pas la prétention d'être des novateurs ou plutôt des innovateurs en tous points. La plupart des initiatives que nous avons entendu prendre et encourager étaient déjà en usage sur quelque territoire de mission ou de chrétienté et y avait porté des fruits, ce qui est bien de nature à encourager nos efforts.

Ce qui s'est tenté d'utile en quelque endroit que ce soit, nous entendons le porter à la connaissance de tous, recommandant toujours les modifications et adaptations nécessaires.

Tantôt ajoutant du nôtre, plus souvent empruntant: tantôt encourageant à aller de l'avant et tantôt rappelant à la prudence et au sens du réel, nous entendons exercer une activité de coordination, de stimulant ou de frein au gré des besoins.

Nous acceptons cependant pour le Secrétariat le qualificatif de nouveau dans le sens de *récemment* né et encore à ses premiers pas. Il a besoin pour survivre et se développer de l'aide et de la coopération des Ordinaires de Missions.

Il est aussi évident qu'à ce stade il ne peut disposer des ressources que certains semblent lui supposer en lui proposant la création et le soutien en chaque pays d'un ou plusieurs Instituts de recherche religieuse dotés de tout ce que la science moderne met de plus parfait à la disposition des chercheurs. En admettant même que le profit vaille la dépense, cela ne se pourrait réaliser sans tarir les ressources dont doivent vivre les Missions.

En terminant, nous voudrions mettre en garde contre deux périls qui menacent, si l'on n'y prend garde, l'activité de ceux qui travaillent dans le sens du Secrétariat. Le premier est le défaitisme qui paralyse d'avance toute initiative. Le second, plus subtil, est l'excès d'enthousiasme qui risque d'endormir la prudence et de faire aboutir soit à l'indifférentisme, soit au syncrétisme. Et que l'on ne croie pas que ce soient des dangers imaginaires: bien des Ordinaires les ont également soulignés et nous en avons trouvé des preuves dans les premières relations qui nous sont déjà parvenues.

Par indifférentisme, nous n'entendons pas la froideur ou l'incroyance de certains en nos pays chrétiens, mais bien l'attitude de ceux pour qui toutes les religions se valent, qui y voient autant de chemins divers conduisant tous également au sommet de la montagne. Or, disent-ils, pourvu que l'hôte soit arrivé au rendez-vous, on ne s'inquiète pas de la route qu'il a prise.

Pour ce qui est du syncrétisme, il suffit de connaître tant soit peu les religions de l'Extrême-Orient pour voir combien cette tendance y est forte

---

[1] « Humana natura, quamvis ob miserum Adae casum hereditaria labe infecta sit, aliquid tamen in se habet naturaliter christianum » (Evangelii praecones, *A.A.S.* [1951], p. 522).

et comme naturelle. Toutes les croyances connues s'y unissent et fondent en une seule, pour quelque aspect commun secondaire qu'elles peuvent présenter. Le phénomène est si fort et général qu'il est passé en principe dans la science des religions comparées.

Nous avons cru devoir ouvrir les yeux sur ces périls parce que c'est déjà avoir vaincu à moitié le péril que de l'avoir nettement entrevu.

On aura peut-être été frappé du fait que les mots de conversion et d'entrée dans l'Eglise ont à peine été prononcés au cours du présent exposé. Nous l'avons fait à dessein. Notre but est de nous placer en face de nos frères sur le terrain de relations franches et sincères de sympathie et de charité, de les envisager tels qu'ils sont, c'est-à-dire sectateurs d'autres religions que le christianisme. Cela ne veut pas dire pour autant que nous renoncions à la mission reçue de Jésus de prêcher l'Evangile. En prenant sur nous la tâche ingrate de fouler les hautes herbes sur le sentier du rapprochement, de créer peu à peu un climat d'entente et de coopération, nous gardons la certitude d'être des semeurs, même si nous ne devons jamais moissonner: nous savons que les deux tâches sont d'ordinaire le fait de personnes différentes. Il y a plus: nous pensons faire nos semailles en des terres où toute autre pénétration serait pratiquement impossible.

La première vertu que cette tâche exige est celle de la prudence: dans notre attitude, dans nos paroles et dans nos actes. Un mot irréfléchi peut ruiner un travail qui s'annonçait prometteur. On peut blesser et fermer les cœurs alors qu'on croyait faire plaisir: en prenant en pitié, par exemple, celui qui n'a pas conscience de provoquer par son état un tel sentiment. C'est la raison pour laquelle les Ordinaires ne pourront jamais être trop vigilants dans le choix et la formation de leurs coopérateurs en ce champ.

La meilleure sauvegarde contre ce péril sera une sincère humilité basée sur la conscience vive que nous n'avons rien de bon que nous ne l'ayons reçu gratuitement. Nous pourrons alors nous mettre au niveau et même au-dessous de ceux avec qui nous parlons sans crainte de les offenser.

Cette prudence est aussi de rigueur dans les informations données à la presse, même catholique ou bien pensante. Beaucoup d'Ordinaires ont fortement insisté sur ce point. Il faudra donc que les journalistes comprennent que nous ne pouvons leur donner tous les renseignements qu'ils désirent, quelle que soit notre bonne volonté, quel que soit même le plaisir que nous aurions à le faire.

En joignant à cette prudence le zèle de la charité, nous croyons que l'on pourra faire porter des fruits consolants à l'initiative du Saint Père; que le témoignage de la volonté de salut du Christ sera porté aux masses; tous les hommes connaîtront la sollicitude de l'Eglise à leur endroit. Les croyants en seront fortifiés dans leur résistance à la froide vague de matérialisme athée qui menace de les submerger, et sauveront ainsi leur personnalité et leur liberté, cette liberté « qua Christus nos liberavit » (*Gal.* 4, 31).

Rome 26 septembre 1964.

Versio anglica

The general enthusiasm aroused by Pope Paul VI's announcement of a Secretariat for non-Christians indicates that the enterprise fills a widely felt need. Its establishment was hailed as a sign of great hopes. According to the articles that appeared in the press at that time, however, many have the idea that the Secretariat is something rather vague and too partial. It is necessary therefore to make some clarification, at least as far as it is possible at this time.

In fact, the direction of the Secretariat does not pretend to have, nor has it yet defined, its ideas in detail, because it fears to make rigid its framework, that has everything to gain by remaining flexible and open.

Already all the bishops in the missions have been consulted; many have provided us with very valuable information and suggestions, which will be used with profit. We are awaiting the replies of the others, that will certainly be forthcoming during the third session of the Council, either in writing or through personal contact.

For the time being, rather than specify what the Secretariat will be, we consider it preferable and easier to point out what it is not and what it should not be.

First of all, the Secretariat for non-Christians *is not an organ of the Council,* as the Holy Father reminded us in his discourse of june 23 to the Sacred College. One reason is that the group to which it is directed is *non-Christian.* The Council has the mission of treating the internal affairs of the Church. The Orthodox and the Protestants whose union with the Catholics is not considered today impossible, have a certain right and a great interest in seeing in what direction the Catholic Church is orientating herself. This is why some of them are being represented at the Council by observers. The non-Christians, on the other hand, do not have real motives for being present at the Council; accordingly, the Secretariat that is interested in them remains apart.

For the same reason the Secretariat also has a set-up different from that of the commissions of the Council and the Secretariat for the Union of Christians. The Secretariat for non-Christians maintains close relations with the bishops of the missions and will have in all countries where it will be judged useful a kind of national committee at the level of the Episcopal Conference. It therefore does not need to have a commission of bishops attached to it: all the bishops concerned are its councilors, and they have already been consulted.

Some have been induced to believe that the Secretariat should limit itself only to monotheistic religions, or at least to those that admit a personal God. If it were to limit itself to monotheists, the Secretariat would no longer have any reason for existence, as the Secretariat of State has already decided that the Jews and the Moslems be treated separately.

The Secretariat for Union of Christians occupies itself with the Jews and a mixed commission of the Sacred Congregation for the Propagation of the Faith and the Sacred Congregation for the Oriental Church, with the Moslems. In the field that remains there are very few religions, at least in their speculative theology and outside of popular belief, that accept a personal God.

But the Secretariat turns its attention to all men who raise their hearts above this world in an effort to reach the spiritual, if not the supernatural. It gives less importance to the religion itself than to the souls of its members, often more pure and elevated than their religions would make us believe.

The Secretariat is not, as some seem to believe, *a substitute for the work of the conversion of souls and the direct apostolate.* The Sacred Congregation for the Propagation will continue unchanged its work, that it has pursued for more than three centuries. It still remains the organ, venerable but up to date, by which the Church fulfills her task of evangelization in mission countries.

The Secretariat intends only to place its effort alongside that of the Sacred Congregation for the Propagation of the Faith, but in a different field and under a different aspect. It proposes to create between Christians and the followers of other religions a climate of great cordiality and understanding, with sincerity and charity. It is not its purpose then to discuss doctrinal problems, much less to be charged with the mission of preaching and spiritual ministration, which is the duty of missionaries; rather, it will be bent on establishing contacts with non-Christians in regard to questions of common human interest. In a word, the Secretariat wants to work in order to dissipate the prejudices of others against us by beginning to open our eyes to those prejudices which, unknown to us, we might nourish against non-Christians. It wishes to deal with them as man to man and brother to brother, which is the best way of destroying existing enmities and changing them to sympathetic understanding.

The motivation of the Holy Father placing this initiative alongside the work of the Sacred Congregation for the Propagation of the Faith is the spectacle of the ever increasing mass of those who do not know Christ and who, to judge by the ordinary laws of Providence, could not be reached by the Gospel till after passing of many years.

The Secretariat constitutes neither exclusively nor principally a center for the theoretic study of religions, in which experts would strive to fathom the various systems of thought and belief in order to compare them one by one with the Christian faith. It gives proper value to the science of comparative religions, ethnography and all the annexed branches of learning, and it will have attached to it experts in these fields in the role of consultors. But as it gives more importance to the knowledge of religions as they are lived here and now rather than to the standard forms

found in books, it intends to regard this knowledge as a means and not an end.

The Secretariat aims above all to make close contacts with man—that man for whom his religion has in the course of years strongly shaped his mentality and molded his reflexes, given him his manner of speech, conditioned his logic and influenced his conscience. Consequently, a knowledge of his religion is a necessary step toward understanding him, a means of giving us his ideas and determining the sentiments to which he might respond. Through such knowledge we will be able to perceive in his soul the vestiges of the natural law, that seal of the divine Potter who has molded both of us, leaving in each a sign of universal fraternity and thus making possible for everyone *human* contacts in the best sense of the word.

We cannot find this man in Rome; we must strive to reach him where he is, that is, above all in the mission countries. These contacts must necessarily be realized through the missionary bishops and their collaborators, as well as through the institutes of research or education that are at the disposal of those bishops. Even the choice, the formation and the overseeing of collaborators capable of carrying out this work concern the bishops.

The apostolate of human contact is open to all categories of persons of good will; each one can do his part provided he has the necessary qualities of flexibility of adaptation and prudence in word and action: priests, Brothers, Sisters, laymen of every intellectual level, converts, and sympathetic non-Christians. These last, far from being negligible factors, will sometimes be the only ones who will be able to make the first contacts.

With such collaborators it will be possible to imitate Francis Xavier who, between preaching and teaching catechism, went to speak simply of this and that with his great friend the Bonze Ninshitsu. After an interval of some thirty years the bonze ended up by dying a Christian.

At Rome a staff, limited to the necessary personnel, will aim at being the brain and the heart that will coordinate, stimulate and regulate, as the case may be, all these activities. Moreover, it will be in charge of all the contacts that are to be made in Rome.

It is also our intention to broaden our sphere of activity in order to have ties with groups of non-Christians who are to be found in the educational centers of Europe and America, many of whom are important. In fact, the importance of those students who will one day hold key positions in their own countries cannot be emphasized too much. In regard to this phase of activity, the Secretariat has already been in touch with the hierarchies of the countries concerned in order to learn about the existing organizations and to sponsor the first approaches.

We think that the sphere of human contact is to be made as extensive as possible. Many of those who gave their opinions to the press as to

what should be the work of the Secretariat limited its role to speculative research and, in particular, to the study of the basic dogmas of the different religions. Now there are many religions that, strictly speaking, have no dogma. Many others, however, and this is particularly the case of those in the Far East, give first place to a moral system which, as such, becomes a focal point for our initial contacts. Moreover, it is not to be overlooked that the secularism of our day has also deeply contaminated the non-Christian religions, that we live in an age in which a sense of religion is growing cold everywhere, and that concern for the temporal, for material gain and well-being hold first place in the minds and hearts of the people. Hence it would be an unpardonable error to neglect the powerful lever of action on the masses which the Church's social doctrine provides for us, as for example, its concept of the relation between capital and labor, between employer and employee.

In other cases or in other spheres, cultural exchanges could serve as a bridge. It was through such means that Matthew Ricci opened the closely sealed doors of the vast empire of China to the Gospel. In brief, nothing that is good, true or noble should be neglected. In reality God is the author of nature as well as of Grace. *Deus auctor naturae et gratiae,* says St. Thomas. And Pius XII reminds us that even after the fall of Adam this nature retains some of its natural Christianity.[1]

Although we are often spoken of as a *new* Secretariat, we do not claim to be innovators, at least on all points. Most of the initiatives that we intend to undertake and encourage have already been tried in some mission territories with good results, and these are an encouragement to us. Whatever will be found useful in any one place will be communicated by us to others, with, of course, the necessary modifications and adaptations. Sometimes making our own suggestions, more often borrowing from others and sometimes giving encouragement to move ahead while at other times recommending prudence and an honest recognition of reality, we intend to carry on a work of coordination, stimulation and research in accordance with the needs of the times. But as to the Secretariat for non-Christians itself, we regard it as new only in the sense that it was recently established and is still in its early stages. In order to survive and grow, it needs the help of the bishops of the missions.

It is clear that at this stage we cannot use up the resources which certain persons suppose we can when they propose the creation and the maintenance in each country concerned of one or several institutions of religious research endowed with all that modern science can offer and place at the disposal of our scholars. Even if we admit that the good which

[1] « Humana natura, quamvis ob miserum Adae casum hereditaria labe infecta sit, aliquid tamen in se habet naturaliter christianum » (Evangelii praecones, *A.A.S.* [1951], p. 522).

could be done would be worth the expense, it cannot be accomplished without exhausting the resources that are needed for the maintenance of the missions.

In concluding, we wish to warn those who are working for the purpose of the Secretariat to beware of two dangers that threaten us. The first is a defeatism that paralyzes all initiative in advance. The second, more subtle, is an excess of enthusiasm which tends to make us act imprudently, thus bringing about indifferentism or syncretism. And let us not think that these dangers are imaginary. Many bishops have already pointed them out, and we now have proof of their existence in reports that have come to us.

By indifferentism we do not mean the coldness and the unbelief of some non-Christians in regard to the Christian faith but the attitude of those who consider all religions of equal value, being so many different roads leading in the same manner to the summit of the mountain. Hence, they say, as long as one achieves his goal, there should be no concern about the road he takes.

In regard to syncretism, it suffices to be familiar with only a few of the religions of the Far East to see how strong and seemingly natural this tendency is. The sameness of some secondary features found in different religions is enough to make them regarded as united and fused into one. This phenomenon is so strong and widespread that it has become a principle in the science of comparative religions.

We thought it opportune to emphasize these dangers, because in doing so we consider half the danger already conquered.

Perhaps you have been struck by the fact that the words " conversion " and " entry into the Church " have scarcely been hinted at in the course of this paper. It is by design that we have omitted them. Our goal is to have frank and sincere relations of sympathy and of charity with our brothers, and to see them as they are, that is, believers in religions other than Christian. This does not mean that by doing this we renounce the mission received by us from Christ to preach the Gospel. In taking upon ourselves the ungrateful task of preparing the way for others and of creating little by little an atmosphere of understanding and cooperation, we at least are aware that we are the sowers even if we can never take part in the harvest; and we know that these two tasks of sowing and reaping are going to be done by different persons. Moreover, we intend to sow in those areas of the soil where any other kind of penetration would be impossible.

The most important virtue needed for this task is prudence, be it in our attitude, in our words or in our actions. One careless word can ruin a work that looks promising. One can wound and chill hearts while desiring to please, as, for example, by pitying someone who cannot realize that his religious state calls for such a sentiment. This is why bishops can never

be too vigilant in the choice and the formation of collaborators in this field.

The best safeguard against this danger is a sincere humility based on the conviction that we have nothing good which we have not freely received. Thus, we shall be able to put ourselves on the same level with those to whom we address ourselves, or even below them, without fear of offending them.

This prudence is also necessary in the dispensing of all information to the press, even Catholic and sympathetic journals. Many bishops have strongly insisted on this point. Accordingly, journalists ought to realize that we cannot give them all the information they desire, no matter how cooperative we wish to be and how flattered we would be to give it.

If we join great prudence to the zeal of charity, we believe that the initiative of the Holy Father will bear consoling fruit, that the witness of Christ's will for salvation will be carried to the masses, and that all men will get to know the solicitude of the Church in their regard. The faithful will be fortified in their resistance to the cold wave of atheistic materialism that threatens to engulf them and thus they will save their dignity and their liberty, that liberty « *qua Christus nos liberavit* » (*Gal.* 4, 31).

Rome september 26th, 1964.

Versio hispanica

El anuncio de Su Santidad Paulo VI, referente a la creación del Secretariado para los no-Christianos, suscitó general entusiasmo, prueba de que la iniciativa correspondía a una necesidad por todos sentida; su nacimiento fué acogido como garantía de grandes esperanzas. Sin embargo, no pocos se formaron una idea vaga y demasiado parcial de tal Secretariado, a juzgar por los artículos aparecidos en esa ocasión. Se hacen necesarias, por tanto, algunas aclaraciones que permite el actual estado de cosas.

De hecho, la dirección del Secretariado no cree tener aún ideas definitivas: no las ha concretado aún en todos sus pormenores por temor de dar rigidez ante de tiempo a unas estructuras que desea mantener flexibles y abiertas. Se ha consultado a todos los Ordinarios de Misiones: muchos nos han proporcionado informes y sugerencias de gran valor, que se utilizarán con provecho. Esperamos las restantes respuestas que llegarán, no hay duda, o por escrito o en los contactos personales.

De momento, mejor que precisar lo que habrá de ser el Secretariado para los no-Christianos, creemos preferible y más sencillo exponer lo que no es ni debe ser.

Ante todo el Secretariado para los no-Cristianos *no es un órgano del Concilio,* como lo recordaba el Santo Padre en su discurso al Sagrado Colegio el 23 del pasado junio. Esto es debido a que trabaja en ambiente de

no-Cristianos. El Concilio tiene por misión tratar los asuntos internos de la Iglesia Católica. Tanto los Ortodoxos como los Protestantes, de cuya incorporación a los Católicos no se excluye la posibilidad, tienen cierto derecho y un gran interés por ver en qué sentido se orienta la Iglesia Católica; por esta razón se les ha permitido estar representados en el Concilio mediante algunos observadores. Los no-Cristianos no pueden aducir motivos válidos que justifiquen su presencia en el Concilio; por eso el Secretariado que de ellos se ocupa ha quedado fuera de él.

Y por idéntica razón este Secretariado tiene una estructura diversa de la que tienen las Comisiones Conciliares y el Secretariado para la unidad de los Cristianos. Mantiene estrechas relaciones con los Ordinarios de las Misiones y tendrá, en todas las naciones donde se crea conveniente, una subcomisión nacional a nivel de la Conferencia de los Ordinarios. No necesita por tanto servirse de un Consejo de Obispos: todos los Ordinarios interesados son consejeros suyos de oficio, y ya han sido consultados todos ellos.

Algunos han llegado a creer que el Secretariado para los no-Cristianos se limitaría únicamente a las religiones monoteistas, o al menos a las que admiten una divinidad personal. Si hubiera de limitarse a los monoteistas, entonces el Secretariado non tendría razón de ser, ya que un decreto de la Secretaría de Estado ha segregado de estos a los Ebreos y a los Musulmanes: de los primeros se ocupará el Secretariado de la unión de los Cristianos; de los segundos, una Comisión mixta de la S. C. de Propaganda y de la S. C. Oriental. De entre los restantes son muy pocas las religiones que admitan un Dios personal, al menos en su teología especulativa y fuera de la creencia popular.

Ahora bien, el Secretariado se preocupa de todos aquellos seres humanos que hacen remontarse su corazón por encima del mundo hacia lo espiritual, si no hacio lo sobrenatural, y da menos importancia a sus religiones en sí que al alma de sus respectivos secuaces, con frecuencia más pura y elevada de cuanto nos permitiría creerlo la religión que profesan.

No es siquiera, el Secretariado para los no-Cristianos, como parece se han figurado algunos, *un sustitutivo de la obra de la conversión de las almas y del apostolado directo*. La Sagrada Congregación de Propaganda Fide prosigue inalterada la obra que viene realizando desde hace tres siglos y medio; continúa siendo el órgano, venerando y siempre modernizado, puesto al día, por cuyo medio cumple la Iglesia su misión evangelizadora en el mundo entero.

Sólo pretende dicho Secretariado aunar sus esfuerzos propios con los de Propaganda Fide, y esto en ámbito y bajo aspectos diferentes. Se propone crear entre los Cristianos y los seguidores de otras religiones un clima de gran cordialidad y de intensa sinceridad en la caridad. No pretende por tanto el Secretariado tratar problemas doctrinales, ni mucho menos ocuparse del ministerio de la predicación y de la gracia, objetivo este de los

misioneros; sino mas bien establecer puntos de contacto con los no-Cristianos sobre cuestiones de índole general. En una palabra quiere trabajar por la destrucción de prejuicios extraños contra nosotros, abriendo a la par los propios ojos para considerar cuantos prejuicios hayamos podido formarnos, sin advertirlo, en desfavor de los no-Cristianos. En una palabra, desea trabajar con ellos de hombre a hombre, de hermano a hermano, ya que éste es el modo más apto de aminorar enemistades y acrecentar simpatías.

La iniciativa del Santo Padre, secundada por Propaganda Fide, se explica considerando la masa, en continuo auge, de los que ignoran a Cristo, que, a juzgar por las comunes leyes de la Providencia, tardarán muchos años aún a verse influidos por el Evangelio.

Ni es lícito tampoco concebir el Secretariado para los no-Cristianos como *un centro de estudios religiosos teóricos,* donde personas expertas se esfuerzan por ahondar en los diversos sistemas del pensamiento y de las creencias, al objeto de compararlas luego con la fe cristiana. Cierto que da su justo valor a la ciencia de las religiones comparadas, a la etnografía y a otros conocimientos afines, y se sirve en estos estudios de expertos consultores. Pero a la vez que da suma importancia al conocimiento de las religiones tal como se viven hic et nunc, más bien que a las formas estandardizadas en los libros, prefiere considerar este conocimiento más como medio que como un fin.

Sobre todo tiende a entablar contactos con el hombre; con ese hombre al que una determinada religión ha modificado la mentalidad a través de los años, ha caracterizado sus reacciones, ha forjado su lenguaje, condicionando su lógica y tal vez influenciando su conciencia. Una tal religión viene a ser el intérprete necesario para que él nos entienda, para poder utilizar sus conceptos y adivinar los sentimientos a que se mostrará sensible. Por medio de la misma llegaremos a distinguir en ese hombre los vestigios de la ley natural, el sello del divino alfarero que nos ha plasmado a unos y a otros, dejando en cada uno este signo de fraternidad universal que facilita a todos los contactos *humanos,* entendidos éstos en el más alto sentido de la palabra.

El hombre de que venimos hablando no lo podemos buscar en Roma; debemos buscarlo y alcanzarlo donde él se encuentra, esto es en los países de Misiones principalmente. El modo de llevar a la práctica este contacto pasa necesariamente a través de los Ordinarios de las Misiones y de sus auxiliares, y asimismo de los institutos de investigación y formación de que disponen los mismos Ordinarios. Incluso la elección, la formación y el control de los colaboradores dispuestos a llevar a cabo esta tarea corresponde a los mismos Obispos.

El apostolado de los contactos humanos está al alcance de cualquier categoría de personas de buena voluntad; y cada uno puede contribuir por su parte, con tal que posea un mínimum de flexibilidad para adaptarse y de prudencia en las palabras y en las acciones: sacerdotes, religiosos y reli-

giosas, laicos de cualquier nivel intelectual, incluso prosélitos y no-Cristianos simpatizantes; estos últimos, lejos de constituir un factor de poca monta, son a veces los únicos capaces de entablar los primeros contactos.

Con tales colaboradores se podrá imitar a un Francisco Javier que, entre catequesis y sermón, se entretenía en cosas aparentemente extrañas a la religión con su gran amigo el bonzo Ninshitsu, que morirá cristiano unos 30 años más tarde.

En Roma, un grupo reducido al personal imprescindible, tratará de constituir en cierta manera el cerebro y el corazón que coordine, estimule y modere, según los casos, toda esta actividad. Se encargará además de todos los contactos *in Urbe*. Por otra parte es intención nuestra ensanchar la esfera de nuestra actividad, para captar los grupos, a veces importantes, de no-Cristianos que se reunen en los centros de estudio de Europa y América. También en este campo se ha puesto el Secretariado en relación con la jerarquía de diversos países interesados por conocer todas las organizaciones existentes y promover los primeros encuentros.

Por lo que atañe a la esfera de los contactos humanos e entablar, es necesario ensancharla todo lo posible. La mayoría de cuantos han expuesto sus ideas sobre el trabajo del Secretariado para los no-Cristianos, han delimitado su finalidad a la investigación intelectual especulativa, o más exactamente a las investigaciones sobre el dogma de las diversas religiones. Pero hay religiones que no tienen dogmas propiamente dichos, y en cambio otras muchas, como las del extremo Oriente, dan una importancia excepcional a la moral, que se convierte así en el punto focal a propósito para los primeros contactos. No hay que olvidar además que el laicismo de nuestra época ha contaminado también profundamente las religiones no cristianas; que vivimos en tiempos en que el sentido religioso se está enfriando por doquiera, y que la preocupación por lo temporal, por las ganancias y el bienestar, ocupa el primer puesto en los espíritus y en los corazones. Sería un error imperdonable descuidar el poderoso resorte de acción sobre las masas que nos ofrece la doctrina social de la Iglesia: por ejemplo su concepción acerca de las relaciones entre el trabajo y el capital, entre patronos y obreros.

En otros casos y en otros ambientes, los cambios culturales podrán servir como medios de enlace; sirviéndose de ellos un Mateo Ricci forzó las puertas herméticamente cerradas del Imperio Chino, abriéndolas al Evangelio. En fin, nada que sea bueno, verdadero y noble debe desestimarse. Dios es de hecho el autor de la naturaleza y de la gracia. « Deus auctor naturae et gratiae », dice Santo Tomás. Y Pio XII nos recuerda que aun después de la caída de Adán esta naturaleza conserva *algo de naturalmente cristiano*.[1]

---

[1] « Humana natura, quamvis ob miserum Adae casum hereditaria labe infecta sit, aliquid tamen in se habet naturaliter christianum » (Evangelii praecones, *A.A.S.* [1951], p. 522).

Aunque se habla frecuentemente de un *nuevo* Secretariado, no tenemos la pretensión de pasar por innovadores en todos los puntos. Casi todas las iniciativas que hemos tratado de promover y animar se venían poniendo ya en práctica en territorios de misión con buenos resultados, lo cual alienta nuestros esfuerzos. Queremos dar a conocer a los demás todo aquello que se ha comprobado ser útil en otro lugar; aunque recomendando naturalmente que se adopten las oportunas modificaciones y acomodaciones. Ya sea sugiriendo algo nuestro ya copiando con frecuencia algo de otros; ora invitando a proseguir adelante, ora reclamando a la prudencia otras veces, y a la realidad, pretendemos ejercer una acción coordinadora de estímulo o de freno, de acuerdo con las necesidades.

Aceptamos la palabra « nuevo » para el Secretariado de los no-Cristianos tan sólo en el sentido de *recientemente creado,* que está aún ensayando sus primeros pasos. Para sobrevivir y desarrollarse necesita la ayuda y cooperación de los Ordinarios de las Misiones. Es obvio que, estando así las cosas, no puede él disponer de tales recursos, como parecen suponer algunos, al sugerir la creación y puesta en marcha de uno o más institutos de investigaciones religiosas en cada país, dotados de todos los adelantos que la ciencia moderna ofrece a los investigadores. Aun admitiendo que el provecho de ahí derivante valga la pena, esto no podrá realibarse antes de agotar los recursos de que viven hoy las Misiones.

Antes de terminar quisiéramos poner en guardia sobre dos peligros que amenazan, si no se tiene cuidado, la actividad de los que toman parte en los trabajos del Secretariado para los no-Cristianos. El primero de ellos es el derrotismo, que paraliza cualquier iniciativa desde su nacimiento. El segundo, más sutil, es el exceso de entusiasmo que pone la prudencia a riesgo de adormecerse, y de conducir al indiferentismo y al sincretismo. No vaya a creerse que son peligros imaginarios: son muchos los Ordinarios que nos han llamado la atención, y nosotros mismos tenemos pruebas en las primeras relaciones que nos han llegado.

No entendemos por indiferentismo la frialdad o la incredulidad de algunos respecto de la fe cristiana, sino más bien la actitud de aquellos para quienes son iguales todas las religiones: ven en cada una de ellas otras tantas sendas que llevan a la cima del monte. Por lo cual, dicen, con tal que el comensal llegue a la cita no tenemos que preocuparnos por el camino que emplee.

En cuanto al sincretismo, basta conocer un poco las religiones del extremo Oriente para darse cuenta de la fuerza de esta tendencia; es como natural. Todas las creencias conocidas se unen y se funden en una sola, con tal que presenten algunos aspectos secundarios comunes. El fenómeno es tan fuerte y general que ha pasado con carácter de principio a la ciencia de las religiones comparadas.

Creemos sea necesario abrir bien los ojos sobre estos peligros, pues el descubrimiento claro de los mismos equivale casi a haberlos vencido.

Habrá llamado la atención que apenas hemos mencionado en este escrito las palabras *conversión* e *ingreso en la Iglesia.* Se ha procurado ésto de intento. Nuestra finalidad es situarnos frente a nuestros hermanos en un terreno de relaciones francas, sinceras, de simpatía y de caridad; de considerarlos tales cuales son, esto es seguidores de una religión distinta del Cristianismo. No quiere decirse que renunciemos por esto mismo a la misión que nos encomendó Jesús de predicar el Evangelio. Afrontando la tarea ingrata de eliminar los principales obstáculos que salen al paso del « acercamiento », y de crear poco a poco un clima de mutua comprensión y coöperación, abrigamos la certeza de ser sembradores, aunque nunca hayamos de recolectar; sabemos que esta doble tarea: sembrar y recoger, son por ley ordinaria labor de personas distintas. Más aún, creemos poder sembrar en tierras donde sería imposible cualquier otro género de penetración.

La virtud principal que exige nuestra labor es la prudencia: en la conducta, en las palabras y en las acciones. Una palabra imprudente puede hacer fracasar una empresa que se mostraba prometedora. Puede causarse una ofensa y obligar a cerrarse los corazones, creyendo hacer gracia, por ejemplo compadeciendo a quien ignora que con su estado provoca un tal sentimiento de conmiseración. Por esto es que los Ordinarios jamás serán bastante cautos en la selección y en la formación de los cooperadores suyos en este campo.

La mejor salvaguardia contra tal peligro será una humildad sincera, basada en la conciencia viva de que no tenemos cosa buena que no se nos haya dado gratuitamente. Entonces podremos colocarnos en el mismo nivel y aun más abajo de aquellos con los que hablamos sin temor de ofenderlos.

Semejante prudencia es necesaria en las informaciones dadas a la prensa, aunque sea católica y de recto criterio. Muchos Ordinarios han insistido sobre estos puntos. Se hace preciso, pues, que los periodistas comprendan cómo nos es imposible suministrarles todos los informes que desean, a pesar de nuestra buena voluntad y del gusto que tendríamos en complacerles.

Si unimos a una exquisita prudencia el celo de la caridad, es de esperar que la iniciativa de Su Santidad produzca frutos consoladores; se dará a las masas el testimonio de la voluntad salvífica de Cristo y todos los hombres conocerán la solicitud de la Iglesia Católica por ellos. Los creyentes se afirmarán en su resistencia a la fría ola de materialismo ateo que amenaza envolverles, y podrán así salvar su personalidad y su libertad, la libertad « qua Christus nos liberavit » (*Gal.* 4, 31).

Roma 26 setiembre 1964.

Versio germanica

Die durch Seine Heiligkeit Papst Paul VI. angekündigte Errichtung des Sekretariates für Nichtchristen ist allgemein mit grosser Begeisterung aufgenommen worden, was als sicheres Zeichen gewertet werden darf, dass diese Initiative einer weit verbreiteten und tief empfundenen Erwartung ent-

sprach. Wenn man aber den Artikeln Glauben schenken darf, die bei dieser Gelegenheit in der Presse erschienen sind, kommt man zu der Ansicht, dass viele sich von diesem Sekretariat eine ziemlich unklare und nur teilweise richtige Vorstellung gebildet haben. Wir halten es deshalb für notwendig, diese Missverständnisse klarzustellen, soweit das beim heutigen Stand der Dinge möglich ist.

Tatsächlich will die Direktion des Sekretariates nicht behaupten, dass sie der Öffentlichkeit bereits ein in allen Einzelheiten scharf umrissenes Programm vorgelegt habe; im Gegenteil: sie hat das mit Absicht nicht getan aus Furcht, sich damit auf bestimmte Schemen festzulegen, die allzuleicht vorzeitig erstarren könnten, und die doch besser schmiegsam und elastisch bleiben.

Inzwischen sind alle Missionsbischöfe um ihre Meinung befragt worden; viele von ihnen haben wichtige Informationen und Ratschläge gegeben, die man mit Nutzen verwerten wird. Wir erwarten weitere Antworten, die im Laufe der dritten Sitzung des Konzils schriftlich oder mündlich bei uns eingehen werden.

Anstatt genau zu bestimmen, was das Sekretariat für Nichtchristen sein wird, halten wir es im Augenblick für besser und einfacher darzulegen, was das Sekretariat nicht ist und nicht sein darf.

Das Sekretariat für Nichtchristen ist vor allem *kein Organ des Konzils* wie der Hl. Vater in seiner Ansprache an das Hl. Kollegium am 23. Juni d. J. bereits gesagt hat. Das hängt vor allem damit zusammen, dass das Sekretariat seine Tätigkeit *unter Nichtchristen* entfalten soll. Das Konzil aber hat den Auftrag, sich mit den inneren Angelegenheiten der Katholischen Kirche zu befassen. Die orthodoxe Kirche und die Protestanten. deren Einigung mit der katholischen Kirche nicht mehr ausserhalb des Bereiches der Möglichkeiten liegt, haben ein gewisses Recht darauf und ein grosses Interesse daran zu sehen, nach welcher Richtung hin sich die katholische Kirche orientiert, weshalb ihnen auch einige Beobachter beim Konzil zugestanden wurden. Die Nichtchristen aber haben keinen stichhaltigen Grund, der ihre Anwesenheit am Konzil rechtfertigen würde. Daher ist auch das Sekretariat, das sich für die Nichtchristen interessiert, vom Konzil getrennt.

Aus dem gleichen Grund hat das Sekretariat eine eigene Konstitution, die verschieden ist von der Konstitution der Konzilskommissionen sowie von der des Sekretariates für die Einigung der Christen. Unser Sekretariat hält sich vielmehr in enger Fühlung mit den Missionsbischöfen; ausserdem wird es bei allen Völkern, wo man es für nützlich hält, nationale Unterkommissionen haben, die an die Bischofskonferenzen angeschlossen sind. Das Sekretariat hat also keinen besonderen Bischofsrat notwendig: alle Bischöfe, die am Sekretariat interessiert sind, sind auch seine offiziellen Räte. Alle sind bereits um ihren Rat gebeten worden.

Manche haben geglaubt, dass das Sekretariat für Nichtchristen sich nur auf die monotheistischen Religionen beschränken würde, oder auf jene

Religionen, die wenigstens eine persönliche Gottheit anerkennen. Wenn dem so wäre, hätte das Sekretariat jeglichen Existenzgrund verloren, seitdem durch ein Dekret der Staatssekretarie Juden und Mohammedaner seiner Zuständigkeit entzogen worden sind: den Juden wird nämlich das Sekretariat für die Einigung der Christen seine Aufmerksamkeit zuwenden, während eine gemischte Kommission der S. C. de Propaganda und der S. C. Orientale sich mit den Mohammedanern befassen wird. Auf dem dann noch übrig gebliebenen Gebiet gibt es nur wenige Religionen, die in ihrer spekulativen Theologie und ausserhalb der Volksanschauungen einen persönlichen Gott anerkennen.

Das Sekretariat aber wendet seine Aufmerksamkeit allen Menschen zu, deren Herz sich über die sichtbare zur geistigen, um nicht zu sagen: zur übernatürlichen Welt erhebt. So will das Sekretariat weniger Gewicht auf die Religion als solche legen; es wendet sich vielmehr an die Seele dieser Menschen, die oft viel höher strebt, als die Religion, zu der sie sich bekennen, erwarten lassen würde.

Das Sekretariat für Nichtchristen ist auch *kein Ersatz für das Bekehrungswerk und das direkte Apostolat,* wie einige geglaubt haben. Die S. C. de Propaganda Fide wird das Werk, das sie nun schon dreieinhalb Jahrhunderte verfolgt, unverändert weiterführen; sie wird stets das altehrwürdige und doch immer moderne und zeitgemässe Organ bleiben, durch das die Kirche ihre Sendung, die Verkündigung des Evangeliums in der ganzen Welt durchzuführen sucht.

Das Sekretariat will seine Bemühungen nur mit denen der Propaganda Fide vereinen, aber auf einer anderen Ebene und unter anderen Gesichtspunkten, als das die Propaganda tut. Es stellt sich zur Aufgabe, zwischen Christen und Anhängern anderer Religionen ein Verhältnis verständnisvoller Herzlichkeit zu schaffen, die von Aufrichtigkeit und Liebe getragen ist. Das Sekretariat will also keine doktrinären Probleme behandeln und noch viel weniger das Verkündigungsamt oder das der Sakramentenspendung übernehmen, was ja Aufgabe der Missionare ist. Es will vielmehr Kontakte mit Nichtchristen herstellen und zwar durch Aussprachen über Fragen mehr allgemeiner Natur. Kurz gesagt: das Sekretariat hat die Absicht dafür zu arbeiten, dass die Vorurteile der anderen uns gegenüber zerstreut werden und dass auch wir die Vorurteile ablegen, die wir unbewusst gegen Nichtchristen hegen. Im Grunde will es als Mensch zu Mensch, als Bruder zu Bruder mit ihnen in Verbindung treten, was schliesslich der beste Weg ist, um Feindseligkeiten zu vermeiden, ja sogar, um sie in Sympathien umzugestalten.

Die Existenzberechtigung der neuen Initiative des Hl. Vaters, die ja Seite an Seite mit der Propaganda arbeiten will, liegt in der Vision der ständig wachsenden Masse derer, die Christus nicht kennen, und die nach den gewöhnlichen Gesetzen der Vorsehung noch lange warten müssten, ehe sie von der Heilsverkündigung erreicht werden können.

Man darf das Sekretariat für Nichtchristen auch nicht auffassen als *ein ausschliessliches Zentrum theoretisch-religiöser Studien,* durch die gewisse Fachgelehrte sich bemühen, die Kenntnisse der verschiedenen Gedanken– und Glaubenssysteme zu vertiefen, um sie dann mit dem christlichen Glaubensinhalt zu vergleichen. Das Sekretariat anerkennt den grossen Wert der vergleichenden Religionswissenschaft, der Ethnographie sowie der verwandten Disziplinen; ja es sucht fachkundige Gelehrte als Konsultoren heranzuziehen. Da aber das Sekretariat auf die Kenntnis der Religionen, wie sie augenblicklich gelebt werden, mehr Wert legt als auf die standardisierten Formen, wie sie oft in gelehrten Werken vorliegen, so will es diese Kenntnisse nicht als einen Endzweck ansehen, sondern nur als ein Mittel, um seine Ziele zu verwirklichen.

Es zielt vor allem darauf hin, Kontakte mit dem Menschen herzustellen, mit jenem Menschen, dem eine bestimmte Religion im Laufe der Zeit die Geisteshaltung geformt, seine Reaktionen geprägt, die Ausdrucksart gestaltet, seine Denkweise bestimmt und vielleicht auch sein Gewissen beeinflusst hat. Diese bestimmte Religion ist wie ein Dolmetscher notwendig: einmal um uns dem Nichtchristen verständlich zu machen; dann aber auch um seinen Gedankengängen folgen zu können und um die Gefühle zu entdecken, denen er zugänglich ist. Durch diese Religion werden wir im Menschen auch die Spuren des Naturgesetzes finden, dieses Erkennungszeichen des göttlichen Töpfermeisters, der ja die einen wie auch die anderen erschaffen hat; er hat einem jeden von uns dieses Kennzeichen universaler Brüderlichkeit aufgedrückt und hat es so allen ermöglicht, *menschliche* Kontakte im vornehmsten Sinn des Wortes miteinander aufzunehmen.

Diesen Menschen, wie wir ihn oben geschildert haben, werden wir nicht in Rom antreffen; wir müssen ihn dort zu finden suchen, wo seine Heimat ist, das heisst vor allem in den Missionsländern. Der Kontakt mit ihm geht daher notwendig über die Missionsbischöfe und ihre Hilfstruppe, sowie über die Forschungs– und Ausbildungsinstitute, die ihnen zur Verfügung stehen. Ja sogar die Auswahl, die Heranbildung und die Überwachung der Mitarbeiter, die diese Aufgabe durchführen sollen, muss den Bischöfen überlassen bleiben.

Das Apostolat der menschlichen Kontakte steht allen gutgesinnten Personen offen; ein jeder kann seinen Teil dazu beitragen, sofern er nur die Geschmeidigkeit zur Anpassung besitzt und in Wort und Tat über die notwendige Klugheit verfügt: Priester, Ordensleute, Schwestern, Laien auf jeglicher Bildungsstufe, sogar Proselyten und sympathisierende Nichtchristen. Gerade die letzten darf man nicht vergessen; sie sind bisweilen die einzigen, denen es möglich ist, die ersten Kontakte anzubahnen.

Mit solchen Mitarbeitern wird man den Heiligen Franz Xaver nachahmen können, der sich zwischen einer Predigt und einer Katechismusstunde mit seinem Freund dem Bonzen Ninshitsu, der dreissig Jahre später als Christ

gestorben ist, über Dinge unterhielt, die mit Religion in keinem Zusammenhang standen.

In Rom wird eine kleine Gruppe von Personen, gleichsam Gehirn und Herz des Sekretariates, den ganzen Bereich dieser Tätigkeit koordinieren, anregen und in geregelte Bahnen lenken. Diese Gruppe wird es auch übernehmen, die Kontakte *in Urbe* herzustellen. Es ist ferner unsere Absicht, den Kreis unserer Tätigkeit zu erweitern und auch jene Gruppen von Nichtchristen zu erreichen, die sich in den Studienzentren Europa's und Amerika's gebilded haben. Gerade diesen Studenten, die doch einmal die Herren und Führer ihrer Heimatländer sein werden, wird man nicht genügend Aufmerksamkeit zuwenden können. Auf diesem Gebiet hat sich das Sekretariat bereits mit der Hierarchie der interessierten Länder in Verbindung gesetzt, um alle schon bestehenden derartigen Organisationen kennenzulernen und die ersten Annäherungsversuche einzuleiten.

Übrigens wird man den Kreis der anzubahnenden menschlichen *Kontakte* soweit als möglich ausdehnen müssen. Die meisten von denen, die sich schriftlich über das Programm des Sekretariates geäussert haben, beschränken sich darauf, die intellektuelle und spekulative Forschung als Ziel des Sekretariates hinzustellen, genauer gesagt: die Erforschung der Glaubenslehre der verschiedenen Religionen. Es gibt aber Religionen, wie zum Beispiel die von Ostasien, die keinen abgeschlossenen Glaubensinhalt kennen, sondern ganz aussergewöhnliches Gewicht auf die Sittenlehre legen, die damit zum Brennpunkt der ersten Kontakte wird. Man darf auch nicht vergessen, dass der Laizismus unserer Zeit auch die nichtchristlichen Religionen angesteckt hat, dass wir ferner in einer Zeit leben, in der das Gefühl für Religion langsam überall erkaltet und dass die Sorge um das Zeitliche, um Gewinn und Wohlstand in Sinnen und Trachten heute an erster Stelle steht. Gerade hier wäre es ein unverzeihlicher Irrtum, die Soziallehre der Kirche ausseracht zu lassen, die von so starker Wirkung auf die Massen ist, zum Beispiel: ihre Auffassung von den Beziehungen zwischen Arbeit und Kapital, zwischen Arbeitgeber und Arbeitnehmer und anderes mehr.

In anderen Fällen und unter anderen Umständen können kulturelle Elemente als Annäherungsmittel dienen. Mit ihrer Hilfe hat zum Beispiel Matteo Ricci die hermetisch geschlossenen Pforten des chinesischen Reiches bezwingen und sie dem Evangelium öffnen können. Kurz gesagt: Nichts darf unbeachtet bleiben, was gut, wahr und erhaben ist. Gott ist ja der Urheber der natürlichen wie auch der übernatürlichen Welt. « Deus auctor naturae et gratiae », sagt der Hl. Thomas. Und Papst Pius XII. erinnert uns daran, dass die Natur auch nach dem Sündenfall noch etwas bewahrt hat, was natürlicherweise christlich ist.[1]

---

[1] « Humana natura, quamvis ob miserum Adae casum hereditaria labe infecta sit, aliquid tamen in se habet naturaliter christianum » (Evangelii praecones, *A.A.S.* [1951], p. 522).

Wenngleich man häufig vom Sekretariat für Nichtchristen als von etwas Neuem spricht, so erheben wir doch keinerlei Anspruch darauf, Neuerer oder Erneuerer auf diesem Gebiet zu sein. Die Initiativen, die wir vorgeschlagen und zu denen wir ermutigt haben, waren zum grossen Teil schon in dem einen oder anderen Missionsgebiet in Übung, eine Tatsache, die unseren Bestrebungen weiteren Auftrieb gibt. Wir haben die Absicht, alles das, was sich irgendwo bereits als nützlich erwiesen hat, auch anderen zur Kenntnis zu bringen und es ihnen mit den notwendigen Änderungen und Anpassungen zur Nachahmung zu empfehlen. So wollen wir eine Tätigkeit der Koordination entfalten, wollen Anregung geben und, wo es notwendig sein sollte, auch zur Vorsicht mahnen.

Für unser Sekretariat wollen wir die Bezeichnung « neu » nur insofern anerkennen, als es erst in *jüngster Zeit* entstanden ist und noch in seinen Anfängen steht. Um es am Leben zu erhalten und weiter zu entwickeln, dazu bedarf es der Mitwirkung der Missionsbischöfe. Es möge aber hier gleich gesagt sein, dass das Sekretariat nicht über solche Geldquellen verfügt, wie einige Leute anzunehmen scheinen, wenn sie vorschlagen, in jedem Land eines oder mehrere Forschungsinstitute zu errichten und sie mit all dem zu versehen, was die moderne Wissenschaft den Forschern zur Verfügung stellt. Auch wenn der daraus entstehende Nutzen eine solche Ausgabe rechtfertigen würde, könnte man ein solches Ziel doch nicht verwirklichen, ohne die Mittel, von denen die Missionen leben, vollständig aufzubrauchen.

Bevor wir zum Schluss kommen, wollen wir noch vor zwei Gefahren warnen, welche die Tätigkeit der Mitarbeiter des Sekretariates bedrohen können, wenn sie nicht beachtet werden. Die erste ist der Defätismus, der jede Initiative ja schon im voraus lähmt. Die andere, viel feiner und weniger greifbar, ist ein Übermass von Enthusiasmus, das die Klugheit gefährden und zum Indifferentismus oder gar zum Synkretismus führen kann. Man möge nicht denken, dass diese Gefahren nur in der Einbildung bestehen: viele Bischöfe haben darauf hingewiesen, und wir selber haben Beweise genug dafür in den ersten Berichten, die uns zugegangen sind.

Unter Indifferentismus verstehen wir nicht die Ungläubigkeit oder die kühle Zurückhaltung gewisser Leute gegenüber dem christlichen Glauben, sondern die Haltung derjenigen, welche alle Religionen für gleich gut ansehen: in einer jeden von ihnen wollen sie gleichberechtigte Pfade sehen, die zum Gipfel des Berges führen. Sie sagen daher, dass man sich um den Pfad nicht zu beunruhigen brauche, wenn der andere nur zum Ziel gelange.

Was den Synkretismus anbelangt, so genügt es, die Religionen Ostasiens ein wenig zu kennen, um sich Rechenschaft davon zu geben, welche Kräfte dieser Tendenz innewohnen; es liegt fast etwas wie von einer Naturgewalt darin. Alle vorhandenen Glaubensanschauungen vereinigen und verschmelzen sich zu einer einzigen, wenn sie nur einige nebensächliche Gesichtspunkte

gemeinsam haben. Das Phänomen ist so stark und weit verbreitet, dass es als Grundsatz in die Vergleichende Religionswissenschaft eingegangen ist.

Wir halten es daher für angebracht, ernstlich auf diese Gefahren hinzuweisen; wenn man sie klar als solche erkannt hat, hat man sie schon halb überwunden.

Es wird aufgefallen sein, dass Ausdrücke wie « *Bekehrung* » und « *Übertritt in die Kirche* » in der vorliegenden Darlegung kaum angedeutet worden sind; das ist mit Absicht geschehen. Unser Ziel ist ja, uns mit unsern Brüdern auf einer Ebene ehrlicher, aufgeschlossener und wohlwollender Sympathie zu treffen, sie anzusehen als das, was sie in Wirklichkeit sind: Anhänger einer Religion, die von der christlichen verschieden ist. Das soll nicht besagen, dass wir deswegen auf den Auftrag Jesu verzichten, das Evangelium zu predigen. Indem wir nämlich die undankbare Aufgabe auf uns nehmen, die grössten Hindernisse auf dem Weg der Annäherung fortzuräumen und langsam eine gegenseitige Verständigung herbeizuführen, haben wir die Gewissheit, Sämänner zu sein, auch wenn wir niemals ernten sollten; wir wissen ja, dass diese beiden Aufgaben, Säen und Ernten, nicht immer von ein und derselben Person durchgeführt werden; ja wir sind davon überzeugt, dass wir auf dieser Weise sogar auf Feldern säen können, wo jedwedes andere Eindringen praktisch unmöglich wäre.

Die wichtigste Tugend, die unsere Aufgabe von uns fordert, ist die Klugheit sowohl in unserem Benehmen, wie auch in unseren Worten und in dem, was wir unternehmen. Ein unkluges Wort kann auch eine vielversprechende Vorarbeit zunichte machen. Man kann Anstoss erregen und sich dadurch die Herzen verschliessen auch dann, wenn man glaubte, jemanden eine Freude zu bereiten; zum Beispiel: indem man jemanden bedauert, der keine Ahnung hat, dass etwas an ihm, etwa sein religiöser Standpunkt, in einem anderen ein solches Gefühl des Bedauerns hervorrufen könnte. Aus diesem Grund werden die Bischöfe nicht wachsam genug sein können bei der Wahl und Heranbildung ihrer Mitarbeiter auf diesem Gebiet.

Der beste Schutz gegen diese Gefahr ist eine aufrichtige Demut, die sich auf die feste Überzeugung stützt, dass wir nichts Gutes besitzen, das uns nicht umsonst gegeben worden wäre. Nur dann können wir uns auf die gleiche — oder gar noch auf eine tiefere — Ebene mit unseren Gesprächspartnern stellen, ohne dass wir befürchten müssten, ihnen Grund zum Anstoss zu geben.

Gleiche Vorsicht muss man auch bei Informationen an die Presse walten lassen, auch dann, wenn es sich um die katholische oder allgemein gesagt, um die gutgesinnte Presse handelt, ein Punkt, auf den schon viele Missionsbischöfe hingewiesen haben. Die Pressevertreter mögen Verständnis dafür haben, dass wir ihnen nicht alle Informationen geben können, die sie wünschen, so gerne wir das auch täten, und so sehr wir uns auch freuen würden, ihnen zu Diensten zu sein.

Wenn wir mit dem Eifer der Liebe und mit einem Höchstmass einsichts-

voller Klugheit an diese Aufgaben herantreten, dürfen wir hoffen, dass diese Initiative des Heiligen Vaters viele und erfreuliche Früchte bringen wird: den breiten Massen wird das Zeugnis des Heilswillens Christi zum Bewusstsein gebracht werden, und alle werden einsehen, wie sehr die katholische Kirche um ihr wahres Heil besorgt ist. Die Gläubigen aber werden neu bestärkt werden in ihrem Widerstand gegen die kalte Welle des gottlosen Materialismus, die sie mit sich zu reissen droht. Und sie werden so ihre Persönlichkeit und ihre Freiheit wahren können, jene Freiheit « qua Christus nos liberavit » (*Gal.* 4, 31).

Rom 26 September 1964.

13

NOTIFICATIO

Distributa est Patribus conciliaribus in centesima quarta congregatione generali, die 19 octobris 1964.

Cum ab Em.mis Moderatoribus postulatum sit a multis Patribus ut post brevem disceptationem schematum ad propositiones redactorum,* eadem schemata, vel saltem quaedam ex eis, remittantur ad Commissiones competentes ita ut recognoscantur ad mentem animadversionum, quae factae fuerint a Patribus, Em.mi Moderatores rem censuerunt remittendam ad Commissionem de coordinandis Concilii laboribus.

Haec Commissio, postulatis Patrum attente examinatis, hisque apte compositis cum ordine iam legitime statuto, decrevit ut post brevem disceptationem uniuscuiusque schematis, de quo supra, suffragium expeteretur a Patribus super quaesito:

An placeat Patribus ut post disceptationem schematis transeatur ad suffragationem faciendam.

Si responsio Patrum erit ex maioritate absoluta affirmativa, procedetur statim ad suffragationem quoad singula puncta, triplici formula: *Placet, non placet, placet iuxta modum.* Si vero responsio erit negativa, tota res remittetur ad Commissionem ad recognoscendum, intra breve tempus, schema iuxta Patrum animadversiones.

---

* *De Ecclesiis Orientalibus; — De activitate missionali Ecclesiae (iam « De Missionibus »); — De Sacerdotibus; — De Religiosis; — De Matrimonii sacramento; — De Institutione sacerdotali; — De Scholis catholicis.*

14

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS

*In Aede Sixtina habita Observatoribus, Delegatis et Hospitibus a Christianis Communitatibus non Catholicis ad tertiam Oecumenicae Synodi Sessionem missis.**

Cher Messieurs et vénérés Frères,

1. Cette nouvelle rencontre de votre groupe avec l'Evêque de Rome et Successeur de l'Apôtre Pierre, à l'occasion de l'actuelle session du deuxième Concile Œcuménique du Vatican, constitue un nouveau motif de joie spirituelle qui, Nous voulons le croire, est réciproque.

Nous sommes heureux et honorés de votre présence et les paroles qui viennent d'être prononcées Nous assurent que vos sentiments sont identiques aux Nôtres. Nous éprouvons le besoin de vous exprimer Notre reconnaissance pour l'accueil que vous avez réservé à Notre invitation et pour votre assistance, si digne et édifiante, aux congrégations du Concile.

Que cette satisfaction mutuelle résultant de nos rencontres répétées, loin d'avoir faibli ou déçu, soit devenue, au contraire, plus vive et plus confiante: c'est déjà, Nous semble-t-il, un excellent résultat. C'est un fait historique dont la portée est positive au regard du but ultime que nous poursuivons ensemble: la vraie et parfaite unité en Jésus-Christ.

Un abîme de défiance et de scepticisme a été en grande partie franchi: votre présence ici est le signe et le moyen d'un rapprochement spirituel que nous ne connaissions pas auparavant. Une nouvelle méthode s'est imposée; une amitié est née; une espérance s'est allumée; un mouvement s'est mis en branle. Que le Seigneur soit loué, Lui qui — Nous le croyons — Nous a fait le don de son Esprit Saint.[1]

2. Nous voici donc de nouveau, de part et d'autre, à la recherche de la définition de nos positions respectives. La Nôtre vous est déjà connue.

a) Vous aurez remarqué que le Concile n'a eu que des paroles de respect et de joie pour votre présence et pour les communautés chrétiennes que vous représentez. Bien plus, ce furent à vötre égard des paroles d'honneur, de charité et d'espérance. Ce n'est pas un mince

---

* Die 29 mensis septembris a. 1964. - *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 941-943.

[1] Cf. *1 Thess.* 4, 8.

progrès, si nous pensons aux polémiques du passé et si nous remarquons que ce changement de notre comportement est sincère, cordial, bon et profond.

b) En outre, vous pouvez observer combien l'Eglise catholique est disposée à un dialogue honorable et serein. Elle n'est pas pressée, elle a seulement le désir de commencer ce dialogue, laissant à la bonté divine le soin de le conclure de la manière et au moment qu'il lui plaira. Nous avons encore présente à l'esprit la proposition que vous Nous avez faite l'an dernier, en pareille circonstance, de fonder un institut d'études sur l'histoire du salut, que Nous pourrions mener à bien par une collaboration commune. Nous espérons réaliser cette initiative en souvenir de Notre pèlerinage en Terre Sainte au mois de janvier, et Nous sommes en train d'examiner si la chose est possible.

c) Ceci vous montre, Messieurs et chers Frères, que l'Eglise Catholique est disposée à considérer attentivement — alors même qu'elle ne peut s'éloigner de certaines exigences doctrinales auxquelles elle a le devoir dans le Christ de rester fidèle — comment supprimer les difficultés, dissiper les incompréhensions, respecter les trésors authentiques de vérité et de spiritualité que vous possédez, élargir et adapter certaines formes canoniques en vue de faciliter la récomposition dans l'unité des grandes et désormais séculaires communautés chrétiennes jusqu'ici séparées de nous. C'est la charité, non l'égoïsme qui nous presse: « Car l'amour du Christ nous presse ».[2]

d) Dans cet ordre de pensées Nous sommes heureux de pouvoir exprimer Notre reconnaissance à ceux qui ont invité, en diverses occasions, Notre Secrétariat pour l'unité à déléguer des observateurs à des conférences ou des réunions de vos Eglises ou de vos organisations. Nous continuerons volontiers à le faire, afin que les institutions et des personnes catholiques qualifiées puissent, de leur côté, acquérir sur vous une connaissance qui soit conforme à la vérité et à la charité, prémisses d'une union plus profonde dans le Seigneur.

3. Quant à vous, Messieurs et chers Frères, Nous vous prions de bien vouloir continuer à exercer vos fonctions d'observateurs sincères et aimables. Veuillez ne pas vous contenter d'une simple présence passive, mais ayez à cœur de comprendre, de prier avec Nous, et de communiquer ensuite à vos communautés respectives les informations les meilleures et les plus exactes de ce Concile, de manière à favoriser ainsi un rapprochement progressif des esprits dans le Christ Notre Seigneur.

---

[2] *2 Cor.* 5, 14.

A ce propos, Nous vous prions dès maintenant de bien vouloir porter à vos communautés et à vos institutions Notre merci, Notre salut, Notre souhait de tout bien excellent dans le Seigneur.

Tout cela, vous le voyez, n'est qu'un début. Pour qu'il soit juste dans son inspiration et devienne, un jour, porteur de fruits, Nous vous invitons à clore notre rencontre en récitant ensemble la prière que Jésus nous a enseignée: le Notre Père.

15

INTIMATIO

per cursores facienda, domi dimisso exemplari

Sabbato, die 21 novembris 1964, in festo Praesentationis B. Mariae Virginis, *hora nona,* Sessio quarta [1] publica Concilii Oecumenici Vaticani II solemniter habebitur, Ss.mo D.no nostro Paulo Pp. VI Missam cum viginti quattuor Patribus Conciliaribus concelebrante.

Em.mi et Rev.mi DD. Cardinales, induti vestibus sericis rubris cum mantelleto ac mozetta, et calceis rubris, ad Aulam II Borgianam accedent, ibique supra rochetum (et si sint ex Ordine Episcoporum etiam supra superpelliceum) assument amictum et paramenta suo Ordini propria albi coloris (videlicet: Episcopi pluviale ex tela argentea simplici, et formali; Presbyteri casulam opere phrygio ornatam; ex Ordine Diaconorum dalmaticam similiter confectam et ornatam) et mitram serico-damascenam; deinde in Aula Paramentorum convenient et Summi Pontificis adventum exspectabunt, accessuri cum Eo ad Basilicam Vaticanam.

Cappellani Caudatarii induent superpelliceum cum vimpa, supra consuetam croceam et vestem violaceam.

Exc.mi DD. Patriarchae sacra paramenta assument in prima Aula Borgiana, Auditores Rotae, Clerici R. Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae superpelliceo se vestient in Aula prima Paramentorum.

Omnes vero Primates, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates pluviale induent in ambulacro Iuliano (Galleria delle Lapidi), reliqui Patres in eodem ambulacro proprias vestes chorales assument.

Praelati et alii Officiales Cappellae Papalis, vestibus respective sibi debitis induti, in Aula Ducali sistent.

Omnes praedicti Patres, Praelati et Officiales, praeter Em.mos Car-

---

[1] Reapse, in ordine sessionum publicarum Concilii, est quinta.

dinales et Exc.mos Patriarchas, sollicite et ordinate pergent per atrium ad Basilicam Vaticanam propria subsellia adepturi.

Exc.mi Patres Conciliares, cum Summo Pontifice concelebraturi, in Sacello Sixti IV omnes vestes sacras pro Missae celebratione assument, ac deinde Sanctissimum Dominum processionali more comitabunt, ad Basilicam Vaticanam accessuri.

Summus Pontifex, in Aula Paramentorum sacris vestibus assumptis cum mitra pretiosa, Se confert in Paulinum Sacellum, comitantibus Em.mis Cardinalibus et Patriarchis, in quo adorato Augustissimo Sacramento sollemniter exposito, hymnum « Ave, maris stella » intonabit, et absoluto primo versu, gestatoria sella in Basilicam Vaticanam evehetur.

Sanctissimus Pater cum Basilicam ingressus fuerit e sella gestatoria descendet, accedet ad altare et aliquantulum orabit, ac statim Missam concelebrabit cum viginti quattuor Patribus Conciliaribus.

Expleta Missa, Summus Pontifex a duobus Cardinalibus Diaconis antiquioribus associabitur et ad sedem suam ascendet.

Tunc, praestita obedientia a Patribus Conciliaribus, servetur methodus in Sessione publica praescripta pro approbatione decretorum Concilii.

Intimentur itaque omnes et singuli Em.mi DD. Cardinales, Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, nec non Abbates et supremi Moderatores Ordinum et Congregationum ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano II habentes.

Insuper intimentur Vice-Camerarius, Principes solii, Concilii custodes, Auditor et Thesaurarius Generalis R.C.A., Praefectus Palatii Apostolici, Protonotarii Apostolici de numero Participantium, Auditores R. Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae, Officiales Concilii; ceterique intimari soliti, qui suis locis praesto esse debent *hora* saltem *octava cum dimidio.*

De mandato Sanctissimi D. N. Papae

✠ Henricus Dante, Archiep. Carpasien.
Apost. Caerem. Praefectus

PROCESSUS VERBALES CONGREGATIONUM GENERALIUM

LXXX-CXXVII

PROCESSUS VERBALES CONGREGATIONUM GENERALIUM

LXXX

Congregatio generalis octogesima habita est die 15 septembris 1964, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2178 Patres, nempe 59 cardinales, 6 patriarchae, 12 primates, 368 archiepiscopi, 1577 episcopi, 11 abbates nullius, 10 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Exc.mus P. D. Ioannes Villot, arch. tit. Bosporanus, coad. c. i. s. Lugdunensis, subsecretarius Concilii, Patres rogavit ut sacrae Missae liturgiae choraliter respondere vellent.

Missa de festo Septem Dolorum B. M. V., ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Carolo Vanuytven, ep. tit. Megarensi, pro quadragesimo anniversario suae consecrationis episcopalis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Maria Mater gratiae* (Palestrina), *Domine, quis habitabit* (Draconius), *Quid retribuam Domino* (Anerio).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres alternatim cantant *Gloria Laus*.

Deinde secretarius generalis intimavit *Extra omnes*. Em.mus P. D. Eugenius card. Tisserant, primus e consilio praesidentiae, precem *Adsumus* recitavit et Patres allocutus est.

Tunc secretarius generalis proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Petri Gregorii card. Agagianian, qui Patres allocutus est.

Postea secretarius generalis annuntiavit distributum iri: *Verba em.mi Eugenii Tisserant, primi purpurati Patris e Consilio praesidentiae Concilii Oecumenici Vaticani II, habita in Basilica Vaticana, die XV septembris anno 1964; Elenco dei Padri conciliari, 1964.*

Idem illustravit variationes additas *Ordini Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi,* necnon normas circa operam a peritis praestandam, atque legit nomina Patrum, qui loqui petierant circa cap. VII schematis *de Ecclesia.*

Em.mus P. D. card. Michael Browne legit relationem circa illud caput et ad loquendum ex ordine vocati sunt em.mi PP. DD. cardd.

Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Ioannes Urbani, patr. Venetiarum, Rufinus Santos, arch. Manilensis, Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaensis; beat.mus P. D. Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus latinorum; exc.mi PP. DD. Henricus Nicodemo, arch. Barensis, Iustinus Darmajuwana, arch. Semarangensis, Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum.

Secretarius generalis precibus Patrum commendavit exc.mum P. D. Petrum Dib, ep. Cahirensem graviter in Urbe aegrotantem, atque exposuit *Quaesitum* circa modum suffragandi schema *de Ecclesia.*

Deinde prosecuta est disceptatio et locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Pont y Gol, ep. Segobricensis-Castellionensis, Leo Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus, coad. Argentinensis; rev.mus P. D. Christophorus Butler, sup. gen. Congr. Angliae O.S.B.; exc.mi PP. DD. Secundus Garcia de Sierra y Mendez, arch. Burgensis, Ludovicus Mathias, arch. Madrapolitanus et Meliaporensis.

Interim Patribus distributa sunt: *Verba em.mi card. Eugenii Tisserant; Elenco dei Padri conciliari, 1964; Litterae encyclicae « Ecclesiam suam »; Relatio super cap. VII schematis constitutionis de Ecclesia*: de indole eschatologica vocationis nostrae ac de nostra unione cum Ecclesia caelesti; *Normae circa operam a peritis praestandam; Quaesitum circa modum suffragandi schema constitutionis de Ecclesia; Votum Pontificiae Commissionis de re biblica circa n. 22 schematis Constitutionis de Ecclesia.*

Moderator intimavit proximam congregationem generalem, sequenti die, hora nona, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio hora 12,38 finem habuit.

LXXXI

Congregatio generalis octogesima prima habita est die 16 septembris 1964, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2189 Patres, nempe 58 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 371 archiepiscopi, 1582 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 54 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Hyacintho Thiandoum, arch. Dakarensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Confirma hoc* (Gallus), *Sanctus* (cantus gregorianus ord. IV), *Ave verum Corpus* (Viadana).

Post Missam, exc.mus P. D. Casimirus Morcillo Gonzalez, arch.

Matritensis-Complutensis, subsecretarius Concilii, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres cantant *Christus vincit* cum ps. 116.

Ss. Concilii secretarius generalis, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, intimavit *Extra omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Iacobi card. Lercaro, arch. Bononiensis. Item annuntiavit post cap. VII *de Ecclesia* disceptatum iri de cap. VIII, atque invitavit Patres, qui loqui desiderabant circa declarationes *de libertate religiosa* et *de Iudaeis...,* ut nomina darent secretariatui Concilii. Dein legit nomina eorum, qui loqui petierant circa capp. VII et VIII *de Ecclesia.*

Ad loquendum de cap. VII *de Ecclesia* vocati sunt: em.mus P. D. Leo Ioseph card. Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis; exc.mi PP. DD. Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis, et Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania.

Exc.mus P. D. Mauritius Roy, arch. Quebecensis, relationem legit super cap. VIII *de Ecclesia,* scil. de B. M. V. Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae. Dein facta est suffragatio super *quaesitum* circa modum suffragandi schema constitutionis *de Ecclesia.*

Ad loquendum circa cap. VIII *de Ecclesia* vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Stephanus Wyszynski, arch. Varsaviensis et Gnesnensis, Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus, Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile, Augustinus Bea.

Hora 11,30 secretarius generalis communicavit exitum suffragationis supra *quaesitum* propositum: praesentes votantes 2204; *placet* 2170, *non placet* 32, vota nulla 2.

Prosecuta est disceptatio circa cap. VIII *de Ecclesia* et locuti sunt exc.mi PP. DD. Hadrianus Djajasepoetra, arch. Djakartanus, Octavius Marquez, arch. Angelorum, Conradus Mingo, arch. Montis Regalis.

Hora 11,50 secretarius generalis indixit suffragationem super integrum cap. I schematis *de Ecclesia,* quod inscribitur *de Ecclesiae mysterio.*

Exc.mus P. D. Andreas M. Charue, ep. Namurcensis, legit relationem super textum emendatum illius capitis.

Circa cap. VIII *de Ecclesia* adhuc locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus-S. Mariae Leucadensis, Placidus M. Cambiaghi, ep. Novariensis, Ioannes Hervás y Benet, ep. tit. Doritanus et praelatus Cluniensis, Ioannes Ambrosius Abasolo y Lecue, ep. Vijayapuramensis, Eduardus Necsey, ep. tit. Velicensis et adm. ap. Nitriensis.

Interim distributae sunt relationes super cap. I textus emendati schematis *de Ecclesia* et super cap. VIII eiusdem schematis.

Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit, et moderator proximam congregationem intimavit, sequenti die, feria V, hora nona habendam. Congregatio hora 12,30 clausa est.

LXXXII

Congregatio generalis octogesima secunda habita est die 17 septembris 1964, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2216 Patres, nempe 57 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 377 archiepiscopi, 1602 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 85 superiores generales.

Missa votiva D. N. I. C. Summi et Aeterni Sacerdotis celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ioseph Angrisani, ep. Casalensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Iuravit Dominus* (Bartolucci), *Sanctus* (Vittoria), *Domine non sum dignus* (Vittoria).

Post Missam, exc.mus P. D. Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum, subsecretarius Concilii, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres cantant antiphonam *Cum angelis et pueris* cum duobus prioribus versiculis cantici *Benedictus Dominus Deus Israel.*

Ss. Concilii secretarius generalis, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, intimavit *Extra omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis. Dein communicavit exitum suffragationis pridie peractae circa cap. I schematis *de Ecclesia*: praesentes votantes 2189, *placet* 2114, *non placet* 11, *placet iuxta modum* 63, votum nullum 1.

Tandem legit nomina eorum, qui circa cap. VIII *de Ecclesia* adhuc loqui petierant.

Post relationem exc.mi P. D. Gabrielis Garrone, arch. Tolosani, super textum emendatum cap. II schematis *de Ecclesia,* secretarius generalis primam suffragationem indixit circa illud caput.

Ad loquendum de cap. VIII schematis *de Ecclesia* vocati sunt em.mus P. D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis; exc.mi PP. DD. Franciscus Rendeiro, ep. Pharaonensis, et Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia.

Secretarius generalis indixit secundam suffragationem super textum emendatum cap. II schematis *de Ecclesia,* et circa cap. VIII illius schematis locuti sunt exc.mi PP. DD. Petrus Canisius van Lierde, ep. tit. Porphyriensis, et Ioseph Gawlina, arch. tit. Madytensis.

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationis primae

circa cap. II *de Ecclesia*: praesentes votantes 2210, *placet* 2173, *non placet* 30, *placet iuxta modum* 3, vota nulla 4; atque indixit suffragationem tertiam super cap. II *de Ecclesia.*

Prosecuta est disceptatio circa cap. VIII schematis *de Ecclesia* et locuti sunt exc.mi PP. DD. Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis, Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis, Villelmus Kempf, ep. Limburgensis, Bonaventura Leo de Uriarte Bengao, ep. tit. Madaurensis, vic. ap. S. Raimundi.

Tum secretarius generalis communicavit exitum suffragationis secundae super cap. II schematis *de Ecclesia*: praesentes votantes 2202, *placet* 2186, *non placet* 12, *placet iuxta modum* (vota nulla) 2, vota nulla 2; et indixit quartam suffragationem.

Post orationem rev.mi P. D. Aniceti Fernandez, magistri generalis O.P., circa cap. VIII *de Ecclesia,* secretarius generalis communicavit exitum tertiae suffragationis super cap. II schematis *de Ecclesia*: praesentes votantes 2099, *placet* 2048, *non placet* 48, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, vota nulla 2.

Circa cap. VIII schematis *de Ecclesia* adhuc locuti sunt exc.mus P. D. Primus Gasbarri, ep. tit. Tennesiensis, adm. ap. Grossetanus; rev.mus P. D. Alfonsus M. Montà, sup. gen. O.S.M.; exc.mi PP. DD. Raphael Garcia y Garcia de Castro, arch. Granatensis, Aurelius Signora, arch. tit. Nicosiensis, prael. nullius Pompeiensis, Iulianus Le Couëdic, ep. Trecensis, Sergius Mendez Arceo, ep. Cuernavacensis.

Interim Patribus distributa sunt: *Relatio super cap. II textus emendati schematis constitutionis de Ecclesia; Index partium schematis decreti de pastorali episcoporum munere in Ecclesia, quae in Concilio discutiendae proponuntur; Schema de Ecclesia in mundo huius temporis: directiones pro futura elaboratione textus.*

Subsecretarius, exc.mus P. D. Ioannes Villot, arch. tit. Bosporanus, coad. c. i. s. Lugdunensis, communicavit exitum quartae suffragationis circa cap. II schematis *de Ecclesia*: praesentes votantes 2174, *placet* 2106, *non placet* 67, votum nullum 1.

Moderator intimavit proximam congregationem, sequenti die, feria IV, hora nona habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,30.

LXXXIII

Congregatio generalis octogesima tertia habita est die 18 septembris 1964, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2195 Patres, nempe 58 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 374 archiepiscopi,

1585 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Emmanuele Larrain Errázuriz, ep. Talcensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Confirma hoc Deus* (Bartolucci), *Pange lingua* (Bartolucci), *O Sacrum convivium* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Villelmus Kempf, ep. Limburgensis, subsecretarius Concilii, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres cantant *Gloria laus et honor*.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Ss. Concilii, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item annuntiavit distributum iri pictacia vehicularia de itinere Summi Pontificis in Palaestinam; folium secretariatus administrativi de renovata Patrum assicuratione contra calamitates et damna; fasciculum relationis super schema decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*.

Deinde legit elenchum Patrum, qui loqui petierant circa cap. VIII *de Ecclesia* nomine 70 Patrum et circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*.

Ad loquendum de cap. VIII schematis *de Ecclesia* vocati sunt exc.mi PP. DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis; exc.mus P. D. Laureanus Castán Lacoma, ep. Seguntinus.

Dein secretarius generalis indixit suffragationem super integrum cap. II schematis *de Ecclesia*, quod inscribitur *de populo Dei*.

Hora 10,17 em.mus P. D. card. Paulus Marella, praeses commissionis de episcopis et dioecesium regimine, introduxit disceptationem circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*. Exc.mus P. D. Petrus Veuillot, arch. tit. Constantiniensis in Thracia, coad. Parisiensis, de eodem relationem legit.

Post orationem em.mi P. D. card. Pauli Richaud, arch. Burdigalensis, secretarius generalis communicavit exitum suffragationis circa integrum cap. II schematis *de Ecclesia*: praesentes votantes: 2190, *placet* 1615, *non placet* 19, *placet iuxta modum* 553, vota nulla 3.

Deinde circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* locuti sunt em.mus P. D. Michael card. Browne, exc.mi PP. DD. Aloisius Carli, ep. Signinus, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis, Antonius Pildáin y Zapiáin, ep. Canariensis, Armandus Fares, arch. Catacensis-ep. Squillacensis.

Secretarius generalis, petentibus quibusdam Patribus, iterum com-

municavit exitum suffragationis circa integrum cap. II schematis *de Ecclesia.*

Prosecuta est disceptatio circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* et locuti sunt exc.mi PP. DD. Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis, Iacobus Corboy, ep. Monzensis, Maximilianus Držečnik, ep. Mariborensis, Brian Foley, ep. Lancanstrensis, Fridericus Kaiser, ep. tit. Berrhoensis, prael. null. Caraveliensis, Robertus Lucey, arch. S. Antonii, Ioannes McEleney, ep. Kingstonensis.

Interim Patribus distributa sunt: *Kalendarium suffragationum cap. III schematis constitutionis de Ecclesia; Relatio super cap. III textus emendati schematis constitutionis de Ecclesia.*

Moderator intimavit proximam congregationem generalem, feria II, hora nona habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio hora 12,27 clausa est.

LXXXIV

Congregatio generalis octogesima quarta habita est die 21 septembris 1964, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2204 Patres, nempe 58 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 380 archiepiscopi, 1586 episcopi, 12 abbates nullius, 14 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 82 superiores generales.

Missa de festo S. Matthaei apostoli et evangelistae celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Friderico Donaghy, ep. Ucheuvensi pro XXV anniversario suae consecrationis episcopalis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *In omnem terram exivit* (X. Anerio), *O Felix anima* (Carissimi), *O salutaris hostia* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Adulfus Noser, ep. tit. Hierpinianensis, vic. ap. Portus Alexii, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres cantant *Benedictus* cum ant. *Cum angelis et pueris.*

Ss. Concilii secretarius generalis, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, nuntiavit obitum exc.mi P. D. Ioseph Gawlina, arch. tit. Madytensis, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant ps. *de profundis* cum versiculis et oratione recitavit.

Item secretarius generalis Patrum precibus commendavit exc.mum P. D. Leonem Nigris, qui graviter decumbebat; intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item annuntiavit distributum iri folium continens « Novas propositiones approbatas a commissione de episcopis et dioecesium regimine in coetu plenario diei 16 septem-

bris 1964, quae proponuntur inserendae schemati *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* » (nn. 18 bis et 18 ter).

Tandem legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Hora 10,04 relatio circa cap. III textus emendati schematis *de Ecclesia* lecta est ab exc.mo P. D. Francisco Franić, ep. Spalatensi et Makarskensi.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant lamentationes nonnullorum Patrum circa modum agendi aliquorum peritorum retulit et observantiam normarum commendavit.

Dein lectae sunt ceterae relationes circa cap. III schematis *de Ecclesia*: de nn. 18-21, ab em.mo P. D. Francisco card. König, arch. Vindebonensi; de nn. 22-27, ab exc.mo P. D. Petro Parente, arch. tit. Ptolemaidensi in Thebaide; de nn. 28-29, ab exc.mo P. D. Ludovico Henriquez Jimenez, ep. tit. Lamdiensi.

Secretarius generalis indixit primam suffragationem super cap. III schematis *de Ecclesia,* et ad loquendum *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* vocatus est em.mus P. D. Paulus Aemilius card. Léger, arch. Marianopolitanus.

Postea secretarius generalis indixit secundam suffragationem super cap. III *de Ecclesia,* et *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* locuti sunt em.mus P. D. card. Carolus Confalonieri et exc.mus P. D. Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus. Exc.mus P. D. Ioannes Nuer, ep. tit. Phtanensis, iuri loquendi renuntiavit.

Tunc secretarius generalis communicavit exitum primae suffragationis super cap. III *de Ecclesia*: praesentes votantes 2220, *placet* 2166, *non placet* 53, votum nullum 1; atque indixit tertiam suffragationem.

Post orationem exc.mi P. D. Agnelli Rossi, arch. Rivi Nigri, indicta est quarta suffragatio super cap. III *de Ecclesia,* et ultimus *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* locutus est exc.mus P. D. Rodulfus Staverman, ep. tit. Mosynopolitanus.

Secretarius generalis communicavit exitum secundae suffragationis super cap. III *de Ecclesia*: praesentes votantes 2206, *placet* 2012, *non placet* 191, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, vota nulla 2; atque annuntiavit obitum exc.mi P. D. Leonis Nigris, arch. tit. Philippensis.

Moderator intimavit proximam congregationem generalem, feria III, hora nona habendam. Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit ps. *de profundis* cum versiculis et oratione, necnon preces *Agimus... Angelus...* Congregatio generalis clausa est hora 12,32.

LXXXV

Congregatio generalis octogesima quinta habita est die 22 septembris 1964, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2243 Patres, nempe 60 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 385 archiepiscopi, 1614 episcopi, 12 abbates nullius, 14 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Mauritio Roy, arch. Quebecensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Spiritus tuus* (Lassus), *Sanctus* (Asola), *O memoriale* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Gerardus Michelotto Pellanda, ep. tit. Madensis, coad. de Ponta Grossa, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres cantant *Christus vincit* cum ps. 116.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Ss. Concilii, intimavit *Exeant omnes* et annuntiavit obitum exc.mi P. D. Iesu Inciso, ep. Maioricensis.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant *de profundis* cum versiculis et oratione recitavit.

Secretarius generalis nuntium dedit exsequiarum exc.morum PP. DD. Leonis Nigris et Ioseph Gawlina, atque nomen proclamavit moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis.

Ordinem communicavit disceptationis circa schema *de divina revelatione,* atque promulgavit exitum suffragationum, quae pridie peractae fuerant super cap. III *de Ecclesia*: tertiae: praesentes votantes 2211, *placet* 2103, *non placet* 106, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, votum nullum 1; quartae: praesentes votantes 2207, *placet* 2091, *non placet* 115, votum nullum 1.

Deinde legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* atque indixit quintam suffragationem super cap. III textus emendati *de Ecclesia.*

Hora 9,56 incepta est disceptatio circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* et locutus est exc.mus P. D. Ludovicus Guyot, ep. Constantiensis.

Post indictionem sextae suffragationis super cap. III textus emendati *de Ecclesia,* locuti sunt circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* exc.mi PP. DD. Alexander Renard, ep. Versaliensis, et Richardus Guilly, ep. Georgiopolitanus.

Dein, indicta septima suffragatione super cap. III *de Ecclesia,* locutus est exc.mus P. D. Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis.

Tunc secretarius generalis proclamavit exitum quintae suffragationis super cap. III *de Ecclesia*: praesentes votantes 2248, *placet* 2198, *non placet* 50; atque indixit octavam suffragationem.

Post orationem exc.mi P. D. Pauli Barrachina Estevan, ep. Oriolensis-Lucentini, secretarius generalis proclamavit exitum sextae suffragationis super cap. III *de Ecclesia*: praesentes votantes 2246, *placet* 2201, *non placet* 44, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1; atque indixit nonam suffragationem.

Dein locutus est exc.mus P. D. Aemilius Guerry, arch. Cameracensis, et secretarius generalis communicavit exitum septimae suffragationis super cap. III textus emendati *de Ecclesia*: praesentes votantes 2240, *placet* 2117, *non placet* 123; et indixit decimam suffragationem.

Post orationem exc.mi P. D. Ioannis Sauvage, ep. Anneciensis, indicta est undecima suffragatio super cap. III *de Ecclesia;* atque communicatus est exitus octavae suffragationis: praesentes votantes 2247, *placet* 1917, *non placet* 328, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1.

Dein locutus est exc.mus P. D. Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis, et secretarius generalis communicavit exitum nonae suffragationis super caput III *de Ecclesia*: praesentes votantes 2243, *placet* 2085, *non placet* 156, vota nulla 2; et indixit duodecimam suffragationem.

Tunc ad loquendum vocati sunt exc.mi PP. DD. Marius Maziers, ep. tit. Augustopolitanus in Phrygia, aux. Lugdunensis, Heribertus Bednorz, ep. tit. Bullensium Regiorum, coad. Katovicensis, Michael Miranda, arch. Mexicanus, Ioannes Iriarte, ep. Reconquistensis.

Dein secretarius generalis annuntiavit distributum iri relationem super declarationem *de libertate religiosa,* et legit exitum suffragationum: decimae, praesentes votantes 2243, *placet* 1918, *non placet* 322, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1; vota nulla 2; undecimae, praesentes votantes 2213, *placet* 1898, *non placet* 313, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, votum nullum 1; duodecimae, praesentes votantes 2205, *placet* 2114, *non placet* 90, votum nullum 1.

Tandem circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* locuti sunt exc.mi PP. DD. Villelmus Pluta, ep. tit. Leptimagnensis, Leonidas Proaño Villalba, ep. Rivibambensis, Samuel Ruiz Garcia, ep. Chiapasensis, Augustinus Ioachim Lopez de Moura, ep. Portalegrensis-Castri Albi, Antonius Baraniak, arch. Posnanensis, Carolus Himmer, ep. Tornacensis.

Moderator intimavit proximam congregationem generalem, sequenti die, hora nona, habendam. Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Adsumus... Angelus...* recitavit. Reposito S. Evangelii codice, congregatio clausa est hora 12,38.

LXXXVI

Congregatio generalis octogesima sexta habita est die 23 septembris 1964, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2260 Patres, nempe 61 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 387 archiepiscopi, 1626 episcopi, 12 abbates nullius, 14 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 88 superiores generales.

Ante Missae celebrationem, reliquiae capitis S. Andreae apostoli ab ipso Summo Pontifice Paulo VI super altare expositae sunt venerationi Patrum, dum chorus Cappellae Sixtinae cantat hymnum *Exsultet orbis gaudiis* (Bartolucci).

Missa in honorem S. Andreae apostoli coram Pontifice ab em.mo P. D. Paulo card. Marella, archipresbytero Patriarchalis Basilicae Vaticanae, ritu romano celebrata est. Chorus exsecutus est cantus: *Hoc est praeceptum meum* (Morales), *Sitivit anima mea* (Palestrina), *Ave verum Corpus* (Bartolucci).

Post Missae celebrationem, homilia habita est ab em.mo P. D. card. Francisco König, arch. Vindobonensi.

Deinde Summus Pontifex aulam conciliarem egressus est, omnibus plaudentibus, dum chorus cantat *Exsultate Deo* (Palestrina).

Intronizatio S. Evangelii codicis facta non est. Post intimationem *Extra omnes,* recitata est oratio *Adsumus...*

Hora 10,08 exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, atque legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* et circa declarationem *de libertate religiosa.* Item indixit decimam tertiam suffragationem super cap. III *de Ecclesia.*

Ad loquendum circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Carolus Greco, ep. Alexandrinus, et Raphael Gonzalez Moralejo, ep. tit. Dardanius, aux. Valentinus.

Postea secretarius generalis intimavit *Exeant omnes,* etiam photographis, quibus illa die concessum fuerat in aula aliquandiu permanere; Patres monuit de ieiunio servando in feria IV Quattuor Tem-

porum, atque indixit decimam quartam suffragationem super cap. III *de Ecclesia.*

Hora 10,30 exc.mus P. D. Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis, legit relationem super declarationem *de libertate religiosa.*

Tum secretarius generalis communicavit exitum decimae tertiae suffragationis super cap. III *de Ecclesia*: praesentes votantes 2224, *placet* 1927, *non placet* 292, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1; vota nulla 4; et indixit decimam quintam suffragationem.

Finita oratione em.mi P. D. card. Ernesti Ruffini, arch. Panormitani, circa schema *de libertate religiosa,* secretarius generalis communicavit exitum decimae quartae suffragationis super cap. III *de Ecclesia*: praesentes votantes 2254, *placet* 1943, *non placet* 307, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, vota nulla 3; et indixit decimam sextam suffragationem.

Tunc *de libertate religiosa* locuti sunt em.mi PP. DD. cardd. Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus, et Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus.

Secretarius generalis communicavit exitum decimae quintae suffragationis super cap. III *de Ecclesia*: praesentes votantes 2251, *placet* 2096, *non placet* 152, vota nulla 3; et indixit decimam septimam suffragationem.

Post orationem em.mi P. D. card. Richardi Cushing, arch. Bostoniensis, secretarius generalis communicavit exitum decimae sextae suffragationis super cap. III *de Ecclesia*: praesentes votantes 2245, *placet* 2114, *non placet* 127, vota nulla 4; et indixit decimam octavam suffragationem.

Deinde locuti sunt em.mi PP. DD. cardd. Ioseph Bueno Monreal, arch. Hispalensis, Albertus Meyer, arch. Chicagiensis, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici, Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile.

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationum: decimae septimae, praesentes votantes 2214, *placet* 2006, *non placet* 204, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1; vota nulla 3; decimae octavae, praesentes votantes 2220, *placet* 2163, *non placet* 56, votum nullum 1.

Tandem *de libertate religiosa* locuti sunt em.mus P. D. card. Alfredus Ottaviani et exc.mus P. D. Aemilius Čekada, ep. Scopiensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona habenda, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,34.

LXXXVII

Congregatio generalis octogesima septima habita est die 24 septembris 1964, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2226 Patres, nempe 57 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 380 archiepiscopi, 1605 episcopi, 12 abbates nullius, 14 praelati nullius, 54 praefecti apostolici, 87 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ioseph Cordeiro, arch. Karachiensi. Pueri cantores a Bucceto (Fidenza, Italia) exsecuti sunt cantus: *Veni Sancte Spiritus* (sequentia: gregoriano), *Sanctus XV* (gregoriano), *Iesu rex admirabilis* (Palestrina).

Post Missam, exc.mus P. D. Ioannes Holterman, ep. Gulielmopolitanus, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus, S. Evangelium processionaliter comitans, cantat alternatim cum Patribus antiphonam *Pueri hebraeorum*.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Ss. Concilii, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Dein legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de Oecumenismo,* atque indixit decimam nonam suffragationem super caput III *de Ecclesia.*

Post orationem em.mi P. D. card. Francisci König, arch. Vindobonensis, circa schema *de Oecumenismo,* secretarius generalis indixit vicesimam suffragationem super cap. III *de Ecclesia.*

Deinde locuti sunt em.mus P. D. card. Michael Browne et exc.mus P. D. Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide.

Post indictionem vicesimae primae suffragationis, ad loquendum vocatus est exc.mus P. D. Petrus Cantero Cuadrado, arch. Caesaraugustanus.

Finita eius oratione, secretarius generalis communicavit exitum decimae nonae suffragationis: praesentes votantes 2226, *placet* 2162, *non placet* 64; et indixit vicesimam secundam suffragationem, necnon post orationem exc.mi P. D. Ioannis Abasolo y Lecue, ep. Vijayapuramensis, communicavit exitum suffragationum: vicesimae, praesentes votantes 2228, *placet* 2205, *non placet* 23; vicesimae primae: praesentes votantes 2226, *placet* 2147, *non placet* 77, vota nulla 2. Praeterea indixit suffragationem vicesimam tertiam.

Dein *de Oecumenismo* locutus est exc.mus P. D. Henricus Nicodemo, arch. Barensis, atque secretarius generalis communicavit exitum vicesimae secundae suffragationis: praesentes votantes 2225, *placet*

2189, *non placet* 35, votum nullum 1; et indixit vicesimam quartam suffragationem.

Postea locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Lopez Ortiz, ep. Tudensis-Vicensis, Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus, Ioannes Canestri, ep. tit. Tenediensis, Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis, Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia.

Tum secretarius generalis communicavit exitum suffragationum: vicesimae tertiae: praesentes votantes 2221, *placet* 2177, *non placet* 43, votum nullum 1; vicesimae quartae: praesentes votantes 2203, *placet* 2152, *non placet* 51.

Tandem ad loquendum *de Oecumenismo* vocati sunt rev.mus P. D. Ioseph Buckley, sup. gen. S.M.; exc.mi PP. DD. Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis, Petrus Nierman, ep. Groningensis, Angelus Temiño Saiz, ep. Auriensis, Michael Klepacz, ep. Lodzensis, Marcellus Dubois, arch. Bisuntinus, Anastasius Granados Garcia, ep. tit. Cidramenus, aux. Toletanus.

Moderator intimavit proximam congregationem generalem, sequenti die, hora nona, habendam. Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant, reposito S. Evangelii codice, preces recitavit *Agimus... Angelus...* Congregatio clausa est hora 12,32.

LXXXVIII

Congregatio generalis octogesima octava habita est die 25 septembris 1964, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2201 Patres, nempe 57 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 374 archiepiscopi, 1588 episcopi, 12 abbates nullius, 14 praelati nullius, 54 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Missa iuxta ritum syro-antiochenum celebrata est ab exc.mo P. D. Cyrillo Emmanuele Benni, arch. Mausiliensi Syrorum. Chorus alumnorum Collegii Urbaniani de Propaganda Fide exsecuti sunt cantus, quos moderatus est exc.mus P. D. Clemens Ignatius Mansourati, arch. tit. Apamenus in Syria.

Post Missam, exc.mus P. D. Ioannes Karroum, ep. Spinensis Syrorum, Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Item annuntiavit distributum iri relationem super declarationem *de Iudaeis et de non christianis,* atque

Summum Pontificem concessisse Patribus Conciliaribus, charactere episcopali non ornatis, privilegium audiendi confessiones perdurante Concilio.

Tandem legit nomina eorum, qui loqui petierant *de libertate religiosa,* atque indixit vicesimam quintam suffragationem super cap. III *de Ecclesia.*

Ad loquendum *de libertate religiosa* vocati sunt em.mus P. D. card. Franciscus Roberti, et exc.mus P. D. Dionysius Hurley, arch. Durbanianus.

Dein secretarius generalis indixit vicesimam sextam suffragationem super cap. III *de Ecclesia,* et *de libertate religiosa* locuti sunt exc.mi PP. DD. Ubaldus Cibrián Fernández, ep. tit. Bidensis, prael. null. Corocorensis, et Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis.

Secretarius generalis communicavit exitum vicesimae quintae suffragationis super cap. III *de Ecclesia*: praesentes votantes 2198, *placet* 2134, *non placet* 63, votum nullum 1; atque indixit vicesimam septimam suffragationem.

Idem, post orationem exc.mi P. D. Caroli Wojtyla, arch. Cracoviensis, communicavit exitum vicesimae sextae suffragationis: praesentes votantes 2192, *placet* 2159, *non placet* 32, votum nullum 1; et indixit vicesimam octavam suffragationem.

Finita oratione exc.mi P. D. Gabrielis Garrone, arch. Tolosani, secretarius generalis indixit vicesimam nonam suffragationem super cap. III *de Ecclesia.*

Item, post orationem exc.mi P. D. Simonis Hoa Nguyen Van Hien, ep. Dalatensis, indixit trigesimam suffragationem.

Tandem *de libertate religiosa* locuti sunt exc.mi PP. DD. Carolus Alter, arch. Cincinnatensis, Anicetus Fernandez, magister generalis O.P., Cornelius Lucey, ep. Circagensis et Rossensis, Carolus Colombo, ep. tit. Victorianensis.

Dein secretarius generalis communicavit exitum suffragationum: vicesimae septimae: praesentes votantes 2187, *placet* 2140, *non placet* 46, votum nullum 1; vicesimae octavae: praesentes votantes 2187, *placet* 2139, *non placet* 46, vota nulla 2; vicesimae nonae: praesentes votantes 2180, *placet* 2155, *non placet* 25; trigesimae: praesentes votantes 2162, *placet* 2139, *non placet* 21, vota nulla 2.

Moderator a Patribus quaesivit utrum placeret finem imponere disceptationi *de libertate religiosa.* Responso affirmativo habito, em.mus P. D. card. Augustinus Bea legit relationem circa declarationem *de Iudeis et de non christianis.*

Intimata proxima congregatione generali, feria II, hora nona, ha-

benda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,30.

LXXXIX

Congregatio generalis octogesima nona habita est die 28 septembris 1964, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2170 Patres, nempe 54 cardinales, 6 patriarchae, 12 primates, 373 archiepiscopi, 1567 episcopi, 12 abbates nullius, 13 praelati nullius, 53 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Francisco Tomášek, ep. tit. Butiensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Emitte Spiritum tuum* (Soriano), *Sanctus* (gregoriano ex ordinario I), *Ecce Panis Angelorum* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Aemilius Sosa Goana, ep. tit. Sergentzensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Intimato *Exeant omnes,* exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Petri Gregorii Agagianian, et legit elenchum eorum, qui loqui petierant nomine 70 Patrum circa schema *de libertate religiosa,* et deinde circa declarationem *de Iudaeis et de non christianis.* Item indixit tricesimam primam suffragationem atque, post orationem circa declarationem *de libertate religiosa* exc.mi P. D. Ioannis Heenan, arch. Westmonasteriensis, tricesimam secundam suffragationem super cap. III *de Ecclesia.*

Dein *de libertate religiosa* locuti sunt exc.mi PP. DD. Hadrianus Ddungu, ep. Masakaensis, et Ioannes Wright, ep. Pittsburgensis Latinorum.

Post indictionem tricesimae tertiae suffragationis super cap. III *de Ecclesia,* locutus est exc.mus P. D. Ioannes Zoa, arch. Yaundensis.

Eius oratione finita, secretarius generalis communicavit exitum tricesimae primae suffragationis: praesentes votantes 2176, *placet* 2088, *non placet* 86, vota nulla 2; et indixit tricesimam quartam suffragationem.

Hora 10,45 incepta est disceptatio circa declarationem *de Iudaeis et de non christianis,* et ad loquendum vocatus est em.mus P. D. card. Achilles Liénart, ep. Insulensis.

Secretarius generalis promulgavit exitum tricesimae secundae suffragationis: praesentes votantes 2169, *placet* 2155, *non placet* 14; et indixit tricesimam quintam suffragationem.

Idem, post orationes em.morum PP. DD. cardd. Ignatii Tappouni,

patr. Antiocheni Syrorum, et Ioseph Frings, arch. Coloniensis, communicavit exitum suffragationum: tricesimae tertiae, praesentes votantes 2164, *placet* 2125, *non placet* 38, votum nullum 1; tricesimae quartae, praesentes votantes 2168, *placet* 2157; *non placet* 11; et indixit suffragationem tricesimam sextam.

Prosecuta est disceptatio et locuti sunt em.mi PP. DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis, Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus, Richardus Cushing, arch. Bostoniensis, Franciscus König, arch. Vindobonensis.

Dein secretarius generalis communicavit exitum suffragationum: tricesimae quintae, praesentes votantes 2152, *placet* 2055, *non placet* 94, vota nulla 3; tricesimae sextae, praesentes votantes 2148, *placet* 1903, *non placet* 242, vota nulla 3.

Tandem locuti sunt em.mi PP. DD. cardd. Albertus Meyer, arch. Chicagiensis, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici; exc.mi PP. DD. Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis, Philippus Pocock, arch. tit. Isauropolitanus, coad. Torontinus, Petrus Nierman, ep. Groningensis, Iulius Daem, ep. Antverpiensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,33.

XC

Congregatio generalis nonagesima habita est die 29 septembris 1964, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2225 Patres, nempe 57 cardinales, 7 patriarchae, 10 primates, 384 archiepiscopi, 1604 episcopi, 12 abbates nullius, 14 praelati nullius, 52 praefecti apostolici, 85 superiores generales.

Missa de festo S. Michaelis Archangeli celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ioanne Kadwo Amissah, arch. Litoris Capitis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Laudate Dominum* (Bartolucci), *Caelestis Urbs* (Bartolucci), *Panis Angelicus* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Leo Lommel, ep. Luxemburgensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit dum Patres cantant *Gloria laus.*

Ss. Concilii secretarius generalis, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Petri Gregorii Agagianian. Item annuntiavit distributum iri *Relationes circa cap. IV-V-VI* schematis *de Ecclesia* necnon, ad aditus aulae, *Informatio ex secretariatu religio-*

num non christianarum. Ipse legit nomina eorum, qui loqui petierant circa declarationem *de Iudaeis et de non christianis,* atque indixit tricesimam septimam suffragationem super cap. III *de Ecclesia.*

Ad loquendum *de Iudaeis et de non christianis* ex ordine vocati sunt em.mus P. D. card. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis; exc.mi PP. DD. Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis, Ivo Plumey, ep. Garuensis, Sergius Mendez Arceo, ep. Cuernavacensis.

Dein secretarius generalis promulgavit exitum suffragationis tricesimae septimae: praesentes votantes 2228, *placet* 1523, *non placet* 702, vota nulla 3; atque indixit tricesimam octavam suffragationem.

Prosecuta est disceptatio et locuti sunt exc.mi PP. DD. Laurentius Satoshi Nagae, ep. Urawaensis, Edmundus Nowicki, ep. Gedanensis, Simon Hoa Nguyen Van Hien, ep. Dalatensis.

Post promulgationem exitus tricesimae octavae suffragationis: praesentes votantes 2229, *placet* 1598, *non placet* 629, suffragia nulla 2; indicta est ultima suffragatio super cap. III *de Ecclesia.*

Subsecutae sunt orationes exc.morum PP. DD. Arturi Elchinger, ep. tit. Antandrensis, coad. Argentinensis, Stephani Leven, ep. tit. Buritanus, aux. S. Antonii, Bernardi Stein, ep. tit. Dagnensis, aux. Trevirensis, Antonii Añoveros Ataún, ep. Gadicensis et Septensis, Ioannis Heenan, arch. Westmonasteriensis, Patricii O'Boyle, arch. Washingtonensis, Petri Sfair, arch. tit. Nisibeni Maronitarum.

Tum secretarius generalis communicavit exitum suffragationis tricesimae nonae: praesentes votantes 2211, *placet* 839, *non placet* 1364, *placet iuxta modum* (vota nulla) 2, vota nulla 6.

Demum locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Parecattil, arch. Ernakulamensis, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis, Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus, Daniel Lamont, ep. Umtaliensis, Hieronymus Ioseph Podestà, ep. Avellanediensis, Ioseph Tawil, arch. tit. Myrensis, Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis.

Moderator intimavit proximam congregationem generalem, sequenti die, hora nona, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,35.

XCI

Congregatio generalis nonagesima prima habita est die 30 septembris 1964, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2241 Patres, nempe 59 cardinales, 6 patriarchae, 12 primates, 389 archiepiscopi, 1611 episcopi, 12 abbates nullius, 14 praelati nullius, 52 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Missam de festo S. Hieronymi celebravit, ritu romano, exc.mus P. D. Emmanuel Antonius Rodriguez Rozas, ep. Pinetensis ad Flumen. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Exaudi Deus orationem meam* (Croce), *Sanctus* (Asola), *O salutaris Hostia* (Bartolucci).

Post Missam, Evangelii codex super paratum thronum statutus est ab exc.mo P. D. Francisco Marty, arch. Remensi, dum chorus et Patres cantant ant. *Cum angelis et pueris* et canticum *Benedictus Dominus Deus Israel.*

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis. Item annuntiavit distributum iri *Relationes super constitutionem de divina revelatione* necnon *Adnexa* ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Facta suffragatione per erectionem personae super numerum suffragationum circa cap. III *de Ecclesia,* secretarius generalis legit nomina eorum, qui loqui petierant quoad declarationem *de Iudaeis et de non christianis,* et quoad schema *de divina revelatione.*

Insuper legit initium et finem textus primae suffragationis super integrum cap. III *de Ecclesia.*

Tunc exc.mus P. D. Ioannes Wright, ep. Pittsburgensis Latinorum, legit relationem super cap. IV *de Ecclesia.*

Dein secretarius generalis legit initium et finem textus alterius suffragationis super cap. III *de Ecclesia.*

Postea rev.mus P. D. Benno Gut, abbas primas O.S.B., legit relationem super cap. V et VI (vel V *a* et *b*) *de Ecclesia.*

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationis primae super integrum cap. III *de Ecclesia*: praesentes votantes 2242, *placet* 1624, *non placet* 42, *placet iuxta modum* 572, vota nulla 4; atque legit initium et finem textus cap. IV suffragandi.

Exc.mus P. D. Franciscus Franič, ep. Spalatensis et Macarscensis, nomine minoritatis commissionis de doctrina fidei et morum, legit relationem circa schema *de divina revelatione.* Haec relatio hora 10,56 suspensa est, ut secretarius generalis legeret suffragationem faciendam ante cap. V *de Ecclesia,* utrum scil. instituendum esset cap. speciale *de religiosis.*

Post alteram partem relationis exc.mi P. D. Franić, secretarius generalis, iterum explicato sensu suffragationis primae ante cap. V *de Ecclesia,* communicavit exitum secundae suffragationis super cap. III: praesentes votantes 2240, *placet* 1704, *non placet* 53, *placet iuxta modum* 481, vota nulla 2; atque exitum suffragationis circa cap. IV:

praesentes votantes 2236, *placet* 2152, *non placet* 8, *placet iuxta modum* 76. Item legit initium et finem textus cap. V suffragandi.

Exc.mus P. D. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, legit relationem super capp. I et II schematis constitutionis *de divina revelatione*.

Tunc secretarius generalis promulgavit exitum suffragationis circa quaesitum: utrum insituendum sit caput speciale de religiosis: praesentes votantes 2210, *placet* 1505, *non placet* 698, *placet iuxta modum* (vota nulla) 4, vota nulla 3.

Item communicavit exitum suffragationis circa cap. V: praesentes votantes 2177, *placet* 1856, *non placet* 17, *placet iuxta modum* 302, vota nulla 2; atque legit initium et finem textus cap. VI suffragandi.

Post orationem exc.mi P. D. Ioannis Gahamanyi, ep. Butarensis, circa declarationem *de iudaeis et de non christianis*, nomine 70 Patrum, ad loquendum de prooemio et capp. I-II *de divina revelatione* vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, et Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis.

Tunc secretarius generalis communicavit exitum suffragationis super cap. VI *de Ecclesia*: praesentes votantes 2189, *placet* 1736, *non placet* 12, *placet iuxta modum* 438, vota nulla 3.

Dein prosecuta est disceptatio et locutus est em.mus P. D. Albertus card. Meyer, arch. Chicagiensis.

Moderator indixit proximam congregationem generalem, sequenti die, hora nona, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,31.

XCII

Congregatio generalis nonagesima secunda habita est die 1 octobris 1964, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2169 Patres, nempe 54 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 370 archiepiscopi, 1573 episcopi, 12 abbates nullius, 13 praelati nullius, 53 praefecti apostolici, 77 superiores generales.

Missa votiva de D. N. I. C. Summo et Aeterno Sacerdote, ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Raphaele Campelli, arch. Calliensi et Pergulano, pro XXV anniversario suae consecrationis episcopalis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *In nomine Iesu omne genu* (Gallus), *In quacumque die* (Lassus), *O salutaris Hostia* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Albertus Gaudentius Ramos, arch.

Belemensis de Parà, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Ss. Concilii, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Lercaro, arch. Bononiensis. Insuper illustravit valorem *Adnexorum* ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* atque legit nomina eorum, qui loqui petierant circa prooemium et capp. I-II schematis *de divina revelatione.*

Ad loquendum ex ordine vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus, Ioannes Landàzuri Ricketts, arch. Limanus, Michael Browne; beat.mus P. D. Ignatius Petrus Batanian, patr. Ciliciae Armenorum, exc.mi PP. DD. Casimirus Kowalski, ep. Culmensis, Victorius M. Costantini, ep. Suessanus, Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis, Felix Romero Menjibar, ep. Giennensis, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis, Antonius Gregorius Vuccino, arch. tit. Aprensis, Ioseph M. Reuss, ep. tit. Sinopenus, aux. Moguntinus, Henricus Compagnone, ep. Anagninus.

Dein secretarius generalis nuntiavit rev.mum praepositum generalem S. I. graviter aegrotare eumque omnium precibus commendavit. Nomine moderatorum, ulterius explicavit *Adnexa* ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Tandem locuti sunt de prooemio et capp. I-II *de divina revelatione* exc.mi PP. DD. Ioannes Ferro, arch. Rheginensis, Aemilius Guano, ep. Liburnensis, Thomas Wilczyński, ep. tit. Polybotensis, Paulus Zoungrana, arch. Uagaduguensis, Michael Arattukulam, ep. Alleppeyensis, Armandus Fares, arch. Catacensis et ep. Squillacensis, Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus, Petrus Rougé, ep. Nemausensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,27.

XCIII

Congregatio generalis nonagesima tertia habita est die 2 octobris 1964, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2119 Patres, nempe 52 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 358 archiepiscopi, 1540 episcopi, 12 abbates nullius, 14 praelati nullius, 51 praefecti apostolici, 75 superiores generales.

Missa votiva de Ss. Corde Iesu celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Neil Farren, ep. Derriensi, in XXV anniversario suae consecrationis episcopalis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est can-

tus: *Cor, arca legem continens* (Bartolucci), *Cor Iesu flagrans* (Bartolucci), *Ave verum Corpus* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Paulus Leonardus Hagarty, ep. Nassaviensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit dum chorus et Patres alternatim cantant ant. *Exaltate regem regum* (gregoriano) et ps. 116 *Laudate Dominum omnes gentes.*

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis. Item legit nomina eorum, qui loqui petierant circa capp. I-II schematis *de divina revelatione.*

Ex ordine locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioannes van Dodewaard, ep. Haarlemensis, Casimirus Morcillo González, arch. Matritensis-Complutensis, Octavius Antonius Beras, arch. S. Dominici, Antonius de Castro Xavier Monteiro, ep. tit. Ombitanus, aux. Villaregalensis, Angelus Temiño Saiz, ep. Auriensis, Hyacinthus Argaya Goicoechea, ep. Mindoniensis-Ferrolensis, Henricus Nicodemo, arch. Barensis, Ioseph de Iesu Alba Palacios, ep. Tehuatepecensis, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis, Fidelis Garcia Martinez, ep. tit. Sululitanus, Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis, rev.mi Lucianus Rubio, prior gen. O.E.S.A., Christophorus Butler, sup. gen. Congr. Angliae O.S.B.; exc.mus Raphael Calabria, arch. Beneventanus, Franciscus Marty, arch. Remensis, Georgius Bernardus Flahiff, arch. Vinnipegensis.

Dein exc.mus P. D. Ioannes van Dodewaard, ep. Haarlemensis, legit relationem super capp. III-VI schematis constitutionis *de divina revelatione.*

Hora 12,03 facta est per erectionem personae suffragatio super modum suffragandi schema *de Oecumenismo,* et secretarius generalis communicavit kalendarium suffragationum proxima hebdomada peragendarum.

Tandem ad loquendum circa cap. III schematis *de divina revelatione* locuti sunt em.mi PP. DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Franciscus König, arch. Vindobonensis.

Intimata proxima congregatione generali, feria II, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,25.

XCIV

Congregatio generalis nonagesima quarta habita est die 5 octobris 1964, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2106 Patres,

nempe 51 cardinales, 6 patriarchae, 12 primates, 348 archiepiscopi, 1531 episcopi, 12 abbates nullius, 14 praelati nullius, 52 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Missa pro unitate Ecclesiae celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Petro Thoma McKeefry, arch. Vellingtonensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Laudate Dominum omnes gentes* (Bartolucci), *Domine ante te* (Bartolucci), *O salutaris Hostia* (Bartolucci).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit rev.mus P. D. Ioseph Aemilius Malenfant, praef. ap. de Benares Gorakhpur, dum chorus et Patres alternatim cantant *Christus vincit* cum ps. 116.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Extra omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de divina revelatione.*

Exc.mus P. D. Ioseph M. Martin, arch. Rothomagensis legit relationem super cap. I schematis decreti *de Oecumenismo,* atque secretarius generalis indixit primam suffragationem circa schema *de Oecumenismo.*

Dein locuti sunt circa capp. III-IV schematis *de divina revelatione* em.mi PP. DD. Albertus Meyer, arch. Chicagiensis, et Augustinus Bea.

Indicta secunda suffragatione super schema *de Oecumenismo,* locutus est *de divina revelatione* exc.mus P. D. Ioannes Iulianus Weber, arch.-ep. Argentoratensis.

Indicta tertia suffragatione *de Oecumenismo,* locutus est *de divina revelatione* exc.mus P. D. Franciscus Simons, ep. Indorensis.

Post indictionem quartae suffragationis *de Oecumenismo,* locuti sunt *de divina revelatione* exc.mi PP. DD. Primus Gasbarri, ep. tit. Thennesiensis, adm. ap. Grossetanus, Iacobus Flores, ep. Barbastrensis, Carolus Maloney, ep. tit. Capsitanus, aux. Ludovicopolitanus, Casimirus Morcillo González, arch. Matritensis-Complutensis, Neophytus Edelby, arch. tit. Edessenus Melkitarum, Eduardus Schick, ep. tit. Araditanus, aux. Fuldensis, Raphael Garcia y Garcia de Castro, arch. Granatensis, Villelmus Philbin, ep. Dunensis et Connorensis.

Tum secretarius generalis communicavit exitum suffragationum: primae (n. 1 cap. I), praesentes votantes 2111, *placet* 2094, *non placet* 16, votum nullum 1; secundae (n. 2 cap. I), praesentes votantes 2112, *placet* 2081, *non placet* 30, votum nullum 1; tertiae (n. 3 cap. I), praesentes votantes 2110, *placet* 2051, *non placet* 57, suffragia nulla 2;

quartae (n. 4 cap. I), praesentes votantes 2107, *placet* 2056, *non placet* 50, votum nullum 1.

Post orationem exc.mi P. D. Ioseph Heuschen, ep. tit. Druensis, aux. Leodiensis, secretarius generalis nuntiavit mortem rev.mi P. D. Ioannis Janssens, praep. gen. S.I., et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit *de profundis* cum versiculis et oratione.

Tandem *de divina revelatione* locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Cordeiro, arch. Karachiensis, et Emmanuel del Rosario, ep. Malolosinus.

Moderator intimavit proximam congregationem generalem, sequenti die, hora nona, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,26.

XCV

Congregatio generalis nonagesima quinta habita est die 6 octobris 1964, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2164 Patres, nempe 54 cardinales, 6 patriarchae, 12 primates, 361 archiepiscopi, 1573 episcopi, 11 abbates nullius, 14 praelati nullius, 54 praefecti apostolici, 79 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Hectore Henrico Santos, ep. Tegucigalpensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Spiritus tuus* (Lassus), *Sanctus* (Vittoria), *O salutaris Hostia* (Perosi).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Edmundus Nowicki, ep. Gedanensis, dum Patres cantant *Gloria laus*.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item annuntiavit distributum iri relationem super schema decreti *de apostolatu laicorum,* atque legit nomina eorum, qui loqui petierant quoad schema *de divina revelatione*. Tandem indixit suffragationem circa integrum cap. I schematis *de Oecumenismo,* cuius legit initium et finem.

Exc.mus P. D. Carolus Helmsing, ep. Kansanopolitanus-S. Ioseph, legit relationem super cap. II eiusdem schematis, et secretarius generalis indixit sextam suffragationem *de Oecumenismo* (cap. II).

Ipse, post orationem exc.mi P. D. Armandi Fares, arch. Catacensis et ep. Squillacensis, circa capp. III-IV *de divina revelatione,* indixit suffragationem septimam *de Oecumenismo*.

Dein locuti sunt *de divina revelatione* exc.mi PP. DD. Aloisius Carli, ep. Signinus, et Constantinus Caminada, ep. Ferentinus.

Post indictionem octavae suffragationis *de Oecumenismo,* locutus est *de divina revelatione* exc.mus P. D. Paulus Barrachina Estevan, ep. Oriolensis-Lucentinus.

Secretarius generalis communicavit parochos quosdam invitatum iri ad assistendum congregationibus generalibus, atque indixit nonam suffragationem *de Oecumenismo.*

De divina revelatione locuti sunt exc.mi PP. DD. Aemilianus Čekada, ep. Scopiensis, Hermannus Volk, ep. Moguntinus, Ioannes Ferreira, praef. ap. Guineae Lusitanae, Petrus Boillon, ep. Virodunensis, Carolus Maccari, arch.-ep. Montis regalis in Pedemonte, Christophorus Butler, sup. gen. Congr. Angliae O.S.B.

De eodem schemate locuti sunt, nomine 70 Patrum, exc.mi PP. DD. Eduardus Martínez González, ep. Zamorensis, Hannibal Muñoz Duque, arch. Neopampilonensis, Ioannes Emmanuel Gonzalez Arbeláez, ep. tit. Oxyrynchitanus.

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationum super schema *de Oecumenismo*: quintae, praesentes votantes 2166, *placet* 1926, *non placet* 30, *placet iuxta modum* 209, votum nullum 1; sextae, praesentes votantes 2166, *placet* 2120, *non placet* 46; septimae, praesentes votantes 2168, *placet* 2076, *non placet* 92; octavae, praesentes votantes 2166, *placet* 1872, *non placet* 292, vota nulla 2; nonae, praesentes votantes 2161, *placet* 2099, *non placet* 62.

Dein legit nomina eorum, qui *de apostolatu laicorum* loqui petierant. Em.mus card. Ferdinandus Cento, praeses commissionis, introduxit disceptationem circa illud schema.

Demum, intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,26.

XCVI

Congregatio generalis nonagesima sexta habita est die 7 octobris 1964, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2183 Patres, nempe 51 cardinales, 7 patriarchae, 12 primates, 364 archiepiscopi, 1595 episcopi, 12 abbates nullius, 14 praelati nullius, 52 praefecti apostolici, 76 superiores generales.

Missa de B. M. V. a Rosario celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Aurelio Signora, arch. tit. Nicosiensi et praelato Basilicae B. M. V. a Ss.mo Rosario Pompeiorum. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus

est cantus: *Ave Maria* (Palestrina), *Maria Mater gratiae* (Palestrina), *Ave verum Corpus* (Viadana).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit rev.mus P. D. Anicetus Fernandez, sup. gen. O.P., dum Patres cantant *Magnificat* (modo gregoriano).

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Item annuntiavit distributum iri relationem super schema emendatum propositionum *de sacerdotibus,* atque legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de apostolatu laicorum* in genere. Tandem legit principium et finem cap. II *de Oecumenismo,* de quo suffragatio peragenda erat.

Lectae sunt relationes ab exc.mo P. D. Maximo Hermaniuk, arch. Vinnipegensi Ucrainorum, super cap. II part. I schematis emendati *de Oecumenismo*; et ab exc.mo P. D. Ioanne Heenan, arch. Vestmonasteriensi, super cap. II part. II eiusdem schematis.

Post indictionem decimae primae suffragationis super schema *de Oecumenismo,* exc.mus P. D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, legit relationem super schema decreti *de apostolatu laicorum.*

Dein secretarius generalis legit textum duodecimae suffragationis super schema *de Oecumenismo,* et ad loquendum de schemate *de apostolatu laicorum* in genere, vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici, et Michael Browne; exc.mi PP. DD. Remigius De Roo, ep. Victoriensis, et Paulus Charbonneau, ep. Hullensis.

Tum secretarius generalis indixit decimam tertiam suffragationem super schema *de Oecumenismo,* atque moderator a Patribus quaesivit utrum schema *de apostolatu laicorum* placeret ut basis ulterioris disceptationis. Patres surgendo approbaverunt. Ideoque ad loquendum de eodem schemate vocati sunt exc.mi PP. DD. Paulus Sani, ep. Denpasarensis, Angelus Fernandes, arch. tit. Neopatrassensis, coad. Delhiensis, Leo Duval, arch. Algeriensis.

Postea secretarius generalis communicavit exitum suffragationum *de Oecumenismo*: undecimae (super integrum cap. II), praesentes votantes 2174, *placet* 1573, *non placet* 32, *placet iuxta modum* 564, vota nulla 5; duodecimae, praesentes votantes 2177, *placet* 2154, *non placet* 21, vota nulla 2; decimaetertiae, praesentes votantes 2162, *placet* 2119, *non placet* 39, *placet iuxta modum* (vota nulla) 4; decimaequartae, praesentes votantes 2133, *placet* 2088, *non placet* 43, *placet iuxta modum* (vota nulla) 2.

Tandem locuti sunt *de apostolatu laicorum* exc.mi PP. DD. Maurus

Rubio Repullès, ep. Salmantinus, et Carolus Maccari, arch.-ep. Montis Regalis in Pedemonte.

Indicta proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,28.

XCVII

Congregatio generalis nonagesima septima habita est die 8 octobris 1964, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2165 Patres, nempe 53 cardinales, 6 patriarchae, 12 primates, 366 archiepiscopi, 1571 episcopi, 12 abbates nullius, 14 praelati nullius, 54 praefecti apostolici, 77 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto, ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Ioachim Pedicini, ep. Abellinensi, in XXV anniversario suae consecrationis episcopalis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Emitte Spiritum tuum* (Suriano), *Servite Domino* (Dracarius), *Quid retribuam* (F. Anerio).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Cornelius Chistulo, ep. Dedzaensis.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Dein legit nomina eorum, qui circa schema *de apostolatu laicorum* loqui postulaverant, atque indixit suffragationem super integrum cap. III *de Oecumenismo,* cuius legit initium et finem.

Ad loquendum circa schema *de apostolatu laicorum* vocati sunt exc.mi PP. DD. Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis, Aemilius-Ioseph De Smedt, ep. Brugensis, Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania, Stephanus Barela, ep. Czestichoviensis, Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis, Aloisius Bettazzi, ep. tit. Tagastensis, aux. Bononiensis, Owen McCann, arch. Capetownensis.

Postea secretarius generalis communicavit exitum suffragationis super integrum cap. III decreti *de Oecumenismo*: praesentes votantes 2169, *placet* 1843, *non placet* 24, *placet iuxta modum* 296, vota nulla 6.

Prosecuta est disceptatio et locuti sunt exc.mi PP. DD. Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, Caesar Antonius Mosquera Corral, arch. Guayaquilensis, Antonius Caillot, ep. Ebroicensis, Stephanus Leven, ep. tit. Buritanus, aux. S. Antonii, Gerardus De Vet, ep. Bredanensis, Villelmus Conway, arch. Armachanus, Albertus De Vito, ep.

Lucknovensis, Henricus Tenhumberg, ep. tit. Tuburnicanus, aux. Monasteriensis, Petrus Canisius van Lierde, ep. tit. Porphyriensis, Vincentius Enrique y Tarancon, arch. Ovetensis, Petrus Veuillot, arch. tit. Constantiensis in Thracia, coad. Parisiensis.

Tandem moderator intimavit proximam congregationem generalem, sequenti die, hora nona, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,21.

XCVIII

Congregatio generalis nonagesima octava habita est die 9 octobris 1964, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2070 Patres, nempe 54 cardinales, 6 patriarchae, 12 primates, 341 archiepiscopi, 1512 episcopi, 13 abbates nullius, 13 praelati nullius, 51 praefecti apostolici, 68 superiores generales.

Missa iuxta ritum chaldaeum celebrata est ab exc.mo P. D. Zaya Dachtou, arch. Urmiensi. Chorus alumnorum Collegii Urbaniani de Propaganda Fide exsecutus est cantus.

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Stephanus Bello, ep. Aleppensis Chaldaeorum.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Dein legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de apostolatu laicorum*.

Ad loquendum de eodem schemate vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Antonius Caggiano, arch. Bonaerensis, Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaensis, Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, exc.mi PP. DD. Dionysius Hurley, arch. Durbanianus, Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis, Aloisius Barbero, ep. Viglevanensis, Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis, Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis, Bernardus Cazzaro, ep. tit. Pyrgensis, vic. ap. Aysenensis, Alexander Carter, ep. S. Mariae Ormensis, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis, Ludovicus Rastouil, ep. Lemovicensis, rev.mus Hilarius Capucci, sup. gen. Ord. Bas. Aleppensis Melchitarum; exc.mi Ignatius de Orbegozo y Goicoechea, prael. null. Yauyosensis, Antonius Quarracino, ep. S. Dominici novem Iulii, Eduardus Pironio, ep. tit. Caeciritanus, aux. Platensis, Stephanus László, ep. Sideropolitanus, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis, Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus-S. Mariae Leucadensis.

Intimata proxima congregatione generali, feria II, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,30.

XCIX

Congregatio generalis nonogesima nona habita est die 12 octobris 1964, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2066 Patres, nempe 51 cardinales, 7 patriarchae, 10 primates, 336 archiepiscopi, 1504 episcopi, 13 abbates nullius, 12 praelati nullius, 53 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Antonio Ferreira de Macedo, arch. tit. Gangrensi, coad. Appariciopolitano. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Confirma hoc* (Bartolucci), *Sanctus* (gregoriano ord. XIII), *Ave verum Corpus* (Bartolucci).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Vitus Aloisius Bentivoglio, arch. Catanensis, dum chorus et Patres cantant hymnum *Gloria laus.*

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Extra omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Petri Gregorii Agagianian. Item communicavit mortem exc.morum PP. DD. Ioannis Treacy, ep. Crossensis, et Michaelis Ioseph Rodrigues, ep. Belgaumensis.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces recitavit *de profundis* cum versiculis et oratione.

Postquam secretarius generalis legerat nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de apostolatu laicorum,* ad loquendum vocati sunt em.mus P. D. card. Achilles Liénart, ep. Insulensis; exc.mi PP. DD. Villelmus Pluta, ep. tit. Tremithusius, aux. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Alexander Renard, ep. Versaliensis, Emmanuel Llopis Ivorra, ep. Cauriensis-Castrorum Caeciliorum, Villelmus Power, ep. Antigonicensis, Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis, Emmanuel Larráin Errázuriz, ep. Talcensis, Stephanus Bäuerlein, ep. Diacovensis-Sirmiensis, Henricus Donze, ep. Tutelensis, Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis, Paulus Cheng, ep. tit. Ucculensis, aux. Taipehensis, Aloisius Civardi, ep. tit. Thespiensis, Ludovicus Alonso Muñoyerro, arch. tit. Sionensis, Andreas Fougerat, ep. Gratianopolitanus, Henricus Nicodemo, arch. Barensis.

Tandem, post suffragationem per erectionem personae, moderator finem imposuit disceptationi circa schema *de apostolatu laicorum.*

Secretarius generalis communicavit mortem exc.mi P. D. Alfonsi Verwimp, ep. tit. Gibbensis, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit *de profundis* cum versiculis et oratione.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,13.

C

Congregatio generalis centesima habita est die 13 octobris 1964, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2159 Patres, nempe 58 cardinales, 6 patriarchae, 12 primates, 360 archiepiscopi, 1558 episcopi, 13 abbates nullius, 14 praelati nullius, 54 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto, ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Eduardo Mason, ep. tit. Rusicadensi, vic. ap. de El Obeid. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Confirma hoc* (Gallus), *In quacumque die* (Lassus), *Domine non sum dignus* (Vittoria); *Adoro te devote* (omnes Patres simul).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Ioannes Gunnarson, ep. tit. Holarensis, vic. ap. Islandiae, dum Patres cantant ant. *Christus vincit* cum ps. *Laudate Dominum.*

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Petri Gregorii Agagianian. Salutavit parochos, qui prima vice aderant; annuntiavit distributum iri relationem super schema *de Ecclesiis orientalibus,* atque legit elenchum eorum, qui loqui petierant circa schema *de apostolatu laicorum,* nomine 70 Patrum, et circa schema *de vita et ministerio sacerdotali.*

Tunc *de apostolatu laicorum* locuti sunt exc.mi PP. DD. Aemilius Guerry, arch. Cameracensis, Sanctes Quadri, ep. tit. Villanovensis, aux. Pinerolensis, Elias Zoghby, arch. tit. Nubiensis.

Post orationem clar.mi D. Patricii Keegan, exc.mus P. D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, conclusit disceptationem circa schema *de apostolatu laicorum.*

Dein exc.mus P. D. Franciscus Marty, arch. Remensis, legit relationem super schema *de vita et ministerio sacerdotali,* et ad loquendum de eodem schemate vocati sunt em.mus P. D. Albertus Mayer, arch. Chicagiensis, exc.mi PP. DD. Petrus Théas, ep. Tarbiensis et Lourdensis, Iulius Rosales, arch. Caebuanus, Ioseph Bartholomaeus Evan-

gelisti, arch.-ep. Meerutensis, Antonius Añoveros Ataún, ep. Gadicensis et Septensis, Armandus Fares, arch. Catacensis et ep. Squillacensis, Franciscus Ayoub, arch. Aleppensis Maronitarum, Ioseph Hiltl, ep. tit. Constantiniensis, aux. Ratisbonensis, Iacobus Komba, ep. tit. Tignicensis, Leonardus Rodriguez Ballòn, arch. Arequipensis, Ioannes Perris, arch. Naxiensis et Tinensis, Ioannes Donovan, ep. tit. Rasensis, aux. Detroitensis, Guidus Casullo, ep. tit. Uticensis, Franciscus Kuharic, ep. tit. Metensis, aux. Zagrabiensis.

Tandem moderator intimavit proximam congregationem generalem, sequenti die, hora nona, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit et congregatio finita est hora 12,33.

CI

Congregatio generalis centesima prima habita est die 14 octobris 1964, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2120 Patres, nempe 56 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 362 archiepiscopi, 1529 episcopi, 12 abbates nullius, 13 praelati nullius, 52 praefecti apostolici, 79 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Vincentio Brizgys, ep. tit. Bosanensi, aux. Kaunensi. Chorus sacerdotum et alumnorum Ord. Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. exsecutus est cantus gregorianos: *Ad regias Agni dapes, Sanctus, Iesu dulcis memoria, Salvete Christi vulnera.*

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Michael Gonzi, arch. Melevitanus, dum Chorus et Patres cantant *Laudate dominum omnes gentes* cum ant. *Lauda Ierusalem Dominum.*

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Petri Gregorii Agagianian. Dein annuntiavit distributum iri relationem super textum emendatum schematis propositionum *de institutione sacerdotali,* necnon libellum continentem nomina commissionum conciliarium. Item illustravit ordinem suffragationum circa easdem propositiones, et legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de vita et ministerio sacerdotali.*

Ad loquendum vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Fernandus Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus, exc.mi PP. DD. Ioseph Bank, ep. tit. Materianensis, aux. Jaurinensis,

Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis, Antonius Ferreira de Macedo, ep. tit. Attudensis, aux. Apparitiopolitanus, Ludovicus Sanchez Moreno Lira, ep. tit. Nilopolitanus, aux. Chiclayensis, Paulus Latusek, ep. tit. Aninetensis, aux. Vratislaviensis, Fernandus Gomes dos Santos, arch. Goianiensis, Emmanuel Pereira, ep. tit. Praenetiensis, aux. Conimbricensis, Casimirus Kowalski, ep. Culmensis, Demetrius Mansilla Reoyo, ep. Civitatensis, Victor Garaygordobil, ep. tit. Pudentianensis, Edmundus Nowicki, ep. Gedanensis, Aemilianus Čekada, ep. Scopiensis, Marcellus Gonzalez Martin, ep. Asturicensis, Leonidas Proaño Villalba, ep. Rivibambensis, Ernestus Corripio Ahumada, ep. Tampicensis, Laureanus Castàn Lacoma, ep. Seguntinus-Guadalajarensis.

Tandem moderator intimavit proximam congregationem, sequenti die, hora nona, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,28.

CII

Congregatio generalis centesima secunda habita est die 15 octobris 1964, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2131 Patres, nempe 51 cardinales, 7 patriarchae, 12 primates, 362 archiepiscopi, 1544 episcopi, 11 abbates nullius, 13 praelati nullius, 56 praefecti apostolici, 75 superiores generales.

Missa de festo S. Theresiae celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Sancte Moro Briz, ep. Abulensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *O felix anima* (Carissimi), *Domine ante te* (Bartolucci), *O salutaris Hostia* (Bartolucci).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, dum Patres et Chorus cantant *Christus vincit* cum ps. 116.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Petri Gregorii Agagianian. Dein monuit Patres de restringendo numero petitionum ad assistendum S. Missae Concilii et congregationibus generalibus. Tandem legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de vita et ministerio sacerdotali.*

Ad loquendum vocati sunt em.mus P. D. card. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis; exc.mi PP. DD. Ioseph Köstner, ep. Gurcensis, Henricus Jenny, ep. tit. Lycaonensis, aux. Cameracensis, Gregorius Modrego y Casáus, arch. Barcinonensis, Ioannes Gugić, ep. tit. Bonu-

stensis, aux. Ragusinus, Victor Sartre, arch. tit. Beroensis, Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis.

Moderator proposuit ut finis imponeretur disceptationi circa schema *de vita et ministerio sacerdotali.* Permulti Patres surrexerunt ideoque conclusa est disceptatio circa illud schema.

Tum secretarius generalis legit nomina Patrum, qui loqui petierant circa schema *de Ecclesiis orientalibus,* et proclamavit nomen moderatoris, em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis.

Circa schema *de vita et ministerio sacerdotali,* adhuc locutus est, nomine 70 Patrum, em.mus P. D. card. Ioseph Lefèbvre, arch. Bituricensis. Postea exc.mus P. D. Franciscus Marty, arch. Remensis, disceptationem conclusit.

Em.mus P. D. card. Ioannes Hamletus Cicognani, praeses commissionis de Ecclesiis orientalibus, introduxit disceptationem circa schema *de Ecclesiis orientalibus,* de quo exc.mus P. D. Gabriel Bukatko, arch. Beogradensis, relationem legit.

Ad loquendum vocati sunt em.mus P. D. card. Franciscus König, arch. Vindobonensis; beat.mi PP. DD. Stephanus Sidarouss, patr. Alexandrinus Coptorum, et Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Alexandriae.

Intimata proxima congregatione, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,26.

CIII

Congregatio generalis centesima tertia habita est die 16 octobris 1964, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2092 Patres, nempe 55 cardinales, 7 patriarchae, 12 primates, 348 archiepiscopi, 1510 episcopi, 11 abbates nullius, 14 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Missa iuxta ritum byzantinum Melchitarum celebrata est ab exc.mo P. D. Georgio Hakim, ep. Ptolemaidensi. Chorus alumnorum Pontificii Collegii Graecorum in Urbe exsecutus est cantus.

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Paulus Achkam, arch. Laodicensis Melchitarum.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis. Dein annuntiavit distributum iri *Instructionem ad exsecutionem constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam; relationem*

super schema de Ecclesia in mundo huius temporis; textum emendatum cap. VII schematis de Ecclesia eiusque relationem.

Item legit *Notificationem* circa schemata ad articulos redacta, atque Patres monuit de canonizatione Martyrum Ugandensium, sequenti die dominica habenda.

Tandem legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de Ecclesiis orientalibus,* et annuntiavit duas suffragationes sequenti feria II peragendas; 1) praeliminarem super schema *de sacerdotibus;* 2) super cap. VII schematis *de Ecclesia.*

Tunc ad loquendum *de Ecclesiis orientalibus* vocati sunt em.mus P. D. Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii et beat.mus P. D. Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum.

Postea secretarius generalis notum fecit kalendarium priorum dierum mensis novembris, et subsecretarius exc.mus P. D. Ioannes Villot, arch. tit. Bosporanus, coad. c. i. s. Lugdunensis, legit supra dictam *Notificationem* lingua gallica.

Post orationem beat.mi P. D. Ignatii Petri Batanian, patr. Ciliciae Armenorum, subsecretarius exc.mus P. D. Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum, *Notificationem* legit lingua anglica.

Dein circa schema *de Ecclesiis orientalibus* locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Slipyj, arch. Leopoliensis, et Isaac Gatthas, arch.-ep. Thebanus; atque subsecretarius exc.mus P. D. Villelmus Kempf, ep. Limburgensis, *Notificationem* legit lingua germanica.

Tunc ad loquendum vocatus est exc.mus P. D. Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia; atque subsecretarius exc.mus P. D. Casimirus Morcillo Gonzales, arch. Matritensis, *Notificationem* legit lingua hispanica.

Post orationem exc.mi P. D. Eliae Zoghby, ep. tit. Nubiensis, subsecretarius exc.mus P. D. Philippus Nabaa, arch. Berytensis et Gibailensis Melchitarum, *Notificationem* legit lingua arabica.

Tandem circa schema *de Ecclesiis orientalibus* locuti sunt exc.mi PP. DD. Michael Doumith, ep. Sarbensis Maronitarum, Basilius Cristea, ep. tit. Lebedensis, Ioseph Stangl, ep. Herbipolensis.

Intimata proxima congregatione generali, feria II, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,12.

CIV

Congregatio generalis centesima quarta habita est die 19 octobris 1964, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2142 Patres,

nempe 55 cardinales, 7 patriarchae, 12 primates, 354 archiepiscopi, 1542 episcopi, 13 abbates nullius, 14 praelati nullius, 57 praefecti apostolici, 88 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto, ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Spiritus Paraclitus* (O. Lassus), *Sanctus* (Gallus), *Ubi caritas et amor* (cantu gregoriano alternatim cum Patribus), *O sacrum convivium* (Viadana).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Petrus Sabuto Hirata, ep. Oitaensis, dum chorus et Patres cantant hymnum *Gloria laus.*

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis. Item commendavit precibus Patrum exc.mum P. D. Ioseph Petrum Gagnor, ep. Alexandrinum Statiellorum, letali morbo correptum. Praeterea annuntiavit distributum iri, typis editum, *Notificationem,* quae praecedenti feria sexta facta fuerat circa suffragationem schematum ad propositiones redactorum, necnon *relationes super emendationes cap. VII schematis de Ecclesia, et super schema declarationis de educatione christiana.*

Lecto elencho eorum, qui loqui petierant circa schema *de Ecclesiis orientalibus,* indixit suffragationem praeliminarem circa schema *de vita et ministerio sacerdotali.*

Em.mus P. D. card. Rufinus Santos, arch. Manilensis, legit relationem super emendationes cap. VII schematis constitutionis *de Ecclesia.*

Post orationem em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, circa schema *de Ecclesiis orientalibus,* secretarius generalis indixit primam suffragationem (n. 48) super cap. VII *de Ecclesia.*

Dein locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Tawil, arch. tit. Myrensis, et Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus.

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationis praeliminaris quoad schema *de sacerdotibus*: praesentes votantes 2135, *placet* 930, *non placet* 1199, *placet iuxta modum* (vota nulla) 2, vota nulla 4; atque indixit suffragationem secundam super cap. VII *de Ecclesia.*

Post orationem rev.mi P. D. Ioannis Hoeck, sup. gen. Congr. Bavaricae O.S.B., secretarius generalis communicavit exitum primae suffragationis super cap. VII *de Ecclesia*: praesentes votantes 2135, *placet* 2099, *non placet* 20, *placet iuxta modum* (vota nulla) 16; atque indixit tertiam suffragationem super idem caput.

Finita oratione exc.mi P. D. Raphaelis Bayan, ep. Alexandrini Armenorum, indicta est quarta suffragatio super cap. VII *de Ecclesia.*

Prosecuta est disceptatio circa schema *de Ecclesiis orientalibus* et locuti sunt exc.mi PP. DD. Victorius M. Costantini, ep. Suessanus, Antonius Gregorius Vuccino, arch. tit. Aprensis, Neophitus Edelby, arch. Edessenus in Osrhoene Melchitarum, Geraldus McDevitt, ep. tit. Tigiensis, aux. Philadelphiensis Latinorum, Stephanus Kocisko, ep. Passaicensis, Franciscus Ayoub, arch. Aleppensis Maronitarum, Petrus Sfair, arch. tit. Nisibenus Maronitarum.

Dein secretarius generalis communicavit exitum suffragationum circa cap. VII *de Ecclesia*: secundae, praesentes votantes 2132, *placet* 2121, *non placet* 8, vota nulla 3; tertiae, praesentes votantes 2121, *placet* 2104, *non placet* 8, *placet iuxta modum* (vota nulla) 9; quartae, praesentes votantes 2077, *placet* 2067, *non placet* 8, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, votum nullum 1.

Post orationes exc.morum PP. DD. Ceslai Sipović, ep. tit. Mariammitani, et Raphaelis Bidawid, ep. Amadiensis, moderator a Patribus petiit utrum ipsis placeret ut finis imponeretur disceptationi super schema *de Ecclesiis orientalibus.* Fere omnes Patres surgendo consenserunt.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,29.

CV

Congregatio generalis centesima quinta habita est die 20 octobris 1964, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2191 Patres, nempe 57 cardinales, 7 patriarchae, 13 primates, 367 archiepiscopi, 1577 episcopi, 12 abbates nullius, 15 praelati nullius, 56 praefecti apostolici, 87 superiores generales.

Missa de festo S. Ioannis Cantii celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Carolo Wojtyla, arch. Cracoviensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Iustitia indutus sum* (gregoriano), *Domine, ante te* (Bartolucci), *Adoro te devote* (gregoriano cum Patribus), *Ecce Panis Angelorum* (Bartolucci).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Michael Arattukulam, ep. Aleppeyensis, dum chorus et Patres cantant *Christus vincit* cum ps. 116.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimato *Extra omnes,* proclamavit nomen mode-

ratoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, atque legit elenchum eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de Ecclesiis orientalibus,* nomine 70 Patrum, et circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Dein legit initium et finem cap. VII schematis *de Ecclesia,* de quo suffragatio peragenda erat.

Ad loquendum *de Ecclesiis orientalibus* vocati sunt exc.mi PP. DD. Georgius Hakim, ep. Ptolemaidensis, Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii, Dominicus Athaide, arch. Agraensis.

Post orationem conclusivam exc.mi P. D. Gabrielis Bukatko, arch. Belogradensis, secretarius generalis illustravit ordinem disceptationis circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* et communicavit exitum suffragationis super integrum cap. VII *de Ecclesia*: praesentes votantes 2184, *placet* 1921, *non placet* 29, *placet iuxta modum* 233, votum nullum 1.

Tunc em.mus P. D. card. Ferdinandus Cento, praeses commissionis, introduxit disceptationem circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* et exc.mus P. D. Aemilius Guano, ep. Liburnensis, legit relationem circa idem schema.

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationis praeliminaris circa schema *de Ecclesiis orientalibus*: praesentes votantes 2180, *placet* 1911, *non placet* 265, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, vota nulla 3.

Ad loquendum circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis, Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis, Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus, Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, Albertus Meyer, arch. Chicagiensis, Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile.

Moderator intimavit proximam congregationem generalem, sequenti die, hora nona, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit et congregatio finita est hora 12,26.

CVI

Congregatio generalis centesima sexta habita est die 21 octobris 1964, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2173 Patres, nempe 59 cardinales, 7 patriarchae, 13 primates, 358 archiepiscopi, 1568 episcopi, 13 abbates nullius, 14 praelati nullius, 54 praefecti apostolici, 87 superiores generales.

Missa celebrata est, iuxta ritum byzantinum-romenum, ab exc.mo P. D. Basilio Cristea, ep. tit. Lebediensi. Concelebraverunt cum ipso revv. DD. Georgius Cosma, Carolus Capros, Pamphilus Carnatiu, Feresius Ilea et, uti diaconus, Basilius Zapartan, qui repraesentabant quinque dioeceses Ecclesiae Catholicae ritus Byzantini, quae in Romania a. 1948 deleta fuit, et quinque eiusdem Ecclesiae episcopos, qui in carcere defuncti sunt. Pueri cantores Cappellae Iuliae cantus exsecuti sunt.

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Stephanus Kociski, ep. Passaicensis, dum chorus Cappellae Iuliae cantat hymnum *Regem omnium.*

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item annuntiavit distributum iri *relationem* super schema propositionum *de activitate missionali Ecclesiae,* et legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Dein indixit primam suffragationem super schema *de Ecclesiis orientalibus.*

Tunc ad loquendum circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* vocatus est em.mus P. D. Ioannes card. Landàzuri Ricketts, arch. Limanus.

Postea secretarius generalis indixit secundam suffragationem super schema *de Ecclesiis orientalibus.*

Finita oratione em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, secretarius generalis indixit tertiam suffragationem super schema *de Ecclesiis orientalibus* et, post orationem em.mi P. D. card. Augustini Bea, communicavit exitum primae suffragationis: praesentes votantes 2176, *placet* 1790, *non placet* 119, *placet iuxta modum* 265, vota nulla 2; atque indixit quartam suffragationem.

Dein *de Ecclesia in mundo huius temporis* locutus est beat.mus P. D. Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum, et secretarius generalis communicavit exitum secundae suffragationis *de Ecclesiis orientalibus*: praesentes votantes 2170, *placet* 1373, *non placet* 73, *placet iuxta modum* 719, vota nulla 5; atque indixit quintam suffragationem.

Prosecuta est disceptatio et locuti sunt exc.mi PP. DD. Alphonsus Mathias, ep. Chikmagalurensis, Ioseph Vairo, ep. Gravinensis et Montis Pelusii, Casimirus Morcillo Gonzalez, arch. Matritensis-Complutensis, Villelmus Conway, arch. Armachanus.

Inde secretarius generalis communicavit exitum suffragationum *de Ecclesiis orientalibus*: tertiae, praesentes votantes 2172, *placet* 2005,

non placet 31, *placet iuxta modum* 136; quartae, praesentes votantes 2167, *placet* 1790, *non placet* 183, *placet iuxta modum* 186, vota nulla 8; quintae, praesentes votantes 2146, *placet* 1920, *non placet* 103, *placet iuxta modum* 118, vota nulla 5.

Tandem *de Ecclesia in mundo huius temporis* locuti sunt exc.mi PP. DD. Leo Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus, coad. Argentinensis, Elias Zoghby, arch. tit. Nubiensis, Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum, Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,27.

CVII

Congregatio generalis centesima septima habita est die 22 octobris 1964, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2159 Patres, nempe 52 cardinales, 7 patriarchae, 13 primates, 352 archiepiscopi, 1569 episcopi, 13 abbates nullius, 15 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 83 superiores generales.

Missa votiva pro Ecclesiae unitate celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Benedicto Printesis, arch. Atheniensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *In omnem terram* (F. Anerio), *Domine quis habitabit* (A. Draconius), *Adoro te* (gregoriano, una cum Patribus), *Quid retribuam Domino* (F. Anerio).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Ioannes Taylor, ep. Holmiae, dum Patres cantant *Credo* III.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item annuntiavit distributum iri numisma celebrativum tertiae periodi Concilii, et legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* necnon textum suffragationis sextae super schema *de Ecclesiis orientalibus.*

Post orationem exc.mi P. D. Ioannis Heenan, arch. Vestmonasteriensis, circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* secretarius generalis indixit septimam suffragationem *de Ecclesiis orientalibus.* Deinde locuti sunt exc.mi PP. DD. Mauritius Roy, arch. Quebecensis; Ioseph Stimpfle, ep. Augustanus Vindelicorum, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis, Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis, Paulus Muñoz Vega, ep. tit. Ceramensis, coad. Quitensis, Antonius

de Castro Mayer, ep. Camposinus, Dionysius Hurley, arch. Durbanianus, Andreas Hamvas, arch. Colocensis.

Tum secretarius generalis communicavit exitum suffragationum *de Ecclesiis orientalibus*: sextae, praesentes votantes 2157, *placet* 2104, *non placet* 22, *placet iuxta modum* 27, vota nulla 4; septimae, praesentes votantes 2154, *placet* 1841, *non placet* 111, *placet iuxta modum* 195, vota nulla 7.

Tandem circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* locuti sunt exc.mi PP. DD. Andreas Charue, ep. Namurcensis, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis, rev.mus Anicetus Fernandez, mag. gen. O.P., Stephanus Duval, arch. Algeriensis, Georgius Beck, arch. Liverpolitanus; Raphael Barbieri, ep. Cassanensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,31.

CVIII

Congregatio generalis centesima octava habita est die 23 octobris 1964, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2077 Patres, nempe 48 cardinales, 7 patriarchae, 12 primates, 335 archiepiscopi, 1516 episcopi, 13 abbates nullius, 15 praelati nullius, 53 praefecti apostolici, 78 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Luca Augusto Sangaré, arch. Bamakoensi. Chorus Collegii S. Anselmi in Urbe exsecutus est cantus gregorianos: *Veni Sancte Spiritus, Sanctus, Agnus Dei, Factum est repente.*

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Nicolaus Elko, ep. Pittsburgensis Ruthenorum.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item annuntiavit distributum iri *relationem* super schema propositionum *de religiosis* et *Appendicem* ad idem schema. Insuper legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* atque communicavit tertiam Concilii periodum finitum iri die 21 novembris. Denique invitavit parochos, hospites Concilii, ut feria II proxima, hora 16,30 in domum S. Marthae convenirent.

Tunc ad loquendum *de Ecclesia in mundo huius temporis* vocati sunt exc.mi PP. DD. Raimundus Tchidimbo, arch. Konakriensis, Fran-

ciscus von Streng, ep. Basileensis et Luganensis, Benedictus Reetz, sup. gen. Congr. Beuronensis O.S.B., Paulus Yüpin, arch. Nanchimensis, Raphael Gonzalez Moralejo, ep. tit. Dardanensis, aux. Valentinus, Villelmus Bolatti, arch. Rosariensis, Iustinus Darmajawana, arch. Semarangensis.

Post eorum orationes, moderator quaesivit utrum placeret Patribus ut discussio de schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* in genere concluderetur. Responsio fuit affirmativa ac proinde proposita est suffragatio utrum placeret ut illud schema esset basis ad ulteriorem disceptationem.

Interim exc.mus P. D. Aemilius Guano, ep. Liburnensis, legit relationem circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* atque incepta est disceptatio circa prooemium et cap. I.

Secretarius generalis legit nomina eorum, qui loqui petierant, et ad loquendum vocati sunt exc.mi PP. DD. Paulus Gouyon, arch. Rhedonensis, Paulus Ioseph Schmitt, ep. Metensis, Felix Romero Menjibar, ep. Giennensis, Gerardus De Vet, ep. Bredanus, Emmanuel Del Rosario, arch. Zamboangensis.

Tunc secretarius generalis proclamavit exitum suffragationis praeliminaris circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*: praesentes votantes 1876, *placet* 1579, *non placet* 296, votum nullum 1.

Tandem circa prooemium et cap. I illius schematis locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Schoiswohl, ep. Graecensis-Seccoviensis, et Secundus Garcia de Sierra y Mendez, arch. Burgensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti feria II, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,30.

CIX

Congregatio generalis centesima nona habita est die 26 octobris 1964, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2007 Patres, nempe 54 cardinales, 7 patriarchae, 13 primates, 326 archiepiscopi, 1447 episcopi, 12 abbates nullius, 15 praelati nullius, 52 praefecti apostolici, 81 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto, ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Custodio Alvim Pereira, arch. de Laurenço Marques. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Veni Sancte Spiritus* (gregoriano), *Pange Lingua* (Bartolucci), *Ubi caritas* (gregoriano), *O Salutaris Hostia* (Bartolucci).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Balthasar Alvarez Restrepo, ep. Pereiranus.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Item in memoriam Patrum revocavit anniversarium electionis Summi Pontificis Ioannis XXIII, necnon XXV anniversarium ordinationis sacerdotalis em.mi moderatoris P. D. card. Iulii Döpfner. Tandem legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* prooemium et cap. I; et cap. II-III.

Ad loquendum de prooemio et cap. I vocati sunt em.mus P. D. Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus; exc.mi PP. DD. Ioannes Pietraszko, ep. tit. Turreblandensis, aux. Cracoviensis, Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B., Ioseph Guerra Campos, ep. tit. Muziensis, aux. Matritensis-Complutensis, Ioseph Pogacnik, arch. Labacensis, Henricus Tenhumberg, ep. tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis, Remigius De Roo, ep. Victoriensis in ins. Vancouver, Sanctes Quadri, ep. tit. Villanovensis, aux. Pinerolensis, Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, Alafridus Ancel, ep. tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis, Ludovicus La Ravoire Morrow, ep. Krishnagarensis, Antonius Hacault, ep. tit. Mediensis, aux. S. Bonifatii, Petrus Čule, ep. Mandretiensis, Franciscus Marty, arch. Remensis, Otto Spülbeck, ep. Misnensis, Michael Klepacz, ep. Lodzensis, Henricus Golland Trindade, arch. Botucatuensis, Renatus Fourrey, ep. Bellevicensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,13.

CX

Congregatio generalis centesima decima habita est die 27 octobris 1964, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2042 Patres, nempe 50 cardinales, 6 patriarchae, 13 primates, 328 archiepiscopi, 1494 episcopi, 12 abbates nullius, 13 praelati nullius, 50 praefecti apostolici, 76 superiores generales.

Missa, iuxta ritum Ecclesiae Antiochenae Maronitarum, concelebrata est ab exc.mo P. D. Antonio Obed, arch. Tripolitano, et a rev.mis DD. Michael Hokayem et A. Chenin. Munere diaconi fungebatur D. Ioseph Khoury. Cantus exsecuti sunt alumni maronitae O.S.B. et S. Antonii Romae degentes.

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, dum chorus cantat hymnum regium.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Item annuntiavit distributum iri *textum emendatum cap. VIII schematis constitutionis de Ecclesia et relationes.* Dein legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* cap. II-III et postea cap. IV.

Ad loquendum de capp. II-III vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Antonius Caggiano, arch. Bonaerensis, Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile; beat.mus P. D. Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum; exc.mi PP. DD. Hadrianus Gand, ep. tit. Macrianensis minoris, coad. Insulensis, Elias Zoghby, arch. tit. Nubiensis, Carolus Himmer, ep. Tornacensis, Ioseph Garneri, ep. Segusiensis, Sigfridus Kowalski, ep. tit. Assensis, aux. Ulmensis, Franciscus Kuharic, ep. tit. Metensis, aux. Zagrabiensis, Hermannus Volk, ep. Moguntinus, Villelmus Cleven, ep. tit. Sasimensis, aux. Coloniensis, Henricus Nicodemo, arch. Barensis, Mauritius Pourchet, ep. S. Flori, Aurelius Sorrentino, ep. Bovensis, Sergius Mendez Arceo, ep. Cuernavacensis, Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,27.

CXI

Congregatio generalis centesima undecima habita est die 28 octobris 1964, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2078 Patres, nempe 53 cardinales, 6 patriarchae, 13 primates, 336 archiepiscopi, 1518 episcopi, 11 abbates nullius, 15 praelati nullius, 51 praefecti apostolici, 75 superiores generales.

Missa festi Ss. Simonis et Iudae, in memoria electionis Papae Ioannis XXIII ad Summum Pontificem, concelebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Pericle Felici, arch. tit. Samosatensi, Ss. Concilii secretario generali, in die anniversario suae ordinationis sacerdotalis et suae consecrationis episcopalis, cum duodecim parochis, Gaetano Angigella (romano), Caesario Barrosa (hispano), Henrico Beex (neerlandensi), Ioseph Boey (belga), Thoma Falls (St. Foed. Am. Sept.), Ioanne Gay (gallo), Ioseph Guedes (brasiliano), Carolo Le Jeune (ghanaensi), Lau-

reano Martinez (mexicano), Ioseph Maurer (germano), Thoma Nahara (iaponiensi) et Ioanne Therrien (canadensi). Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Te gloriosus apostolorum chorus* (Asola), *O memoriale* (Bartolucci), *Adoro te* (gregoriano), *Panis Angelicus* (Bartolucci).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Aloisius Rosa, ep. Balneoregiensis, dum cantatur ant. *Hoc est praeceptum meum* (gregoriano) cum ps. 116 *Laudate Dominum omnes gentes.*

Secretarius generalis intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Petri Gregorii Agagianian. Item monuit distributum iri fasciculum continentem *modos* circa cap. I schematis *de Ecclesia,* atque praeannuntiavit suffragationes super cap. VIII *de Ecclesia,* necnon super modos cap. I eiusdem schematis. Dein legit nomina eorum, qui loqui petierant circa cap. IV schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* in genere et de nn. 19-20, et postea de n. 21 in specie.

Moderator Patres monuit ut circa cap. IV scripto traderent ea, quae erroneis interpretationibus ansam praebere possent.

Post relationem exc.mi P. D. Ioannis Wright, ep. Pittsburgensis Latinorum, circa cap. IV locuti sunt exc.mi PP. DD. Marcellus Gonzalez Martin, ep. Asturicensis, et Isaac Ghattas, arch. ep. Thebanus.

De nn. 19-20 locuti sunt em.mus P. D. card. Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici; exc.mi PP. DD. Dominicus Athaide, arch. Agraensis, Georgius Béjot, ep. tit. Cassandiensis, aux. Remensis; Andreas Grutka, ep. Gariensis, Duraisamy Simon Lourduswamy, ep. tit. Sozusaensis, aux. Bangalorensis, Paulus Barrachina Estevan, ep. Oriolensis-Lucentinus, Patricius O'Boyle, arch. Vashingtonensis, Gerardus M. Coderre, ep. S. Ioannis Quebecensis, Stephanus Bäuerlein, ep. Diacovensis, Eduardus Schick, ep. tit. Araditanus, aux. Fuldensis, Petrus de la Chanonie, ep. Claramontanus, Ioseph Malula, arch. Leopoldpolitanus.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,27.

CXII

Congregatio generalis centesima duodecima habita est die 29 octobris 1964, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2094 Patres, nempe 53 cardinales, 7 patriarchae, 13 primates, 340 archiepiscopi,

1522 episcopi, 12 abbates nullius, 15 praelati nullius, 52 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto, ritu romano, concelebrata est ab em.mo card. Iulio Döpfner, arch. Monacensi et Frisingensi, in XXV anniversario suae ordinationis sacerdotalis, cum exc.mis PP. DD. Antonio Riberi, nuntio apostolico in Hispania, Martino O'Gara, ep. Iuenlimensi in XXX anniversario suae consecrationis episcopalis; Ioseph Kiwanuka P.A., arch. Rubagaensi, Urbano Morlion P.A., ep. Balduinopolitano, Henrico Mekkelholt, S.C.I., ep. tit. Dausarensi, Thoma Agniswami S.I., ep. Kottarensi, Ludovico La Ravoire Morrow S.D.B., ep. Krishnagarensi, Blasio Kurz O.F.M., ep. tit. Terenuthitano, Francisco Cialeo O.P., ep. Lyallpurensi, in anniversario consecrationis a Pio XII peractae in Basilica Vaticana die 29 octobris 1939; Alexandro Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensi in XXV anniversario suae consecrationis episcopalis; Emmanuele Lopez Estrada, arch. Jalapensi et Carolo Borge y Castrillo, ep. tit. Lappensi, aux. Managuensi in L anniversario suae ordinationis sacerdotalis. Chorus Collegii Germanici-Hungarici exsecutus est cantus in gregoriano: *Introitus, Gradualis, Sanctus, Agnus Dei, Ubi caritas et amor, Communio.*

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Antonius Corso, ep. tit. Moglenensis, adm. ap. Montisvidei, dum chorus cantat ant. *Regnum eius sempiternum* (3 e II Vesp. festi Christi Regis) cum psalmo.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Extra omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Petri Gregorii Agagianian. Item annuntiavit distributum iri fasciculum continentem *modos* super cap. II schematis *de Ecclesia* et legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* de nn. 19-20, dein de n. 21.

Post relationem exc.mi P. D. Mauritii Roy, arch. Quebecensis, super emendationes cap. VIII *de Ecclesia,* secretarius generalis legit initium et finem illius capitis, de quo facta est suffragatio.

Ad loquendum de nn. 19-20 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* vocati sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Stimpfle, ep. Augustanus Vindelicorum, Sanctes Quadri, ep. tit. Villanovensis, aux. Pinerolensis, Augustinus Frotz, ep. tit. Coradensis, aux. Coloniensis, Aegidius Barthe, ep. Foroiuliensis-Tolonensis.

Dein de n. 25 eiusdem schematis locutus est em.mus P. D. Mauritius Feltin, ex Urbe profecturus.

Postea secretarius generalis proclamavit exitum suffragationis super

cap. VIII *de Ecclesia*: praesentes votantes 2091, *placet* 1559, *non placet* 10, *placet iuxta modum* 521, votum nullum 1.

Prosecuta est disceptatio. Exc.mus P. D. Ioannes Dearden, arch. Detroitensis, legit introductionem ad n. 21 schematis; de quo locuti sunt em.mi PP. DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus, Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis; beat.mus P. D. Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum; exc.mi PP. DD. Eugenius Beita Aldazabal, ep. Santanderiensis, Tullius Botero Salazar, arch. Medellensis, Paulus Rusch, ep. Oenipontanus, Rudolfus Staverman, ep. tit. Mosinopolitanus, vic. ap. Sukarnapuraensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est codex S. Evangelii et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,29.

CXIII

Congregatio generalis centesima decima tertia habita est die 30 octobris 1964, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 1932 Patres, nempe 48 cardinales, 6 patriarchae, 12 primates, 315 archiepiscopi, 1406 episcopi, 11 abbates nullius, 13 praelati nullius, 50 praefecti apostolici, 71 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto, ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Ioanne Gay, ep. Immae Telluris et Pointapitrensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Spiritus Sanctus docebit vos* (gregoriano), *O sacrum convivium* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit rev.mus P. D. Norbertus Calmels, abbas gen. Ord. Praem., dum cantatur *Gloria laus* (modo gregoriano).

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Extra omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Petri Gregorii Agagianian. Item annuntiavit distributum iri schema decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* et legit nomina eorum, qui circa n. 21 cap. IV schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* loqui petierant. Praeterea indixit suffragationem super expensionem modorum quoad prooemium et cap. I schematis *de Ecclesia.*

Ad loquendum circa n. 21 cap. IV schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Bernardus Alfrink,

arch. Ultraiectensis, Alfredus Ottaviani, Michael Browne; exc.mus P. D. Ioseph Reusch, ep. tit. Sinopensis, aux. Moguntinus.

Tunc secretarius generalis indixit suffragationem nempe super expensionem modorum circa cap. II *de Ecclesia,* atque communicavit exitum prioris suffragationis: praesentes votantes 1924, *placet,* 1903, *non placet* 17, *placet iuxta modum* 3, votum nullum 1.

Deinde prosecuta est disceptatio quoad n. 21 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* et locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis, et Abilius del Campo y de la Bàrcena, ep. Calaguritanus-Calceatensis-Logrogensis.

Post promulgationem exitus suffragationis super expensionem modorum quoad cap. II *de Ecclesia*: praesentes votantes 1915, *placet* 1893, *non placet* 19, *placet iuxta modum* (vota nulla) 2, votum nullum 1; locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Nkongolo, ep. Bakwangaensis, Franciscus Rendeiro, ep. Algarbiensis, Petrus Fiordelli, ep. Pratensis, Ioannes Hervàs y Benet, ep. tit. Dorensis, prael. Cluniensis, Bernardus Yago, arch. Abidjanensis.

Tunc moderator quaesivit utrum placeret finem imponere disceptationi quoad n. 21. Patres surgendo consenserunt ideoque secretarius generalis proclamavit nomen moderatoris disceptationis circa n. 22, scil. em.mi P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, et legit nomina eorum, qui loqui postulaverant. Item monuit die 3 novembris habitum iri Cappellam Papalem in suffragium em.morum cardinalium et Patrum conciliarium, qui defuncti erant anno elapso.

Ad loquendum de n. 22 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* vocati sunt rev.mus P. D. Ioannes Ferreira, praef. ap. Guineae Lusitanae; exc.mi PP. DD. Rogerius Johan, ep. Aginnensis, et Bohdan Bejze, ep. tit. Idassanus, aux. Lodzensis.

Secretarius generalis monuit sequenti hebdomada, die sabbato, habitum iri congregationem generalem.

Tandem locuti sunt exc.mi PP. DD. Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis, rev.mus Anicetus Fernandez, mag. gen. O.P., Paulus Muñoz Vega, ep. tit. Ceramensis, coad. Quitensis.

Intimata proxima congregatione generali, die 4 novembris, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,31.

CXIV

Congregatio generalis centesima decima quarta habita est die 4 novembris 1964, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt

1998 Patres, nempe 46 cardinales, 7 patriarchae, 12 primates, 320 archiepiscopi, 1458 episcopi, 8 abbates nullius, 14 praelati nullius, 51 praefecti apostolici, 82 superiores generales.

Ante Missam, subsecretarius exc.mus P. D. Ioannes Villot, arch. tit. Bosporanus, coad. c. i. s. Lugdunensis, communicavit ex desiderio Summi Pontificis Missam celebrari, ritu ambrosiano, ab em.mo P. D. Ephrem Forni, ex dioecesi Mediolanensi, Patribusque commendari conventum Rhodiensem seu conferentiam pan-orthodoxam, quae die 1 novembris inceperat.

Durante Missa de festo S. Caroli Borromeo, chorus Seminarii Pontificii lombardi exsecutus est cantus: Preces litaniales, *Te Deum laudamus Domine*.

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Carolus M. Himmer, ep. Tornacensis, dum chorus cantat *Gloria laus et honor tibi sit*.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis. Item annuntiavit distributum iri librum « *Il Pellegrinaggio di Paulo VI in Terra Santa* », et legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa cap. IV, n. 22, et dein n. 23, schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*.

Exc.mus P. D. Petrus Veuillot, arch. tit. Constantiensis in Thracia, coad. Parisiensis, legit relationem super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* in genere; et exc.mus P. D. Ioseph Gargitter, ep. Brixiensis, relationem circa cap. I eiusdem schematis.

Postquam secretarius generalis indixerat primam suffragationem super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* ad loquendum circa n. 22 *de Ecclesia in mundo huius temporis* vocatus est em.mus P. D. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Post indictionem secundae suffragationis super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* locutus est circa n. 22 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* exc.mus P. D. Aloisius Carli, ep. Signinus.

Finita eius oratione, secretarius generalis proclamavit exitum primae suffragationis: praesentes votantes 2011, *placet* 1908, *non placet* 101, vota nulla 2; et indixit tertiam suffragationem.

Prosecuta est disceptatio et locutus est P. D. Emmanuel Talamàs Camandari, ep. Civitatis Juarezensis.

Post indictionem quartae suffragationis super schema *de pastorali*

episcoporum munere in Ecclesia, locutus est exc.mus P. D. Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia.

Proclamato exitu secundae suffragationis: praesentes votantes 2010, *placet* 1782, *non placet* 225, vota nulla 3; secretarius generalis indixit quintam suffragationem.

Finita oratione exc.mi P. D. Ioannis Zoa, arch. Yaundensis, proclamatus est exitus tertiae suffragationis: praesentes votantes 1996, *placet* 1912, *non placet* 81, *placet iuxta modum* (vota nulla) 2, votum nullum 1; et indicta est suffragatio super integrum prooemium et cap. I schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Adhuc circa n. 22 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* locuti sunt exc.mi PP. DD. Leo Elchinger, ep. tit. Antandrinus, coad. Argentinensis, et Leonidas Proaño Villalba, ep. Rivibambensis.

Postea circa n. 23 eiusdem schematis locuti sunt em.mi PP. DD. Stephanus Wyszyński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis, et Paulus Richaud, arch. Burdigalensis.

Secretarius generalis proclamavit exitum suffragationum super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*: quartae, praesentes votantes 1963, *placet* 1880, *non placet* 81, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, votum nullum 1; quintae, praesentes votantes 1968, *placet* 1889, *non placet* 78, votum nullum 1; super integrum prooemium et cap. I, praesentes votantes 1965, *placet* 1030, *non placet* 77, *placet iuxta modum* 852, vota nulla 6.

Tandem circa n. 23 *de Ecclesia in mundo huius temporis* locuti sunt exc.mi PP. DD. Angelus Herrera y Oria, ep. Malacitanus, et Radulfus Zambrano Camader, ep. Facatativensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,25.

CXV

Congregatio generalis centesima decima quinta habita est die 5 novembris 1964, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2054 Patres, nempe 51 cardinales, 6 patriarchae, 12 primates, 339 archiepiscopi, 1494 episcopi, 9 abbates nullius, 12 praelati nullius, 51 praefecti apostolici, 80 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto, ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Clemente Kabukasansha, ep. tit. Cibyratensi, aux. Arcis Rosebery. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus *Spiritum tuum* (Lasso),

Sanctus (Asola), *Pange lingua* (gregoriano), *O salutaris hostia* (Bartolucci).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Marianus Rossell y Arellano, arch. Guatimalensis, dum chorus cantat ant. *Exaltate regem regum* cum psalmo.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis. Item annuntiavit mortem exc.mi P. D. Ioseph Gagnor, ep. Alexandrini Statiellorum, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant recitavit *de profundis* cum versibus et oratione.

Dein secretarius generalis monuit distributum iri relationem clarissimi viri Iacobi Norris, auditoris, circa *paupertatem,* quoad n. 24 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis;* emendationem typographicam, inserendam in fasciculo textus *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Tandem legit nomina eorum, qui loqui petierant circa n. 23 *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Exc.mus P. D. Aloisius Carli, ep. Signinus, relationem legit circa articulos I et II cap. II schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Post monitum de audientia Summi Pontificis, sequenti die, pro episcopatu africano linguae gallicae, exc.mus P. D. Narcissus Jubany Arnau, ep. Gerundensis, legit relationem circa art. III cap. II schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Dein secretarius generalis indixit septimam suffragationem super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Circa n. 23 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* locutus est exc.mus P. D. Philippus Iacobus Benitez Avalos, ep. tit. Chersonesitanus in Europa, aux. St. Assumptionis.

Tum secretarius generalis monuit sequenti die inceptum iri disceptationem circa schema *de activitate missionali Ecclesiae,* et indixit octavam suffragationem super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Post orationem exc.mi P. D. Iesu Alba Palacios, ep. Tehuantepecensis, indicta est suffragatio nona super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Ultimus locutus est circa n. 23 *de Ecclesia in mundo huius temporis* exc.mus P. D. Paulus Zoungrana, arch. Uagaduguensis, atque secretarius generalis proclamavit exitum suffragationis septimae: praesentes votantes 2062, *placet* 2040, *non placet* 22; necnon indixit decimam suffragationem.

Item legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa n. 24 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* atque, post relationem clarissimi Iacobi Norris *de paupertate,* communicavit exitum suffragationis octavae super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*: praesentes votantes 2063, *placet* 2055, *non placet* 8; necnon undecimam suffragationem indixit.

Finita oratione em.mi P. D. card. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, circa n. 24 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* indicta est duodecima suffragatio super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Post orationem em.mi P. D. card. Bernardi Alfrink, arch. Ultraiectensis, secretarius generalis proclamavit exitum suffragationum *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*: nonae, praesentes votantes 2044, *placet* 1986, *non placet* 57, suffragium nullum 1; decimae, praesentes votantes 1993, *placet* 1979, *non placet* 12, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, votum nullum 1; et indixit suffragationem decimam tertiam.

Deinde, finita oratione exc.mi P. D. Ioannis Rupp, ep. Monoecensis, secretarius generalis proclamavit exitum suffragationis undecimae super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*: praesentes votantes 2005, *placet* 1982, *non placet* 22, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1; et indixit suffragationem decimam quartam.

Tunc locutus est exc.mus P. D. Antonius Pildàin y Zapiàin, ep. Canariensis; atque secretarius generalis proclamavit exitum suffragationis duodecimae: praesentes votantes 1981, *placet* 1956, *non placet* 25.

Post orationem exc.mi P. D. Eduardi Swanstrom, ep. tit. Arbensis, aux. Neo-Eboracensis, subsecretarius exc.mus P. D. Ioannes Villot, arch. tit. Bosporanus, coad. c. i. s. Lugdunensis, proclamavit exitum suffragationis decimae tertiae super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*: praesentes votantes 1964, *placet* 1950, *non placet* 14.

Tandem circa n. 24 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* locutus est exc.mus P. D. Gregorius Thangalathil, arch. Trivandrensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,24.

CXVI

Congregatio generalis centesima decima sexta habita est die 6 novembris 1964, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt

2155 Patres, nempe 55 cardinales, 7 patriarchae, 13 primates, 360 archiepiscopi, 1555 episcopi, 10 abbates nullius, 15 praelati nullius, 54 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Ante Missam, aulam ingressus est Summus Pontifex Paulus VI, plaudentibus Patribus. Facta brevi oratione ante altare Concilii, Summus Pontifex sedit ad mensam praesidentiae atque adfuit S. Missae, quae, ritu aethiopico, celebrata est ab exc.mo P. D. Hailé M. Cahsay, ep. Odigratensi. Chorus Collegii Aethiopici in Civitate Vaticana cantus exsecutus est. Ritum illustravit « Abba » Paulus Zadwa.

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Ghebre Iesus Iacob, ep. tit. Erythritanus, cum plausu rythmico Tam-Tam.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de activitate missionali Ecclesiae;* et communicavit exitum suffragationis decimae quartae super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*: praesentes votantes 1985, *placet* 1801, *non placet* 172, *placet iuxta modum* (vota nulla) 8, vota nulla 4.

Post allocutionem Summi Pontificis Pauli VI, em.mus P. D. card. Gregorius Petrus Agagianian, praeses commissionis de missionibus, gratias egit Summo Pontifici atque introduxit disceptationem circa schema *de activitate missionali Ecclesiae.*

Summus Pontifex benedictionem omnibus impertivit et ex aula discessit.

Subsecretarius exc.mus P. D. Ioannes Villot, arch. tit. Bosporanus, coad. c. i. s. Lugdunensis, indixit suffragationem super integrum cap. II schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Dein exc.mus P. D. Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis, legit relationem circa schema *de activitate missionali Ecclesiae;* et exc.mus P. D. Hermannus Schäufele, ep. Friburgensis legit relationem circa cap. III schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Secretarius generalis indixit suffragationem decimam sextam super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* et proclamavit exitum suffragationis super integrum cap. II eiusdem schematis: praesentes votantes 2129, *placet* 1219, *non placet* 19, *placet iuxta modum* 889, vota nulla 2.

Durante oratione em.mi P. D. Aemilii Pauli Léger, arch. Marianopolitani, circa schema *de activitate missionali Ecclesiae,* secretarius generalis indixit suffragationem decimam septimam super schema *de pasto-*

rali episcoporum munere in Ecclesia. Postea indixit decimam octavam suffragationem et annuntiavit visitationem Praesidis Reipublicae Italiae ad Summum Pontificem.

Prosecuta est disceptatio et locuti sunt em.mi PP. DD. card. Petrus Tatsuo Doi, arch. Tokiensis, et, post indictionem decimae nonae suffragationis super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaensis.

Deinde secretarius generalis indixit suffragationem vicesimam et proclamavit exitum suffragationis decimae sextae: praesentes votantes 2014, *placet* 2000, *non placet* 11, *placet iuxta modum* (vota nulla) 2, votum nullum 1.

Item, post orationem em.mi P. D. card. Augustini Bea, monuit Patres orientales de audientia Summi Pontificis; communicavit exitum suffragationis decimae septimae: patres votantes 2021, *placet* 1948, *non placet* 71, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, votum nullum 1; atque indixit suffragationem super integrum cap. III schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Post orationem rev.mi P. D. Martini Legarra Tellechea, prael. null. Buccae Taurinae, circa schema *de activitate missionali Ecclesiae,* secretarius generalis proclamavit exitum suffragationis decimae octavae: praesentes votantes 2025, *placet* 1998, *non placet* 27.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est codex S. Evangelii et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,29.

CXVII

Congregatio generalis centesima decima septima habita est die 7 novembris 1964, sabbato, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 1911 Patres, nempe 45 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 320 archiepiscopi, 1386 episcopi, 10 abbates nullius, 15 praelati nullius, 50 praefecti apostolici, 69 superiores generales.

Missa de B. M. V. celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Carolo Jurgens, arch. Cuschensi. Chorus Pontificii Collegii Latino-Americani exsecutus est cantus: *Salva Sancta Parens* (introitus gregoriano), *Confitemini Domino* (Palestrina), *Sanctus* (gregoriano IX), *Sicut cervus* (tractus sabbati sancti) cum ps. 22 (gregoriano).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Ioannes McCarthy, arch. Kadunaensis, dum chorus cantat ant. *Ego principium qui et loquor vobis* cum ps. 118.

Intimato *Exeant omnes,* exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, et legit nomina eorum, qui circa schema *de activitate missionali Ecclesiae* loqui petierant. Item proclamavit exitum suffragationum super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*: decimae nonae, praesentes votantes 2065, *placet* 2053, *non placet* 11, votum nullum 1; vicesimae, praesentes votantes 2074, *placet* 2049, *non placet* 15, *placet iuxta modum* (vota nulla) 10; super integrum cap. III, praesentes votantes 2070, *placet* 1582, *non placet* 15, *placet iuxta modum* 469, vota nulla 4.

Ad loquendum circa schema *de activitate missionali Ecclesiae* vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis, Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis; exc.mi PP. DD. Deodatus Youngbare, ep. Kupelaensis, Bernardinus Gantin, arch. Cotonuensis, Nicolaus Geise, ep. Bogorensis.

Post monitum de audientia Summi Pontificis pro episcopis Africae linguae anglicae, die 10 novembris, hora 19, locuti sunt exc.mi PP. DD. Daniel Lamont, ep. Umtaliensis, Cyprianus Kihangire, ep. tit. Maurensis, aux. Guluensis, Petrus Massa, ep. Naniamensis, Petrus Carretto, ep. tit. Zenobeiensis, vic. ap. Rajaburiensis, Petrus Moors, ep. Ruremondensis, Ioannes B. Velasco, ep. Sciiamensis, Iucundus Grotti, prael. null. Acrensis et Puruensis, Ioannes Gahamanyi, ep. Butarensis, Vitus M. Riobé, ep. Aurelianensis, Iacobus Moynagh, ep. Calabarensis.

Tunc secretarius generalis monuit in proxima congregatione absolutum iri disceptationem circa schema *de activitate missionali Ecclesiae.*

Post orationem exc.mi P. D. Stanislai Lokuang, ep. Tainanensis, intimata est proxima congregatio generalis, feria II, hora nona, habenda, et repositus est S. Evangelii codex. Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit et congregatio clausa est hora 12,21.

CXVIII

Congregatio generalis centesima decima octava habita est die 9 novembris 1964, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 1975 Patres, nempe 51 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 322 archiepiscopi, 1438 episcopi, 12 abbates nullius, 12 praelati nullius, 47 praefecti apostolici, 76 superiores generales.

Missa de dedicatione Ecclesiae celebrata est, ritu romano, ab exc.mo

P. D. card. Benedicto Aloisi Masella, ep. Praenestino, archipresbytero Archibasilicae Lateranensis, cuius celebrabatur dedicatio. Chorus Pontificii Seminarii Romani Urbis exsecutus est cantus: *Virgo Dei Genitrix* (gregoriano), *Sanctus* (VIII gregoriano una cum Patribus), *Ubi caritas et amor* (gregoriano una cum Patribus).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Thomas Parker, ep. Northantoniensis, dum chorus cantat *Christus vincit.*

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de activitate missionali Ecclesiae* atque communicavit mortem exc.mi P. D. Ioseph Francisci Rummel, arch. Novae Aureliae.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant *de profundis* una cum versiculis et oratione recitavit.

Dein secretarius generalis annuntiavit distributum iri fasciculum continentem modos circa prooemium et cap. I schematis *de Oecumenismo,* et moderator monuit de omnibus schematibus brevem disceptationem fieri, ut commissiones illa emendare possent post tertiam Concilii periodum.

Ad loquendum *de activitate missionali Ecclesiae* vocati sunt exc.mi PP. DD. Laurentius Picachy, ep. Jamshedpurensis, Xaverius Geeraerts, ep. tit. Laganitanus, Secundus Garcia de Sierra y Mendez, arch. Burgensis, Elias Zoghby, arch. tit. Nubiensis, Ioannes Kodwo Amissah, arch. Littoris Capitis, Fulton I. Sheen, ep. tit. Caesarianensis, aux. Neo-Eboracensis.

Dein moderator quaesivit utrum placeret finem imponere disceptationi circa schema *de activitate missionali Ecclesiae.* Patres surgendo consenserunt. Relator exc.mus P. D. Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis, disceptationem conclusit.

Secretarius generalis suffragationem indixit utrum placeat schema propositionum *de activitate missionali Ecclesiae* iterum refici a commissione competenti; atque legit nomina eorum qui loqui petierant circa nn. 24 et 25 cap. IV schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Moderatoris munere functus est em.mus P. D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Ad loquendum vocati sunt em.mus P. D. Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaensis; rev.mus P. D. Gerardus Mahon, sup. gen. M.H.M., exc.mi PP. DD. Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis, et Floyd L. Begin, ep. Quercopolitanus.

Postea secretarius generalis proclamavit exitum suffragationis super schema *de activitate missionali Ecclesiae*: praesentes votantes 1914, *placet* 1601, *non placet* 311, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, votum nullum 1.

Tandem locuti sunt de n. 24 em.mus P. D. card. Paulus Richaud, arch. Burdigalensis; de n. 25 em.mus P. D. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis; exc.mi PP. DD. Alfredus Ancel, ep. tit. Myriensis, aux. Lugdunensis, Michael Ntuyahaga, ep. Bujumburiensis, Iacobus Guilhem, ep. Valleguidonensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,25.

CXIX

Congregatio generalis centesima decima nona habita est die 10 novembris 1964, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2110 Patres, nempe 55 cardinales, 7 patriarchae, 13 primates, 339 archiepiscopi, 1534 episcopi, 13 abbates nullius, 14 praelati nullius, 52 praefecti apostolici, 83 superiores generales.

Missam votivam de Spiritu Sancto, ritu romano, celebravit exc.mus P. D. Ludovicus Mathias, arch. Madrapolitanus et Meliapolitanus pro XXX anniversario suae consecrationis episcopalis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Confirma hoc* (Gallus), *Sanctus* (Vittoria), *Ubi caritas et amor* (gregoriano), *O sacrum convivium* (Viadana).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Stephanus Ferrando, ep. Shillongensis, pro XXX anniversario suae consecrationis episcopalis, dum chorus et Patres cantant *Gloria laus*.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Item monuit distributum iri *relationem super schema de matrimonii sacramento* cum textu emendato; *modos circa cap. II schematis de Oecumenismo; il libro del Vangelo nei Concili Ecumenici,* Typis Polyglottis Vaticanis 1964.

Insuper communicavit ordinem audientiae Summi Pontificis pro episcopis Africae linguae anglicae et legit nomina eorum, qui loqui petierant circa n. 25 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* necnon indixit suffragationem super expensionem modorum circa prooemium et cap. I schematis *de Oecumenismo*.

Ad loquendum vocati sunt beat.mus P. D. Maximos IV Saigh, patr. Antiochenus Melkitarum; exc.mi PP. DD. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, et Philippus Hannan, ep. tit. Hieropolitanus, aux. Vashingtonensis.

Post orationem exc.mi P. D. Romani Arrieta Villalobos, ep. Pluviensis, qui locutus est nomine 70 Patrum circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* secretarius generalis proclamavit exitum suffragationis super expensionem modorum circa prooemium et cap. I schematis *de Oecumenismo*: praesentes votantes 2119, *placet* 2068, *non placet* 47, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, vota nulla 3.

Adhuc, nomine 70 Patrum, locuti sunt exc.mi PP. DD. Georgius Beck, arch. Liverpolitanus, Candidus Rada Senosiain, ep. Guarandensis, Georgius Hakim, ep. Ptolemaidensis Melkitarum.

Tunc secretarius generalis Australiae episcopos monuit de audientia Summi Pontificis.

Tandem, nomine 70 Patrum, locuti sunt exc.mi PP. DD. Mauritius Rigaud, ep. Apamiensis, Aloisius Yañez Ruiz Tagle, ep. S. Mariae Angelorum, Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis, Michael Nguyen-Khac-Ngu, ep. Longxuyensis.

Post orationem clari viri Juan Vazquez, nomine Auditorum laicorum, exc.mus P. D. Aemilius Guano, ep. Liburnensis, relator, conclusit disceptationem circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* et secretarius generalis legit nomina eorum, qui circa schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* loqui petierant.

Post relationem exc.mi P. D. Ioseph McShea, ep. Alanopolitani, locutus est em.mus P. D. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,27.

CXX

Congregatio generalis centesima vicesima habita est die 11 novembris 1964, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2120 Patres, nempe 51 cardinales, 5 patriarchae, 12 primates, 353 archiepiscopi, 1535 episcopi, 11 abbates nullius, 15 praelati nullius, 51 praefecti apostolici, 87 superiores generales.

Missa de festo S. Martini, ep. et conf., celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ludovico Ferrand, arch. Turonensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *O felix anima* (Carissimi), *Exaudi Deus*

(Croce), *Pange lingua gloriosi* (gregoriano), *Domine non sum dignus* (Vittoria).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Alexander Kovacs, ep. Sabariensis, dum Patres cantant ps. *Laudate pueri Dominum* cum ant. *Exaltate Regem Regum.*

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Item communicavit penes Archivum Vaticanum paratam esse expositionem documentorum Conciliorum; et legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de accommodata renovatione vitae religiosae.* Tandem indixit suffragationem super expensionem modorum circa cap. II schematis *de Oecumenismo.*

Ad loquendum *de accommodata renovatione vitae religiosae* vocati sunt em.mi PP. DD. card. Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Paulus Richaud, arch. Burdigalensis, Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, Ioannes Landàzuri Ricketts, arch. Limanus, Ioseph Leo Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, Augustinus Bea; exc.mi PP. DD. Andreas Charue, ep. Namurcensis et Anicetus Fernandez, mag. gen. O.P.

Post promulgationem exitus suffragationis super expensionem modorum circa cap. II *de Oecumenismo*: praesentes votantes 2109, *placet* 2021, *non placet* 85, vota nulla 3; disceptatio prosecuta est et locuti sunt exc.mi PP. DD. Petrus Moors, ep. Ruremondensis, rev.mus Anastasius a Ssmo Rosario, sup. gen. O.C.D., Andreas Sol, ep. tit. Regianensis, coad. Amboinaensis, Pacificus Perantoni, arch. Lancianensis, Victor Sartre, arch. tit. Beroensis, Richardus Guilly, ep. Georgiopolitanus, Ioseph Buckley, sup. gen. S.M., Dominicus Athaide, arch. Agraensis.

Tandem secretarius generalis monuit sequenti die, exacta disceptatione super schema *de accommodata renovatione vitae religiosae,* propositum iri suffragationem praeliminarem super illud schema.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,26.

CXXI

Congregatio generalis centesima vigesima prima, habita est die 12 novembris 1964, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2131 Patres, nempe 54 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 349

archiepiscopi, 1544 episcopi, 13 abbates nullius, 15 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

Ante Missam, subsecretarius exc.mus P. D. Ioannes Villot, arch. tit. Bosporanus, coad. c. i. s. Lugdunensis, Patres invitavit ut una cum celebrante dicerent Introitum, Graduale, Offertorium et Communionem.

Missa pro unitate Ecclesiae celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ioseph Rancans, ep. tit. Marcopolitano, aux. Rigensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Da pacem Domine* (Bartolucci), *Domine ante te* (Bartolucci), *Ubi caritas et amor* (gregoriano), *Panis Angelicus* (Bartolucci).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Antonius Bagnoli, ep. Fesulanus, dum Patres cantant *Credo* III.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Item monuit sequenti die in Basilica Vaticana Cappellam Papalem habitum iri. Tandem communicavit distributum iri fasciculum continentem expensionem modorum circa cap. III schematis *de Oecumenismo;* et legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de accommodata renovatione vitae religiosae.*

Ad loquendum ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Gerardus Huyghe, arch. Atrebatensis, Paulus Hoffer, sup. gen. S.M., Germanus Lalande, sup. gen. C. S. Crucis, Iacobus Carroll, ep. tit. Atheniensis, aux. Sydneyensis, Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis, Ioseph Van Kerckhoven, sup. gen. M.S.C., Petrus Fiordelli, ep. Pratensis, Aemilianus Čekada, ep. Scopiensis.

Dein consensu Patrum finita est disceptatio circa schema *de accommodata renovatione vitae religiosae.* Exc.mus P. D. Ioseph McShea, ep. Alanopolitanus, relator, disceptationem conclusit.

Secretarius generalis monuit de audientia Summi Pontificis, sequenti die, hora 17 pro episcopis Asiae linguae gallicae; hora 18 pro episcopis Asiae linguae anglicae.

Tunc exc.mus P. D. Ioseph Carraro, ep. Veronensis, legit relationem super schema propositionum *de educatione sacerdotali;* et secretarius generalis legit nomina eorum, qui loqui petierant circa illud schema.

Ad loquendum vocatus est em.mus P. D. card. Ioseph M. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis.

Post promulgationem exitus suffragationis circa schema *de accommodata renovatione vitae religiosae*: praesentes votantes 2042, *placet* 1155, *non placet* 882, *placet iuxta modum* (vota nulla) 3, vota nulla 2;

locuti sunt em.mus P. D. card. Albertus Meyer, arch. Chicagiensis; exc.mi PP. DD. Ioseph Drzazga, ep. tit. Siniadensis, aux. Gnesnensis, et Ioannes Colombo, arch. Mediolanensis.

Intimata proxima congregatione generali, sabbato, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,31.

CXXII

Congregatio generalis centesima vicesima secunda habita est die 14 novembris 1964, sabbato, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 1963 Patres, nempe 47 cardinales, 5 patriarchae, 11 primates, 315 archiepiscopi, 1428 episcopi, 9 abbates nullius, 14 praelati nullius, 50 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

Missa de festo S. Iosaphat mart., ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Gabriele Bukatko, arch. Belogradensi. Chorus Collegii S. Anselmi in Urbe exsecutus est cantus gregorianos: *Gaudeamus* (introitus), offertorium, communionem, *Kyrie* XVI, *Sanctus* et *Agnus Dei* XVIII, *Laudate Dominum.*

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis, dum Patres cantant *Spiritus* (ps. 145).

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Petri Gregorii Agagianian. Item communicavit obitum exc.morum PP. DD. Francisci Barda, ep. Premisliensis, et Ioseph a Cruce Moreira Pinto, ep. Visensis.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant *de profundis* cum versiculis et oratione recitavit.

Dein secretarius generalis monuit distributum iri fasciculos continentes expensionem modorum circa cap. III-VIII schematis *de Ecclesia,* communicavit kalendarium suffragationum atque legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de institutione sacerdotali.* Tandem indixit suffragationem super expensionem modorum circa cap. III *de Oecumenismo.* Item, post orationem em.mi P. D. card. Iacobi de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, circa schema *de institutione sacerdotali,* indixit primam suffragationem quoad schema *de accommodata renovatione vitae religiosae.*

Tunc ad loquendum circa schema *de institutione sacerdotali* vocatus est em.mus P. D. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus. Postea secreta-

rius generalis proposuit secundam suffragationem *de accommodata renovatione vitae religiosae.*

Finita oratione em.mi P. D. card. Pauli Aemilii Léger, arch. Marianopolitani, secretarius generalis monuit de audientia Summi Pontificis pro episcopis Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, Canada et Brasiliae. Item communicavit exitum suffragationis super cap. III schematis *de Oecumenismo*: praesentes votantes 1963, *placet* 1870, *non placet* 82, *placet iuxta modum* (vota nulla) 6, vota nulla 5; atque indixit tertiam suffragationem circa schema *de accommodata renovatione vitae religiosae.*

Post orationem em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, circa schema *de institutione sacerdotali,* secretarius generalis communicavit exitum primae suffragationis super schema *de accommodata renovatione vitae religiosae*: praesentes votantes 1955, *placet* 871, *non placet* 77, *placet iuxta modum* 1005, vota nulla 2; atque indixit quartam suffragationem super idem schema.

Dein locutus est em.mus P. D. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et secretarius generalis communicavit exitum secundae suffragationis super schema *de accommodata renovatione vitae religiosae*: praesentes votantes 1960, *placet* 1049, *non placet* 64, *placet iuxta modum* 845, vota nulla 2; et indixit quintam suffragationem.

Finita oratione exc.mi P. D. Dini Staffa, arch. tit. Caesariensis in Palaestina, secretarius generalis indixit sextam suffragationem.

Adhuc locuti sunt *de institutione sacerdotali* exc.mi PP. DD. Emmanuel Fernandez-Conde, ep. Cordubensis, Paulus Sani, ep. Denpasarensis, Ioseph Marcus Gopu, arch. Hyderabadensis; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis, Tullius Botero Salazar, arch. Medellensis, Iacobus Flores Martin, ep. Barbastrensis, Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis.

Postea secretarius generalis communicavit exitum suffragationum super schema *de accommodata renovatione vitae religiosae*: tertiae, praesentes votantes 1949, *placet* 883, *non placet* 77, *placet iuxta modum* 987, vota nulla 2; quartae, praesentes votantes 1950, *placet* 907, *non placet* 66, *placet iuxta modum* 975, vota nulla 2; quintae, praesentes votantes 1946, *placet* 940, *non placet* 56, *placet iuxta modum* 947, vota nulla 3; sextae, praesentes votantes 1844, *placet* 1676, *non placet* 65, *placet iuxta modum* 103. Tandem legit textum Intimationis pro sessione publica.

Indicta proxima congregatione generali, feria II, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,22.

CXXIII

Congregatio generalis centesima vicesima tertia habita est die 16 novembris 1964, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2135 Patres, nempe 52 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 347 archiepiscopi, 1550 episcopi, 13 abbates nullius, 14 praelati nullius, 53 praefecti apostolici, 90 superiores generales.

Missa celebrata est, ritu malabarico, ab exc.mo P. D. Sebastiano Valloppilly, ep. Tellicherriensi. Chorus Collegii S. Ioannis Damasceni cantus exsecutus est.

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Matthaeus Potanamuzhi, ep. Kothamangalamensis, dum chorus cantat.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Petri Gregorii Agagianian. Item communicavit obitum exc.mi P. D. Oddonis Bernacchia, ep. tit. Sebeliensis.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *de profundis* cum versiculis et oratione recitavit.

Dein secretarius generalis Patres monuit de menda, quae irrepserat in expensione modorum super cap. III *de Ecclesia,* atque de qualificatione theologica doctrinae in schemate *de Ecclesia* expositae. Tandem legit *notam praeviam* explicativam ad modos super cap. III schematis *de Ecclesia,* et nomina eorum qui loqui postulaverant circa schema *de institutione sacerdotali.* Tandem indixit septimam suffragationem super schema *de accommodata renovatione vitae religiosae.*

Circa schema *de institutione sacerdotali* locutus est em.mus P. D. card. Antonius Caggiano, arch. Bonaerensis, et secretarius generalis indixit suffragationem octavam, et, post orationem em.mi P. D. card. Antonii Bacci, nonam.

Adhuc circa schema *de institutione sacerdotali* locuti sunt exc.mi PP. DD. Iacobus Komba, ep. tit. Thignicensis, aux. Peramihoensis, Dionysius Hurley, arch. Durbanianus, Benedictus Zorzi, ep. Caxiensis, Paulus Schmitt, ep. Metensis, Antonius Añoveros Ataùn, ep. Gadicensis et Septensis, Antonius Pawlowski, ep. Vladislaviensis, Arturus Rivera Damas, ep. tit. Legiensis, aux. S. Salvatoris in America, Andreas Charue, ep. Namurcensis, Ioannes Weber, arch.-ep. Argentinensis, Aemilius Benavent Escuin, ep. tit. Cercinitanus, coad. Malacitanus.

Postea moderator proposuit ut disceptationi circa schema *de institutione sacerdotali* finis imponeretur. Patres surgendo consenserunt.

Secretarius generalis Patres rogavit ut Summi Pontificis exemplum in favorem egenorum et pauperum imitarentur, et illustravit ordinem suffragationum circa schema *de institutione sacerdotali.* Denique communicavit exitum suffragationum super schema *de accommodata renovatione vitae religiosae*: septimae, praesentes votantes 2122, *placet* 1833, *non placet* 63, *placet iuxta modum* 226; octavae, praesentes votantes 2117, *placet* 1936, *non placet* 50, *placet iuxta modum* 131; nonae, praesentes votantes 2112, *placet* 1639, *non placet* 50, *placet iuxta modum* 419, vota nulla 4.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,18.

CXXIV

Congregatio generalis centesima vigesima quarta habita est die 17 novembris 1964, feria III, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2140 Patres, nempe 54 cardinales, 7 patriarchae, 11 primates, 341 archiepiscopi, 1555 episcopi, 13 abbates nullius, 14 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 90 superiores generales.

Missa votiva de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Alberto Gori, patr. Hierosolymitano Latinorum, pro omnibus infirmis, praesertim pro episcopis aegrotantibus, qui Concilio interesse non potuerant. Chorus puerorum cantorum Seminarii Ordinariatus Castrensis Italiae exsecutus est cantus gregorianos: *Tota pulchra es* (modo franciscano), *Ave verum, Agnus Dei, Sacerdos in aeternum* (ant. cum ps. *Dixit Dominus*).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit rev.mus P. D. Anselmus Tranfaglia, abb. null. Montis Virginis, dum pueri in processione cantant *Lauda Sion.*

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis. Item monuit distributum iri *Intimationem* pro sessione publica, et *Notificationes* circa cap. III *de Ecclesia.* Dein illustravit ordinem agendorum in illa congregatione, et legit nomina eorum qui loqui petierant *de institutione sacerdotali* et *de educatione christiana.* Tandem indixit primam suffragationem super expensionem modorum circa cap. III *de Ecclesia.*

Finita oratione exc.mi P. D. Gabrielis Garrone, arch. Tolosani, *de*

institutione sacerdotali, secretarius generalis indixit suffragationem super modos cap. IV schematis *de Ecclesia* atque, post orationem exc.mi P. D. Sergii Mendez Arceo, ep. Cuernavacensis, communicavit exitum suffragationis super expensionem modorum cap. III *de Ecclesia*: praesentes votantes 2146, *placet* 2099, *non placet* 46, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1. Tandem indixit suffragationem super expensionem modorum circa cap. V schematis *de Ecclesia.*

Tunc circa schema *de institutione sacerdotali* locutus est exc.mus P. D. Ioseph M. Reuss, ep. tit. Sinopensis, aux. Moguntinus, et secretarius generalis communicavit exitum suffragationis super modos cap. IV *de Ecclesia*: praesentes votantes 2144, *placet* 2135, *non placet* 8, votum nullum 1.

Exc.mus P. D. Ioseph Carraro, ep. Veronensis, conclusit disceptationem *de institutione sacerdotali* et secretarius generalis proposuit quaestionem utrum placeret ut transitus fieret ad suffragationem super illud schema.

Dein rev. D. Aloisius Marcos, parochus S. Mariae a Doloribus Matriti, nomine parochorum Auditorum Concilii, locutus est *de institutione sacerdotali.*

Postea secretarius generalis communicavit exitum suffragationis super modos cap. V *de Ecclesia*: praesentes votantes 2146, *placet* 2142, *non placet* 4; et illustravit ordinem suffragationum super schema *de libertate religiosa.*

Hora 11,10 exc.mus P. D. Iulius Victor Daem, ep. Antverpiensis, relationem legit *de educatione christiana.*

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationis praeliminaris circa schema *de institutione sacerdotali*: praesentes votantes 2117, *placet* 2076, *non placet* 41; et indixit primam suffragationem super illud schema.

Tunc *de educatione christiana* locuti sunt em.mi PP. DD. cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, Iacobus Ritter, arch. S. Ludovici; exc.mus P. D. Leo Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus, coad. Argentinensis.

Postea secretarius generalis indixit secundam et tertiam suffragationem super schema *de institutione sacerdotali* et communicavit exitum primae suffragationis: praesentes votantes 1857, *placet* 1731, *non placet* 3, *placet iuxta modum* 123.

Durante oratione exc.mi P. D. Pauli Gouyon, arch. Rhedonensis, secretarius generalis monuit de audientia Summi Pontificis pro episcopatu Germaniae, Austriae... et indixit quartam suffragationem.

De educatione christiana ultimus locutus est exc.mus P. D. Ioannes

Cody, arch. Novae Aureliae, et secretarius generalis communicavit exitum suffragationum *de institutione sacerdotali*: secundae, praesentes votantes 1880, *placet* 1721, *non placet* 10, *placet iuxta modum* 149; tertiae, praesentes votantes 1966, *placet* 1808, *non placet* 4, *placet iuxta modum* 154.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,33.

CXXV

Congregatio generalis centesima vicesima quinta habita est die 18 novembris 1964, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2143 Patres, nempe 54 cardinales, 6 patriarchae, 13 primates, 343 archiepiscopi, 1561 episcopi, 13 abbates nullius, 14 praelati nullius, 52 praefecti apostolici, 87 superiores generales.

Missa coram Summo Pontifice, ritu armeno, celebrata est a beat.mo P. D. Ignatio Petro XVI Batanian, patr. Ciliciae Armenorum. Chorus Collegii Armeni in Urbe cantus exsecutus est.

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Nerse Tayroyan, arch. Babylonensis Armenorum.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis. Item monuit distributum iri declarationem *de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas;* illustravit ordinem suffragationum atque communicavit exitum quartae suffragationis super schema *de institutione sacerdotali*: praesentes votantes 1996, *placet* 1773, *non placet* 10, *placet iuxta modum* 213. Tandem legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa declarationem *de educatione christiana,* atque indixit suffragationem super modos circa cap. VI *de Ecclesia.*

Finita oratione em.mi P. D. card. Pauli Aemilii Léger, arch. Marianopolitani circa declarationem *de educatione christiana;* secretarius generalis indixit suffragationem super expensionem modorum circa cap. VII *de Ecclesia* atque, post orationem exc.mi P. D. Iacobi Malone, ep. tit. Alabandensis, aux. Youngstoniensis, communicavit exitum suffragationis super expensionem modorum circa cap. VI *de Ecclesia*: praesentes votantes 2131, *placet* 2114, *non placet* 12, *placet iuxta modum* (vota nulla) 4, suffragium nullum 1; necnon indixit suffragationem super expensionem modorum circa cap. VIII eiusdem schematis.

Dein *de educatione christiana* locutus est exc.mus P. D. Arturus

Rivera Damas, ep. tit. Legiensis, aux. S. Salvatoris in America, et secretarius generalis indixit quintam suffragationem circa schema *de institutione sacerdotali.*

Idem, post orationem exc.mi P. D. Lucae Olu Chukwuka Nwaezeapu, ep. Varriensis, indixit sextam suffragationem circa illud schema et communicavit exitum suffragationis super expensionem modorum circa cap. VII *de Ecclesia*: praesentes votantes 2131, *placet* 2127, *non placet* 4; super expensionem modorum circa cap. VIII: praesentes votantes 2120, *placet* 2096, *non placet* 23, votum nullum 1; atque annuntiavit distributionem integri schematis emendati *de Ecclesia.*

Deinde *de educatione christiana* locutus est exc.mus P. D. Aloisius Eduardus Henriquez Jimenes, ep. tit. Lamdiensis, aux. Caracensis, et secretarius generalis indixit septimam suffragationem *de institutione sacerdotali.*

Tandem locuti sunt exc.mi PP. DD. Georgius Andreas Beck, arch. Liverpolitanus, Nicolaus Schneiders, arch. Makassarensis, Simon Hoa Nguyen-Van-Hien, ep. Dalatensis, Paulus Muñoz Vega, ep. tit. Ceramensis, coad. Quitensis.

Postea secretarius generalis communicavit exitum suffragationum super schema *de institutione sacerdotali*: sextae, praesentes votantes 1960, *placet* 1644, *non placet* 8, *placet iuxta modum* 307, votum nullum 1; septimae, praesentes votantes 1945, *placet* 1845, *non placet* 6, *placet iuxta modum* 93, votum nullum 1.

Item illustravit modum suffragandi schemata *de educatione christiana* et *de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas,* atque communicavit exitum quintae suffragationis super schema *de institutione sacerdotali*: praesentes votantes 1943, *placet* 1618, *non placet* 5, *placet iuxta modum* 319, votum nullum 1. Tandem monuit de audientia Summi Pontificis pro Patribus ex Hispania, Lusitania...

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,35.

CXXVI

Congregatio generalis centesima vicesima sexta habita est die 19 novembris 1964, feria V, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2142 Patres, nempe 57 cardinales, 6 patriarchae, 12 primates, 340 archiepiscopi, 1558 episcopi, 12 abbates nullius, 15 praelati nullius, 52 praefecti apostolici, 90 superiores generales.

Missa de festo S. Elisabeth Hungariae, ritu romano, celebrata est

ab exc.mo P. D. Ioseph Ijjas, ep. tit. Tagaratensi. Chorus Cappellae Iuliae Basilicae Vaticanae exsecutus est cantus: *Postula a me* (Rizzi), *O salutaris Hostia* (Refice), *Ave verum* (Mozart).

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Carolus Lemaire, ep. tit. Otroensis, dum chorus cantat *Euntes in mundum* (Allegra).

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item annuntiavit obitum exc.mi P. D. Augustini Olbert, ep. Zimtaovensis.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *de profundis* cum versiculis et oratione recitavit.

Dein secretarius generalis monuit distributum iri fasciculum continentem expensionem modorum circa schema *de Ecclesiis Orientalibus* et textum emendatum; legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de educatione christiana,* atque indixit suffragationem super integrum schema *de Ecclesia.*

Post orationes exc.morum PP. DD. Ioannis Pohlschneider, ep. Aquisgranensis, Godefridi Okoye, ep. Portus Harcurtensis, Antonii Abed, arch. Tripolitani Maronitarum, Antonii Nwedo, ep. Umuahiaensis, moderator quaesivit utrum placeret finem imponere disceptationi circa schema *de educatione christiana.* Patres surgendo consenserunt et secretarius generalis annuntiavit exitum suffragationis super integrum schema *de Ecclesia*: praesentes votantes 2145, *placet* 2134, *non placet* 10, votum nullum 1.

Dein circa schema *de educatione christiana* adhuc locuti sunt, nomine 70 Patrum, rev.mus P. D. Anicetus Fernandez, mag. gen. O.P., et exc.mus P. D. Bohdan Bejze, ep. tit. Idassanus, aux. Lodzensis.

Tunc em.mus P. D. Eugenius Tisserant, nomine consilii praesidentiae, declaravit non posse in illa sessione suffragationem fieri circa schema *de libertate religiosa,* atque de illo animadversiones a Patribus usque ad diem 31 ianuarii 1965 scripto mitti posse.

Ultimus *de educatione christiana* locutus est exc.mus P. D. Honoratus Van Waeyenberg, ep. tit. Gilbaensis, aux. Mechliniensis-Bruxellensis.

Post monitum secretarii generalis de suffragatione finali super schema *de Oecumenismo* sequenti die paragenda, exc.mus P. D. Iulius Victor Daem, ep. Antverpiensis, conclusit disceptationem circa schema *de educatione christiana.* Tunc secretarius generalis indixit suffragationem praeliminarem circa illud schema.

Post relationem exc.mi P. D. Aemilii Ioseph De Smedt, ep. Brugensis, circa schema *de libertate religiosa,* secretarius generalis legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema voti *de matrimonii sacramento* et communicavit exitum suffragationis praeliminaris circa schema *de educatione christiana*: praesentes votantes 1879, *placet* 1457, *non placet* 419, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, vota nulla 2.

Dein subsecretarius exc.mus P. D. Ioannes Villot, arch. tit. Bosporanus, coad. c. i. s. Lugdunensis, legit textum primae suffragationis super schema *de educatione christiana.*

Em.mus P. D. card. Benedictus Aloisi Masella, praeses commissionis, introduxit disceptationem quoad schema *de matrimonii sacramento.*

Subsecretarius exc.mus P. D. Ioannes Villot monuit de audientia Summi Pontificis pro episcopis et indixit secundam suffragationem super schema *de educatione christiana.*

Exc.mus P. D. Ioseph Schneider, arch. Bambergensis, legit relationem circa schema *de matrimonii sacramento* et subsecretarius exc.mus P. D. Ioannes Villot indixit suffragationes tertiam et quartam super schema *de educatione christiana.*

Post orationem em.mi P. D. card. Normanni Gilroy, arch. Sydneyensis, circa schema *de matrimonii sacramento,* idem subsecretarius communicavit exitum primae suffragationis *de educatione christiana*: praesentes votantes 1891, *placet* 1592, *non placet* 157, *placet iuxta modum* 140, vota nulla 2.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora nona, habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus* recitavit. Congregatio finita est hora 12,44.

CXXVII

Congregatio generalis centesima vicesima septima habita est die 20 novembris 1964, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2140 Patres, nempe 56 cardinales, 6 patriarchae, 13 primates, 350 archiepiscopi, 1547 episcopi, 13 abbates nullius, 13 praelati nullius, 53 praefecti apostolici, 89 superiores generales.

Missa votiva pro Ecclesiae unitate, ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Ioanne Heenan, arch. Vestmonasteriensi. Chorus alumnorum Pontificii Seminarii Gallici in Urbe exsecuti sunt cantus: Introitus: *Salvos fac nos;* Offertorium: Oratio Papae Gelasii; Communio: *Laetare Ierusalem* (ps. 121), *Sanctus* et *Agnus Dei* XVIII.

Post Missam, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Aloisius Rodriguez Pardo, ep. S. Crucis de Sierra, dum Patres cantant *Iesu dulcis memoria.*

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Ss. Concilii secretarius generalis, intimavit *Exeant omnes* et proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item monuit distributum iri numisma aureum; schema decreti de Oecumenismo; rescriptum pontificium de facultatibus datis supremis moderatoribus religionum clericalium iuris pontificii atque abbatibus praesidibus congregationum monasticarum; schema decreti *de ministerio et vita presbyterorum* (textus emendatus et relationes); schema constitutionis dogmaticae *de divina revelatione.* Dein indixit suffragationem circa quaesitum utrum placeret materiam de matrimonio cum Patrum animadversionibus, post discussionem, ad Summum Pontificem deferri, ut ipse, per organa competentia, provideret.

Ipse legit exitum suffragationum quae pridie peractae erant super schema *de educatione christiana*: secundae, praesentes votantes 1906, *placet* 1465, *non placet* 159, *placet iuxta modum* 280, vota nulla 2; tertiae, praesentes votantes 1891, *placet* 1592, *non placet* 155, *placet iuxta modum* 141, vota nulla 3; quartae, praesentes votantes 1873, *placet* 1588, *non placet* 173, *placet iuxta modum* 110, vota nulla 2.

Tandem illustravit ordinem agendi in illa congregatione et legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de matrimonii sacramento.*

Tunc em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant, primus e consilio praesidentiae, rationes illustravit ob quas suffragatio super declarationem *de libertate religiosa* in illa sessione fieri non posset.

Postea secretarius generalis indixit primam suffragationem super expensionem modorum circa schema decreti *de Ecclesiis orientalibus.*

Durante oratione em.mi P. D. card. Ernesti Ruffini, arch. Panormitani, circa schema *de matrimonii sacramento,* secretarius generalis indixit secundam suffragationem super modos *de Ecclesiis orientalibus.*

Deinde locuti sunt *de matrimonii sacramento* em.mi PP. DD. cardd. Ioseph Bueno y Monreal, arch. Hispalensis, et Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis; atque secretarius generalis indixit suffragationem super integrum schema *de Oecumenismo.*

Prosecuta est disceptatio *de matrimonii sacramento* et locuti sunt em.mus P. D. Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici; exc.mi PP. DD. Ioannes Fearns, ep. tit. Geraensis, aux. Neo-Eboracensis, et Ioannes Ioseph Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum.

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationum super expensionem modorum *de Ecclesiis orientalibus*: primae, praesentes votantes 2129, *placet* 1841, *non placet* 283, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, vota nulla 4; secundae, praesentes votantes 2115, *placet* 1923, *non placet* 188, vota nulla 4.

Ipse indixit suffragationem super illud integrum schema atque communicavit exitum suffragationis super integrum schema *de Oecumenismo*: praesentes votantes 2129, *placet* 2054, *non placet* 64, *placet iuxta modum* (vota nulla) 6, vota nulla 5.

Dein em.mus P. D. card. Augustinus Bea legit relationem circa schema emendatum *de Ecclesiae habitudine erga religiones non christianas* atque secretarius generalis indixit primam suffragationem super illud schema.

Post orationem exc.mi P. D. Alexandri Renard, ep. Versaliensis, *de matrimonii sacramento,* secretarius generalis proclamavit exitum suffragationis super integrum schema *de Ecclesiis orientalibus*: praesentes votantes 2104; *placet* 1964, *non placet* 135, *placet iuxta modum* (votum nullum) 1, vota nulla 4; atque indixit secundam suffragationem super schema *de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas.*

Tunc *de matrimonii sacramento* locuti sunt exc.mi PP. DD. Franciscus Charrière, ep. Lausannensis, Genevensis et Friburgensis, Paulus Yoshigoro Taguchi, ep. Osakensis, Ioannes Carmelus Heenan, arch. Vestmonasteriensis, Petrus Moors, ep. Ruremondensis.

Secretarius generalis communicavit exitum suffragationum circa schema *de habitudine Ecclesiae ad religiones non christianas*: primae, praesentes votantes 1987, *placet* 1838, *non placet* 136, *placet iuxta modum* (vota nulla) 4, vota nulla 9; secundae, praesentes votantes 1969, *placet* 1770, *non placet* 185, *placet iuxta modum* (vota nulla) 7, vota nulla 7; atque indixit suffragationem super integrum textum *de habitudine Ecclesiae ad religiones non christianas.*

Tandem *de matrimonii sacramento* locuti sunt exc.mi PP. DD. Villelmus Conway, arch. Armachanus, et Hadrianus Djajasepoetra, arch. Djakartanus.

Patribus consentientibus, finita est disceptatio circa schema *de matrimonii sacramento* et secretarius generalis quaesitum legit utrum placeret votum *de matrimonii sacramento* ad Summum Pontificem remitti.

Item legit epistolam quorundam Patrum, qui non potuerant Concilio interesse, atque communicavit exitum suffragationis super integrum schema *de habitudine Ecclesiae ad religiones non christianas*: praesentes votantes 1996, *placet* 1651, *non placet* 99, *placet iuxta modum* 242, vota nulla 4.

Insuper monuit animadversiones scriptas circa schemata *de divina revelatione, de ministerio et vita presbyterorum, de libertate religiosa,* mitti posse usque ad diem 31 ianuarii 1965.

Tandem illustravit ordinem agendi in sessione publica atque communicavit exitum suffragationis circa votum *de matrimonii sacramento*: praesentes votantes 2024, *placet* 1592, *non placet* 427, *placet iuxta modum* (vota nulla) 2, vota nulla 3.

Reposito S. Evangelii codice, em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,51.

SESSIO PUBLICA IV

QUA CONCILII VATICANI SECUNDI PERIODUS TERTIA INCHOATUR

14 SEPTEMBRIS 1964

SESSIO PUBLICA IV

QUA CONCILII VATICANI SECUNDI PERIODUS TERTIA INCHOATUR

die 14 septembris 1964

1. Processio et Missa

Die 14 septembris 1964, feria II, in festo Exaltationis S. Crucis, hora nona, *Concilii Oecumenici Vaticani II periodus tertia* sollemniter inchoata est.

Summus Pontifex, in Aula Paramentorum sacris vestibus assumptis, comitantibus cardinalibus necnon 24 Patribus concelebrantibus,* dum ceteri Patres sua quaeque loca in Aula Conciliari occupant, in sella gestatoria ingressum fecit in Basilicam Vaticanam, dum chorus et omnes praesentes cantant ant. *Tu es Petrus* alternatim cum versiculis ps. 131.

Post brevem orationem ad altare papale, Summus Pontifex alternatim cum concelebrantibus omnique populo preces ad gradus altaris dixit.

Ultimus e concelebrantibus, rev.mus P. Anastasius a Ss. Rosario, ad legile, epistolam legit.

Primus e concelebrantibus, em.mus P. D. Eugenius card. Tisserant, Evangelium legit.

---

* Cum Summo Pontifice concelebraverunt: em.mi PP. DD. cardd. Eugenius Tisserant, ep. Suburb. Ostien., Portuen. et S. Rufinae, S. Collegii Decanus; Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis; Arcadius Larraona; exc.mi PP. DD. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, S. Concilii secretarius generalis; Michaël D. Miranda y Gomez, arch. Mexicanus; Matthaeus Beovich, arch. Adelaidensis; Ioseph Lemieux, arch. Ottaviensis; Petrus P. Santos Songco, arch. Cacerensis; Ioseph de Almeida Batista, arch. Brasiliapolitanus; Casimirus Morcillo Gonzalez, arch. Matritensis, Concilii subsecretarius; Ioannes Aramburu, arch. Tucumanensis; Ioannes Villot, arch. tit. Bosporanus, coad. c.i.s. Lugdunensis, Concilii subsecretarius; Bernardus Yago, arch. Abidjanensis; Adrianus Djajasepoetra, arch. Djakartanus; Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum, Concilii subsecretarius; Pius Kerketta, arch. Ranchiensis; Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis; Villelmus Kempf, ep. Limburgensis, Concilii subsecretarius; Polycarpus Da Costa Vaz, ep. Aegitaniensis; Laurentius Satoshi Nagae, ep. Urawaënsis; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis; Raymundus Ndudi, ep. tit. Mataritanus, aux. Bomaënsis; rev.mi PP. DD. Benedictus Gut, abbas primas Confoederationis O.S.B.; Anastasius a Ss. Rosario, praep. gen. O.C.D., praeses Unionis Romanae superiorum generalium institutorum religiosorum.

Cantato *Credo,* dicta est oratio universalis fidelium, et post recitationem antiphonae ad Offertorium, duo concelebrantes, scil. exc.mi PP. DD. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, et Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum, panem et vinum ad altare detulerunt. Interim chorus Cappellae Sixtinae polyphonico modo cantavit motetum *Per tuam Crucem...* (5 vocibus, Morales).

Idem chorus, durante concelebrantium communione et post recitationem antiphonae ad Communionem, cantavit duos versus hymni *Adoro te...* (5 vocibus, Bartolucci); et, finita concelebratione, motetum *Dextera Domini...* (Palestrina).

Summus Pontifex S. Communionem distribuit Auditoribus Laicis Concilii.

2. Tertiae periodi inchoatio et fidei professio

Post Missam concelebratam, Summus Pontifex paramenta deposuit et *tertiae periodi Concilii prima sessio* inchoata est. Interfuerunt 2185 Patres, nempe 57 cardinales, 6 patriarchae, 12 primates, 367 archiepiscopi, 1584 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 52 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

Secretarius generalis, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, et ex ambone monuit:

Velint omnes audire! Patres conciliares, qui nondum emiserunt professionem fidei, velint mecum nunc emittere. Ego legam formulam et in fine omnes dicent verba mecum: « Sic spondeo, voveo et iuro, sic me Deus adiuvet et Sancta Dei Evangelia ». Hoc facient tacta cruce.

Postea, Patres, qui emiserunt professionem, subscribent folium, quod iam distributum est, et tradent assignatoribus locorum.

Velint omnes surgere.

Ipse legit fidei professionem [*cf. vol. I, pars I, p. 137*].

3. Summi Pontificis allocutio *

Venerabiles Fratres ac dilecti filii,

In signo Sanctae Crucis, cuius honori Eucharisticum Sacrificium modo concelebravimus, tertia Sessio Concilii Oecumenici Vaticani Secundi hodie initium capit. Hic revera est Ecclesia, Nos ipsi hic Eccle-

* *A.A.S.*, 56 (1964), pp. 805-816.

siam efficimus, idque propterea quod membra sumus Mystici Corporis Christi. Deus enim nobis inaestimabili gratiae suae munere dedit, ut in ipsum crederemus, ut baptismo ablueremur, ut caritate eiusdem sacri et visibilis populi Dei compaginaremur. Efficimus Ecclesiam, quia eius administri sumus, scilicet sacerdotes peculiari charactere insigniti; vi cuius in hoc officio sumus constituti, cum sacramentalem ordinationem suscepimus, quae potestates mirabiles et gravissimas contulit nobis, et sacrae Hierarchiae Ordinis nos compotes reddidit, cuius est ministeria obire apta ad pergendum per tempora et ad propagandum in terris ipsum munus salvificum Christi. Ecclesiam demum efficimus, quia ut Magistri fidei, Pastores animarum, Dispensatores mysteriorum Dei,[1] illius universae partes hic agimus, non quidem ut delegati vel delecti a fidelibus, quos spirituali sollicitudine attingimus, sed ut Patres ac Fratres, qui communitatum, curis uniuscuiusque nostrum commissarum, personam gerimus, et ut Coetus plenarius, quem Nos, cum omnibus vobis sociati ut Frater vester, iure meritoque convocavimus qua Episcopus Romae, Urbis huius e divinae providentiae consilio praecipuae, qua Successor, humillimus quidem sed certus, Petri Apostoli, ad cuius sepulcrum pie convenimus, atque adeo qua indignus sed verus Moderator Ecclesiae catholicae et Christi Vicarius, Servus servorum Dei.

Nos igitur, qui totam Ecclesiam per personas nostras sacraque munera complectimur, hoc Concilium dicimus Oecumenicum: hic celebratur unitas, hic celebratur Ecclesiae nota catholica, quibus haec admirabile robur et singularem illam facultatem testatur homines fraterno foedere inter se sociandi, diversas recipiendi humani cultus formas, sermones inter se plane dissimiles, liturgiae ac pietatis modos notabilissimos, discrepantes res illas, quas vita nationum, res socialis, eruditio atque doctrina prae se ferunt: haec omnia ea ad unitatem feliciter redigit, omnium servans legitimam et naturalem varietatem.

Sanctitas Ecclesiae hic celebratur, quia ea hic implorat misericordiam Dei, ut ignoscat infirmitatibus et erroribus hominum peccatorum, quos esse confitemur, et quia hic, ministerio sacro fungentes, quam maxime intellegimus nos haurire posse ex « investigabilibus divitiis Christi »[2] praeclarissima dona salutis et sanctificationis, quibus homines cunctos locupletemus, et quia conscii sumus nihil aliud nobis esse propositum, quam ut « paremus Domino plebem perfectam ».[3]

Hic denique celebratur Ecclesiae nota apostolica, quae praerogativa

[1] *1 Cor.* 4, 1.
[2] Cf. *Eph.* 3, 8.
[3] Cf. *Luc.* 1, 17.

nobis ipsis mira esse videtur, utpote qui fragilitatem nostram experiendo cognoscamus nec ignoremus ex historia constare, etiam firmissima humana instituta eidem esse obnoxia, atque etiam probe sciamus quam congruenter constanterque mandatum a Christo Apostolis datum usque ad nos, humiles et stupentes, pervenerit, quam inexplicabiliter et quam invicte Ecclesia per saecula permanserit, semper vivax, semper idonea ad excitandas in se ipsa vires, quibus irrefrenabili quasi impulsione revivesceret.

Cadunt sane in rem haec verba Tertulliani: « ipsa repraesentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. Et hoc quam dignum fide auspicante congregari undique ad Christum! Vide, quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum ».[4]

Quodsi hic est Ecclesia, hic etiam est Spiritus Paraclitus, quem Christus Apostolis suis ad Ecclesiam ipsam aedificandam promisit, in hanc sententiam locutus: « ... Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum; Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit ... ».[5] Siquidem, ut novimus, opus duorum, apostolatus nempe et Spiritus Sancti, Christus pollicitus est et diversa ratione transmisit, ut ipsum munus suum pergeret, regnum a se conditum per tempora orbemque terrarum propagaret, atque homines a se redemptos congregaret in Ecclesiam suam, in Corpus suum Mysticum, ut essent plenitudo sui ipsius, donec exspectatur reditus eius in fine saeculorum, qui ad postremum fiet triumphi in modum.

Apostolatus, extrinsecus et obiectiva ratione operans, corpus, ut ita dicamus, materiale Ecclesiae conficit, eique compaginem visibilem et socialem tribuit; Spiritus autem Sanctus intrinsecus agit vimque suam non solum in animis singulorum hominum edit, sed etiam in tota communitate, quatenus movet, vivificat, sanctificat.

Ambo, apostolatus, quem per successionem sacra Hierarchia suscepit, et Spiritus Iesu, qui eadem hac Hierarchia quasi ordinario instrumento utitur in verbi et Sacramentorum ministerio, simul agunt: die enim Pentecostes mirum in modum inter se coniunguntur, cum initium sumit amplissimum opus Christi Domini, iam non visibilis sed semper praesentis in Apostolis eorumque successoribus, « quos operis sui vicarios contulit esse pastores »: [6] uterque, ratione quidem differenti, sed

[4] *De ieiuniis,* Cap. XIII; *PL* 2, 1024.
[5] *Io.* 14, 16-17.
[6] Cf. *Praef. de Apostolis.*

conspiranti, de Christo perhibent testimonium, foedere quodam iuncti, quo actioni apostolicae vis supernaturalis confertur.[7]

Credimusne hoc consilium operis salvifici, quo Redemptio Christi ad nos pertinet et in nobis perficitur, etiam nunc vigere? Certe, Venerabiles Fratres; quin immo credamus oportet per nos eiusmodi consilium continuari et ad effectum deduci, eo quod facultate et sufficientia praediti sumus, quae est a Deo, « qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti: non littera sed Spiritu ... qui vivificat ».[8]

Si quis hac de re dubitaret, iniuriam inferret fidelitati Christi, qui promissa sua facit, deesset mandato nostro apostolico, Ecclesiam destitueret certissima illa proprietate, ex qua deficere nequit, et quae verbo divino est praestita atque experientia per saeculorum decursum comprobatur.

Spiritus hic adest, non quidem ut gratiam sacramentalem addat operi, quod nos omnes in Concilio congregati aggredimur, sed ut id illuminet ac dirigat in Ecclesiae totiusque humanae familiae utilitatem. Spiritus hic adest: eum nos invocamus, eum expectamus, eum sequimur. Spiritus hic adest: hoc doctrinae caput, hanc veram eius praesentiam memoramus praecipue, ut iterum et modo quam absolutissimo ac paene ineffabili communionem cum Christo viventi percipiamus; nam Spiritus nos cum eo coniungit. Haec monemus etiam, ut animo parato et sollicito ei nos sistamus, ut sentiamus miseriam nostram et inanitatem, qua humiliamur, et necessitatem implorandi eius misericordiam et auxilium, atque ut haec verba Apostoli, quasi in intimis latebris animorum ad nos facta, audiamus: « ... habentes administrationem iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus »: [9] hoc igitur Concilii tempore ad summam docilitatem interiorem impellamur, ad verbum Dei obsequentissime, ut filios addecet, accipiendum, ad impense precandum et amandum, ad mentes nostras spirituali ardore inflammandas. Huic singulari eventui haec verba a S. Ambrosio, quo erat poëtico ingenio, prolata, quam maxime videntur congruere: « laeti bibamus sobriam ebrietatem spiritus ».[10] Hoc profecto nobis contingat per sacrum Concilii tempus.

Ac demum haec affirmamus, siquidem in rerum ac vicissitudinum progressione nunc eo perventum est, ut Ecclesia, quae per nos repraesentatur et a nobis formam et vitam accipit, dicat de se ea, quae Christus

[7] Cf. *1 Pt.* 1, 12.
[8] Cf. *2 Cor.* 3, 6.
[9] *2 Cor.* 4, 1.
[10] *PL* 16, 1411.

eandem instituens cogitavit et voluit, et Patres, Pontifices, Doctores pro sua sapientia, veluti meditatione in saecula producta, pie fideliterque exploraverunt. Ecclesia oportet se ipsam definiat, et ex germana conscientia sua promat doctrinam, quam Spiritus Sanctus iam ei ingerit iuxta promissum Domini: « Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis ».[11]

Hoc igitur modo absolvenda est doctrina, quam Concilium Oecumenicum Vaticanum primum sibi statuerat enuntiare, sed, ob externa impedimenta abruptum, definire non potuit nisi quoad primam partem, quae agit, ut nostis, de Summo Ecclesiae Pastore seu Romano Pontifice, atque de eius summis praerogativis, ad primatum iurisdictionis et infallibilitatem magisterii pertinentibus, quibus Iesus Christus Petrum Apostolum donavit, utpote suum Vicarium visibilem ac terrenum, et eos, qui in tam celso et gravissimo munere ei essent successuri.

Superest, ut compleatur tractatio de hac doctrina atque adeo explicentur cogitata Christi de universa Ecclesia ipsius ac praesertim de natura et munere eorum, qui Apostolorum sunt successores, Episcopatus nempe, cuius dignitate et officio maior pars vestrum, Venerabiles Patres, quin immo nostrum, Reverendissimi Fratres, ex benigna Dei voluntate, est aucta.

De multis aliis rebus Concilio erit sermo instituendus; sed eiusdem disceptatio, quae in hac ipsa re vertitur, prae ceteris esse videtur maioris gravitatis atque prudentiae. Haec eadem res in posteritatis memoria peculiarem notam sine dubio tribuet sollemni huic Synodo, historia sane dignae. Eius est quasdam theologicas controversias easque laboriosas dirimere; de Pastorum Ecclesiae natura et sacro munere constituere; disceptare de praerogativis ex Episcopatu legitime manantibus ac, Spiritus Sancti ope, de iis certam ferre sententiam; rationes, quae huic Sedi Apostolicae cum Episcopis intercedunt circumscribere; ostendere instituta et formam Ecclesiae, tam in oriente quam in occidente, licet proprietates quasdam utrimque habeat, esse eiusdem naturae; eius denique est manifestare Fidelibus Ecclesiae catholicae et Fratribus ab eius communione seiunctis, quae sit vera notio ordinum sacrae Hierarchiae, de quibus haec verba dicta sunt: « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei »,[12] ac quidem cum auctoritate certa, quam in dubium vocari non licet; ii vero etiam contendant, ut fratribus humiliter

[11] *Io.* 14, 26.
[12] *Act.* 20, 28.

ac patienter serviant, quemadmodum Pastores decet, ministros scilicet fidei et caritatis.

Haec vividiore cum meditatione Nos et vos ipsi, Venerabiles Fratres, animo volvimus, eo quod in tertia sessione Concilii Oecumenici ex variis diversisque quaestionibus illic disceptandis praecipua habebitur quaestio ad enucleandam et declarandam doctrinam naturae et mandati Ecclesiae pertinens. Ex quo continget, ut resumatur et integre perficiatur pertractatio in superioribus duabus sessionibus inchoata, utque haec sollemnis generalis Synodus congruens continuatio et perpetuitas Oecumenici Concilii Vaticani primi evadat. Vult denique Ecclesia se ipsam contemplari, vel potius in mente Iesu Christi, Divini Conditoris sui, se ipsam inquirere. Quod profecto idem valet ac sapientiae et caritati Fundatoris sui honoris exhibere obsequium, atque, dum ipsi iterata observantia fidem et fidelitatem profitetur, se instructiorem facere ad opus salutis exsequendum, ob quod instituta est.

Nemo autem putet Ecclesiam, dum ita se gerit, oblectationis causa in se ipsa conquiescere eandemque oblivisci tum Christum, a quo cuncta accipit, cui cuncta debet, tum humanum genus, cui quidem ad deserviendum nata est. Inter Christum et hominum societatem Ecclesia media consistit, minime contenta sui, minime quasi opacum quiddam visum impediens, minime sibi ipsi finis, sed contra idcirco constanter sollicita, ut tota sit Christi, in Christo, pro Christo, ut tota sit hominum, inter homines, pro hominibus, vere humilis et excellens trames inter Divinum Servatorem et humanum genus ideo constitutus, ut tueatur et expandat supernaturalis vitae veritatem et gratiam.

Haec nunc praegravia et maxima sunt, hoc nimirum momento vertente temporis, quod saeculorum decursu valde sacratum esse videtur. Etenim de Ecclesia suscipienda consideratio Nobis ac potissimum vobis aliquid in medium proferet summi profecto ponderis, quod spectabit Ecclesiae ipsius hierarchicam constitutionem coniunctimque originem, naturam, munus, potestatem Episcopatus. Ecclesiasticae nempe Hierarchiae, ut iam monuimus, Episcopatus pars est celsa et eximia eamque « Spiritus Sanctus posuit ... regere Ecclesiam Dei ».[13]

Quocirca putamus Nos providentissimi Dei obsequi consilio, cum in hoc eventu celebrationis historia dignae vobis, Venerabiles et dilecti in Episcopatu Fratres, honorem impertimus, quem Dominus Noster voluit Apostolis una cum Petro attribui.

A Patribus Concilii Oecumenici Vaticani primi definitae et declaratae sunt potestates, reapse unicae summaeque, a Christo Petro col-

[13] *Act.* 20, 28.

latae et successoribus eius transmissae. Hac pronuntiatione nonnullis visa est Episcoporum, Apostolorum successorum, auctoritas minui; hoc persuasum illis habebatur supervacaneam prorsus fieri et praepediri convocationem subsequentis Concilii Oecumenici, cui tamen suprema in universam Ecclesiam potestas iure canonico agnoscitur.

Haec Synodus pariter Oecumenica confirmatura utique est doctrinam superioris Concilii Oecumenici de Summi Pontificis praerogativis; attamen id quoque et praecipue intendet, ut praerogativas Episcopatus describat et honore collustret. Pro certo sciant omnes praesentis Concilii convocationem ultro et sponte factam esse a felicis recordationis Decessore Nostro Ioanne XXIII et a Nobis statim confirmatam, cum probe novissemus, id quod a sacratissimo hoc Coetu quaereretur, prorsus Episcopatum attingere. Nec aliter evenire poterat, cum non tantum considerarentur conexae doctrinae, verum etiam cum sincera exsisteret voluntas profitendi gloriam, mandatum, merita, amicitiam Nostrorum Fratrum, qui partes agunt docendi, sanctificandi, moderandi Ecclesiam Dei.

Liceat Nobis iterare et quasi Nostra facere praeclara verba, quae remotus sanctissimusque Decessor Noster immortalis memoriae Gregorius Magnus ad Eulogium, Episcopum Alexandrinum, scripsit: « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur ».[14]

Veritatis catholicae integritas nunc postulat, ut doctrinae caput declaretur, quod, congruenter cum doctrina de Romano Pontifice, fulgida in sua luce ponat dignitatem ac munera, quae ad Episcopatum pertinent. Huiusmodi dignitatis atque munerum lineamenta describere, officium erit Concilii Oecumenici quod non alio contendet nisi ut mentem Iesu Christi recte interpretetur, qualem divinae revelationis fontes ac doctrina catholica certe exinde derivata exhibent. Ad Nos quod attinet, iam nunc gaudemus Episcopos agnoscere Fratres Nostros, eosque cum Petro Apostolo appellare « Seniores », Nosque « Conseniorem » grata nec absimili appellatione nuncupare; [15] hoc est gaudium Nostrum, quod eos Pauli Apostoli verbis appellare possumus « socios in tribulationibus et consolationibus »,[16] haec sollicitudo Nostra, quod venerationem, existimationem, caritatem, animi coniunctionem Nostram iis testari licet. Denique Nostrum est officium eos agnoscendi Magistros, Pastores, Sanctificatores populi christiani, « dispensatores mysteriorum

[14] 8, 30; *PL* 77, 933.
[15] Cf. *1 Pt.* 5, 1.
[16] Cf. *2 Cor.* 1. 4, 7.

Dei »,[17] testes Evangelii, ministros novi Testamenti, quasi splendorem gloriae Domini.[18]

Quodsi, utpote Petri successor, atque hac de causa plena in universam Ecclesiam potestate praediti, Nos etsi immerentes officio fungimur vestri Moderatoris; hoc non eo spectat ut vestra imminuatur auctoritas; immo eam Nos imprimis veneratione prosequimur. Praeterea, si apostolicum munus a Nobis requirit ut, ad potestatis episcopalis perfunctionem quod attinet, aliquid Nobis reservemus, limites praefiniamus, formas statuamus, agendi rationes ordinemus, haec omnia, ut probe nostis, ipsum Ecclesiae universae bonum postulat, postulat unitas Ecclesiae; quae quidem eo magis supremo ductore indiget, quo latius catholici nominis fines proferuntur, quo graviora fiunt pericula et instantius urgent necessitates populi christiani in variis temporum rerumque adiunctis, immo, ut addere licet, quo expeditior hodie nobis commeandi facultas praebetur. Haec potestatis ecclesiasticae in unum veluti centrum ordinatio, quae temperate semper exercebitur, ac semper pensabitur opportunis facultatibus utilibusque ministeriis quae locorum Pastoribus vigilanter tribuantur; haec ad unum veluti centrum ordinatio, dicimus, censenda minime est quasi quoddam artificium dominandi cupiditate quaesitum; verum eadem, Venerabiles Fratres, famulatus speciem induit; indoli Ecclesiae respondet, quae suapte natura una et hierarchica est; efficit illud ornamentum, illud robur, illam pulchritudinem, quam Christus Ecclesiae pollicitus est eique temporum successione concedit.

Quam ad rem verba commemorare placet, quae Decessor Noster Pius XII fel. rec. ad Episcoporum coetum habuit: « Haec ergo coniunctio et congruens rei communicatio cum Sancta Sede non oritur ex quodam studio omnia in unum cogendi et conformandi, sed ex iure divino et ex proprio ipsius constitutionis Ecclesiae Christi elemento ».[19]

Attamen haec norma episcopalem auctoritatem nullo modo extenuat, immo robore auget, sive ea in singulis Antistitibus, sive in toto Episcoporum collegio consideratur. O quanta admiratione prosequimur, quantopere tueri cupimus munera sacrae Hierarchiae propria! Ea enim e caritate Christi orta est, ut compleret, diffunderet atque integrum frugiferumque per temporum decursum transmitteret sacrum illum fidei, exemplorum, praeceptorum et charismatum thesaurum, quem Christus Ecclesiae suae hereditate reliquit; ipsa christifidelium communitatem

[17] Cf. *1 Cor.* 4, 1.
[18] Cf. *2 Cor.* 3, 6-18.
[19] *A.A.S.,* 46 (1954), p. 676.

generat eiusque visibilem compaginem apte ordinat; ipsius opera fit ut Ecclesia Mater et Magistra appellari possit; ipsius ministerio nobis Sacramentorum divitiae impertiuntur; ipsa praeeunte, Deo preces adhibentur; ipsa christianae caritatis promovet opera atque incepta. Nos, qui sacri huius Instituti supremo regimini praepositi sumus, nonne Nostras curas, Nostram fiduciam, Nostrum praesidium illi praebebimus? Num defensionem Nostram ei denegabimus? Quod officium frequentius, gravius, gratiusque Nobis esse poterit, quam iura, libertatem, dignitatem sacrae Hierarchiae in variis Nationibus tueri? Nonne hac ardua navitate fere tota Summi Pontificatus historia contexitur, praesertim nostris temporibus, quibus tot rerum perturbationes cernimus?

Alio quoque argumento has catholici Episcopatus laudes confirmare placet, ut manifesto pateat quantum eius dignitati, quantum eius caritati prosint haec hierarchicae communionis vincula, quae Episcopos cum Apostolica Sede coniungunt; scilicet Sedes Apostolica vobis indiget, Venerabiles Fratres! Etenim quemadmodum vobis, varias terrarum orbis partes incolentibus, ut veram Ecclesiae notam catholicam efficiatis atque ostendatis, necessarium omnino est centrum et principium unitatis fidei et communionis, quod in hac Petri Cathedra habetis; ita semper vestram praesentem operam expetimus, ut vultus Apostolicae Sedis pulchritudine niteat neve eadem careat vi atque momento suo humano et historico, immo ut fides eius consonanter servetur, officia eius in exemplum impleantur, in eius angustiis solacium ipsi praebeatur.

Itaque Nos, dum exspectamus vestros coetus doctrinam de episcopali munere declaraturos esse, ipsi Episcopatui iam Nostrum tribuimus honorem, animum Nostrum fraternum, immo paternum profitemur, atque ab ipso assensionem petimus, quae Nos ex imo pectore soletur. Utinam animorum illa consensio et conspiratio, qua catholicae Hierarchiae ordines vitali fidei caritatisque foedere inter se coniunguntur, ex hoc Oecumenico Concilio altior, validior atque sanctior usque fiat: exinde gloria Christo, pax Ecclesiae, lux terrarum orbi obveniet.

De qua re, deque aliis multis, quae Concilio ad examinandum propositae sunt, vel plura diceremus, nisi timeremus vestra abuti patientia.

Attamen facere non possumus, quin ex hac Basilica atque hoc peculiari temporis momento ecclesiasticas communitates, quarum partes agitis, singulari cum benevolentia salvere iubeamus: imprimis cogitatio convertitur Nostra ad Sacerdotes in universo terrarum orbe degentes, quos carissimos habemus et colimus, eosdemque veros validosque episcopalis muneris adiutores existimamus; ad Religiosos Sodales, omni studio adlaborantes, ut Christo conformes fratribusque utiles fiant; ad omnes

e laicorum ordine catholicos homines, qui adiutricem operam sacrae Hierarchiae impense navant, ut Ecclesia aedificetur atque humani generis societati praebeatur ministerium; ad omnes convertitur corporis animive doloribus affectos, ad inopes, ad hostiliter insectatos: hi sane e recordatione Nostra excidere nequeunt, et ii praesertim, qui libertatis expertes ab hac Synodo abesse coguntur.

Deinde salutem dicimus hic praesentibus Auditoribus, quorum nobiles animi sensus atque insignia merita Nobis perquam nota sunt. Tum laetantes consalutamus dilectas Nobis in Christo filias, scilicet Auditrices mulieres, quae nuncupantur, quibusque primum facultas facta est quosdam Concilii conventus participandi. Qui omnes, sive Auditores sive Auditrices, ex huiusmodi sibi facto ad Concilium aditu procul dubio intellegant oportet, quo paterno animo in cunctos plebis Dei ordines feramur, et quantopere cupiamus, ut christianae societati uberiorem in dies copiam concordiae, mutuae conspirationis et operae, caritatisque demus.

Vos denique, dignissimi ac praeclari Observatores, qui iam tertio Concilii coetibus volentes interestis, salvere iubemus; vobis gratias agimus, vobis voluntatem atque opem Nostram denuo testamur, fore confisi ut omne impedimentum, omnis dissensio, omnisque suspicio quondam tollantur, quibus praepedimur, quominus in Christo in eiusque Ecclesia « cor unum et animam unam » [20] omnino nos esse sentiamus. Pro Nostra parte nihil intentatum relinquemus, quod ad id consequendum in Nostra fuerit potestate. Plane intellegimus, rem maximi momenti esse, ut huiusmodi unitas redintegretur: qua de causa omnem curam in id intendemus, omneque in hac re consumemus tempus, quod ab eadem postulatum erit. Haec res prorsus nova ac recens est, si eam cum diuturna lugendaque rerum gestarum serie comparamus, quae singula discidia antecesserunt: at nos aequo animo exspectabimus, donec condicionum maturitas veniat, quibus eam quaestionem certo exitu et mente amica expediamus. Haec res maximi est momenti, quae in arcanis Dei consiliis penitus est recondita: at nos humili piaque voluntate studebimus, ut tanta gratia digni evadamus. Memores sumus, quae verba Paulus Apostolus fecerit, qui « omnibus omnia factus » [21] Evangelii donum cunctis gentibus est largitus, tali usus indulgentia, quam e nostrae aetatis ratione « pluralismum practicum » appellare Nobis liceat; memores pariter sumus, ipsum Apostolum nos obtestari, ut « solliciti servemus unitatem spiritus in vinculo pacis », quoniam « unus est

[20] Cf. *Act.* 4, 32.
[21] *1 Cor.* 9, 22.

Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium »:[22] quam ob rem operam dabimus, ut, summa cum fidelitate erga unam Christi Ecclesiam, ea omnia melius cognoscamus atque probemus, quae in variis christianorum hominum communitatibus, a nobis adhuc seiunctis, et vera et probanda sint. Itemque ab istis communitatibus petimus, ut catholicam fidem et catholicam vitae rationem melius ipsae cognoscant, neve ullam offensionem capiant ex huiusmodi Nostra invitatione, sed eam potius officiosam atque fraternam esse ducant, quippe qua eos advocemus, ut veritatis caritatisque plenitudinem ex integro participent: eam dicimus plenitudinem, quam Christi praeceptum nobis immeritis laetissima sorte et gravissimo onere custodiendam tradidit; et quae clariore in luce ponetur cum omnes Christi nomen profitentes in unitate compositi erunt.

Interea per vos, venerabiles et illustres hospites, sollemnibus his coetibus observatorum partes agentes, et christianas communitates ex animo salutamus, quarum personam geritis; et ad eas etiam, quae delegatos huc non miserunt, reverentem cogitationem Nostram convertimus. Nos vero precibus caritateque omnia Christi membra, adhuc a plena spirituali et visibili Mystici Corporis integritate seiuncta, in unum componimus; in quo sane amoris pietatisque studio Noster accrescit dolor, nostraque accrescit spes. O Ecclesiae a Nobis remotae, at Nobis tam proximae! O Ecclesiae, quas sincera benevolentia suspiramus! O Ecclesiae, quas insomni desiderio prosequimur! O Ecclesiae lacrimarum Nostrarum, quas valde cupimus in germano Christi amore complecti et honestare! Ad vos perveniant, ex hoc unitatis cardine, nempe ab apostoli martyrisque Petri sepulcro, ab hoc Oecumenico fraternitatis et pacis Concilio, Nostra clamantia caritatisque plena verba: adhuc longo fortasse intervallo seiungimur, multumque temporis praeteribit, donec plena et perfecta reconciliatio fiat; sciatis tamen vos iam in sinu Nostro esse; atque misericordiarum Deus haec vota Nostra excipiat atque spem alat tam suavem!

Postremum, cogitatio Nostra ad hominum consortionem convertitur, in qua vivimus, quaeque favore, vel neglegentia, vel fortasse hostili animo in nos est affecta: ei salutem iterum dicimus, quam a Bethlehemico specu ipsi iam fecimus, eodem proposito moti operam dandi, ut Ecclesia ad hominum spiritualem salutem civilemque prosperitatem comparandam inserviat, atque adeo ipsi pace veraque felicitate fruantur.

Dum igitur vos omnes compellamus, Venerabiles Fratres, ut Spiritum Paraclitum concordes exoretis, tertiae huius Oecumenici Concilii

[22] Cf. *Eph.* 4, 3. 5-6.

Vaticani secundi Sessionis initium facimus, atque in nomine Domini, tutela confisi Sanctissimae Virginis Mariae ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, vobis omnibus Apostolicam Benedictionem peramanter largimur.

4. Sessionis conclusio

Post allocutionem, Summus Pontifex intonavit hymnum *Veni Creator,* quem chorus Cappellae Sixtinae et omnes Patres alternatim prosecuti sunt.

Cantatis versiculo *Emitte Spiritum tuum...* et oratione *Deus, qui corda fidelium...,* Summus Pontifex omnibus praesentibus Apostolicam Benedictionem impertitus est.

Summus Pontifex: Sit nomen Domini benedictum!
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.

Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.
℟. Amen.

Summus Pontifex in sella gestatoria discedit, praeeuntibus Patribus concelebrantibus, dum omnes plaudunt et cantant *Christus vincit...*

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS LXXX
15 septembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS LXXX

15 septembris 1964

Exc.mus P. D. IOANNES VILLOT, *arch. tit. Bosporanus, coad. c.i.s. Lugdunensis, subsecretarius Ss. Concilii*:

Sicut iam factum est anno praeterito, reverenter rogantur Patres ut sacrae Missae liturgiae choraliter, i. e. una simul omnes, lente et graviter, sacrae Missae liturgiae respondere velint.

Incipit Missa celebrata ab exc.mo P. D. Carolo Vanuytven, ep. tit. Megarensi, antea vic. ap. in Congo, pro quadragesimo anniversario suae consecrationis episcopalis. [*Plausus*].

Missa est de festo Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis.

[Post inthronizationem S. Evangelii et orationem *Adsumus*]

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Loquitur em.mus card. Decanus.

. . . . .

Extra omnes.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT, primus e consilio praesidentiae: [*cf. pag. 27*].

Secretarius generalis: Patres venerabiles, salvete. Moderatur 80 congregationem generalem em.mus ac rev.mus P. D. card. Petrus Gregorius Agagianian, qui nunc amplissimum coetum affatur.

Moderator: Venerabiles Patres, initium operae suae daturis in hac tertia Sacrosancti Concilii periodo, gratissimum est moderatoribus, quorum nomine ipse loquor, salutationem in Christo dicere plurimam et obsequii sensus promere erga tum consilium praesidentiae, cuius dictamina, per em.mum card. Decanum mox prolata, exsecutioni religiose dabuntur, tum venerabilibus Concilii Patribus, tum etiam iis omnibus qui pro Sacro Concilio operam suam sagaciter navant.

Labor qui nos manet gravis est. Materia disceptanda vel suffragationi subicienda copiosa est, multique momenti. Sed neque labor neque materia fatigare non possunt cum gloria Dei et Ecclesiae bonum veluti

exigant ut operam demus alacriter, quo Concilii labores ad fructuosum finem quam citius, ut est in communi voto, salva quidem Patrum libertate, perducantur.

Vestrae fidimus cooperationi, Patres venerabiles. In vestro studio haud mediocrem spem ponimus, periti egregii. Hoc tamen studium et investigatio uni Ecclesiae bono et aedificationi intendat.

Salutem tandem plurimam ex corde dicimus lectissimis Observatoribus, Auditoribus atque Auditricibus.

Laboribus nostris coniungimus instantem quotidianam orationem. Omnipotens Deus nos omnes adiuvet, auxilietur materne Virgo Maria, splendeat in hoc amplissimo coetu fulgor Ss.mae Crucis, unice nostrae spei qua salvati et liberati sumus. Et Ecclesia, de qua mox disceptandum erit, nitidis radiis coruscat.

Loquitur nunc exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis:

In hac congregatione generali distribuentur Patribus: imprimis sermo, quem dixit nuper em.mus card. Decanus; tum textus Litterarum Encyclicarum *Ecclesiam Suam,* SS. Domini nostri Pauli VI; dein libellus continens nomina omnium Patrum conciliarium, qui ad diem perductus est tertiam septembris huius anni. Tempore suo dabitur quoque exemplar relationis circa schema *de Ecclesia,* cap. VII, de quo disceptandum est.

Operae pretium est, venerabiles Patres, legere vobis normas quae additae sunt *Ordini Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi*; additae sunt auctoritate Summi Pontificis. Iam folium has normas continens distributum est Patribus in orbe terrarum dispersis; sed nunc eas legimus, ita ut observatio religiosior fiat, uti monitum est ab em.mo D. card. Decano.

..... [*Cf. pag. 14*].

« 5) Sine expressa praesidis licentia, petenda per secretarium generalem, nemini licet distribuere in aula vel in eius viciniis cuiusvis generis folia, opuscula, libellos, etc. Spectat ad secretarium generalem huius normae exsecutionem curare ».

Quod hanc ultimam normam spectat, secretarius generalis valde confidit fore ut sibi concessa facultas praepediendi nunquam adhibenda sit. Quapropter iam nunc parcite mihi, Patres venerabiles, et excusatum me habete si hac facultate aliquando usus sum et etiam in posterum utar. Ipse nollem, nam hoc multum incommodum affert et dolorem, sed officium urget. Quapropter rogo vos, venerabiles Patres, ut nunquam ego debeam hac potestate et facultate uti.

Quoad peritos, iam in hac periodo, ut ita dicam, « interlocutoria »,

datae eisdem sunt normae religiose observandae circa operam ab ipsis praestandam. Ut etiam omnes Patres has normas cognoscere possint, eas repeto et lego in hoc amplissimo coetu ... [*cf. pag. 24*].

Hic textus versus est in praecipuas linguas hodiernas, et hodie iterum tradetur.

Superiores autem mihi scripserunt, praecise die 10 septembris currentis, ut has normas in memoriam clare et distincte revocarem, hoc addito quod ii periti qui has normas transgrediuntur titulo peritorum privabuntur.

Nunc transeamus ad thema nostrae congregationis generalis.

Sed antequam dicam nomen relatoris et nomina eorum qui loqui petierunt, vos praevenio, venerabiles Fratres, durante hac congregatione generali me esse distributurum alium fasciculum summi momenti qui respicit aliquod quaesitum coetui proponendum circa modum suffragandi schema constitutionis *de Ecclesia.* Quapropter, dum disceptatio fit, distribuetur hic fasciculus. Deinde ego ambonem iterum ascendam, ut necessarias explicationes venerabilibus Patribus praestem. Si hoc facerem nunc, forsan taedio vos afficerem.

Rogantur ergo venerabiles Patres, ut suis locis hoc mane maneant, forsan toto tempore, quia res agitur maximi momenti, *res agitur maximi momenti,* et dolendum esset quod quis non intellexerit propter aliquam absentiam. Agitur *de Ecclesia,* agitur de quaestionibus maximi momenti pro Ecclesia. Quapropter hae preces bene, satis superque explicantur.

Et data occasione dico vobis, Patres, quod thermopolium, scil. « bar », non aperiet suas ianuas, ceteris quoque diebus, nisi hora undecima. Ante illam horam, inutile est pulsare ad ianuam: nemo aperiet.

Incipit igitur disceptatio circa cap. VII *de Ecclesia.* Relationem faciet em.mus ac rev.mus card. Michaël Browne, et verbum petierunt em.mi ac rev.mi PP. DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Ioannes Urbani, patr. Venetiarum in Italia; Rufinus Santos, arch. Manilensis in Philippinis; Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Africa Orientali; beat.mus P. D. Albertus Gori, Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum; deinde exc.mi PP. DD. Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Iustinus Darmajuwana, arch. Semarangensis in Indonesia; Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum in Libano; Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada; Ioseph Pont y Gol, ep. Segobricensis-Castellionensis in Hispania; Leo Arthurus Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia; rev.mus P. D. Christophorus Butler, sup. gen. Congreg. Angliae O.S.B.; exc.mi PP. DD. Secundus Garcia de Sierra y Mendez, arch. Burgensis in Hispania; et Ludovicus Mathias, arch. Madrapolitanus et Meliaporensis in India.

DISCEPTATIO

[7] 1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA *

CAPUT I
DE ECCLESIAE MYSTERIO

Textus prior

1. [*Introductio*]. Lumen gentium cum sit Christus, haec Sacrosancta Synodus, in Spiritu Sancto congregata, omnes homines, in caligine huius saeculi viventes, claritate Eius, super faciem Ecclesiae resplendente, illuminare vehementer exoptat, omni creaturae Evangelium annuntiando (cf. *Mt.* 16, 15). Cum vero Ecclesia sit in Christo signum et instrumentum, seu veluti sacramentum intimae totius generis humani unitatis eiusque cum Deo unionis, naturam missionemque suam universalem instantius fidelibus suis et mundo universo declarare intendit, praecedentium Conciliorum argumento instans, illudque sermone menti hodiernae ac-

Textus emendatus

1. [*Introductio*]. Lumen gentium cum sit Christus, haec Sacrosancta Synodus, in Spiritu Sancto congregata, omnes homines claritate Eius, super faciem Ecclesiae resplendente, illuminare vehementer exoptat, omni creaturae Evangelium annuntiando (cf. *Mc.* 16, 15). Cum vero Ecclesia sit in Christo *veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae* cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis, naturam missionemque suam universalem, praecedentium Conciliorum argumento instans, *pressius* fidelibus suis et mundo universo declarare intendit. Condiciones huius temporis huic Ecclesiae officio *urgentiorem vim addunt,*

* In fasciculi initio legitur: « Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Iulii, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

NOTANDA: Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur. In schemate habentur duo textus: textus *prior* et textus *emendatus*. Alter iuxta emendationes a Patribus

Textus prior

commodato enucleans. Condiciones enim huius temporis memorato Ecclesiae officio novam vehementioremque addunt vim et instantiam, ut nempe homines cuncti, variis hodie vinculis socialibus, technicis, culturalibus arctius coniuncti, plenam etiam unitatem in Christo consequantur.

Caput I
DE ECCLESIAE MYSTERIO

2. [*Aeterni Patris de universali salute consilium*]. Aeternus Pater, liberrimo et arcano sapientiae ac bonitatis suae consilio, mundum universum creavit, homines ad participandam vitam suam divinam elevare decrevit, eosque lapsos in Adamo non dereliquit, semper eis auxilia ad salutem praebens, intuitu Christi, Redemptoris, « qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae » (*Col.* 1, 15). Haec congregatio iustorum a Sanctis Patribus Ecclesia universalis vocatur, « quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum » colligitur. Filium autem Pater suum ad hoc praedestinavit (cf. *Rom.* 1, 4), ut de populo electo secundum carnem natus, omnes sua morte redimeret, fratresque suos in filios Patris constitueret, eosque non tantum singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificaret, sed in Populum Dei, novum genus electum, regale sacerdotium, gen-

Textus emendatus [7]

ut nempe homines cuncti, variis hodie vinculis socialibus, technicis, culturalibus arctius coniuncti, plenam etiam unitatem in Christo consequantur.

Caput I
DE ECCLESIAE MYSTERIO

2. [*Aeterni Patris de universali salute consilium*]. Aeternus Pater, liberrimo et arcano sapientiae ac bonitatis suae consilio, mundum universum creavit, homines ad participandam vitam suam divinam elevare decrevit, eosque lapsos in Adamo non dereliquit, semper eis auxilia ad salutem praebens, intuitu Christi, Redemptoris, « qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae » (*Col.* 1, 15). *Omnes autem electos Pater ante saecula « praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit Ipse primogenitus in multis fratribus »* (*Rom.* 8, 29). *Credentes vero in Christum convocare statuit in sancta Ecclesia,* quae iam ab origine mundi praefigurata, in *historia* populi Israël ac foedere antiquo mirabiliter praeparata (1), in novissimis temporibus constituta, *effuso Spiritu* est manifestata, *et in fine saeculorum gloriose consummabitur.* Tunc [8]

Conciliaribus postulatas et a Commissione de doctrina fidei et morum examinatas atque propositas.

Adsunt, etiam, ad instar appendicis, notae, necnon relationes particulares et generales, ex quibus Patribus innotescunt rationes, cur novus textus ab antiquo recedat.

E/1 etc. significant *Emendationes* seu *Observationes* in Concilio sive habitas, sive scripto datas, vel etiam postea Secretario Generali missas.

[8]

Textus prior

tem sanctam (cf. *1 Pt.* 2, 9) sub uno Capite constitueret. Haec sancta Ecclesia iam ab origine humani generis praefigurata, in electione veteris populi ac foedere antiquo mirabiliter praeparata, in novissimis temporibus est manifestata.

3. [*De missione Filii*]. Misit igitur Pater Filium suum, ut peccatores salvos faceret (cf. *1 Tim.* 1, 15) et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum (cf. *Io.* 11, 52), totique humano generi firmissimum esset unitatis principium. Christus autem novum foedus instituit et ex Iudaeis ac Gentibus plebem vocavit, quae non secundum carnem sed in Spiritu ad unitatem coalesceret, essetque novus Populus Dei. Sicut vero Israel secundum carnem, qui in deserto peregrinabatur, Dei Ecclesia appellatus est (cf. *Num.* 20, 4; *Dt.* 23, 1 ss.), ita novus Israel qui in praesenti saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit (cf. *Hebr.* 13, 14), Ecclesia Christi nuncupatur quippe quam Ipse sanguine suo acquisivit (cf. *Act.* 20, 28), suo Spiritu replevit, aptisque mediis visibilis seu socialis unionis instruxit, eam super Petrum et Apostolos aedificans. Congregatio eorum, qui in Iesum salutis auctorem et pacis ac unitatis principium credunt, est Ecclesia ab Eo convocata et legitime constituta, ut sit pro universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis. Ad universas

Textus emendatus

autem, sicut apud sanctos Patres legitur, omnes iusti inde ab Adam, « ab Abel iusto usque ad ultimum electum » (2) in Ecclesia universali *apud Patrem congregabuntur.*

3. [*De missione et munere Filii*]. *Venit igitur Filius,* missus a Patre, *qui nos in Eo ante mundi constitutionem elegit ac in adoptionem filiorum praedestinavit, quia in Eo omnia instaurare sibi complacuit* (cf. *Eph.* 1, 4-5 et 10). Christus ideo, *ut voluntatem Patris impleret,* regnum caelorum in terris inauguravit nobisque eius mysterium revelavit, atque oboedientia sua redemptionem effecit. Ecclesia, seu regnum Christi iam praesens in mysterio, ex virtute Dei in mundo visibiliter crescit. Quod exordium et incrementum iterum significatur, tum sanguine et aqua ex aperto latere Iesu crucifixi exeuntibus (cf. *Io.* 19, 34), tum verbis Domini de morte sua in cruce: « Et Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad Meipsum » (*Io.* 12, 32). *Quoties sacrificium crucis, qua pascha nostrum immolatus est Christus* (*1 Cor.* 5, 7), *in altari celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur. Simul sacramento panis eucharistici repraesentatur et efficitur unitas fidelium,* qui unum corpus in Christo constituunt (cf. *1 Cor.* 10, 17). *Omnes homines ad hanc vocantur unionem cum Christo,*

Emendationes indicant duo fascicula, anno 1963 typis edita sub titulo Emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitae super Schema Constitutionis dogmaticae de Ecclesia: pars I et pars II [*cf. vol. II, pars I, pp. 282-336*].

Animadversiones connotant Observationes Patrum, de quibus supra, in forma compendiosa redactas, supra capita de *Mysterio Ecclesiae* et de *Hierarchia*: 143 pp. dactylographatae.

Litterae (A), (B) etc. spectant ad litteras correspondentes in Relationibus de singulis numeris.

[9]

Textus prior

regiones extendenda, in historiam hominum intrat, ipsa supra tempora et fines populorum exsistens.

4. [*De Spiritu Ecclesiam sanctificante*]. Opere autem consummato, quod Pater Christo commisit in terra faciendum (cf. *Io.* 17, 4), misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra (cf. *Gal.* 4, 6), in quo uno Spiritu accessum habemus ad Patrem (cf. *Eph.* 2, 18). Ipse est Spiritus vitae seu aqua saliens in vitam aeternam (cf. *Io.* 4, 14), per quem Pater homines peccato mortuos in Christo resuscitat (cf. *Rom.* 8, 10 ss.). In fidelibus et in Ecclesia tamquam in templo habitat (cf. *1 Cor.* 3, 16; 6, 19; *Eph.* 2, 22; *1 Pt.* 2, 5), Ecclesiam diversis donis et charismatibus suis dirigit et fructibus suis adornat (cf. *1 Cor.* 12, 4; *Gal.* 5, 22). Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei, qui per virtutem Evangelii iuvenescere facit Ecclesiam eamque perpetuo renovat, et ad consummatam cum Sponso suo unionem perducit. Nam Spiritus et Sponsa ad Dominum Iesum dicunt « Veni » (cf. *Apoc.* 22, 17).

Sic apparet universa Ecclesia sicuti « de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata ».

5. [*De Ecclesia ut Mystico Corpore Christi*]. Vide infra pag. 20. Numerus *de Regno Dei* non aderat in textu priore.

Textus emendatus

qui est lux mundi, a quo procedimus, per quem vivimus, ad quem tendimus.

4. [*De Spiritu Ecclesiam sanctificante*]. Opere autem consummato, quod *Pater Filio* commisit in terra faciendum (cf. *Io.* 17, 4), missus est *Spiritus Sanctus* die Pentecostes, ut Ecclesiam iugiter sanctificaret, atque ita credentes per *Christum* in uno *Spiritu* accessum haberent ad *Patrem* (cf. *Eph.* 2, 18). Ipse est Spiritus vitae seu *fons* aquae salientis in vitam aeternam (cf. *Io.* 4, 14; 7, 38-39), per quem Pater homines, peccato mortuos, vivificat, *donec eorum mortalia corpora* in Christo resuscitet (cf. *Rom.* 8, 10-11). Spiritus in Ecclesia et in cordibus fidelium tamquam in templo habitat (cf. *1 Cor.* 3, 16; 6, 19), *in eisque orat et testimonium adoptionis filiorum reddit* (cf. *Gal.* 4, 6; *Rom.* 8, 15-16 et 26). Ecclesiam, *quam in omnem veritatem inducit* (cf. *Io.* 16, 13) *et in communione et ministratione unificat,* diversis donis *hierarchicis* et charismaticis dirigit, et fructibus suis adornat (cf. *Eph.* 4, 11-12; *1 Cor.* 12, 4; *Gal.* 5, 22). Virtute Evangelii iuvenescere facit Ecclesiam eamque perpetuo renovat et ad consummatam cum Sponso suo unionem perducit (3). Nam Spiritus et Sponsa ad Dominum Iesum dicunt « Veni! » (cf. *Apoc.* 22, 17).

Sic apparet universa Ecclesia sicuti « de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata » (4).

5. [*De Regno Dei*] (Novus numerus). Ecclesiae sanctae mysterium in eiusdem fundatione manifestatur. Dominus enim Iesus Ecclesiae suae initium fecit praedicando faustum nuntium, adventum scilicet Regni Dei a saeculis in Scripturis promissi: « Quoniam imple-

[9]

Textus prior

6. [*De aliis Ecclesiae imaginibus*]. Variis insuper aliis et profundis imaginibus nobis intima Ecclesiae natura innotescit, quarum praecipuas evocamus. Est enim Ecclesia grex, cuius ipse Deus pastorem se fore praenuntiavit (cf. *Io.* 40, 41; *Ez.* 34, 11 ss.), et cuius oves, etsi a

Textus emendatus

tum est tempus, et appropinquavit Regnum [10] Dei » (*Mc.* 1, 15; cf. *Mt.* 4, 17). Hoc vero Regnum in verbo, operibus et praesentia Christi hominibus elucescit. *Verbum* nempe Domini comparatur semini, quod in agro seminatur (*Mc.* 4, 14): qui illud cum fide audiunt et Christi pusillo gregi (*Lc.* 12, 32) adnumerantur, Regnum ipsum susceperunt; propria dein virtute semen germinat et increscit usque ad tempus messis (cf. *Mc.* 4, 26-29). *Miracula* etiam Iesu Regnum iam in terris pervenisse comprobant: « Si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos Regnum Dei » (*Lc.* 11, 20; cf. *Mt.* 12, 28). Ante omnia tamen Regnum manifestatur in *Persona* ipsius Christi, Filii hominis, qui venit « ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc.* 10, 45).

Cum autem Iesus, mortem crucis pro hominibus passus, resurrexerit, tamquam Dominus et Christus Sacerdosque in aeternum constitutus apparuit (cf. *Act.* 2, 36; *Hebr.* 5, 6; 7, 17-21), atque Spiritum a Patre promissum in discipulos suos effudit (cf. *Act.* 2, 33). Unde Ecclesia, donis sui Fundatoris instructa fideliterque eiusdem praecepta caritatis, humilitatis et abnegationis servans, missionem accipit Regnum Christi et Dei annuntiandi et in omnibus gentibus instaurandi, huiusque Regni in terris germen et initium constituit. Ipsa interea, dum paulatim increscit, ad Regnum consummatum anhelat, ac totis viribus sperat et exoptat cum Rege suo in gloria coniungi.

6. [*De variis Ecclesiae imaginibus*]. Sicut in VETERE TESTAMENTO *revelatio Regni saepe sub figuris proponitur,* ita nunc quoque variis imaginibus intima Ecclesiae natura nobis innotescit, *quae sive e vita pastorali vel ab agricultura, sive ab aedificatione aut etiam a familia*

Textus prior

pastoribus humanis, praepositis scilicet Ecclesiae gubernantur, ab ipso Christo, bono Pastore Principeque pastorum (cf. *Io.* 10, 10; *1 Pt.* 5, 4) indesinenter et amanter colliguntur, aguntur et pinguibus pascuis nutriuntur. Est etiam Ecclesia vinea, quam caelestis agricola plantat, mundat et fovet (cf. *Is.* 5, 1-4 et 7; *Io.* 15, 1 ss.), vel ager vel agricultura Dei. Est Dei familia, eiusque templum et domus quae, in lapideis sanctuariis repraesentata, a sanctis Patribus laudatur, in qua Deus in Spiritu et veritate adoretur (cf. *Io.* 4, 23). Est habitaculum Spiritus Sancti, qui pastores et fideles confortat, illuminat atque in reddendo testimonio adiuvat. Est Civitas Sancta, nova Ierusalem, quam Ioannes contemplatus est, descendentem de caelis a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, tabernaculum Dei cum hominibus (cf. *Apoc.* 21, 1 ss.). Haec est Sponsa Christi vel Agni immolati (cf. *Apoc.* 20, 9), quam ut novam Evam novus Adam in Cruce moriens adiutorium sibi dedit, ut sit mater vere viventium, et quam mundatam Sibi voluit coniunctam et in dilectione ac fidelitate subditam (cf. *Eph.* 5, 22 ss.), quam tandem bonis caelestibus in aeternum cumulavit, ut Dei et Christi erga nos caritatem quae omnem scientiam superat, comprehendamus (cf. *Eph.* 3, 19).

Textus emendatus [10]

et sponsalibus desumptae, in libris Prophetarum praeparantur.

Est enim Ecclesia OVILE, *cuius ostium unicum et necessarium Christus est* (*Io.* 10, 1-10). Est etiam grex, cuius ipse Deus pastorem se [11] fore praenuntiavit (cf. *Is.* 40, 11; *Ez.* 34, 11 ss.), et cuius oves, etsi a pastoribus humanis gubernantur, indesinenter tamen deducuntur et nutriuntur ab ipso Christo, bono Pastore Principeque pastorum (cf. *Io.* 10, 11; *1 Pt.* 5, 4), *qui vitam suam dedit pro ovibus* (cf. *Io.* 10, 11-16).

Est Ecclesia AGRICULTURA seu ager Dei (*1 Cor.* 3, 9). *In illo agro crescit antiqua oliva, cuius radix sancta fuerunt Patriarchae, et in qua Iudaeorum et Gentium reconciliatio facta est et fiet* (*Rom.* 11, 13-26). Ipsa plantata est a caelesti Agricola tamquam vinea electa (*Mt.* 21, 33-43 par.; cf. *Is.* 5, 1 ss.). Vitis vera Christus est, vitam et fecunditatem tribuens palmitibus, scilicet nobis, qui per Ecclesiam in ipso manemus, et sine quo nihil possumus facere (*Io.* 15, 1-5).

Saepius quoque Ecclesia dicitur AEDIFICATIO Dei (*1 Cor.* 3, 9). *Dominus ipse se comparavit lapidi, quem reprobaverunt aedificantes, sed qui factus est in caput anguli* (*Mt.* 21, 42 par.; cf. *Act.* 4, 11; *1 Pt.* 2, 7; *Ps.* 117, 22). Super illud fundamentum Ecclesia ab Apostolis exstruitur (cf. *1 Cor.* 3, 11), *ab eoque firmitatem et cohaesionem accipit.* Quae constructio variis appellationibus decoratur: domus Dei, in qua nempe habitat eius FAMILIA, habitaculum Dei in Spiritu (*Eph.* 2, 19. 22), tabernaculum Dei cum hominibus (*Apoc.* 21, 3), et praesertim TEMPLUM sanctum, quod in lapideis sanctuariis repraesentatum a Sanctis Patribus laudatur, et in Liturgia non immerito assimilatur Civitati sanctae, novae Ierusa-

[11] *Textus prior* | *Textus emendatus*

lem (5). *In ipsa enim tamquam lapides vivi his in terris aedificamur* (*1 Pt.* 2, 5). Quam sanctam civitatem Ioannes contemplatur, in renovatione mundi descendentem de caelis a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo (*Apoc.* 21, 1 s.).

[12] Ecclesia etiam, « quae sursum est Ierusalem » et « mater nostra » appellatur (*Gal.* 4, 26; cf. *Apoc.* 12, 17), describitur ut SPONSA immaculata Agni immaculati (*Apoc.* 19, 7; 21, 2 et 9; 22, 17), quam Christus « dilexit, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret » (*Eph.* 5, 26), *quam sibi foedere indissolubili sociavit et indesinenter « nutrit et fovet »* (*Eph.* 5, 29), et quam mundatam sibi voluit coniunctam et in dilectione ac fidelitate subditam (cf. *Eph.* 5, 24), quam tandem bonis caelestibus in aeternum cumulavit, ut Dei et Christi erga nos caritatem, quae omnem scientiam superat, comprehendamus (cf. *Eph.* 3, 19). *Dum vero his in terris Ecclesia peregrinatur a Domino* (cf. *2 Cor.* 5, 6), *tamquam exsulem se habet, ita ut quae sursum sunt quaerat et sapiat, ubi Christus est in dextera Dei sedens, ubi vita Ecclesiae abscondita est cum Christo in Deo, donec cum Sponso suo appareat in gloria* (cf. *Col.* 3, 1-4).

Textus prior:

5. [*De Ecclesia ut Mystico Corpore Christi*]. Christus Dei Filius, in natura humana Sibi unita morte et resurrectione sua mortem superando, Populum Dei ad novam et sublimiorem condicionem evexit. Mittens enim Spiritum suum credentes non tantum huic Populo aggregat, sed fratres suos, ex omnibus gentibus convocatos, ut filios Dei adoptivos ac Sui coheredes (cf. *Rom.* 8, 15-17), in Se unit et tamquam corpus suum mystice constituit.

Vita enim Christi glorificati in membra Ec-

Textus emendatus:

7. [*De Ecclesia ut Corpore mystico Christi*]. Dei Filius, in natura humana Sibi unita, morte et resurrectione sua mortem superando, *hominem redemit et in novam creaturam transformavit* (cf. *Gal.* 6, 15; *2 Cor.* 5, 17). Communicando enim Spiritum suum, fratres suos, ex omnibus gentibus convocatos, tamquam corpus suum mystice constituit.

In corpore illo vita Christi in credentes diffunditur, *qui Christo passo atque glorificato, per sacramenta arcano ac reali modo uniuntur* (6).

Textus prior

clesiae diffunditur, ut cum Eo et in Eo unum corpus efficiant ex diversis membris aedificatum. Omnes enim, qui fidem Eius profitemur, in unum corpus baptizati et in uno Spiritu potati sumus (cf. *1 Cor.* 12, 13), et omnes de Eius corpore ut uno pane participamus (cf. *1 Cor.* 10, 17). Ita cum Domino unimur, Spiritu Eius intus operante, non tantum ut corpora nostra per sensibilia sacramenta Corpori eius clarificato coniungantur, sed etiam ut unum corpus fidelium, variis organis instructum, formemus, habentes donationes, secundum gratiam quae data est nobis, differentes (cf. *Rom.* 12, 6), et in tribulationibus invicem compatientes atque in gloria congaudentes (cf. *1 Cor.* 12, 26). Huius corporis caput Christus est, quem dedit Pater « caput supra omnem Ecclesiam, quae est Corpus Ipsius et plenitudo Eius, qui omnia in omnibus adimpletur » (*Eph.* 1, 22-23), « ut sit in omnibus Ipse primatum tenens, quia in Ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare » (cf. 1, 18-19). Caput et munere et perfectione et virtute omnibus membris et organis corporis praestat, quos tum dirigit tum vita sua replet.

Ad aedificandum in terris corpus suum, Ecclesiam scilicet suam, Christus dona ministrationum disposuit, quibus in Ipso nobis invicem ad salutem servitia praestamus, ut veritatem facientes in caritate, crescamus in Illo per omnia, qui est caput nostrum (cf. *Eph.* 4, 11-16), « ex quo totum corpus, per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei » (*Col.* 2, 19). In diversis illis muneribus, praesertim quando ministeriis sacrae Hierarchiae exercentur, Ipse Dominus est qui, cum sit Magister, Sacerdos atque Rex noster, habeatque nomen quod est super omne nomen (cf. *Phil.* 2, 9), principaliter et interius

Textus emendatus [12]

Per baptismum enim Christo conformamur: « Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus » (*1 Cor.* 12, 13). *Quo sacro ritu consociatio cum morte et resurrectione Christi repraesentatur et efficitur*: « Consepulti enim sumus cum Illo per baptismum in mortem »; si autem « complantati facti sumus similitudini mortis Eius: simul et resurrectionis erimus » (*Rom.* 6, 4-5). *In fractione panis eucharistici corpus Domini realiter participantes, ad communionem cum Eo ac* [13] *inter nos elevamur.* « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus » (*1 Cor.* 10, 17). Ita nos omnes membra illius Corporis efficimur (cf. *1 Cor.* 12, 27), « singuli autem alter alterius membra » (*Rom.* 12, 5).

Sicut vero omnia corporis humani membra, licet multa sint, unum tamen corpus efformant, ita fideles in Christo (cf. *1 Cor.* 12, 12). Etiam in aedificatione corporis Christi diversitas viget membrorum et officiorum. Unus est Spiritus, qui varia sua dona, secundum divitias suas atque ministeriorum necessitates, ad Ecclesiae utilitatem dispertit (cf. *1 Cor.* 12, 1-11). *Inter quae dona praestat gratia Apostolorum, quorum auctoritati ipse Spiritus etiam charismaticos subdit* (cf. *1 Cor.* 14). *Idem Spiritus per se suaque virtute atque interna membrorum connexione corpus unificans, caritatem inter fideles producit et urget.* Unde, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive si unum membrum honoratur, congaudent omnia membra (cf. *1 Cor.* 12, 26).

Huius corporis *Caput* est Christus. *Ipse est imago Dei invisibilis, in Eoque condita sunt universa. Ipse est ante omnes et omnia in Ipso constant.* Ipse est caput corporis quod est Ec-

[13]

Textus prior

illa agit, quae fideles et imprimis praepositi Ei ministrando suscipiunt. Spiritus autem Christi est qui unus idemque in Capite et in membris exsistens, totum corpus vivificat, unit et movet, ita ut principium vitae seu anima Ecclesiae iure vocatus sit. Dominus Iesus ut vitis vera, palmitibus vitam et fecunditatem tribuit, ita ut quidquid Ecclesia ad salutem operatur, a Christo per eam agente procedat, sine quo palmites nihil facere possunt (cf. *Io.* 15, 1-5). Interim, in terris peregrinantes, Eiusque vestigia saepe in tribulationibus et persecutionibus prementes, Eius passionibus tamquam corpus Capiti
[14] consociamur, Eique compatimur ut cum Ipso conglorificemur (*Rom.* 8, 17). Sicut in deserto turbas nutriebat, nunc per orbem terrarum pane doctrinae ac pane eucharistico populos reficit, et ad Seipsum in gloriam suam caelestem suaviter attrahit, ut sic semper cum Eo sint (cf. *1 Thess.* 4, 17). Quia vero Christus caput in caelis intima unione cum Ecclesia, corpore suo in terris, iunctus est, hoc corpus Christum in terris vere repraesentat Eiusque actione germen et initium constituit Regni caelorum, ad quod sperando perducitur. Sicut Christus est « pleroma » seu plenitudo Dei (cf. *Col.* 1, 19; 2, 9; *Eph.* 4, 13), ita Ecclesia est « pleroma » seu plenitudo Christi in Ea inhabitantis, tenditque ad omnem plenitudinem Dei (cf. *Eph.* 1, 23; 3, 19; *Col.* 2, 10).

Textus emendatus

clesia. *Ipse est principium, primogenitus ex mortuis,* ut sit in omnibus primatum tenens (cf. *Col.* 1, 15-18). *Magnitudine virtutis suae caelestibus et terrestribus dominatur,* et supereminenti perfectione et operatione sua totum corpus gloriae suae divitiis replet (cf. *Eph.* 1, 18-23) (7).

Omnia membra Ei conformari oportet, donec Christus formetur in eis (cf. *Gal.* 4, 19). *Quapropter in vitae Eius mysteria adsumimur, cum Eo configurati, commortui et conresuscitati, donec cum Eo conregnemus* (cf. *Phil.* 3, 21; *2 Tim.* 2, 11; *Eph.* 2, 6; *Col.* 2, 12; etc.). In terris adhuc peregrinantes, Eiusque vestigia in tribulatione et persecutione prementes, Eius passionibus tamquam corpus Capiti consociamur, Ei compatientes, ut cum Eo conglorificemur (cf. *Rom.* 8, 17).

Ex Eo « totum corpus, per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei » (*Col.* 2, 19). *Ipse in corpore suo,* scilicet Ecclesia, dona ministrationum iugiter disponit, quibus *Ipsius virtute* nobis invicem ad salutem servitia praestamus, ut veritatem facientes in caritate, crescamus in Illo per omnia, qui est Caput nostrum (cf. *Eph.* 4, 11-16).

Ut autem in Illo incessanter renovemur (cf. *Eph.* 4, 23), dedit nobis de Spiritu suo, qui unus et idem in Capite et in membris exsistens, totum corpus ita vivificat, unificat et movet, ut *Eius officium* a sanctis Patribus comparari potuerit *cum munere,* quod principium vitae seu anima in corpore humano adimplet (8).

Christus vero diligit Ecclesiam ut sponsam suam, sicut vir diligens uxorem suam diligit corpus suum (cf. *Eph.* 5, 25-28); *ipsa vero Ecclesia subiecta est Capiti suo* (*ibid.* 23-24).

Textus prior

7. [*De Ecclesia in terris peregrinante*]. Ecclesia sancta, fidei, amoris et gratiae communitas, his in terris mediorum sanctificationis compage constat et sustentatur. Societas autem visibilis et mysticum Christi corpus, non duae res sunt sed una tantum quae humano et divino coalescit elemento, ideoque ob non mediocrem analogiam incarnati Verbi mysterio assimilatur. Sicut enim natura assumpta Verbo divino ut vivum instrumentum salutis inservit, ita socialis organismus Ecclesiae Spiritui Christi in exaedificando Corpore inservit.

Docet autem Sacra Synodus et sollemniter profitetur non esse nisi unicam Iesu Christi Ecclesiam, quam in Symbolo unam, sanctam catholicam et apostolicam celebramus, quam Salvator post resurrectionem suam Petro et Apostolis eorumque successoribus pascendam tradidit, et super illos in salutis sacramentum, « columnam et firmamentum veritatis » erexit (*1 Tim.* 3, 15). Haec igitur Ecclesia, vera omnium Mater et Magistra, in hoc mundo ut societas constituta et ordinata, est Ecclesia catholica, a Romano Pontifice et Episcopis in eius communione directa, licet extra totalem compaginem elementa plura sanctificationis inveniri possint,

Textus emendatus [14]

« Quia in Ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis *corporaliter* » (*Col.* 2, 9), Ecclesiam, quae corpus et plenitudo Eius est, divinis suis donis replet (cf. *Eph.* 1, 22-23), ut ipsa protendat *et perveniat* ad omnem plenitudinem Dei (cf. *Eph.* 3, 19).

8. [*De Ecclesia visibili simul ac spirituali*]. Unicus Mediator Christus Ecclesiam suam sanctam, fidei, *spei* et caritatis communitatem his in terris ut compaginem visibilem constituit et indesinenter sustentat (9), qua veritatem et gratiam ad omnes diffundit. Societas autem organis hierarchicis instructa et mysticum Christi corpus, *coetus adspectabilis et communitas spiritualis, Ecclesia terrestris et Ecclesia caelestibus bonis ditata,* non ut duae res considerandae [15]
sunt, sed unam realitatem complexam efformant, quae humano et divino coalescit elemento (10). Ideo ob non mediocrem analogiam incarnati Verbi mysterio assimilatur. Sicut enim natura assumpta Verbo divino ut vivum *organum* salutis, *ei indissolubiliter unitum,* inservit, *non dissimili modo* socialis *compago* Ecclesiae Spiritui Christi, eam vivificanti, ad augmentum corporis inservit (cf. *Eph.* 4, 16) (11).

Haec est unica Christi Ecclesia, quam in Symbolo unam, sanctam, catholicam et apostolicam profitemur (12), quam Salvator noster, post resurrectionem suam Petro pascendam tradidit (*Io.* 21, 17), *eique ac ceteris Apostolis diffundendam et regendam commisit* (cf. *Mt.* 28, 18 etc.), et in perpetuum ut « columnam et firmamentum veritatis » erexit (*1 Tim.* 3, 15). Haec Ecclesia, in hoc mundo ut societas constituta et ordinata, *subsistit in* Ecclesia catholica, a *successore Petri* et Episcopis in eius communione gubernata (13), licet extra eius compaginem elementa plura sanctificationis *et veritatis inveniantur,* quae ut *dona* Ecclesiae

[15]

Textus prior

quae ut res Ecclesiae Christi propriae, ad unitatem catholicam impellunt.

Ut sacramentum Christi Ecclesia est signum in nationibus levatum, quibus etiam in paupertate evangelica testimonium mitis et humilis Iesu praebet. « Inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando procurrit », sanctos et peccatores in se complectens, in mundo exsistens sed non de mundo (cf. *Io.* 17, 11-14), crucem et mortem Domini annuntians donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26).

[16]

Sic per patientiam commissas sibi partes implet, ut omnes homines, quos ardentissima caritate ad se vocat, ad regnum caeleste in gloriam Patris perducat.

Textus emendatus

Christi propria, ad unitatem catholicam impellunt.

Sicut autem Christus opus redemptionis in paupertate et persecutione perfecit, ita Ecclesia ad eamdem viam ingrediendam vocatur, ut fructus salutis hominibus communicet. Christus Iesus, « cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens » (*Phil.* 2, 6) et propter nos « egenus factus est, cum esset dives » (*2 Cor.* 8, 9): ita Ecclesia, licet ad missionem suam exsequendam humanis opibus indigeat, non ad gloriam terrestrem quaerendam erigitur, sed ad humilitatem et abnegationem etiam exemplo suo divulgandam. Christus a Patre missus est « evangelizare pauperibus, sanare contritos corde » (*Lc.* 4, 18), « quaerere et salvum facere quod perierat » (*Lc.* 19, 10): similiter Ecclesia omnes infirmitate humana afflictos amore circumdat, imo in pauperibus et patientibus imaginem Fundatoris sui pauperis et patientis agnoscit, eorum inopiam sublevare satagit, et Christo in eis inservire intendit. Dum vero Christus, sanctus, innocens, impollutus (*Hebr.* 7, 26), peccatum non novit (*2 Cor.* 5, 21), sed sola delicta populi repropitiare venit (cf. *Hebr.* 2, 17), Ecclesia in proprio sinu peccatores complectens, sancta simul et semper purificanda, poenitentiam et renovationem continuo prosequitur.

« Inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando procurrit » (14) Ecclesia, crucem et mortem Domini annuntians, donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26). Virtute autem Domini resuscitati roboratur, ut afflictiones et difficultates suas, internas pariter et extrinsecas, patientia et caritate devincat, et mysterium Eius, licet sub umbris, fideliter tamen in mundo revelet, donec in fine lumine pleno manifestabitur.

NOTAE [17]

Caput I - *De Ecclesiae Mysterio*

Ad n. 2.

(1) Cf. S. CYPRIANUS, *Epist.* 64, 4: *PL* 3, 1017. *CSEL* (Hartel), III B, p. 720. S. HILARIUS PICT., *In Mt.* 23, 6: *PL* 9, 1047. S. AUGUSTINUS, passim. S. CYRILLUS ALEX., *Glaph. in Gen.* 2, 10: *PG* 69, 110 A.

(2) Cf. S. GREGORIUS M., *Hom. in Evang.* 19, 1: *PL* 76, 1154 B. S. AUGUSTINUS, *Serm.* 341, 9, 11: *PL* 39, 1499 s. S. IO. DAMASCENUS, *Adv. Iconocl.* 11: *PG* 96, 1358.

Ad n. 4.

(3) Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 24, 1: *PG* 7, 966 B; HARVEY 2, 131; ed. SAGNARD, *Sources Chr.*, p. 398.

(4) S. CYPRIANUS, *De Orat. Dom.* 23: *PL* 4, 553; HARTEL, III A, p. 285. S. AUGUSTINUS, *Serm.* 71, 20, 33: *PL* 38, 463 s. S. IO. DAMASCENUS, *Adv. Iconocl.* 12: *PG* 96, 1358 D.

Ad n. 6.

(5) Cf. ORIGENES, *In Mt.* 16, 21: *PG* 13, 1443 C. TERTULLIANUS, *Adv. Marc.* 3, 7: *PL* 2, 357 C; *CSEL* 47, 3 p. 386. Pro documentis liturgicis, cf. *Sacramentarium Gregorianum*: *PL* 78, 160 B. Vel C. MOHLBERG, *Liber Sacramentorum romanae ecclesiae,* Romae 1960, p. 111, XC: « Deus qui ex omni coaptacione sanctorum aeternum tibi condis habitaculum... » Hymnus *Urbs Ierusalem beata* in « Breviario monastico », et *Coelestis urbs Ierusalem* in « Breviario Romano ».

Ad n. 7.

(6) Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 62, a. 5, ad 1.

(7) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 208.

(8) Cf. LEO XIII, Epist. Encycl. *Divinum illud,* 9 maii 1897: *A.S.S.,* 29 (1896-97), p. 650. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. pp. 219-220; DENZ. 2288 (3807). S. AUGUSTINUS, *Serm.* 268, 2: *PL* 38, 1232, et alibi. S. IO. CHRYSOSTOMUS, *In Eph.* Hom. 9, 3: *PG* 62, 72. DIDYMUS ALEX., *Trin.* 2, 1: *PG* 39, 449 s. S. THOMAS, *In Col.* 1, 18, lect. 5; ed. MARIETTI, II, n. 46: « Sicut constituitur unum corpus ex unitate animae, ita Ecclesia ex unitate Spiritus... ».

Ad n. 8.

(9) LEO XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 iun. 1890: *A.S.S.,* 22 (1889-90), p. 392. ID., Epist. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-96), pp. 710 et 724 ss. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. pp. 199-200.

(10) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 221 ss. ID., Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 571.

(11) LEO XIII, Epist. Encycl. *Satis cognitum,* l. c. p. 713.

[17] (12) Cf. *Symbolum Apostolicum*: DENZ. 6-9 (10-30); *Symb. Nic.-Const.*: DENZ. 86 (41); coll. *Prof. fidei Trid.*: DENZ. 994 et 999 (1862 et 1868).

(13) Dicitur « Sancta (catholica apostolica) Romana Ecclesia »: in *Prof. Fidei Trid.,* l. c. et CONC. VAT. I, Sess. III, Const. dogm. *de fide cath.*: DENZ. 1782 (3001).

(14) S. AUGUSTINUS, *Civ. Dei,* XVIII, 51, 2: *PL* 41, 614.

[18]

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

De titulis et introductione

De titulo: Quidam proponunt ut titulum generalem « De Ecclesia Christi », qui a Vaticano I adhibetur. Sufficit tamen titulus « De Ecclesia », qui in Vaticano II iam receptus est; alia ceterum Ecclesia praeter Ecclesiam Christi non exsistit. Unde brevior expressio videtur satis clara.

De voce mysterii: Vox « mysterium » non simpliciter indicat aliquid incognoscibile aut abstrusum, sed, uti hodie iam apud plurimos agnoscitur, designat realitatem divinam transcendentem et salvificam, quae aliquo modo visibili revelatur et manifestatur. Unde vocabulum, quod omnino biblicum est, ut valde aptum apparet ad designandam Ecclesiam (cf. documentum E/1513/1, p. 1). Notetur quod numeri documentorum, E/502, etc., indicant *orationes Patrum,* quae sive in aula pronuntiatae sunt, sive in scriptis Secretariae traditae fuerunt. *Animadversiones* indicant notas a Patribus ante sessionem secundam transmissas, quae exstant in foliis multiplicatis, p. 1-143; *Emendationes* autem fasciculum, a. 1963 typis editum sub titulo: *Emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitae super schema Constitutionis dogmaticae de Ecclesia*: pars I.

1. [*Introductio*]

« *Lumen gentium* » servandum aestimatur, quia vox « gentes » in contextu non evocat paganos per oppositionem ad populum Israel, sed simpliciter omnes populos terrae. Cf. S. CYPRIANUS: « Lux gentibus, cum venerit Christus et sospitandis hominibus salutare lumen affulserit » (*De un. Eccl.* 3, *PL* 4, 512; HARTEL, III, A, p. 211).

« *In caligine huius saeculi viventes* ». Incisa, quae textum aggravat et apud legentem forsan mirationem excitaret, videtur auferenda, secundum plurium propositionem.

De Ecclesia ut sacramento. Plurimi Patres, scilicet 6, qui nomine 130

aliorum loquuntur, aestimant verbum esse retinendum, quia traditionale est et doctrinam aptam et abundantem exprimit. Pauci, nempe 3, opponuntur, quia confusionem cum sacramento sensu stricto timent. Quae confusio tamen per explicationem in textu additam praecavetur. Quidam sermonem faciunt de « re et sacramento ». Quae consideratio, ex theologia de septem sacramentis desumpta, hic ad intricatas explicationes duceret. [18]

Ubi describitur effectus huius « sacramenti », admittitur inversio inter unionem cum Deo et generis humani unitatem, secundum propositionem E/512; E/535; E/619; E/621. [19]

Illud « sermone menti hodiernae accommodato enucleans » deletur, quia « haec facere potius oportet quam dicere » (E/621 et alii). In sequentibus simplificatur dictio.

In fine, Doc. E/577 proposuit ut afferatur sat longa citatio ex *Eph.* 1. Sed ita iam intraretur in expositionem de natura Ecclesiae, quae doctrina in sequentibus paragraphis explanatur.

De *paupertate* in hac *Introductione* non agitur, quia de hoc themate expressus sermo fit sub numero 8.

2. [*Aeterni Patris de universali salute consilium*]

1) Aliqui Patres clarius distinguere volunt inter ea quae divinis Personis sunt *propria* vel *appropriata.* Ut disputationes vitentur, textus loquitur simpliciter secundum verba, quae tum in Scripturis, tum in Symbolis fidei et Conciliis passim adhibentur. In explicationes theologicas ulteriores de SS. Trinitate non videtur intrandum. Notum est autem quod apud S. Paulum, notatim *Eph.* 1, revelatio de salute per Ecclesiam secundum munus trium Personarum exhibetur.

2) Quidam proponunt ut *textus Eph.* 1 explicite adducatur. Ut autem iam sub n. 1 dictum est, haec citatio, quae ad naturam Ecclesiae spectat, in sqq. paragraphis adhibetur.

3) In media paragrapho delentur ea quae ad *Populum Dei* respiciunt, de quo in sq. capite agitur. Sententiae deletae substituitur citatio *Rom.* 8, 29, ut in novo textu apparet, ad connexionem idearum servandam.

4) *Plura parviora* proponuntur inserenda. Videntur autem minoris momenti, et generatim loquendo textum aggravarent.

5) Quidam, nempe E/811 et E/1664, suggerunt *redactionem fere totaliter novam,* quae tamen substantialem meliorationem non affert.

6) Sententia secunda antiqui textus ad finem paragraphi, cum parva immutatione, transfertur. In loco quo primitus ponebatur faciebat diffi-

[19] cultatem, ut a pluribus observatum est, quia agebat de « *Ecclesia universali* » ab Adam usque ad ultimum electum, dum paulo infra agebatur de Ecclesia catholica sensu strictiore. Difficultas autem enervatur ex eo quod in fine paragraphi perspectiva extenditur ad omnes electos, qui non sine Christo Eiusque Ecclesia ad salutem perveniunt. Subsistit autem Nota 1 de doctrina Patrum, quae inspiciatur in antiquo schemate, p. 13 s.

7) In fine paragraphi evolvitur expositio, ut finis *eschatologicus* Ecclesiae clarius appareat.

3. [*De missione et munere Filii*]

[20] 1) *Observationes Patrum* de antiquo textu agunt, qui secundum novam ordinationem ad caput *de Populo Dei* translatus est. Ibi ergo de illis notis sedula ratio servanda erit.

2) *Intentum generale* est extollere missionem et munus Christi, secundum postulata multorum Patrum et speciatim R. Pont. PAULI VI. Simul autem efferuntur elementa tum interna, tum externa Ecclesiae, praesertim in sacrificio Missae et sacramentis. Recolatur quod plures Patres abundantiorem doctrinam de SS. Eucharistia petierunt. Verba de S. Missae sacrificio partim desumuntur ex *Secreta* 9 dom. post Pentecosten in Missali Romano.

3) *In initio,* ut subiectum phraseos ponitur Filius, de quo nunc ex professo agitur, et inducitur citatio ex *Eph.* 1, ut plures postulaverunt.

In corpore paragraphi insistitur in continuo augmento Ecclesiae his in terris, et in organisatione visibili sacramentorum.

In fine reditur ad primatum universalem Christi, adhibitis verbis S. S. PAULI VI in oratione inaugurali Sessionis Secundae Concilii.

4. [*De Spiritu Ecclesiam sanctificante*]

Textus remanet substantialiter immutatus. Introducuntur tamen quaedam emendationes secundum desideria a Patribus expressa.

1) Plurimi postulaverunt (E/520; E/535; *Animadversiones,* pp. 29 et 30; E/616; E/715) ut mentio fieret de eventu *Pentecostes.* Quibus satisfactio praebetur.

2) Spiritus dicitur non *aqua,* sed *fons* aquae salientis in vitam aeternam, ut observatur in documentis E/558 et E/607.

3) In textu distinguitur, secundum *Rom.* 8, 10-11, inter vivificationem *spiritualem* et resurrectionem *corporalem,* ut postulavit E/524.

4) Additur mentio de Spiritu in cordibus fidelium *orante* et testimonium filiationis reddente, ut petiit E/557.

5) Additur etiam quod Spiritus Sanctus Ecclesiam per *communionem* (koinonian) et *ministrationem* (diakonian) unificat, ut postulatur in *Animadversionibus,* p. 30. [20]

6) Inter dona Spiritus Sancti enumerantur etiam munera *hierarchica,* E/524.

7) Additum est denique *Spiritum S. docere* omnem veritatem; quod postulatur in *Animadversionibus,* p. 29.

5. [*De Regno Dei*]

Plurimi Patres hoc thema exponi postulaverunt, quia abundanter in Evangeliis occurrit, et quia manifestat indolem simul visibilem et spiritualem societatis Ecclesiae, necnon aspectum eius historicum et eschatologicum (cf. E/503; E/518; E/522 [21 Episcopi]; E/535 [154 Episcopi]; E/515 [10 Episcopi); E/544; E/552; E/555; E/560; E/564 [60 Episcopi]; E/566; E/576; E/861). [21]

In prima paragrafo, secundum praedicta vota, exhibetur institutio Regni, quod tum in *verbis,* tum in *miraculis* Christi elucescit, tum praesertim in eius *persona.*

In altera paragrapho edicitur Christum Dominum et Regem misisse Spiritum Sanctum ad Ecclesiam, quae in terris inchoative Regnum Eius constituit et quae ad gloriam eius finalem adspirat et perducit, ut iam dicebatur in textu antiquo, n. 5, ed. 63, p. 10, 13.

6. [*De variis Ecclesiae imaginibus*]

Patres praesertim duo postulaverunt: 1) ut antiquus numerus 6, de imaginibus, antiquo numero 5, de Corpore mystico, anteponatur, quia haec ultima expressio, scilicet Corporis mystici, plus quam imago est et profundius in Ecclesiae mysterium introducit (cf. *Emendationes,* n. 64 [13 Episcopi], n. 65; E/549, 553, 562 [8 Episcopi]; 568 [30 Episcopi]; 679); 2) ut variae imagines sub connexione magis organica enucleentur (cf. E/543, 544, 546, 550, 553, 555, 559, 562, 563, 571, 598, 606, 616, 679, 682). His desideriis satisfacere Commissio doctrinalis voluit.

Incipit expositio dicendo quod imagines illae veram *revelationem* de Ecclesia afferunt, quae revelatio ceterum in Vetere Testamento praeparatur.

Initium sumitur ab initiativa Dei, quae praesertim apparet in imaginibus a *Pastore et ovibus* desumptis.

Figurae ex *agricultura* et vinea depromptae speciatim describunt semen Ecclesiae continuo crescens.

[21] Imagines de *aedificatione* indicant progressivam et firmam exstructionem Ecclesiae.

Denique per figuram *Sponsae* insistitur super intimam unionem Christi et Ecclesiae, quae tamen a Sponso suo remanet distincta, eique fideliter oboediens.

Sic pervenitur rursus ad perspectivam *eschatologicam* consummatae unionis in gloria.

7. [*De Ecclesia ut Corpore mystico Christi*]

a) Postulatur a Patribus *expositio simplicior et melius ordinata.* Ideo introducta est clarior distinctio inter elementa magis externa et elementa magis interna, seu a. v. inter thema *de solidaritate omnium membrorum,* quae per sacramenta in Corpore uniuntur, et thema *de*
[22] *Capite Christo,* qui super omnes eminet et corpus suum Spiritu suo donisque suis replet et crescere facit usque ad plenitudinem.

b) Plures Patres *novas redactiones,* sive integras sive partiales, proposuerunt. Nulla autem ex iis admitti posset sine accurato examine et longa discussione de singulis assertionibus, quae in eis continentur. Unde standum videtur pro textu priore, adhibitis elementis utilibus, quae in illis redactionibus occurrunt.

c) Alii insistunt super momentum SS. Eucharistiae tribuendum. Cui desiderio provisum est.

Nota: Primo intuitu textus nunc a Subcommissione praesentatus videtur sat differens a textu priore. Sed impressio ista est magis superficialis quam realis. Ideae minime mutantur, sed clarior distributio materiae non paucas transpositiones et adaptationes exigit, ut votis Patrum satisfactio praebeatur.

Alinea 1: Plures Patres postulaverunt ut tota haec paragraphus omittatur, vel saltem restringatur. Ideo quaedam elementa non necessaria sublata sunt, v. g. comparatio Corporis cum *Populo Dei,* de quo nonnisi in capite sequenti ex professo agitur. Sic obtinetur textus magis concinnus et clarior de generali principio.

Alinea 2 et 3 constituunt partem primam *de corpore et membris.*

Alinea 2: Imprimis fusiore et clariore sermone exhibetur significatio et efficacitas *sacramentorum baptismi et Eucharistiae* pro Corpore Christi, sicut a plurimis postulatum est, nempe pro baptismo: *Animadv.* p. 32; E/601; pro Eucharistia eiusque virtute unificante: E/546, 555, 571, 601 B (29 Episcopi).

In initio edicitur conformatio cum Christo *passo* et glorificato, ut postulatur *Animadv.* p. 37.

Omissa est in textu emendato indicatio de *corporibus* nostris, quae [22]
per sacramenta sanctificantur, quia sacramenta etiam animam attingunt, ut dicitur *Animadv.* p. 38; E/ 520, 524, 618.

Concluditur alinea cum sermone de *singulis membris* secundum desiderium E/571.

Alinea 3: Exponit *diversitatem* membrorum et officiorum in corpore. Omnia dona ab uno Spiritu dispertiuntur; dona autem charismatica auctoritati hierarchicae submittuntur, ut dixerunt i. a. *Animadv.* p. 38 s.; E/524, 538, 616.

Concluditur autem ad unitatem caritatis inter omnia membra.

Alinea 4 ad 8 exponunt doctrinam de *Christo Capite,* secundum quinque ideas distributam, nempe:

a) de primatu Capitis in creatione et in Ecclesia;

b) de conformatione membrorum cum Capite, in mysteriis passionis et glorificationis;

c) de augmento corporis sub influxu Capitis;

d) de activitate Spiritus a Christo Capite immissi; [23]

e) de plenitudine Ecclesiae a Capite recepta.

Alinea 4: Evolvitur idea de *primatu* Christi, ut iam indicabatur in textu priore.

Alinea 5: Explanatur conformatio membrorum cum Capite, reassumendo textum priorem. Omittitur autem citatio de vite et palmitibus, quae sub novo n. 6 exhibetur; similiter sententia de Eucharistia, iam superius tractata; idea de Ecclesia ut regno Christi in terris, de qua in novo n. 5 dicitur; necnon textus de peregrinatione in deserto. Suppressio ista petitur *Animadv.* p. 39. Altera huius alineae sententia intendit exprimere nostram responsionem ad elevationem nostram, a Christo receptam.

Alinea 6: Reassumit textum de *augmento* corporis, qui iam occurrebat in textu priore.

Alinea 7 refert doctrinam de influxu *Spiritus Sancti,* qui caput cum membris unit, secundum textum priorem, melius tamen adaptando expressionem ad textus patristicos, qui referuntur in priori schemate, p. 16, nota 11.

Alinea 8 iunctionem facit inter thema *de corpore* et thema *de sponsa,* secundum *Eph.* Terminatur expositio per evocationem « plenitudinis » fere secundum textum priorem. In citationibus Scripturae ex *Eph.* 1, 22-23, magis ad sensum quam ad litteram attenditur, et suppressum est verbum « pleroma » ut petierunt *Animadv.* p. 38; p. 39; E/ 524.

[23] 8. [*De Ecclesia visibili simul ac spirituali*] = antiquus n. 7

Ex magno numero observationum et obiectionum, quae de hac paragrapho a Patribus prolatae sunt, patet intentionem et contextum huius articuli non omnibus fuisse perspicua.

Intentio autem est ostendere, Ecclesiam, cuius descripta est intima et arcana natura, qua cum Christo Eiusque opere in perpetuum unitur, his in terris concrete inveniri in Ecclesia catholica. Haec autem Ecclesia empirica mysterium revelat, sed non sine umbris, donec ad plenum lumen adducatur, sicut etiam Christus Dominus per exinanitionem ad gloriam pervenit. Ita praecavetur impressio ac si descriptio, quam Concilium de Ecclesia proponit, esset mere idealistica et irrealis.

Ideo magis dilucida *subdivisio* proponitur, in qua successive agitur de sequentibus:

a) Mysterium Ecclesiae adest et manifestatur *in concreta societate.* Coetus autem visibilis et elementum spirituale *non sunt duae res,* sed una realitas complexa, complectens divina et humana, media salutis et fructus salutis. Quod per analogiam cum Verbo incarnato illustratur.

b) Ecclesia est *unica,* et his in terris adest in Ecclesia catholica, licet extra eam inveniantur elementa ecclesialia.

[24] *c*) Manifestatio mysterii in Ecclesia catholica fit simul *in virtute et debilitate,* scilicet etiam in conditione paupertatis ac persecutionis, peccati et purificationis, ut Ecclesia assimiletur Christo, qui tamen fuit sine peccato. Thema de paupertate, secundum desideria Patrum, aliquatenus evolvitur.

d) Ecclesia autem omnes illas difficultates devincit *per virtutem Christi et caritatem,* qua mysterium licet sub umbris revelat, donec ad plenam lucem perveniat.

Titulus antiquus aliqualiter ad non rectam interpretationem contulit. De « Ecclesia in terris peregrinante » nunc in Cap. *De Populo Dei* expressius agitur. Numerus 8 nunc conclusionem constituit tractationis de Mysterio Ecclesiae.

Agitur autem de reali coalescentia elementi visibilis seu societarii cum elemento invisibili seu spirituali. Huic subiecto titulus accommodatur: *De Ecclesia visibili simul et spirituali.*

Proposuit E/544 ut agatur de themate Ecclesiae *militantis.* Alii autem, E/859 et E/578, autumant magis insistendum esse in aspectum Ecclesiae ut sanctificantis, et timent confusionem vel colluctationem cum societatibus civilibus.

Alinea 1: Sententia initialis cum *Christo* incipit secundum propositionem E/1083 bis, quia sic textus melius cum praecedentibus coniun-

gitur. Inter elementa communitatis additur *spes* secundum postulationem E/535 cum 153 Episcopis; E/550; E/560. [24]

Elementa visibilia et invisibilia diversis locutionibus in textu indicantur, ut edicatur quod funditus non efformant nisi unam realitatem.

In duplici elemento, quo coalescit una realitas, insistit E/512 cum 44 Episcopis. Proponit E/537 ut dicatur « non secundum eamdem rationem ». Etiam E/555 dicit adesse unam rem, sed diversas esse rationes; aspectus coincidunt in ordine essentiali seu constitutivo, sed non in ordine existentiali seu historico, et diversam extensionem habent. Similiter iudicat E/618, dum E/524 nullam inveniri dicit distinctionem inter Corpus mysticum et Ecclesiam. Subcommissio servavit textum priorem.

Alii, E/549; *Animadv.* p. 42; E/564, volunt apertiorem distinctionem inter Ecclesiam medium salutis et Ecclesiam fructum salutis. Quae distinctio iam satis videtur clara in textu.

In comparatione cum Incarnatione, quaedam verba mutata sunt, nempe *organum,* pro instrumento quod est nimis philosophicum (E/618). Additur: « ei indissolubiliter unitum » ut satisfiat *Emend.,* n. 85. Pro « ita » dicitur: *non dissimili modo,* ut satisfiat E/560, qui in analogiam insistit. Quibusdam Patribus displicet comparatio: *Animadv.* p. 43 s.; E/580; videtur tamen servanda. Repetitur verbum « inservit », quia est elementum magni momenti pro analogia. Sic responsum offertur [25]
etiam *Animadv.* p. 43.

Alinea 2: Supprimitur in textu priore: « docet et sollemniter profitetur », quia sollemnitas hic non requiritur: *Animadv.* p. 43.

Adaptatus est textus de Petro et Apostolis, ut distinctio appareat. Textus *1 Tim.* 3, 15 non explicite ad Apostolos refertur sed simpliciter ad Ecclesiam, secundum exegetas.

Quaedam verba mutantur: loco « *est* », l. 21, dicitur « *subsistit in* », ut expressio melius concordet cum affirmatione de elementis ecclesialibus quae alibi *adsunt.*

Dicitur *Successor Petri* pro *Romano Pontifice,* ut appareat ratio formalis successionis, secundum desiderium E/535 cum 152 Episcopis. Corrigitur « directa » in « gubernata », E/550. « Inveniantur » ponitur pro « inveniri possint », ut concordia habeatur cum dictis sub antiquo n. 9. Pro « res », melius dicitur « dona », secundum postulata *Animadv.* p. 45; E/560.

Quidam Patres difficultatem inveniunt in relatione non-catholicorum cum Ecclesia, *Animadv.* p. 41; p. 42; p. 44; p. 47; E/512. Quaestio pertinet ad paragraphum ulteriorem in capite *de Populo Dei,* ubi ex professo tractatur.

[25] In fine, simpliciter dicitur « *extra compaginem* », quae per definitionem est visibilis. Servatur textus prior de « *elementis sanctificationis* », quod videtur sufficienter postulationibus respondere. Additur autem: « et veritatis ».

Alinea 3: Hic, secundum praedicta, exponitur thema *de paupertate,* in quod plurimi instíterunt inde a prima sessione Concilii. Cf. v. g. *Animadv.* p. 15; E/535; 459; 588; 594; 650; 856; 874.

Addita autem est differentia inter Christum et Ecclesiam, quod attinet ad peccatum.

Indicatio de Ecclesia « *sancta simul et semper purificanda* » postulatur ab *Animadv.* p. 46; E/512 cum 44 Episcopis; 560; 1085. Textus inspiratur ab Alloc. S. S. PAULI VI, 22 sept. 1963: « ... di quella perenne riforma, di cui la Chiesa stessa, in quanto istituzione umana e terrena, ha perpetuo bisogno ». « Purificatio » Ecclesiae est expressio quae etiam in Missali Romano pluries adhibetur v. g. 1 Dom. Quadragesimae, 15 Dom. post Pent.

Alinea 4: Haec alinea proponitur ut Conclusio totius paragraphi. Prima sententia ex textu priore desumitur, pro indicatione *mortis* Domini, in antithesi cum Domino *resuscitato* in sententia ultima. Postulaverunt ut resurrectio indicetur i. a. *Animadv.* p. 46; p. 47; E/549. Concluditur cum plena manifestatione mysterii.

[26]

RELATIO GENERALIS

Venerabiles Patres,

Nuper communicata est vobis Nota de labore ante festum Omnium Sanctorum peracto a Commissione Doctrinali circa schema de Ecclesia. Exinde autem subcommissiones particulares laborem strenue prosecutae sunt et iam hodie prima subcommissio particularis operi suo ita institit ut, iuxta expressum Summi Pontificis votum, relatio vobis proponi possit, Venerabiles Patres, de emendationibus pro *Introductione* et *Capite primo* Constitutionis de Ecclesia, cui titulus est « DE MYSTERIO ECCLESIAE ».

In primis suis adunationibus, prima Subcommissio particularis quaestionibus maioris momenti studuit, quarum praecipua sunt: thema de Regno Dei, thema de paupertate evangelica, significatio vocabulorum *Mysterium et Sacramentum* eorumque opportunitas in schemate de Ecclesia, expositio biblicarum imaginum circa Ecclesiam atque ratio eas disponendi ad maiorem claritatem, accurata expositio doctrinae de Mystico Christi Corpore.

Mox etiam actum est cum Subcommissione generali de opportunitate quaedam nova introducendi in schema iuxta instantem plurium Patrum rogationem, v. g. *de Regno Dei* atque *de paupertate.* Una cum eadem Subcommissione generali, statutum est invertendos esse numerum 5 et numerum 6 schematis, i. e. ut antequam de Corpore Christi Mystico sermo fieret, exponerentur diversae Ecclesiae figurae. [26]

Notare insuper oportet quaestionem *de fundamento* Ecclesiae super Petrum et Apostolos, si ad novam schematis ordinationem attendatur, potius pertinere ad relationem de Capite sequenti, ubi nempe de Populo Dei agetur. Si examini nostrae primae subcommissionis subiecta est, ratio fuit, quod praeter reformationem capitis I, nobis etiam cura concredita est explorandi et perficiendi pro ceteris etiam capitibus citationes biblicas. De subtili ergo quaestione circa fundamentum Ecclesiae, non erit sermo in hac nostra relatione.

Die decima nona novembris, ipsa Commissio doctrinalis puncta principaliora quae diximus perlustravit et, opere nostrae subcommissionis in genere approbato, regulas practicas pro perficiendo labore circa caput primum schematis statuit.

Unde subcommissio nostra particularis ad ipsam capitis scriptionem [27]
ordine ac singillatim incubuit, et diebus 25 et 26 huius mensis textum de novo exaratum proposuit Commissioni doctrinali, quae eum, in quibusdam emendatum, adprobavit.

Unde tandem fieri potest, ut in fine huius Concilii sessionis, *caput primum* de Ecclesia suffragio Patrum submittamus. Utique ad vos venimus ut operarii undecimae horae, sed in hoc casu, nostri periti per hebdomadas iam pondus diei et aestus portaverunt, antequam in aulam Concilii veniret nostrum schema. Speramus nobis novissimis dandum esse denarium sicut et primis.

Omnes et singulae propositiones Patrum, etiam minores, diligentissimo examini a Subcommissione subiectae sunt, licet ad plures centenas ascenderent. Si autem, labore peracto, textus emendatus inspicitur, apparet absque dubio lucidior, concinnior et magis organice ordinatus. De quo felici exitu gratias agimus omnibus Patribus, qui ad eum obtinendum contulerunt, ita ut de communi conatu congaudere possimus, et textus vere « conciliaris » evaserit.

Ut legenti apparet, post *Introductionem* abbreviatam, describitur quomodo Ecclesia orta sit ex *consilio Dei Patris,* qui *per Filium* suum incarnatum, in *Spiritu Sancto,* opus redemptionis universalis exsecutioni mandavit, ita ut Ecclesia revera appareat tamquam plebs adunata de ipsa unitate trium Personarum.

In qua expositione disertis verbis extollitur *primatus Christi Domini,*

[27] qui Regnum caelorum in terras inducens, Ecclesiam fundavit; quam Sacrae Litterae diversis et profundis imaginibus describunt, et cuius intimam et arcanam naturam praesertim per doctrinam de Corpore Mystico, de solidaritate membrorum et de salutari influxu Christi Capitis, nostris oculis patefaciunt.

Mysterium Ecclesiae tamen non est figmentum idealisticum aut irreale, sed existit in *ipsa societate concreta catholica,* sub ductu successoris Petri et Episcoporum in eius communione. Non duae Ecclesiae sunt, sed una tantum, quae caelestis simul et terrestris, aeternum Dei consilium revelat, assimilatione sua cum Domino suo, tum in exinanitione sua, tum in gloriosa sua victoria.

Ita speramus ut Decretum nostri Concilii non omnino indignum sit illius ineffabilis mysterii, quod, revelante Deo et assistente Spiritu Sancto, in honorem Christi, debilibus quidem humanis verbis, fideliter tamen, credentibus, immo omnibus hominibus proponit.

Faxit Deus ut lumen Christi per Ecclesiam cunctis effulgeat!

Tres ultimae paragraphi textus prioris capitis primi ad caput *De Populo Dei* translatae sunt. Unde in fasciculo nunc distributo non occurrunt.

Attendere autem velitis, venerabiles Patres, ad differentiam, quae intercedit inter dogmaticam constitutionem de Ecclesia et constitutiones
[28] quae, uti constitutio *de Sacra Liturgia,* ad practicas applicationes, ceterum in luce doctrinae, venire intendunt. Hucusque revera votationes propositae sunt, saltem generatim, circa concretas et summe practicas decisiones, rarius circa ipsam doctrinae expositionem. Ubi autem de nostro schemate *de Ecclesia* agitur, in quaestione versantur doctrinales syntheses, quae aegre ac non sine incommodis dividerentur. Unde Commissio rogat annon expediat, ut votatio successive fiat de emendationibus, quae singulae constituuntur redactione partim nova singularum paragraphorum, ita ut *emendatio prima* sit textus emendatus paragraphi primae, et ita porro usque ad octavam, atque ut Relatio ita distribuatur, ut ante singulas votationes explicationes dentur pro textu, pro quo statim suffragandum erit. Unde proponitur ut extra casum profundi dissensus, respondeatur « Placet », firma de cetero cautione quod Commissio rationem sedulo habebit animadversionum quae a Patribus in proximis hebdomadibus praesentarentur. Si nimis facile optaretur pro suffragio « Placet iuxta modum », in discrimen poni posset, contra votantium intentionem, ipsa approbatio textus.

Quibus dictis, confidenter vobis suffragandum proponimus, Venerabiles Patres, *Introductionem* et *Caput primum* constitutionis *de Ecclesia* et iam de vestra benevolentia vobis gratias agimus.

Caput II [29]

DE POPULO DEI

Textus emendatus

9. (§§ 1-2 novae) [*Novum foedus novusque populus*] (A). In omni quidem tempore et in omni gente Deo acceptus est quicumque timet eum et operatur iustitiam (cf. *Act.* 10, 35) (B). Placuit tamen Deo homines non singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare et salvare, sed eos in populum constituere, qui in veritate Ipsum agnosceret Ipsique sancte serviret. Plebem igitur israeliticam Sibi in populum elegit, quocum foedus instituit et quem gradatim instruxit, Sese atque propositum voluntatis suae in eius historia manifestando eumque Sibi sanctificando. Haec tamen omnia in praeparationem et figuram contigerunt foederis illius novi et perfecti, in Christo feriendi, et plenioris revelationis per Ipsum Dei Verbum carnem factum tradendae (C). « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum... Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt Mihi in populum... Omnes enim cognoscent Me, a minimo usque ad maximum, ait Dominus » (*Ier.* 31, 31-34). Quod foedus novum Christus instituit, novum scilicet testamentum in suo sanguine (cf. *1 Cor.* 11, 25), ex Iudaeis ac gentibus plebem vocans, quae non secundum carnem sed in Spiritu ad unitatem coalesceret, essetque novus Populus Dei. Credentes enim in Christum, renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi (cf. *1 Pt.* 1, 23), non ex carne sed ex aqua et Spiritu Sancto (cf. *Io.* 3, 5-6), constituuntur tandem « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis... qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei » (*1 Pt.* 2, 9-10).

Populus ille messianicus habet pro capite Christum, « qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram (*Rom.* 4, 25) (D), et nunc, nomen quod est super omne nomen adeptus, gloriose regnat in coelis. Habet pro conditione dignitatem libertatemque filiorum Dei, in quorum cordibus Spiritus Sanctus sicut in templo inhabitat. Habet pro lege mandatum diligendi sicut ipse Christus dilexit nos. Habet tandem pro fine Regnum Dei, ab ipso Deo in terris inchoa-

[30] tum, ulterius dilatandum, donec in fine saeculorum ab Ipso etiam consummetur, cum Christus apparuerit, vita nostra (cf. *Col.* 3, 4), et « ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 21) (E). Itaque populus ille messianicus, quamvis universos homines actu non comprehendat, et non semel ut pusillus grex appareat, pro toto tamen genere humano firmissimum est germen unitatis, spei et salutis. A Christo in communionem vitae, caritatis et veritatis constitutus, ab Eo etiam ut instrumentum redemptionis omnium adsumitur, et tamquam lux mundi et sal terrae (cf. *Mt.* 5, 13-16), ad universum mundum emittitur (F).

Textus prior

3. [*De missione Filii*]. Sicut vero Israel secundum carnem, qui in deserto peregrinabatur, Dei Ecclesia appellatus est (cf. *Num.* 20, 4; *Dt.* 23, 1 ss.), ita novus Israel qui in praesenti saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit (cf. *Hebr.* 13, 14), Ecclesia Christi nuncupatur, quippe quam Ipse sanguine suo acquisivit (cf. *Act.* 20, 28), suo Spiritu replevit, aptisque mediis visibilis seu socialis unionis instruxit, eam super Petrum et Apostolos aedificans. Congregatio eorum, qui in Iesum salutis auctorem et pacis ac unitatis principium credunt, est Ecclesia ab Eo convocata et legitime constituta, ut sit pro universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis. Ad universas regiones extendenda, in historiam hominum intrat, ipsa supra tempora et fines populorum existens.

Textus emendatus

(Olim n. 3). Sicut vero Israel secundum carnem, qui in deserto peregrinabatur, Dei Ecclesia *aliquando appellatur* (cf. *Num.* 20, 4; etc.), ita novus Israel qui in praesenti saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit (cf. *Hebr.* 13, 14) (F), Ecclesia Christi nuncupatur (cf. *Mt.* 16, 18), quippe quam Ipse sanguine suo acquisivit (cf. *Act.* 20, 28), suo Spiritu replevit, aptisque mediis unionis visibilis et socialis instruxit. Congregatio eorum qui in Iesum, salutis auctorem et unitatis pacisque principium, *credentes aspiciunt,* est Ecclesia a *Deo* convocata et constituta, ut sit universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis (1). Ad universas regiones extendenda, in historiam hominum intrat, ipsa supra tempora et fines populorum existens. *Per tentationes vero et tribulationes procedens Ecclesia* (G) *virtute gratiae Dei sibi a Domino promissae confortatur, ut in infirmitate carnis a perfecta fidelitate non deficiat* (H), *sed Domini sui digna sponsa remaneat, et sub actione Spiritus Sancti, seipsam renovare non desinat* (I), *donec per crucem perveniat ad lucem, quae nescit occasum.*

24. § 1. [*De sacerdotio universali, necnon de sensu fidei et de charismatibus christifide-*

10. (olim n. 24 § 1). [*De sacerdotio communi*]. *Christus Dominus, Pontifex ex homi-*

Textus prior

lium]. In Christo novus Populus Dei ad templum spirituale et sacerdotium sanctum per regenerationem baptismi et Spiritus Sancti unctionem evehitur, ut spirituales offerat hostias per omnem actum hominis christiani, a Spiritu Sancto consecratum, et tamquam genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, virtutes annuntiet Eius qui de tenebris eum vocavit in admirabile lumen suum (cf. *1 Pt.* 2, 4-10). Ideo universi discipuli Christi, quos ipse Dominus regnum et sacerdotes Deo et Patri suo fecit (cf. *Apoc.* 1. 6 et 5, 9-10), sive ad hierarchicum ordinem pertinent sive non, seipsos ut hostiam viventem ac Deo placentem exhibeant (cf. *Rom.* 12, 1), testimonium praebeant ubique terrarum de Christo eiusque virtutibus, atque poscentibus rationem reddant de ea, quae in eis est, spe salutis aeternae (cf. *1 Pt.* 3, 15). Cum autem sacerdotium ministeriale seu hierarchicum essentialiter et non gradu tantum a sacerdotio universali christifidelium differat, hoc et illud tamen suo peculiari modo a Summo Sacerdotio Christi profluunt, et ad invicem ordinantur.

Textus emendatus

nibus assumptus (cf. *Hebr.* 5, 1-5) novum po- **[30]**
pulum « fecit regnum et sacerdotes Deo et Pa-
tri suo » (cf. *Apoc.* 1, 6; 5, 9-10) (A). *Bapti-* **[31]**
zati enim per regenerationem et Spiritus Sancti unctionem consecrantur in *domum* spiritualem et sacerdotium *sanctum,* ut per omnia opera hominis christiani spirituales offerant hostias, et virtutes annuntient Eius qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum (cf. *1 Pt.* 2, 4-10). Ideo universi discipuli Christi, *in oratione perseverantes et collaudantes Deum* (cf. *Act.* 2, 42, 47), seipsos hostiam viventem, *sanctam,* Deo placentem exhibeant (cf. *Rom.* 12, 1), ubique terrarum de Christo testimonium perhibeant, atque poscentibus rationem reddant de ea quae in eis est spe vitae aeternae (cf. *1 Pt.* 3, 15) (B).

Sacerdotium autem *commune* fidelium et sacerdotium ministeriale sive hierarchicum ad invicem ordinantur; unum vero et alterum suo peculiari modo de uno Christi sacerdotio participant. *Essentia* enim et non gradu tantum inter se differunt (2). *Sacerdos quidem ministerialis, potestate sacra qua gaudet, populum sacerdotalem efformat ac regit, sacrificium eucharisticum conficit illudque nomine totius populi Deo offert; fideles vero, vi regalis sui sacerdotii, in oblationem Eucharistiae concurrunt* (3), *illudque in sacramentis suscipiendis, in oratione et gratiarum actione, testimonio vitae sanctae, abnegatione et actuosa caritate exercent* (C).

24. § 2. Indoles sacra et organice exstructa communitatis sacerdotalis in sacramentis innititur et per ea ad actum deducitur. Fideles per *baptismum* in filios Dei regenerati, ad cultum religionis christianae charactere deputantur et fidem quam a Deo per Ecclesiam acce-

11. (olim n. 24 § 2). [*De exercitio Sacerdotii communis in Sacramentis*]. Indoles sacra et organice exstructa communitatis sacerdotalis *et* per sacramenta, *et per virtutes* (A) ad actum deducitur. Fideles per baptismum *in Ecclesia incorporati,* ad cultum religionis christia-

Textus prior

[31] perunt profiteri tenentur. Sacramento *confirmationis* perficiuntur et roborantur ut fidem verbo et opere simul diffundant et defendant. Sacrificium *eucharisticum* participantes, vota sua cum votis ministri litantis iungentes, divinam
[32] Victimam, verbis consecrationis a sacerdote in altari positam, per manus eius Deo offerunt atque seipsos cum Ea, et hac maxime oblatione ac sacra communione partes activas in liturgia agunt.

Coniuges christiani ex virtute sacramenti, quo repraesentatur mysterium unitatis et amoris inter Christum et Ecclesiam (cf. *Eph.* 5, 32), se invicem in vita coniugali et prolis educatione sanctificant, atque adeo in suo vitae statu et ordine habent proprium suum in Ecclesia donum (cf. *1 Cor.* 7, 7). Ex casto enim connubio

Textus emendatus

nae charactere deputantur et, in filios Dei regenerati, fidem quam a Deo per Ecclesiam acceperunt *coram hominibus* profiteri tenentur (4). Sacramento confirmationis *perfectius Ecclesiae vinculantur, speciali Spiritus Sancti robore ditantur,* sicque ad fidem *tamquam veri testes Christi* verbo et opere simul diffundendam et defendendam *arctius obligantur* (5) (B). Sacrificium eucharisticum, *totius vitae christianae fontem et culmen,* participantes (C), divinam Victimam Deo offerunt atque seipsos cum Ea (6); ita tum oblatione tum sacra communione, *non promiscue sed alii aliter, omnes* in liturgica actione partem *propriam* agunt (D). *Porro corpore Christi in sacra synaxi refecti, unitatem Populi Dei, quae hoc augustissimo sacramento apte significatur et mirabiliter efficitur, modo concreto exhibent* (E).

Qui vero ad sacramentum poenitentiae accedunt, veniam a misericordia Dei obtinent et simul reconciliantur cum Ecclesia, quae eorum conversioni caritate, exemplo, precibus adlaborat (F). *Sacra infirmorum unctione atque oratione presbyterorum Ecclesia tota aegrotantes Domino patienti et glorificato commendat, ut eos alleviet et salvet* (cf. *Iac.* 5, 14-16), *immo eos hortatur ut sese Christi passioni et morti libere sociantes* (cf. *Rom.* 8, 17; *Col.* 1, 24; *2 Tim.* 2, 11-12; *1 Pt.* 4, 13), *ad bonum Populi Dei conferant* (G). *Iterum, qui inter fideles sacro Ordine insigniuntur, ad Ecclesiam verbo et gratia Dei pascendam, Christi nomine instituuntur* (H). *Tandem* coniuges christiani, virtute matrimonii sacramenti, quo mysterium unitatis et *fecundi* amoris inter Christum et Ecclesiam *significant atque participant* (cf. *Eph.* 5, 32) (I), se invicem in vita coniugali *necnon* prolis *susceptione et* educatione ad *sanctitatem acquirendam adiuvant* (K), adeoque in suo vi-

Textus prior

procedit familia, ubi nascuntur novi societatis humanae cives, qui sub gratia Spiritus Sancti, ad perpetuandum saeculorum decursu Corpus Christi, in filios Dei constituuntur. In hac velut Ecclesia domestica, parentes saepe sunt primi fidei praecones, quasi munus episcopale, ut ait Augustinus, exercent, et sacras etiam vocationes Deo dante fovent.

Christifideles cum Christo, qui principem huius mundi devicit et cui servire regnare est, in libertate filiorum Dei regnant et sui abnegatione vitaque sancta regnum peccati in seipsis (cf. *Rom.* 6, 12) et in aliis impugnant.

Munus Christi igitur sacerdotale, propheticum et regale quodammodo participantes, mandatum eius novum et maximum observant, caritatem videlicet, qua proximos amamus ea dilectione qua Ipse prius dilexit nos, praesertim minimos fratres, in quibus vult peculiari modo Se agnosci.

Textus emendatus

tae statu et ordine *proprium* suum *in Populo* [32] *Dei* donum habent (cf. *1 Cor.* 7, 7) (7). Ex *hoc* enim connubio (L) procedit familia, in qua nascuntur novi societatis humanae cives, qui per Spiritus Sancti gratiam, ad *Populum Dei* saeculorum decursu perpetuandum, *baptismo* in filios Dei constituuntur (M). In hac velut Ecclesia domestica parentes *verbo et exemplo sint pro filiis suis* primi fidei praecones, et [33] vocationem *unicuique propriam, sacram vero speciali cura,* foveant (N).

Tot ac tantis salutaribus mediis muniti, Christifideles omnes, cuiusvis conditionis ac status, ad perfectionem sanctitatis qua Pater ipse perfectus est, sua quisque via, a Domino vocantur (O).

Textus prior

24. §§ 5-7. Ecclesia tota, quae Deo offert fructum labiorum confitentium nomini Eius (cf. *Hebr.* 13, 15), et in credendo indefectibilis est, hanc suam peculiarem proprietatem etiam in supernaturali *sensu fidei* universi populi christiani manifestat.

Hic sensus fidei, quo omnes sunt docibiles Dei (cf. *Io.* 6, 45), coalescit ipsorum consensu de rebus fidei et morum, « ab Episcopis usque ad extremos laicos fideles », ut dicit S. Augustinus. A Spiritu veritatis excitatus, idem sensus fidei verbo Dei scripto et tradito sub Eius assistentia inhaeret, et a Magisterio ducitur ac sustentatur, cui credentes active respondent, veritatem fidei profundius perspiciendo, et in vita fidelius applicando.

Propterea, in Ecclesiae atque apostolatus incrementum, Spiritus dat fidelibus varia dona

Textus emendatus

12. (olim n. 24, §§ 5-8). [*De sensu fidei et charismatibus in populo christiano*]. *Populus Dei sanctus de munere quoque prophetico Christi participat* (A), *vivum Eius testimonium maxime per vitam fidei ac caritatis diffundendo,* et Deo *hostiam laudis* offerendo (B), fructum labiorum confitentium nomini Eius (cf. *Hebr.* 13, 15). *Universitas* fidelium, *qui unctionem habent a Sancto* (cf. *1 Io.* 2, 20 et 27), in credendo *falli nequit* (C), atque hanc suam peculiarem proprietatem *mediante* supernaturali sensu fidei totius populi *exercet,* cum « ab Episcopis usque ad extremos laicos fideles » (8) *universalem* suum *consensum* de rebus fidei et morum *exhibet* (D). Illo enim sensu fidei, qui a Spiritu veritatis excitatur et sustentatur, Populus Dei sub ductu magisterii, *cui fideliter obsequens, iam non verbum hominum,* sed vere

Textus prior

[33] et munera ad servitium seu « diakoniam », secundum illud: « Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei » (*1 Pt.* 4, 10). Quae charismata sive clarissima sive etiam simpliciora et latius diffusa, cum sint necessitatibus Ecclesiae apprime accommodata et proficua, cum gratiarum actione ac consolatione accipienda sunt. Dona autem extraordinaria non sunt temere exspectanda, neque praesumptorie ab eis sperandi sunt fructus operarum apostolicarum; sed iudicium de [34] eorum genuinitate et ordinato exercitio rectoribus Ecclesiae humiliter submittendum est, monente Apostolo: « Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant » (*1 Cor.* 14, 40).

Textus emendatus

accipit verbum Dei (cf. *1 Th.* 2, 13) (E), *semel traditae sanctis fidei* (cf. *Iud.* 3) indefectibiliter adhaeret, *recto iudicio* in eam profundius penetrat eamque in vita plenius applicat.

Idem praeterea Spiritus Sanctus non tantum per sacramenta et ministeria populum Dei sanctificat et ducit eumque virtutibus ornat, sed dona sua « dividens singulis prout vult » (*1 Cor.* 12, 11), *inter omnis ordinis fideles distribuit gratias quoque speciales* (F), *quibus illos aptos et promptos reddit ad suscipienda varia opera vel officia, pro renovatione et ampliore aedificatione Ecclesiae proficua* (G), *secundum illud*: « *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem* » (*1 Cor.* 12, 7) (H). Quae charismata, sive clarissima, sive etiam simpliciora et latius diffusa, cum sint necessitatibus Ecclesiae apprime accommodata et utilia, cum gratiarum actione ac consolatione accipienda sunt. Dona autem extraordinaria non sunt temere *expetenda,* neque praesumptuose ab eis sperandi sunt fructus operarum apostolicarum; sed iudicium de eorum genuinitate et ordinato exercitio (I) *ad eos pertinet, qui in Ecclesia praesunt, et quibus speciatim competit, non Spiritum exstinguere, sed omnia probare et quod bonum est tenere* (cf. *1 Thess.* 5, 12 et 19-21) (K).

13. (novus numerus). [*De universalitate seu catholicitate unius Populi Dei*]. Ad Populum Dei cuncti vocantur homines. Quapropter hic populus, unus et unicus manens, ad universum mundum et per omnia saecula est dilatandus, ut propositum adimpleatur voluntatis Dei, qui naturam humanam in initio condidit unam, filiosque suos, qui erant dispersi, in unum tandem congregare statuit (cf. *Io.* 11, 52). Ad hoc enim misit Deus Filium suum, quem constituit heredem universorum (cf. *Hebr.* 1, 2), ut sit Magister, Rex et Sacerdos noster, Caput novi et universalis populi filiorum Dei (A). Ad hoc tandem misit Deus Spiritum Filii sui, Dominum et Vivificantem, qui pro tota Ecclesia et singulis universisque credentibus principium est congregationis et unitatis in doctrina Aposto-

lorum et communione, fractione panis et orationibus (cf. *Act.* 2, 42, gr.). [34]

Omnibus itaque gentibus terrae inest unus Populus Dei, cum ex omnibus mutuetur suos cives, Regni quidem non terrestris, sed coelestis (B). Cuncti enim per orbem sparsi fideles cum ceteris in Spiritu Sancto communicant, et sic « qui Romae sedet, Indos scit membrum suum esse » (9). (C) Cum autem Regnum Christi de hoc mundo non sit (cf. *Io.* 18, 36), ideo Ecclesia seu Populus Dei, hoc Regnum inducens, nihil bono temporali cuiusvis populi subtrahit, sed e contra facultates et copias moresve, in quibus uniuscuiusque gentis ingenium exprimitur, quantum bona sunt, fovet et assumit, assumendo vero roborat, elevat atque consecrat. Memor est enim se cum illo Rege colligere debere, Cui gentes in hereditatem datae sunt (cf. *Ps.* 2, 8; *Hebr.* 1, 1), et in Cuius civitatem dona et munera adducunt (cf. *Ps.* 71 [72], 10; *Is.* 60, 4-7; *Apoc.* 21, 24). Hic universalitatis character, qui Populum Dei condecorat, ipsius Domini donum est, quo catholica Ecclesia efficaciter et [35] perpetuo tendit ad recapitulandam totam humanitatem cum omnibus bonis eius, sub Capite Christo, in unitate Spiritus Eius (10).

Vi huius catholicitatis (D), singulae partes propria dona ceteris partibus et toti Ecclesiae afferunt, ita ut totum et singulae partes augeantur ex omnibus invicem communicantibus et ad plenitudinem in unitate conspirantibus. Inde fit ut Populus Dei non tantum ex diversis populis congregetur, sed etiam in seipso ex variis ordinibus confletur. Adest enim inter membra eius diversitas, sive secundum officia, dum aliqui sacro ministerio in bonum fratrum suorum funguntur; sive secundum condicionem et vitae ordinationem, dum plures in statu religioso, arctiore via ad sanctitatem tendentes, fratres exemplo suo stimulant (E). Inde etiam in ecclesiastica communione legitime adsunt Ecclesiae particulares, propriis traditionibus fruentes (F), integro manente primatu Petri Cathedrae, quae universo caritatis coetui praesidet (11) (G), legitimas varietates tuetur et simul invigilat ut particularia, *nedum unitati noceant, ei potius inserviant.* Inde denique inter diversas Ecclesiae partes vincula intimae communionis quoad divitias spirituales, operarios apostolicos et temporalia subsidia (H). Ad communicandum enim bona vocantur membra Populi Dei, et de singulis etiam Ecclesiis valent verba Apostoli: « Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicuti boni dispensatores multiformis gratiae Dei » (*1 Pt.* 4, 10).

Ad hanc igitur catholicam Populi Dei unitatem, quae pacem universalem praesignat et promovet, omnes asciscuntur homines, ad eamque variis modis pertinent vel ordinantur sive fideles catholici, sive alii credentes in Christo, sive denique omnes universaliter homines, gratia Dei ad salutem vocati.

Textus prior

[35] 8. [*De fidelibus catholicis*]. Docet Sancta Synodus cum Sacra Scriptura et Traditione, Ecclesiam esse institutum necessarium ad salutem, ideoque illos homines salvari non posse, qui, Ecclesiam Catholicam a Deo per Iesum Christum ut necessariam esse conditam non ignorantes, eam tamen renuant intrare vel in eadem perseverare. Quod enim Revelatio de necessitate baptismi affirmat (cf. *Mc.* 16, 16; *Io.* 3, 5), procul dubio eadem ratione de Ecclesia valet, quam homines per baptismum tamquam per ianuam intrant.

Reapse et simpliciter loquendo Ecclesiae societati incorporantur illi tantum, qui inte-
[36] gram eius ordinationem omniaque media salutis in Ea instituta agnoscunt, et in eiusdem compage visibili cum Christo, eam per Summum Pontificem et Episcopos regente, iunguntur, vinculis nempe professionis fidei, sacramenti et ecclesiastici regiminis ac communionis. Non salvatur tamen, licet ad Ecclesiam pertineat, qui in fide, spe et caritate non vivit, sed peccans in Ecclesiae sinu « corpore » quidem sed non « corde » remanet. Memores autem sint omnes Ecclesiae filii condicionem suam eximiam non propriis meritis, sed peculiari gratiae Christi esse adscribendam; cui si cogitatione, verbo et opere non respondent, nedum salventur severius iudicabuntur.

Voto autem cum Ecclesia coniunguntur Catechumeni, qui, Spiritu Sancto movente, cogitate et explicite ut ei incorporentur expetunt; quos iam ut suos dilectione curaque complectitur Mater Ecclesia. Suo modo idem valet de illis, qui nescientes Ecclesiam Catholicam esse veram et unicam Christi Ecclesiam, sincere, adiuvante gratia, voluntatem Christi vel, si distincta cognitione Christi carent, voluntatem Dei Creatoris, qui vult omnes homines

Textus emendatus

14. (olim n. 8). [*De fidelibus catholicis*] (A). *Ad fideles ergo catholicos imprimis Sancta Synodus animum vertit.* Docet autem, Sacra Scriptura et Traditione *innixa* (B), Ecclesiam *hanc peregrinantem* necessariam esse ad salutem (C). *Unus enim Christus est Mediator ac via salutis, qui in Corpore suo, quod est Ecclesia, praesens nobis fit; Ipse autem* necessitatem baptismi *expressis verbis inculcando* (cf. *Mc.* 16, 16; *Io.* 3, 5), *necessitatem Ecclesiae,* in quam homines per baptismum tamquam per ianuam intrant, *simul confirmavit* (D). Quare illi homines salvari non *possent,* qui Ecclesiam Catholicam a Deo per Iesum Christum ut necessariam esse conditam non ignorantes, tamen vel in eam intrare, vel in eadem perseverare *nollent* (E).

Illi *plene* Ecclesiae societati incorporantur (F), qui *Spiritum Christi habentes* (G), integram eius ordinationem omniaque media salutis in ea instituta *accipiunt,* et in eiusdem compage visibili cum Christo, eam per Summum Pontificem atque Episcopos regente, iunguntur, vinculis nempe professionis fidei, *sacramentorum* (H) et ecclesiastici regiminis ac communionis. Non salvatur tamen, licet Ecclesiae incorporetur, qui *in caritate non perseverans* (I), in Ecclesiae sinu « corpore » quidem, sed non « corde » remanet (12). Memores autem sint omnes Ecclesiae filii condicionem suam eximiam non propriis meritis, sed peculiari gratiae Christi esse adscribendam; cui si cogitatione, verbo et opere non respondent, nedum salventur, severius iudicabuntur (13).

Catechumeni qui, Spiritu Sancto movente, *explicita voluntate* (K) ut Ecclesiae incorporentur expetunt, *hoc ipso voto* (L) cum ea coniunguntur; quos iam ut suos dilectione curaque complectitur Mater Ecclesia (M).

Textus prior

salvos fieri, interna fide, spe et caritate adimplere satagunt.

9. [*De nexibus Ecclesiae cum Christianis non catholicis*]. Cum omnibus illis qui, baptizati, christiano nomine decorantur, integram autem fidem vel unitatem communionis sub Romano Pontifice non profitentur, Ecclesia, pia omnium Mater, semetipsam scit plures ob rationes coniunctam. Amanter enim credunt in Christum, Filium Dei Salvatorem, baptismo indelebili signantur, imo omnia aut saltem quaedam sacramenta agnoscunt et recipiunt, et plures eorum fidem erga Sanctissimam Eucharistiam necnon pietatem erga Deiparam Virginem fovent. Accedit orationum aliorumque beneficiorum spiritualium communio; imo quaedam in Spiritu Sancto coniunctio, quippe qui non solum donis et gratiis intra Ecclesiam Catholicam agat, sed sua virtute sanctificante etiam in illis operetur. Ita Spiritus in cunctis Christi discipulis desiderium actionemque suscitat, ut omnes, modo a Christo statuto, in uno grege sub uno Pastore pacifice uniantur. Quod ut obtineat Ecclesia precari, sperare et agere non desinit, omnesque ad orandum et cooperandum exhortatur, ut, purificati et renovati, signum Christi super faciem Ecclesiae clarius effulgens extollant.

10. [*De non-christianis ad Ecclesiam adducendis*]. Ecclesia ad omnes homines missa est, pro quibus Dominus sanguinem suum fudit ut eos ad Regnum suum vocaret et dirigeret. Quapropter Ecclesia a prece et praedica-

Textus emendatus

[36]

15. (olim n. 9). [*De nexibus Ecclesiae cum Christianis non-catholicis*] (A). Cum omnibus illis qui, baptizati, christiano nomine decorantur, integram autem fidem non profitentur vel unitatem communionis *sub Successore Petri non servant,* Ecclesia semetipsam novit plures ob rationes coniunctam (14) (B). *Sacram enim Scripturam ut normam credendi et vivendi in honore habent zelumque apostolicum ostendunt,* amanter credunt in *Deum Patrem omnipotentem* et in Christum, Filium Dei Salvatorem (15) (C), baptismo signantur, *quo Christo coniunguntur,* imo *et alia* sacramenta in *propriis Ecclesiis vel communitatibus ecclesiasticis* agnoscunt et recipiunt (D). *Plures inter* **[37]** *illos et episcopatu gaudent* (E), Sacram Eucharistiam *celebrant* necnon pietatem erga Deiparam Virginem fovent (16) (F). Accedit orationum aliorumque beneficiorum spiritualium communio; imo *vera* quaedam in Spiritu Sancto coniunctio (G), quippe qui donis et gratiis etiam in illis sua virtute sanctificante operatur (H), *et quosdam illorum usque ad martyrium roboravit.* Ita Spiritus in cunctis Christi discipulis desiderium actionemque suscitat, ut omnes, modo a Christo statuto, in uno grege sub uno Pastore pacifice uniantur (17) (I). Quod ut obtineat Ecclesia *Mater* precari, sperare et agere non desinit, filiosque *ad purificationem et renovationem* exhortatur (K), ut signum Christi super faciem Ecclesiae clarius effulgeat (L).

16. (olim n. 10). [*De non-christianis*]. *Ii tandem qui Evangelium nondum acceperunt, ad Populum Dei diversis rationibus ordinantur* (18) (A). *In primis quidem populus ille* cui data fuerunt testamenta et promissa *et ex*

Textus prior

[37] tione quiescere nequit, donec omnes in Eam in unum corpus adsciscantur, qui ad fidem christianam nondum pervenerunt, sive Domino iam prope fuerint (cf. *Eph.* 2, 11-13), ut pertinentes ad populum eius, fratres Eius secundum carnem, quibus data fuerunt testamenta et promissa (cf. *Rom.* 9, 4-5), sive longe ab Eo, sed non derelicti, Deum creatorem agnoscant, vel in umbris et imaginibus Deum ignotum quaerant. Quidquid enim boni apud illos invenitur, ab Ecclesia tamquam praeparatio evangelica aestimatur et lumen a Deo datum, qui ab initio mundi salutem omnium hominum efficaciter intendit. Qui, Christum Eiusque Ecclesiam sine culpa ignorantes, Deum tamen sincero corde quaerunt Eiusque voluntatem, per conscientiae dictamen agnitam, operibus adimplere, sub gratiae influxu, conantur, aeternam [38] salutem sperare possunt; in terris tamen agnitione Christi et glorificatione Patris Eius non locupletantur. Quapropter Ecclesia indesinenter impellitur, ut omnes non baptizatos ad Corpus Christi adducat, ut sic via salutis pro eis latius sternatur.

Ita, dilatata caritate, Ecclesia cor suum universis hominibus totique mundo pandit, ut per Dominum suum Redemptorem ac Regem universorum, feliciter sit lumen omnium gentium.

Textus emendatus

quo Christus ortus est secundum carnem (cf. *Rom.* 9, 4-5), *populus secundum electionem carissimus propter patres: sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei* (cf. *Rom.* 11, 28-29) (B). *Nec revelationi Patribus factae omnino extranei sunt filii Ismael, qui, Abraham patrem agnoscentes, in Deum quoque Abrahae credunt* (C). *Sed et si quidam Patrem Domini nostri Iesu Christi ignorantes,* Creatorem tamen agnoscunt, vel in umbris et imaginibus Deum ignotum quaerunt, *ab huiusmodi Deus ipse non longe est, cum det omnibus vitam et inspirationem et omnia* (cf. *Act.* 17, 25-28), *et Salvator velit omnes homines salvos fieri* (cf. *1 Tim.* 2, 4). *Qui enim Evangelium* Christi Eiusque Ecclesiam sine culpa ignorantes, Deum tamen sincero corde quaerunt, Eiusque voluntatem per conscientiae dictamen agnitam, operibus adimplere, sub gratiae influxu, conantur, aeternam salutem *consequi* possunt (19) (D). *Nec divina Providentia auxilia ad salutem necessaria denegat his qui sine culpa ad expressam agnitionem Dei nondum pervenerunt et rectam vitam non sine divina gratia assequi nituntur* (E). Quidquid enim boni *et veri* apud illos invenitur, ab Ecclesia tamquam praeparatio evangelica aestimatur (20) *et ab Illo datum qui illuminat omnem hominem, ut tandem vitam habeat* (F). *At saepius homines, a Maligno decepti, evanuerunt in cogitationibus suis, et commutaverunt veritatem Dei in mendacium, servientes creaturae magis quam Creatori* (cf. *Rom.* 1, 21 et 25) *vel sine Deo viventes ac morientes in hoc mundo, extremae desperationi exponuntur* (G). *Quapropter ad gloriam Dei et salutem istorum omnium promovendam* (H), *Ecclesia, memor mandati Domini dicentis « Praedicate Evangelium omni creaturae »* (cf. *Mc.* 16, 16), *missiones fovere sedulo curat.*

17. (novus numerus). [*De indole missionaria Ecclesiae*] (A). Sicut [38] enim Filius missus est a Patre, et Ipse Apostolos misit (cf. *Io.* 20, 21), dicens: « Euntes docete omnes gentes... Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 18-20). Quam missionem annuntiandi veritatem salutarem Ecclesia ab Apostolis recepit adimplendam usque ad ultimum terrae (cf. *Act.* 1, 8). Unde sua facit verba Apostoli: « Vae... mihi est si non evangelizavero! » (*1 Cor.* 9, 16). A Spiritu Sancto enim ad cooperandum compellitur, ut propositum Dei, qui Christum principium salutis pro universo mundo constituit, effectu compleatur. Praedicando Evangelium (B), audientes ad fidem confessionemque fidei allicit, ad baptismum disponit, a servitute erroris et idolorum eripit, Christoque incorporat, ut per caritatem in Illum usque ad plenitudinem crescant. Opera autem sua efficit (C) ut quidquid boni in corde menteque hominum vel in propriis ritibus et culturis populorum seminatum invenitur, non tantum non pereat, sed sanetur, elevetur et consummetur ad gloriam Dei, confusionem daemonis et beatitudinem hominis. Cuilibet discipulo Christi onus fidei disseminandae pro parte sua incumbit (21) (D). Sed si quilibet credentes baptizare potest, sacerdotis tamen est aedificationem Corporis sacrificio eucharistico perficere, adimplendo verba Dei per prophetam: « Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et [39] offertur nomini meo oblatio munda » (*Mal.* 1, 11) (22). Ita autem (E) simul orat et laborat Ecclesia, ut in Populum Dei, Corpus Domini et Templum Spiritus Sancti totius mundi transeat plenitudo, et in Christo, omnium Capite, reddatur universorum Creatori ac Patri omnis honor et gloria.

NOTAE

Caput II - *De Populo Dei*

Ad n. 9.

(1) Cf. S. Cyprianus, *Epist.* 69, 6: *PL* 3, 1142 B; Hartel 3 B, p. 754: « inseparabile unitatis sacramentum ».

Ad n. 10.

(2) Cf. Pius XII, Alloc. *Magnificate Dominum,* 2 nov. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 669. Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 555.

(3) Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928: *A.A.S.,* 20 (1928), p. 171 s. Pius XII, Alloc. *Vous nous avez,* 22 sept. 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 714.

Ad n. 11.

(4) Cf. S. Thomas, *Summa Theol.* III, q. 63, a. 2.

(5) Cf. S. Cyrillus Hieros., *Catech.* 17, de Spiritu Sancto, II, 35-37: *PG* 33, 1009-1012. Nic. Cabasilas, *De vita in Christo,* lib. III, de utilitate chrisma-

[39] tis: *PG* 150, 569-580. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 65, a. 3 et q. 72, a. 1 et 5.

(6) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), praesertim p. 552 s.

(7) *1 Cor.* 7, 7: « Unusquisque proprium donum (idion charisma) habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic ». Cf. S. AUGUSTINUS, *De Dono Persev.* 14, 37: *PL* 45, 1015 s.: « Non tantum continentia Dei donum est, sed coniugatorum etiam castitas ».

Ad n. 12.

(8) Cf. S. AUGUSTINUS, *De Praed. Sanct.* 14, 27: *PL* 44, 980.

Ad n. 13.

(9) Cf. S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In Io.* Hom. 65, 1: *PG* 59, 361.

(10) Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 16, 6; III, 22, 1-3: *PG* 7, 925 C-926 A et 958 A; HARVEY 2, 87 et 120-123; SAGNARD, ed. *Sources Chrét.,* pp. 290-292 et 372 ss.

(11) Cf. S. IGNATIUS M., *Ad Rom.,* Praef.: ed. FUNK, I, p. 252.

Ad n. 14.

(12) Cf. S. AUGUSTINUS, *Bapt. c. Donat.* V, 28, 39: *PL* 43, 197: « Certe manifestum est, id quod dicitur, in Ecclesia intus et foris, in corde, non in corpore cogitandum ». Cf. *ibid.,* III, 19, 26: col. 152; V, 18, 24: col. 189; *In Io.* Tr. 61, 2: *PL* 35, 1800, et alibi saepe.

[40] (13) Cf. *Lc.* 12, 48: « Omni autem, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo ». Cf. etiam *Mt.* 5, 19-20; 7, 21-22; 25, 41-46; *Iac.* 2, 14.

Ad n. 15.

(14) Cf. LEO XIII, Epist. Apost. *Praeclara gratulationis,* 20 iun. 1894: *A.S.S.,* 26 (1893-94), p. 707.

(15) Cf. LEO XIII, Epist. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-96), p. 738. ID., Epist. Encycl. *Caritatis studium,* 25 iul. 1898: *A.S.S.,* 31 (1898-99), p. 11. PIUS XII, Nuntius radioph. *Nell'alba,* 24 dec. 1941: *A.A.S.,* 34 (1942), p. 21.

(16) Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Orientalium,* 8 sept. 1928: *A.A.S.,* 20 (1928), p. 287. PIUS XII, Litt. Encycl. *Orientalis Ecclesiae,* 9 apr. 1944: *A.A.S.,* 36 (1944), p. 137.

(17) Cf. Instr. S. C. S. OFFICII, 20 dec. 1949: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 142.

Ad n. 16.

(18) Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 8, a. 3, ad 1.

(19) Cf. *Epist.* S. C. S. OFFICII ad Archiep. Boston.: DENZ. 3869-72.

(20) Cf. EUSEBIUS CAES., *Praeparatio Evangelica,* 1, 1: *PG* 21, 27 AB.

Ad n. 17.

(21) Cf. BENEDICTUS XV, Epist. Apost. *Maximum illud*: *A.A.S.,* 11 (1919), p. 440, praesertim p. 451 ss. PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.,* 18 (1926), pp. 68-69. PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei Donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 236-237.

(22) Cf. *Didachè,* 14: ed. FUNK, I, p. 32. S. IUSTINUS, *Dial.* 41: *PG* 6, 564. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* IV, 17, 5: *PG* 7, 1023; HARVEY, 2, p. 199 s. CONC. TRID., Sess. 22, cap. 1; DENZ. 939 (1742).

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS [41]

RELATIO DE N. 9, OLIM NN. 2-3

(A) Elementa huius paragraphi desumpta sunt ex Introductione ad Caput de Laicis (olim n. 22) et ex elementis textus prioris sub numeris 2 et 3, secundum emendationem propositam in *Emendat.* P. II, pp. 7-8, ed. 1963.

In hoc textu unus Pater difficultatem movit contra modum dicendi: « mysterium Ecclesiae in tota sua amplitudine », quem ut exaggeratum considerat, E/967. Alius voluit ut loco « conditionem Populi Dei » dicatur: « mysterium », ad insistendum super unitatem inter cap. I et cap. II. Commissio iudicavit modum dicendi huius paragraphi textus prioris, saltem in sua prima sententia, esse nimis scholarem, et censuit expositionem apte incipi posse cum affirmatione de Novo foedere novoque Populo, absque ulteriori introductione. Novus Populus non simpliciter Populo antiquo succedit, sed eum secundum promissiones Prophetarum perficit pignore Spiritus Sancti, licet Populus novus beatam consummationem adhuc exspectet; de quo cf. in textu priore notam 4, pp. 14-15.

(B) Postulatum est in E/946, ut aliquid dicatur de illis innumeris hominibus qui ante adventum Christi, vel etiam post eius adventum in gentilitate vixerunt, attamen Deo secundum conscientiae dictamen oboedientes, ad civitatem Dei aedificandam suo modo contulerunt.

Quamvis de illis aliquid sub n. 16 dicatur, desiderio tamen huic Commissio satisfecit, cum referentia ad *Act.* 10, 35 in prima sententia paragraphi dicendo: « In omni quidem tempore et in omni gente Deo acceptus est, quicumque timet eum et operatur iustitiam, etc. ». Ita bene introducitur thema capitis huius II.

(C) Insistitur in *novitate* foederis definitivi cum Populo Dei in Christo, post praeparationem Veteris Testamenti secundum propositionem E/977.

(D) Dictum est de novo Populo orto *ex morte et resurrectione* Domini, ut voluit E/585, de Populo *messianico,* ut petit E/993. Ideae in hac alinea expositae iam in Cap. I passim tanguntur: hic autem de novo Populo praebetur conspectus syntheticus.

(E) Plures Patres, nempe E/937 (60 Episcopi); E/505; E/568 (30 Epp.); E/583; E/641; E/968; E/972; E/1000 (60 Epp.), et alii

[41] postulaverunt ut aliquid diceretur de *consummatione eschatologica* Ecclesiae. Quod factum est hic et pluribus aliis locis: immo in fine schematis data opera agetur de relatione Ecclesiae peregrinantis et Ecclesiae coelestis.

[42] (F) Iidem postulaverunt ut dicatur etiam de Ecclesia ad finem *peregrinante* per historiam, usque ad universalem diffusionem. Quod licet iam sub n. 2° indicatum sit, hic explicitius enuntiatur. Vocatur autem Ecclesia « *sacramentum* unitatis », evidenter sensu latiore, qui explicatur in eodem numero 9, p. 22, lin. 8, ut « instrumentum redemptionis ». Patres antiqui vocabulum « sacramentum » (mysterium) tum de Christo tum de Ecclesia adhibent. Referentias quaere in textu priore sub nota 5, p. 15 editionis anni 1963. Cf. etiam *Relationem* de n. 1.

(G) Voluerunt iidem ut etiam agatur de *tribulationibus* Ecclesiae seu de Ecclesia sub cruce. Hoc modo pressius enuntiantur illa quae occurrunt sub nn. 7-8.

(H) Petierunt iidem ut aliquid dicatur *de peccatis* membrorum Ecclesiae. De qua idea, cf. etiam ea quae dicuntur sub n. 8, p. 24, lin. 5-11.

(I) Denique voluerunt indicationem de *renovatione* Ecclesiae. Quod expressum est alludendo ad textum S. IRENAEI, *Adv. Haer.* III, 24, 1; *PG* 7, 966; HARVEY, 2, p. 131; ed. SAGNARD, *Sources Chrét.,* p. 398. Textus ille uberiori modo citatur sub n. 4.

RELATIO DE N. 10, OLIM N. 24 § 1

Observationes generales

Generales Patrum observationes respiciunt tum sacerdotium universale, tum sacerdotium hierarchicum, quia textus reapse de utroque loquitur.

I - *De sacerdotio universali.*

1. E/999 postulat ut prudenter procedatur, quia doctrina haec nondum est matura; quia distinctio inter utrumque sacerdotium apud orientales non habetur, et quia porta aperienda non est ingerentiae laicorum in rebus quae ad solam hierarchiam pertinent.

Respondetur doctrinam iam maturari et in Encyclica *Mediator Dei* exhiberi. Si proponitur sicut revera est, non datur periculum ingerentiae.

2. E/831 et E/935 postulant ut declaretur sacerdotium universale esse improprium.

Pro parte consideratur ut proprium, sed analogicum. Quaestio tamen

non videtur hic dirimenda. Differentia inter utrumque sacerdotium suo loco exponitur. [42]

3. Plures, etsi libenter agnoscentes sacerdotium universale, postulant ut alio nomine indicetur:

a) dicatur « spirituale » E/953; E/988. Sane « hostias spirituales » offert. At etiam sacerdotium hierarchicum est spirituale.

b) Dicatur *commune,* ad vitandam ambiguitatem, E/1013. « Universale » enim significat « quod universa complectitur », E/831: potest tamen etiam indicare illud quod omnibus competit. [43]

c) Dicatur *inchoativum,* quia datur per baptismum quo inchoatur, dum per Ordinem perficitur, E/974.

d) Vel dicatur simpliciter *quoddam* sacerdotium, E/996. Placuit Commissioni doctrinali, ut diceretur: « Commune ».

4. Postulat E/947 ut etiam *origo* huius sacerdotii indicetur. Hoc reapse fit in prima sententia paragraphi.

II - *De sacerdotio ministeriali.*

1. Nominetur *sacramentale,* E/953; E/988. At etiam sacerdotium commune est sacramentale, quia introducitur per baptismum. Vox « ministeriale » optime munus huius sacerdotii exprimit.

2. Dicatur *repraesentativum,* non ut hoc nomen adhibeatur, sed ut indoles muneris exhibeatur, E/937. De facto minister Deum coram fidelibus, et fideles coram Deo repraesentat.

III - *De relationibus inter utrumque sacerdotium.*

1. E/964 vult has relationes explicari per verba S. Pauli: « Ex populo assumptus, pro populo constitutus ». At *Hebr.* 5, 1 non agitur de sacerdotio communi, sed de ministerio sacerdotali « pro hominibus ».

2. E/998 postulat ut in explicatione clarius eluceat quod, dum sacerdotium fidelium extollitur, sacerdotium ministrorum non minuitur, quia sine isto illud concipi nequit.

3. E/937 distinguit elementum *commune* inter utrumque, scilicet consecrationem in Spiritu Sancto ad offerendum; et elementum *proprium,* scilicet quod unum est repraesentativum, alterum vero non. Quod admitti potest. Sed insuper consecrationes dant diversas potestates: offerendi nomine proprio apud fideles, nomine etiam aliorum apud ministros, qui insuper eucharistiam « conficiunt », ut ceterum postea dicitur. E/502 suadet ut in nota remittatur ad Encycl. *Mediator Dei.*

[43] IV - *Aliae ordinationes materiae proponuntur.*

1. E/989 vult ut ordo disponatur secundum triplex munus: *sacerdotis, regis* et *prophetae,* quod adest in Christo, ut dicitur in capite de Hierarchia, et participatur etiam a populo. De munere sacerdotali populi sermo fit in nn. 10 et 11, de munere prophetico populi, in n. 12. De munere regali autem in capite de Laicis, sub n. 36.

2. Alius, E/923, proponit ut tamquam triplex munus indicetur: opus testimonii, opus caritatis et opus apostolatus.

3. E/529 hunc ordinem proponit: 1) sacerdotium fidelium; 2) regalitas fidelium; 3) vita caritatis; 4) sensus fidei; 5) charismata.

[44] *Propositiones particulares*

(A) Petit E/907 ut addatur « discipuli Christi, quos ipse Dominus *Corpus suum mysticum constituit* », quia fundamentum sacerdotii universalis est in mysterio Corporis mystici. Quod tamen iam ex Cap. I sufficienter apparet.

(B) Textus *1 Pt.* 3, 15 agit de testimonio coram persecutoribus; quae idea contextui adaptata est.

(C) E/686 ultimam sententiam in initio ponere vellet. Haec sententia de relationibus inter utrumque sacerdotium, postulationibus de quibus sub III, satisfactionem praebet.

Ad notionem sacerdotii, qualiter ex Revelatione determinatur, pertinet oblatio sacrificii spiritualis, vel etiam ritualis, aliqua mediatio, instructio fidelium (cf. *Malach.* 2, 7) vel testimonium (cf. *1 Pt.* 2, 9: « ut virtutes annuncietis Eius... »). Ut dicitur in textu priore, nota 6, p. 12, vox « sacerdos » (hiereus) in Sacra Scriptura nonnisi de Christo, de sacerdotibus Antiquae Legis et de Populo christiano adhibetur. Testimonia Patrum de sacerdotio fidelium abundant; quorum praecipua ibidem citantur. De ulteriori usu vocabuli « sacerdos », cf. in textu priore, ed. 1963, cap. II, nota 22, p. 36. Ministri in Novo Testamento passim vocantur « episcopi, presbyteri, praesides, etc. ».

Relatio de n. 11, olim n. 24 § 2

(A) Ad sacramenta adduntur *virtutes,* ut satisfactio praebeatur E/936, E/960 et E/1018.

(B) *Additiones* factae sunt, ut ostendatur laicos per baptismum et confirmationem participationem recipere in sacerdotio Christi, dum in aliis sacramentis sacerdotium illud tantum exercetur. Insuper nexus in-

ter baptismum et confirmationem clarius exponitur, et de confirmatione indicatur robur Spiritus Sancti. Ita postulaverunt E/936 et E/937. [44]

(C) De *Eucharistia* additur quod est vitae christianae fons et culmen, secundum E/944 et E/985. Omittitur vero « verbis consecrationis... » ne textus Concilii suggerere videatur sententiam theologorum, qui distinguunt inter consecrationem et oblationem ad explicandam participationem fidelium in sacrificio eucharistico, ut dicit E/944.

(D) Textus adaptatur ut magis concordet cum Encycl. *Mediator Dei,* l. c., et ratio habeatur observationum E/989; E/861; E/1085; Emend. II, n. 31; E/550.

(E) *De virtute unificante Eucharistiae*: emendatio fere ad verbum suggeritur ab E/960 et E/1014. Expressio « *in sacra synaxi* » adhibetur, ut mos Graecis geratur. Cf. ea quae dicuntur de munere Episcopi in celebratione eucharistica, sub n. 26.

(F) Pro sacramento *poenitentiae* Commissio insistere voluit in aspectum communitarium, quin tamen sententiae controversae dirimantur. [45]

(G) Idem elementum communitarium valet pro *infirmorum unctione,* de qua etiam agit E/936, qui postulat indicationem de associatione cum passione Christi. Commissio addidit principales referentias biblicas.

(H) De sacramento *Ordinis,* quo ministri in nomine Christi agunt, fit emendatio secundum Emendat. n. 36.

(I) *Matrimonium* non tantum unionem Christi cum Ecclesia repraesentat, sed etiam participat, ut dixit E/910.

(K) De prolis *susceptione* sermonem fieri voluit E/550. Loco « sanctificare » dictum est *ad sanctitatem adiuvare,* suggerentibus E/990 et E/1013. Praecipuae affirmationes Patrum de munere religioso parentum indicantur in textu priore, ed. 1963, Cap. III, nota 8, p. 13, ubi etiam habentur testimonia patristica de familia ut « ecclesiola », de statu et ordine coniugatorum et de eorum dono particulari.

(L) Omissum est verbum *casto,* suggerente E/989.

(M) Additur *baptismo* secundum E/990 et E/1013. Loco « Corporis Christi » dicitur *ad Populum Dei* secundum generalem contextum, ut voluerunt E/1121 et E/530.

(N) *Sint... foveant...*: Ita exprimuntur « obligationes » parentum, ut dixerunt E/990; E/996; E/989; E/1013. « Verbo et exemplo » additum est iuxta E/550. Secundum Commissionem parentes de *omnibus* vocationibus solliciti esse debent, speciali autem cura de vocationibus sacris.

(O) In ultima sententia exprimitur vocatio ad sanctitatem pro omnibus, quam tamen unusquisque secundum viam suam prosequi debet.

[45] Ita *praeparatur* ulterior expositio huius materiae in capite *De Sanctitate,* ut postulavit Subcommissio VII.

Relatio de n. 12, olim n. 24 §§ 5-8

(A) Sententia initialis addita est ad *nexum* cum praecedentibus patefaciendum. Ceterum diffusio fidei in Scripturis proponitur ut actus quasi liturgicus, ideoque velut sacerdotalis; cf. *Rom.* 15, 16; *1 Pt.* 2, 9.

(B) Per « *hostiam laudis* » completur citatio *Hebr.* 13, 15, secundum desiderium E/867. Quo rursus manifestatur connexio inter sacerdotium et munus propheticum.

(C) In textu priore citabatur *Io.* 6, 45 « *erunt omnes docibiles Deo* ». Quae citatio, secundum unum Patrem, non congruit in hoc loco, quia agit de regno messianico secundum *Is.* 54, 13 et *Ier.* 31, 33-34, in quo regno omnes a Deo docentur. Quamquam citatio forsan sustineri posset, hic substituitur per verba *1 Io.* 2, 20 et 27.

Loco *in credendo indefectibilis est* ponitur *falli nequit.* Indefectibilitas respicit ad perpetuitatem, infallibilitas ad veritatem. Eccle-
[46] sia, in qua Christus, opere salutis completo, vivit, et quae a Spiritu Sancto ad veritatem ducitur, a via salutis simpliciter declinare non potest, ideoque hoc sensu infallibilis est. Licet mysterium non perfecte perspiciat, ab errore tamen, per assistentiam Spiritus Christi, praeservatur; unde falli nequit. Cf. Schema I, de Ecclesia Christi, pro Concilio Vaticano I praeparatum: Mansi, 51, 542, necnon notam adiectam, ex S. Rob. Bellarmino desumptam, *ibid.* 579 C. Advertatur insuper Constit. II, cap. 7, can. 9: Mansi, 53, 316 D.

(D) Servatur expressio *universalis consensus,* quam E/970 supprimere vellet. Agitur enim hic de toto Populo Dei, inclusa Hierarchia.

Secundum E/945 sensus fidelium magni faciendus est, non quia in fidelibus a Spiritu Sancto excitatur, vel a Deo directe efficitur, sed quia talis sensus patefacit doctrinam a Magisterio infallibili fidelibus per saecula, immunem ab errore, traditam; infallibilitas enim passiva seu in credendo, ab activa tamquam effectus a causa oritur.

E contra, alius Pater, investigatione facta, ad sequentes conclusiones pervenit: 1) Maximi theologi posttridentini (M. Cano, S. Rob. Bellarmino, Gregorius de Valencia, Suarez, Gonet, Billuart) clare infallibilitatem fidelium in credendo docent. 2) Modus progrediendi eorum in expositione et argumentatione saepe explicite est « a fidelibus ad hierarchiam », seu ab infallibilitate in credendo ad infallibilitatem in docendo; neque ullum in hoc vident periculum pro hierarchia. 3) Nequidem periculum vident in asserendo etiam a Romano Pontifice rationem esse

habendam consensus fidelium. Notes tamen ad fideles etiam pertinere [46]
hierarchicos, immo Summum Pontificem.

Relatio inter hierarchiam et reliquum populum, quoad doctrinam fidei, in sequentibus describitur, et sub novo n. 25, ubi de Episcoporum munere docendi, latius explanatur. Interim vide etiam Notas 11 et 12, in textu priore, ed. 1963, Cap. III, p. 14, ubi exhibentur testimonia patristica, speciatim S. AUGUSTINI.

(E) Plures Patres diversas proponunt observationes de ulteriori *analysi huius sensus fidei* et de eius relatione ad Magisterium. Cf. Emend. II, n. 41, E/867; E/996; E/937; E/1013, etc. Secundum ultimum Patrem sensus fidei consistit in quadam discretione seu facultate expedite discernendi inter verum et falsum in rebus fidei.

Subcommissio statuit substantialiter servandum esse textum priorem, quia agit de obiectiva analysi sensus fidei: est scilicet quasi facultas *totius* Ecclesiae, qua ipsa in fide perspicit Revelationem traditam, discernens inter verum et falsum in rebus fidei, ac simul penitius in eam intrat eamque plenius in vita applicat. Inde est textus emendatus, cum citatione *1 Thess.* 2, 13.

(F) Sententia de charismatibus ut *gratiis specialibus* fere ad litteram desumitur ex E/1018, qui sequentes affert rationes: 1) Notio libertatis Spiritus Sancti, quae maximi momenti est, in textu priore non
satis extollitur; 2) Clarius dici debet Spiritum Sanctum charismata dare [47]
fidelibus omnis conditionis; 3) conceptus charismatis non satis exponitur verbis « varia dona et munera ad servitium ».

Etiam E/989 vult vocabulum pressius definire ad vitandas aequivocationes.

Commissio statuit charisma pressius definire per verba: « non tantum per sacramenta et ministeria... sed... gratias speciales ». Insuper delevit verbum « diakonian », utpote nimis exquisitum secundum E/996. Inseruit placitum de libertate Spiritus Sancti cum citatione *1 Cor.* 12, 11. Fusius etiam describit finalitatem horum donorum. *Charisma* apud Paulum est appellatio latissima, quae etiam, vel immo praecipue ministeria stabilia comprehendit; cf. *Rom.* 12, 6-13; *1 Cor.* 12, 7-11 et 28-31; *Eph.* 4, 11-12. Charismata non semper indolem miram induunt, sed consistere possunt in donationibus particularibus, quae, sive ministris sive fidelibus tribuantur, influxum beneficum in communitatem exercent.

(G) *Pro renovatione et ampliore aedificatione...*: sic clarius indicatur duplex elementum quod videtur subaudiri in textu priore « in Ecclesiae atque apostolatus incrementum ». Per totam historiam cha-

[47] rismata ad renovandam Ecclesiam eamque magis extendendam inservierunt.

(H) Citatio *1 Pt.* 4, 10, « Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes », quam affert textus prior, non plene videtur hic congruere. Quapropter praefertur citatio *1 Cor.* 12, 7.

(I) Citatio *1 Cor.* 14, 40, « Omnia honeste et secundum ordinem fiant », in textu priore adducta, plura refert quae ad rem nostram non pertinent et non satis exprimit relationes inter hierarchiam et charismata privata. Proponitur igitur citatio *1 Thess.* 5, 19-21.

(K) In fine paragraphi plures Patres vellent adiungere: « Unum autem charisma ab omnibus prosequendum est, nempe *via excellentior caritatis,* quae patiens est, benigna... » *1 Cor.* 13, 1-7, ut scilicet primatus caritatis secundum mentem S. Pauli clarius eluceat. Observat tamen Commissio, de caritate ex professo tractari in Cap. de Universali vocatione ad sanctitatem.

Relatio de n. 13: num. novus

(A) Textus *de populo uno et universali,* qui sub hoc titulo occurrit in Emend. fasc. II, pp. 8-9, a Patribus in Aula consideratus et in genere approbatus fuit. Scopus eius erat exponere principia de unitate et universalitate Populi Dei, priusquam perveniatur ad describendos diversos modos, quibus homines cum Populo Dei connectuntur, nn. 14-16. Est ergo haec paragraphus quasi cardo vel vinculum inter
[48] duas partes, quibus hoc caput constat, nempe primam in qua indicantur generales conditiones Populi Dei, et alteram in qua agitur de membris eius sive actu sive potentia.

Divisio huius expositionis, quae non valde dilucida apparebat, fere huc redibat:

1. Universalis est vocatio ad unam fidem et unum Populum Dei in universo mundo.
2. Haec catholica unitas iam his in terris, licet imperfecte, efficitur.
3. Fundamentum huius universalis unionis est caritas a Deo data.
4. Ad eam tamen homines diversimode pertinent vel ordinantur.

Sed Patres Concilii praeterea plura proposuerunt *evolvenda vel inserenda* in hac paragrapho de catholica unitate, scilicet:

a) *De unitate et diversitate* in Populo Dei, secundum varias culturas et traditiones regionales, in oeconomia Incarnationis assumendas. Ita E/582 (55 Epp. ex Africa Centrali) et plures alii.

b) De valoribus individualibus, familialibus et praesertim *nationalibus,* qui apud omnes homines ab Ecclesia sanctificantur. Ita E/514.

c) De Ecclesiae *consummatione eschatologica* (non neglecta doctrina de Purgatorio), quia descriptio de sola Ecclesia peregrinante est incompleta. Ita E/994. Similiter E/967 de Ecclesia triumphante. [48]

d) De Communione Sanctorum et *fraterna cooperatione*. Ita, praeter E/994, etiam E/577.

Subcommissio II his desideriis satisfacere statuit, plura elementa in textum praeiacentem introducendo, sequenti modo:

1. *De indole universali* Populi Dei, fundata in principiis huius Populi, nempe in unitate naturae humanae et in missione Christi, Spiritus Sancti et Ecclesiae.

De eschatologia adiciuntur pauca, quia res etiam alibi tangitur, v. g. sub n. 2, et postea in capite de relatione Ecclesiae peregrinantis et triumphantis.

2. Haec unitas Populi Dei simul transcendens et immanens exstat, et sic, quia est *supra particularia,* omnibus terrae populis inesse potest.

3. Haec universalitas seu catholicitas *uniformitatem respuit*: diversitatem in unitate servat, procurando communionem et cooperationem inter diversos populos et diversos ordines in Ecclesia.

4. *Annuntiantur* denique sequentes paragraphi de variis categoriis hominum.

(B) Affirmatio de Ecclesia ut transcendente fines temporum et locorum, iam occurrit sub n. 9 in initio. Unde hic deleta est.

(C) Quae hic sequuntur quodammodo immutata sunt in redactione grammaticali, ad maiorem concinnitatem et claritatem obtinendam.

(D) Etiam hic quaedam emendationes stylisticae introductae sunt.

(E) Quae dicuntur *de diversitate ordinum in Ecclesia,* sive ratione ministerii, sive ratione vitae religiosae, hic addita sunt, secundum postulationem Subcommissionis VII, ut praeparentur dicenda de vocatione [49]
omnium ad sanctitatem et de Religiosis.

(F) Quae hic dicuntur de varietate traditionum in Ecclesiis localibus, fusius dicuntur in fine n. 23 (olim 17), ubi tamen directius agitur de officiis Episcoporum ad invicem.

(G) Textus S. Ignatii M., *Ad Rom.* Praef.; litteraliter sic sonat: « quae praesidet caritati » ((prokathèmenè tès agapès).

(H) De *vinculis communionis* fusius dicitur sub n. 23 § 3, ubi de officiis Episcoporum, praesertim relate ad missiones.

Relatio de n. 14, olim n. 8

(A) *De titulo*. Proponunt nonnulli Episcopi, E/537, quibus accedit Emend. I, n. 107, ut numeri 14-16 (olim nn. 8-10) sub una inscriptione reducantur, nempe « De coniunctione cum Ecclesia ».

[49] Revera tamen hic non agitur de fidelibus catholicis sub omni aspectu, sed unice de eorum pertinentia ad Ecclesiam. Ex alia parte catholici non « coniunguntur » cum Ecclesia, sed ei « incorporantur ». Ideo, ratione claritatis, praefertur divisio in tribus paragraphis.

(B) Dicitur S. Synodus « in Scriptura et Traditione *innixa* », ne Magisterium cum S. Scriptura et Traditione in uno atque eodem ordine ponatur. Ita E/571, cui aliqualiter accedit Emend. I, n. 109.

(C) Dicitur « *Ecclesiam* peregrinantem », non vero « *institutum* », ut servetur modus traditionalis loquendi, ut voluerunt E/571 et E/712. Cf. Pius IX, Ep. Encycl. *Quanto conficiamur moerore,* 10 aug. 1863: Denz. 1677 (2865-2867). Plurima documenta Magisterii enumerantur in textu priore, Cap. I, in notis 25 et 26, p. 17, ed. 1963.

(D) De hac affirmatione plures disceptaverunt. Volunt ut asseratur *necessitas medii*: E/550; E/568; E/606; solam vero *necessitatem praecepti*: E/641. Alii volunt ut necessitas Ecclesiae demonstretur *ex necessitate Christi,* nempe E/512 (44 Epp.) et E/560. Item alius vult ut asseratur necessitas *ontologica* E/513, 2.

Statuit Commissio indicari necessitatem medii ex unico Mediatore Christo; cui assertioni tamen addidit affirmationem traditionalem de necessitate baptismi.

Postulaverunt plures Episcopi ut explicite dicatur de Ecclesia Catholica Romana. Sed de ea re iam dictum est sub n. 8 (olim 7) et idea rursus expresse enuntiatur in altera alinea huius paragraphi.

In modo loquendi verborum: *non possent... non ignorantes... nollent,* vitatur « indicativus », quia casus consideratus est fere irrealis. Similiter loco « renuant » ponitur dictio minus dura « nollent ».

(F) Loco: *Reapse et simpliciter... illi tantum...,* dicitur: *Illi plene...,* omisso « tantum », propter rationes sequentes:

Expressio *reapse et simpliciter* dicitur obscura vel immo non re-
[50] cta, v. g. ab E/535 (150 Epp.), E/567, E/568, et nemo his vocabulis totaliter adhaeret.

E contra plurimi proponunt *plene* vel *plene et perfecte* vel similem modum loquendi. Ita v. g. Em. 114, Em. 115, E/537, E/550, E/555, E/560, E/573, E/580, E/616, E/712, Em. 113, etc. R. P. Paulus VI, in Alloc. ad Concilium, die 29 sept. 1963, locutus est de « vinculo perfectae unitatis ».

Quidam insuper observant *omnes baptizatos* saltem aliqualiter Ecclesiae incorporari, v. g. Emend. I, n. 112, E/512 (44 Epp.) et rursus E/989.

Commissio admisit expressionem « plene », et delevit « tantum », ne excludantur pueri, usum rationis nondum habentes, vel etiam christiani rudiores, qui omnes conditiones implere et agnoscere non valent.

Hoc observaverunt Emend. I, n. 117, E/512, E/535 (151 Epp.), E/560. [50]

Ex alia parte E/550 dolet quod non expresse mentio fiat de « *membris* », et quidam alii ei accedunt. E contra plurimi expressionem vitare volunt, quia revera quaestionem non solveret.

(G) Quia *peccatores* Ecclesiae non *plene* incorporantur, etsi ad Ecclesiam pertinent, Commissio statuit adiungere, secundum *Rom.* 8, 9: « Spiritum Christi habentes ».

(H) Loco *sacramenti,* E/616 proposuit « cultus ». Commissio scripsit, cum Emend. 118: « sacramentorum ».

(I) E/512 (44 Epp.) vult deleri indicationem de *fide et spe,* quam alii multi, E/616, volunt servari. Primae sententiae accedit Commissio, quia quaestio de fide et spe *informibus* longiores explicationes exigeret.

(K) Loco « cogitate et explicite » ponitur locutio clarior: *explicita voluntate,* secundum E/616.

(L) *Hoc ipso voto*: quidam rogaverunt ut adderetur « tantum ». Commissio rem potius positive quam exclusive voluit exprimere.

(M) De *Catechumenis,* cf. S. AUGUSTINUS, *Serm. 56,* 4, 5: *PL* 38, 379. Plurima testimonia S. AMBROSII, S. AUGUSTINI, INNOCENTII II, INNOCENTII III allegantur in textu recepto, ed. 1963, Cap. I, nota 29, p. 18.

Verba textus prioris *Suo modo idem valet...* a Commissione non servantur. Idea enim ista infra, sub n. 15 (olim 9), et quidem melius enuntiatur. Ceterum christiani non catholici non votum baptismi habent, sed ipsum baptisma. Ideo cum non-baptizatis in eadem linea poni nequeunt. In hunc sensum plures Patres locuti sunt.

RELATIO DE N. 15, OLIM N. 9

(A) *De indole generali paragraphi* aliqui Patres quandam anxietatem manifestaverunt:

1) ne tenor nimis positivus acatholicos in suo acatholicismo firmet, catholicos vero, quibus moralitas catholica onerosa est, infirmet; ita E/875. Respondet Commissio quod ea quae in hac paragrapho [51]
positive affirmantur vera sunt, et quod timor praedictus non apparet fundatus;

2) anxietas quod hic non praedicatur, actionem Spiritus Sancti copiosiorem esse in Ecclesia quam apud fratres separatos; ita Em. n. 6; E/550. Respondetur quod in n. 15 comparatio non instituitur inter illos et nos, sed tantum agitur de nexibus obiectivis quibus nobiscum coniunguntur. De abundantiore actione Spiritus Sancti in Ecclesia dicitur in n. 8;

[51] 3) Christiani non-catholici in Australia putarent se secundum hunc textum veram Eucharistiam habere; ita n. 137. Respondetur quod hic casus est particularis, qui non infirmat generalem modum loquendi de nexibus obiectivis.

(B) E/616 proponit: « Fidem *et* unitatem », loco *vel*: communio enim cum Romano Pontifice pertinet ad fidem. Attamen in Encycl. *Ad Petri Cathedram* IOANNIS XXIII, sermo fit de illis qui « fidem *vel* communionem in Beati Petri Cathedra » non profitentur. Quibus verbis de facto respicitur ad Protestantes et Orthodoxos. Ad haec verba remittit Emend. I, n. 134, sicut et E/512, 2 (44 Epp.). In textu priore, Cap. I, sub notis 31 ad 35, ed. 1963, pp. 18-19, textus praecipui ultimorum Pontificum de hac quaestione exscribuntur.

Commissio scripsit: *sub Successore Petri,* cum sit formula fratribus separatis minus dura, exprimat tamen subordinationem erga Romanum Pontificem.

Pro « Ecclesia, *pia omnium mater* », ut in textu priore, dicitur simpliciter « Ecclesia ». Expressio enim in auribus separatorum, propter rationes historicas, non tam bene sonat. Insuper vox « Mater » in ultimam phrasim videtur inserenda.

(C) Plures postulaverunt meliorem ordinationem nexuum acatholicorum cum Ecclesia: ita Emend. I, n. 138, E/537, E/552, E/583. Plures insuper et alia elementa vellent indicari, nempe: venerationem pro S. Scriptura, zelum apostolicum, fidem in Deum Patrem, incorporationem in Christo, successionem episcopalem. Quibus Commissio satisfaciendum esse censuit.

(D) « *Alia sacramenta* » non intelliguntur de « omnibus » sacramentis; secus diceretur « cetera » sacramenta.

In propriis communitatibus ecclesiasticis: haec indicatio postulatur a pluribus, dum E/583 loquitur de « communionibus ». De *communitatibus* christianis non-catholicorum loquuntur Romani Pontifices IOANNES XXIII et PAULUS VI. Elementa quae enumerantur non tantum individuos respiciunt, sed etiam communitates; in hoc praecise situm est principium motionis oecumenicae. Documenta pontificia passim de « Ecclesiis » orientalibus separatis loquuntur. Pro Protestantibus ultimi Pontifices adhibent vocem « communitates christianae ».

[52] (E) Inde a voce: *Plures inter illos* incipit nova phrasis, quia etiam sequentia, nempe de Eucharistia et devotione erga Deiparam, non de omnibus valent.

Dicitur « *episcopatu* gaudent », ne elementum Orientalibus tam carum omittatur, et simul vitentur difficultates ex legitima successione apostolica.

Sermo fit etiam de *cultu erga Deiparam,* sicut in Decreto de Oecumenismo, ubi haec indicatio non quidem in initio, sed in capite III, ubi de Orientalibus, occurrit. [52]

(G) « *Vera quaedam* coniunctio ». Plures vellent supprimere vocem « quaedam ». Hic enim indigitatur gratia sanctificans, quam Spiritus Sanctus virtute sua in christianis non-catholicis bene dispositis producit; « quaedam » autem videtur induere sensum minus placentem. Commissio ideo addidit vocabulum « vera », ut vitetur interpretatio peiorativa; servavit tamen « quaedam », ut ostendatur coniunctionem hanc inter Protestantes et Catholicos non esse perfectam.

Etiam E/586 postulavit, ut in textu agatur de gratia sanctificante.

(H) Omissa sunt verba « non solum... intra Catholicam », rogantibus pluribus, ut obtineatur simpliciter assertio positiva. Alibi de actione S. Spiritus intra Ecclesiam iam fuse dictum est, et hic non videtur necessarium rursus super oppositionem « intra » et « extra » insistere.

(I) E/684 petiit ut hic et in Schemate de Oecumenismo *vocabularium identicum* adhibeatur. Iamvero hic sermo fit de « Spiritu Sancto » dum in schemate de Oecumenismo, p. 8, lin. 27-31, sermo fit de « actionibus sacris ». Commissio respondet locutiones istas non esse contradictorias, quia Spiritus Sanctus per actiones sacras operatur. Textus declarationis S. C. S. OFFICII fuse citatur in textu priore, ed. 1963, Cap. I, nota 34, pp. 18-19.

(K) Aliquis Pater in textu priore vult delere vocabulum « purificati », hac ratione ductus quod acatholici qui in bona fide sunt, non indigent per se purificatione. Sed textus prior loquitur de purificatione *catholicorum*. Quod ut clarius appareat, Commissio correxit dictionem et inseruit relationem inter « Matrem » et « filios ».

(L) Etiam « effulgeat » inducitur ratione stylistica.

NOTA: Quidam Patres observaverunt, plures Protestantes, praesertim in Statibus Foederatis Americae, *non baptizari* et tamen se christianos vocare; quapropter proposuerunt alteram redactionem, quae huius facti rationem servaret, loquendo in primis de « christianis » et postea tantum de « baptizatis ». Ex opposita autem parte observatum est, quod « christianus » sine baptismo vix intelligitur; recole *Io.* 3, 5: « Nisi quis renatus fuerit... », ubi Baptismus potius agnoscitur ut discrimen inter christianos et *non-christianos* inducens.

Quapropter longe maior pars Commissionis praetulit in hac quaestione redactionem primitivam.

[53] RELATIO DE N. 16, OLIM N. 10

(A) Nonnulli Patres dolent de indole *nimis individualistica* doctrinae propositae. Ita *Animadv.*, p. 59; E/566. Plurimi autem optant ut in numero de non-christianis tractante, diversae categoriae clare distinguantur et ut pressius tractetur: *a*) *de Iudaeis*: *Animadv.*, p. 59, E/537; *b*) de Mahometanis, ut postulant Epp. plures; *c*) de populis qui revelationem iudaeo-christianam nondum cognoscentes, *Deum* tamen colunt *ut providentem* et retribuentem; *d*) tandem *de atheis*, vel potius de illis qui profitentur se esse sine ulla religione, sed revera absolutam Iustitiam vel Pacem quaerunt; ita Epp. plures. Quae divisio in textu emendato observata est. Ceterum, ut dicitur in priore textu, ed. 1963, nota 36, p. 19, Christus universos homines obiective redemit eosque ad Ecclesiam vocat et dirigit. Omnis autem gratia quandam indolem communitariam induit et ad Ecclesiam respicit.

(B) *De Iudaeis*: existentia alicuius Declarationis, a Secretariatu pro Unione Christianorum propositae, non aestimatur rationem sufficientem praebere, ut schema de Ecclesia omittat loqui de Iudaeis: fundamentum enim theologicum huius quaestionis indicandum est. Curavit Commissio loqui de Iudaeis sub hoc aspectu, non autem modo mere humano aut politico.

(C) Haec phrasis respicit ad *Islamitas*.

(D) Quidam petunt ut de *modo* quo salvari possunt sic dicti « infideles » nihil decernatur, quia haec quaestio ad theologiam spectat, v. g. E/542. Aliqui volunt ut explicitius dicatur *quibusnam rebus careant infideles*, nempe viis ordinariis seu normalibus ad sanctificationem. Alii postulant ut differentia conditionis inter christianos et paganos non mere ponatur in faciliori vel meliori conditione, sed ut fortius exprimatur *status abnormalis* paganorum in aera messianica E/535 (152 Epp.). Fere in eumdem sensum nonnulli postulant ut penultima phrasis textus prioris, « Quapropter... via salutis pro eis latius sternatur » auferatur.

Quibus postulationibus satisfactio praebetur in ultima sententia textus emendati et in paragrapho sequente, de missionibus.

(E) Hoc assertum fundatur in Dei voluntate salvifica universali.

(F) Sermonem de *praeparatione evangelica* in culturis non-christianis enixe petierunt i. a. *Animadv.*, pp. 3 et 59; E/566; E/682.

In textu priore, ed. 1963, Cap. I, nota 38, pp. 19-20, exhibetur, secundum antiquos Patres, quaenam elementa religiosa Evangelio praeexistere possint et tamquam praeparatio divinitus data considerari. Sunt autem *semina veritatis*, scilicet notiones de Deo et de anima aliaeque

« rationes universales » de quibus agunt v. g. S. IUSTINUS, TERTULLIANUS, ORIGENES; deinde *affinitas inter Creatorem et creaturam,* quam [53]
i. a. explanant LACTANTIUS et S. AUGUSTINUS; denique *paedagogia* [54]
divina, quam post S. IRENAEUM exprimit v. g. S. GREGORIUS NAZIANZENUS. Textus vide *l. c.* in ed. 1963.

(G) Haec phrasis, cum sequente, introducta est ut habeatur *transitus* ad ideam de missionibus, de quibus agit n. 17.

(H) Textus sub tenore generali finem a missionibus intentum exprimit, nempe gloriam Dei et salutem hominum promovendam, non intrando in ulteriores disceptationes. Adducitur etiam textus Evangelii fundamentalis de praecepto praedicandi.

RELATIO DE N. 17: NUM. NOVUS

(A) Plures petierunt disertam expositionem de missionibus et praesertim de *fundamento theologico* missionis, v. g. *Animadv.,* p. 3; E/513; E/610; E/618. Optatur ut missio pertinere dicatur *ad ipsam essentiam Ecclesiae*; ita E/659. Quidam putant hanc expositionem fieri posse ubi de imaginibus Ecclesiae, vel ubi de Regno Dei. Praeferenda tamen est tractatio ex professo.

Ad quam conficiendam, Subcommissioni II communicati sunt duo textus, primus a Commissione de Missionibus proveniens, alter ab Epp. Africae et Madagascar. Incipit autem expositio cum « missione » Filii, qui Apostolos « misit »; quam « missionem » universalem Ecclesia secundum praeceptum Domini exsequitur.

(B) Primo loco ponitur finalitas propria missionum, scilicet diffusio fidei christianae cum mediis salutis, praesertim caritate; deinde tantum agitur de servandis diversorum populorum culturis.

(C) Plurimi enixe petierunt ut exprimantur relationes inter *evangelizationem* et *culturas,* imo religiones populorum non-christianorum.

Advertatur quod haec idea iam expressa est sub n. 13 (novo), al. 2, de ingenio populorum, et sub n. 16 (olim 10), ubi de « praeparatione evangelica ». Hic autem res ex professo explanatur.

(D) Quilibet discipulus Christi non tantum *potest* fidem propagare, sed, ut membrum Ecclesiae, ad cooperandum huic muneri *tenetur.*

(E) In hac conclusione urgetur *indoles missionaria* ipsius Ecclesiae, itemque finis principalis missionum in gloriam Dei et Christi, operante Spiritu Sancto. Ita in mentem revocatur doctrina fundamentalis de Trinitate et de universalitate Eius decreti salvifici, quod nempe « totius mundi plenitudinem » respicit (cum expressione ex liturgia Sabbati Sancti desumpta).

[55] RELATIO GENERALIS

1°. *Praenotandum.*

Textus huius Capitis compositus est ex variis partibus Schematis primitivi, in unum redactis, simul cum textu proposito in *Emendationes,* Pars II, pp. 7-9, Typ. Polygl. Vat. 1963.

Opus curavit Subcommissio II, cuius membra fuerunt Em.mus SANTOS et Exc.mi GARRONE, DEARDEN et GRIFFITHS; periti autem RR. PP. CONGAR, KERRIGAN, NAUD, REUTER, SAURAS et WITTE. Relationes conscriptae sunt a RR. PP. CONGAR, SAURAS et WITTE.

2°. *De novo capite « De Populo Dei » inserendo in schema « De Ecclesia ».*

Commendatur inclusio huius capitis in schema *De Ecclesia.*

Quaestione proposita de includendo vel non includendo novo capite *De Populo Dei* in schema *De Ecclesia,* statim plures Patres de hoc quaesito disceptaverunt. Summa eorum quae in Aula dicta fuerunt haec est:

1. Plura vota proposita sunt in quibus huius capitis inclusio postulatur; ex quibus plurima sunt collectiva. Summatim concludi potest plus quam 300 Patres inclusionem postulavisse. Quibus adnumerandi sunt plures alii qui petitionem collective sub formulis: *et alii plures* vel: *et Patres Poloni,* etc. subscripserunt. In schedulis nullus apparet Pater inclusioni absolute oppositus, quamvis non desint qui inclusionem iuxta modum postulant. Excipitur unus, E/1029, qui postulat ut hoc caput non isto loco proponatur: quidam enim exinde inferre possent Populum Dei aliquid esse et aliquid valere sine Ecclesia.

2. Inter illos qui inclusionem exoptant, quinque sunt qui emendationem substantialem volunt, ex quibus unus, E/989, textum novum proponit.

3. Alius, cui placet inclusio, E/1003, postulat ut sub alio lumine proponatur, scilicet Corporis Mystici. Novum ordinem materiae tres postulant: E/1039; E/1085, E/1153. Insuper postulatur, E/1085, ut duae paragraphi addantur, nempe « De peccato in Ecclesia sancta Dei » et « De valore principii subsidiaritatis ».

4. Alius, cui placet novum caput, desiderat ut non inscribatur *De Populo Dei,* quamvis haec formula biblica sit. Potius desiderat *De Populo christiano,* ne illi qui extra sunt deducant solos christianos esse Populum Dei, seseque a nobis ut populum diaboli considerari. Ita E/1060. [56]

5. Tandem adest Pater, cui caput novum deficiens videtur « in unitate, in accurata expressione, et in dimensione pastorali »: E/935.

6. Rationes quibus inclusio iuxta Patres suadetur, hae sunt:

1) Sic melius videtur quomodo opus et vita Christi in mundo continuatur. Describitur enim status catholicorum, christianorum et nonchristianorum sine terminologia de « membris », quae difficultatibus plena est, E/937.

2) Melius apparet idea servitii: Hierarchia enim, e populo assumpta, in bonum populi agit, E/939.

3) « Populus » est terminus biblicus, cum aliis imaginibus connexus. In illo clarescit continuitas historica Ecclesiae. Ita E/932.

4) In hoc capite, interposito inter caput *De Mysterio Ecclesiae* et caput *De Hierarchia,* tractari possunt omnia quae cunctis fidelibus communia sunt, E/944.

5) Omnes pertinent ad Populum, et Hierarchia Populum supponit. Cum hac dispositione munus Hierarchiae melius apparet. Oportet insuper ut unitas clarescat inter clericos, religiosos et laicos, E/964.

Rationes illae die 14 oct. 1963 in genere a Commissione Doctrinali approbatae fuerunt. Voluit autem Commissio ut nota summaria conficeretur de loco quo Caput *De Populo Dei* reponendum esset. Haec nota hic adiungitur.

3°. *Rationes propter quas Caput « De Populo Dei » immediate post Caput I « De Mysterio Ecclesiae » ponendum aestimatur.*

« Populus Dei » hic non intelligitur de grege fidelium, prout ab Hierarchia contradistinguitur, sed de toto complexu omnium, sive Pastorum sive fidelium, qui ad Ecclesiam pertinent.

1. Expositio « de Populo Dei » revera *ad ipsum mysterium Ecclesiae,* in se consideratum, respicit. Materia haec, cuius momentum biblicum clare apparet, et cuius expositionem plurimi Patres et fideles vivide expectant, a fundamentali declaratione de intima Ecclesiae natura et fine separari nequit. Si autem haec materia in ipso Capite I reponeretur, moles huius Capitis I nimis excresceret.

2. Si verum est quod Hierarchia sub certo aspectu praecedit fideles, quos ad fidem et vitam supernaturalem generat, remanet tamen quod

[56] et Pastores et fideles ad unum pertinent Populum. Ipse Populus eiusque salus est in consilio Dei de ordine finis, dum Hierarchia ut medium ad hunc finem ordinatur. Populus imprimis *in sua totalitate* considerari
[57] debet, ut exinde clarius pateat tum munus Pastorum qui fidelibus media salutis praestant, tum vocatio et obligatio fidelium, qui conscii de sua personali responsabilitate, cum Pastoribus collaborare debent ad diffusionem et ulteriorem sanctificationem totius Ecclesiae.

3. Si autem imprimis de Mysterio Ecclesiae ageretur deinde de Hierarchia, et tertio loco de Populo Dei, una materia de natura et fine Ecclesiae in partes divideretur, quae per tractationem de Hierarchia ab invicem separarentur. *Melior structura* postulat ergo ut imprimis de ipso coetu et de omnibus in eo personis agatur, et postea tantum de variis categoriis, cogita Hierarchiam et subditos, religiosos et laicos. Ipsi episcopi, presbyteri et religiosi ad Populum pertinent. Ergo in hoc capite nullo modo de solis laicis tractatur.

4. *Aptior distributio materiae* obtinetur si in Capite I *de Ecclesiae mysterio* agatur de Ecclesia in tota sua amplitudine ab initio creationis in proposito Dei, usque ad consummationem coelestem. Deinde in Capite II, de eodem ipso mysterio quatenus « inter tempora », scilicet Ascensionis Domini Eiusque Gloriosae Parousiae, ad beatum finem progreditur. Elementa in Capite II tractanda omnia respiciunt ad vitam Ecclesiae in hoc tempore intermedio: cogita vitam cultualem in terris per exercitium sacerdotii universalis (ad quod etiam clerici pertinent), per praxim sacramentorum, per diffusionem testimonii fidei, donec perveniatur ad visionem.

5. *Facilior obtinetur locus* pro exponenda *unitate* Ecclesiae in *catholica varietate,* v. g. inter clericos, religiosos et laicos, ad unum finem tendentes; – inter Ecclesiam universam et Ecclesias particulares cum legitimis suis differentiis; – inter *unius* Ecclesiae traditiones occidentales et orientales; – inter *varias* culturas et populorum proprietates, quas una Ecclesia libenter agnoscit et tuetur.

6. *Rectior statuitur perspectiva* ad agendum de catholicis, christianis non-catholicis, universis hominibus (cf. antiquos nn. 8-9-10), et in specie ad evolvendam doctrinam de « missionibus », donec perveniatur ad terminum eschatologicum perfectae consummationis.

CAPUT III [59]

DE CONSTITUTIONE HIERARCHICA ECCLESIAE ET IN SPECIE DE EPISCOPATU

Textus prior

11. [*Prooemium*]. Christus Dominus, ad populum Dei augendum et Corpus suum exaedificandum et nutriendum, in Ecclesia sua varias ministrationes, praesertim stabiles, instituit (cf. *1 Cor.* 12, 5; *Eph.* 4, 11 ss.); quae munera et ministeria ad bonum totius corporis tendunt. Quicumque e populo Dei sunt, eo ipso plena dignitate hominis christiani gaudent; qui vero ut ministri potestate pollent, fratribus suis inserviunt; cuncti autem in eumdem finem libere et ordinatim conspirantes, ad salutem perducuntur. Ipse Dominus Iesus Ecclesiam suam, variis charismatibus ditatam, super Petrum rupem ac super Apostolos fundavit.

Haec Sacrosancta Synodus, Concilii Vaticani Primi vestigia premens, sollemniter cum eo docet Iesum Christum Pastorem aeternum sanctam aedificasse Ecclesiam, missis Apostolis sicut Ipse missus erat a Patre (*Io.* 20, 21), quorum successores in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum unitatis fidei et communionis principium ac visibile fundamentum. Quam doctrinam de institutione, perpetuitate, vi ac ratione sacri apostolici primatus, necnon de Romani Pontificis infallibili magisterio, suam facit eamque cun-

Textus emendatus

18. (olim n. 11). [*Prooemium*] (A). Christus Dominus, ad Populum Dei *pascendum semperque augendum, in Ecclesia sua* varia *ministeria* instituit (B), quae ad bonum totius Corporis tendunt. *Ministri enim, qui sacra* potestate *pollent* (C), fratribus suis inserviunt, ut omnes qui de Populo Dei sunt, ideoque *vera* dignitate christiana gaudent, ad eumdem finem libere et ordinatim conspirantes, ad salutem perveniant (D).

Haec Sacrosancta Synodus, Concilii Vaticani primi vestigia premens, sollemniter cum eo docet Iesum Christum Pastorem aeternum sanctam aedificasse Ecclesiam, missis Apostolis sicut Ipse missus erat a Patre (cf. *Io.* 20, 21); quorum successores *Episcopos* in Ecclesia sua usque ad consummationem saeculi pastores esse voluit (E). Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum *ac visibile* unitatis fidei et communionis principium et fundamentum (1) (F). Quam doctrinam de institutione, perpetuitate, vi ac ratione sacri apostolici Primatus, necnon de Romani Pontificis infallibili Magisterio, *Sacra Synodus* suam facit (G), eamque cunctis fidelibus *firmiter* credendam rursus proponit, et in eodem incepto pergens, doctrinam de Episcopis, successoribus Apostolorum, qui cum successore Petri, Christi Vicario (2) ac totius

[60]

Textus prior

ctis fidelibus credendam rursus proponit, et in eodem incepto pergens, doctrinam de Episcopis, successoribus Apostolorum, qui cum successore Petri, Christi Vicario, coryphaeo et capite suo, ac totius Ecclesiae capite, domum Dei viventis regunt, coram omnibus profiteri et declarari constituit.

12. [*De Institutione duodecim Apostolorum*]. Dominus Iesus, precibus ad Patrem fusis, vocans ad Se quos voluit, Duodecim elegit, ut essent cum Illo et ut mitteret eos praedicare nuntium evangelicum (cf. *Mc.* 3, 13-19; *Mt.* 10); quos et apostolos nominavit (cf. *Lc.* 6, 13), et ad instar instituit cuiusdam collegii, cui ex iisdem electum Petrum praefecit. Eos imprimis ad filios Israel, deinde ad omnes gentes misit, ut suae potestatis summi Prophetae, Sacerdotis et Pastoris participes facti, omnes populos Christi discipulos constituerent, eosque sanctificarent et regerent (cf. *Mt.* 28, 16-20; *Mc.* 16, 15; *Lc.* 24, 45-48; *Io.* 20, 21), sicque Ecclesiam diffunderent, eamque sub tutela ipsius Domini ministrando gubernarent, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (*Mt.* 28, 20).

Apostoli praedicando fidem, resurrectione Christi firmatam et operante Spiritu Sancto ab audientibus acceptatam, Ecclesiam exstruunt universalem, aedificatam super Petrum (cf. *Mt.* 16, 18), fidelibus omnibus « superaedificatis super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu » (*Eph.* 2, 20; cf. *Apoc.* 21, 14).

Textus emendatus

Ecclesiae *visibili* Capite (H), domum Dei viventis regunt, coram omnibus profiteri et declarare constituit.

19. (olim n. 12). [*De institutione duodecim Apostolorum*]. Dominus Iesus, precibus ad Patrem fusis, vocans ad Se quos voluit *Ipse* (A), duodecim constituit ut essent cum Illo et ut mitteret eos praedicare *Regnum Dei* (cf. *Mc.* 3, 13-19; *Mt.* 10, 1-42); quos Apostolos (cf. *Lc.* 6, 13) (B) *ad modum collegii instituit* (C), cui ex iisdem electum Petrum praefecit (cf. *Io.* 21, 15-17) (D). Eos ad filios Israel *primum et* ad omnes gentes misit (cf. *Rom.* 1, 16) (E), ut suae participes potestatis (F), omnes populos discipulos Ipsius *facerent,* eosque sanctificarent et *gubernarent* (cf. *Mt.* 28, 16-20; *Mc.* 16, 15; *Lc.* 24, 45-48; *Io.* 20, 21-23), sicque Ecclesiam *propagarent,* eamque sub *ductu* (G) Domini ministrando *pascerent,* omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (cf. *Mt.* 28, 20). *In qua missione die Pentecostes plene confirmati sunt* (cf. *Act.* 2, 1-26) *secundum promissum Domini*: « *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis Mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae* » (*Act.* 1, 8) (H). Apostoli autem praedicando *ubique Evangelium* (cf. *Mc.* 16, 20) (I), ab audientibus Spiritu Sancto operante *acceptum,* Ecclesiam *congregant* universalem, *quam Dominus in Apostolis condidit et* supra beatum Petrum, *eorum principem,* aedificavit, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (cf. *Apoc.* 21, 14; *Mt.* 16, 18; *Eph.* 2, 20) (3) (K).

Textus prior

13. [*De Episcopis successoribus Apostolorum*]. Quia ministerium illud sanctissimum a Domino Iesu Apostolis concreditum est pro Ecclesia usque ad finem saeculi duratura, morte eorum temporali non erat terminandum. Quapropter, Ecclesiae consulere debuerunt etiam per successores, eadem divina potestate, non quidem eam fundandi sed sustentandi et pascendi praeditos. Ministerium enim Apostolorum fidem salutarem praedicandi supponit missionem divinam (cf. *Rom.* 10, 13-18; *Io.* 20, 21) annuntiandi laetum nuntium et manifestandi mysterium Christi eis pro omnibus gentibus revelatum (cf. *Eph.* 3, 5; *Col.* 1, 26), ut Evangelium continenter et in omne tempus sit in Ecclesia totius vitae principium.

Quapropter Apostoli de instituendis successoribus curam egerunt, eisque commendarunt ut attenderent seipsis et universo gregi, in quo eos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (cf. *Act.* 20, 28). Qui docere, sanctificare et regere plebem Dei debent cum gratia eis divinitus collata (cf. *1 Tim.* 4, 14; *2 Tim.* 1, 6), ut fidelium patres et pastores gregum suorum, memores semper moniti sancti Petri: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, ... neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo » (*1 Pt.* 5, 2-4). Apostoli igitur ab ipso Domino instructi ex acceptis mandatis, constituerunt Episcopos eorum qui credituri erant, et ordinem successionis eorum, pro doctrinae, sacri cultus et gubernationis ministerio.

Sicut autem permanet potestas a Domino singulariter Petro ut primo Apostolorum et duci collegii concessa et successoribus eius transmissa, ita servatur potestas totius Collegii Apostolici Ecclesiam pascendi, a corpore

Textus emendatus [60]

20. (olim n. 13). [*De Episcopis successoribus Apostolorum*]. *Missio illa divina, a Christo Apostolis concredita, ad finem saeculi erit* [61] *duratura* (cf. *Mt.* 28, 20), *cum Evangelium, ab eis tradendum, sit in omne tempus pro Ecclesia totius vitae principium.* Quapropter Apostoli, in hac societate hierarchice ordinata, de instituendis successoribus curam egerunt.

Non solum enim varios adiutores in ministerio habuerunt (4), *sed ut missio ipsis concredita post eorum mortem continuaretur, cooperatoribus suis immediatis, quasi per modum testamenti, demandaverunt munus perficiendi et confirmandi opus ab ipsis inceptum* (5), *commendantes illis ut attenderent universo gregi, in quo Spiritus Sanctus eos posuit pascere Ecclesiam Dei* (cf. *Act.* 20, 28). *Constituerunt itaque huius modi viros ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent* (6). *Inter varia illa ministeria quae inde a primis temporibus in Ecclesia exercentur, teste traditione, praecipuum locum tenet munus illorum qui, in episcopatum constituti, per successionem ab initio decurrentem* (7), *apostolici seminis traduces habent* (8). *Ita, ut testatur S. Irenaeus, per eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi et successores eorum usque ad nos, traditio apostolica in toto mundo manifestatur* (9) *et custoditur* (10).

Episcopi igitur communitatis ministerium cum adiutoribus presbyteris et diaconis susceperunt (11), *loco Dei praesidentes gregi* (12), *cuius sunt pastores, ut doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes, gubernationis ministri* (13). Sicut autem permanet munus a Domino singulariter Petro ut primo Apostolorum concessum et successoribus eius transmittendum, *ita permanet munus Apostolorum pa-*

[61] *Textus prior*

sacrato Episcoporum exercenda. Proinde declaramus et docemus Episcopos ex divina institutione fideles edocere et pascere, quos qui audit Christum audit, qui vero spernit, Christum spernit et Eum qui Christum misit (cf. *Lc.* 10, 16-17).

[62] 14. § 2. In Episcopis quibus presbyteri assistunt Christus Dominus singulariter Ecclesiae suae vivificandae praesens est, ut imprimis per eorum eximium servitium verbum fidei et sacramenta fidei continuo Ecclesiae administret, eorum paterno munere nova membra Corpori mystico regeneratione spirituali incorporet, eorum denique sapientia et prudentia populum Novi Testamenti in sua ad aeternam beatitudinem peregrinatione dirigat et ordinet. Hi pastores, ad pascendum dominicum gregem electi, non sunt nisi ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei (*1 Cor.* 4, 1), quibus concreditum est ministerium sacerdotale verbi et testificatio Evangelii gratiae Dei (cf. *Rom.* 15, 16; *Act.* 20, 24), atque ministratio Spiritus in iustitia et gloria (cf. *2 Cor.* 3, 8-9).

14. § 1. [*De Episcopatu ut sacramento*]. Dominus Iesus, pastor et episcopus animarum nostrarum (*1 Pt.* 2, 25), potestatem authentice docendi et gubernandi in Ecclesia ita instituit, ut arcto vinculo coniungeretur potestati sanctificandi quae in sacramento ordinis confertur. Ita episcopalis consecratio, procul dubio, ad sacramentum ordinis pertinet, atque praecellentem gradum confert sacerdotii, qui

Textus emendatus

scendi Ecclesiam, ab ordine sacrato Episcoporum iugitur exercendum (14). *Proinde docet Sacra Synodus Episcopos ex divina institutione in locum Apostolorum successisse* (15), *tamquam Ecclesiae pastores,* quos qui audit, Christum audit, qui vero spernit, Christum spernit et Eum qui Christum misit (cf. *Lc.* 10, 16) (16).

21. (olim n. 14, § 2 et § 1!). [*De Episcopatu ut Sacramento*]. In Episcopis *igitur* (A), quibus presbyteri assistunt, *adest in medio credentium* Dominus *Iesus Christus, Pontifex Summus. Sedens enim ad dexteram Dei Patris, non deest a suorum congregatione pontificum* (17), sed imprimis per eorum eximium servitium verbum *Dei omnibus gentibus praedicat* (B) et *credentibus* sacramenta fidei continuo administrat, eorum paterno munere (cf. *1 Cor.* 4, 15) nova membra Corpori *suo* regeneratione *superna* incorporat (C), eorum denique sapientia et prudentia Populum Novi Testamenti in sua ad aeternam beatitudinem peregrinatione dirigit et ordinat. Hi pastores ad pascendum dominicum gregem electi, ministri Christi *sunt* (D) et dispensatores mysteriorum Dei (cf. *1 Cor.* 4, 1), quibus concredita est testificatio Evangelii gratiae Dei (cf. *Rom.* 15, 16; *Act.* 20, 24), atque ministratio Spiritus et iustitiae in gloria (cf. *2 Cor.* 3, 8-9) (E).

Ad tanta munera explenda, Apostoli speciali effusione supervenientis Spiritus Sancti a Christo ditati sunt (cf. *Act.* 1, 8; 2, 4; *Io.* 20, 22-23), *et ipsi adiutoribus suis per impositionem manuum donum spirituale tradiderunt* (cf. *1 Tim.* 4, 14; *2 Tim.* 1, 6-7), *quod usque ad nos in episcopali consecratione transmissum est* (18) (F). *Docet autem Sancta Synodus episcopali consecratione plenitudinem conferri sa-*

Textus prior

nimirum et voce sanctorum Patrum et liturgica Ecclesiae consuetudine summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur. Imo, quia ex traditione, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum Orientis tum Occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis episcopalis gratiam Spiritus Sancti conferri, dubitare nemo debet Episcopatum esse vere et proprie gradum supremum sacramenti Ordinis. Praeterea Episcopus ordinatus ita charactere sacramentali ornatur, ut numquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri possit. Proinde Sacra Synodus declarat Episcopos, etiam vi sacramenti superiores esse presbyteris quos ad sacerdotale munus participandum vocant.

16. [*De Collegio Episcopali eiusque Capite*]. Sicut in Evangelio, statuente Domino, sanctus Petrus et alii Apostoli unum collegium apostolicum constituunt, eadem ratione successor Petri, Romanus Pontifex, et Episcopi, successores Apostolorum, inter se coniunguntur. Iam perantiquus usus indolem collegialem sacri Episcopatus innuit ubi novum electum a tribus saltem Episcopis ad summi sacerdotii ministerium elevandum esse statuit, et communionem inter Ecclesias ope Episcoporum enixe commendat.

Textus emendatus [62]

cramenti Ordinis (G), *quae nimirum et liturgica Ecclesiae consuetudine et voce Sanctorum Patrum summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur* (19). *Episcopalis autem consecratio, cum munere sanctificandi, munera quoque confert docendi et regendi, quae tamen* natura sua (H) *nonnisi in communione cum Collegii Capite et membris exerceri possunt* [63] (I). *Ex traditione enim, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum Orientis tum Occidentis usus declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis gratiam Spiritus Sancti ita conferri* (20) *et sacrum characterem ita imprimi* (21) (K), *ut Episcopi, eminenti ac adspectabili modo, ipsius Christi Magistri, Pastoris et Pontificis partes sustineant et in Eius persona agant* (22) (L). *Quare soli Episcopi per Sacramentum Ordinis novos electos in corpus episcopale assumere possunt* (M).

22. (olim n. 16). [*De Collegio Episcoporum eiusque Capite*]. Sicut (A) statuente Domino, sanctus Petrus et *ceteri* (B) Apostoli unum Collegium apostolicum constituunt, eadem ratione Romanus Pontifex, successor Petri, et Episcopi, successores Apostolorum, inter se coniunguntur. *Iam perantiqua disciplina, qua Episcopi in universo orbe constituti ad invicem et cum Romano Episcopo communicabant in vinculo unitatis, caritatis et pacis* (23), *itemque concilia coadunata* (C) (24), *per quae et altiora quaeque in commune statuerentur* (25), *sententia multorum consilio ponderata* (26), *ordinis episcopalis indolem et rationem collegialem significant* (D); *quam manifeste comprobant Concilia* oecumenica *decursu saeculorum celebrata. Eandem vero iam innuit ipse usus, antiquitus inductus, plures advocandi Episcopos qui in novo electo ad summi sa-*

[63] *Textus prior*

Collegium autem seu corpus Episcoporum auctoritatem non habet, nisi simul cum Pontifice Romano, successore Petri, ut capite eius intelligatur.

Romanus Pontifex habet in Ecclesia per se plenam et universalem potestatem; collegium Episcoporum autem, quod collegio Apostolo-
[64] rum in magisterio et regimine pastorali succedit, imo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, una cum Capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite, indivisum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam creditur. Dominus enim Petrum ut petram seu rupem Ecclesiae posuit (cf. *Mt.* 16, 18), eumque Pastorem totius sui gregis constituit (cf. *Io.* 21, 16 ss.); tum Petro autem tum Duodecim simul Apostolis ligandi atque solvendi potestatem tribuit (cf. *Mt.* 16, 18 et 18, 18). Collegium hoc ex multis compositum varietatem Populi Dei, collegium vero sub uno capite collectum unitatem gregis Christi repraesentat. In Collegio illo, Episcopi primatum et principatum Capitis sui fideliter observantes, sub eius suprema auctoritate propria potestate in bonum fidelium suorum, imo totius Ecclesiae funguntur, Spiritu Sancto organicam structuram eiusque concordiam continenter roborante. Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud Collegium pollet, sollemni et extraordinario modo in Concilio Oecumenico exercetur. Romani Pontificis praerogativa est Concilia Oecumenica convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare; nec Concilium Oecumenicum umquam datur, quod a successore Petri non sit ut tale confirmatum

Textus emendatus

cerdotii ministerium elevando partem haberent (E). *Membrum Corporis episcopalis aliquis constituitur vi sacramentalis consecrationis et communione cum Collegii Capite atque membris* (F).

(G) Collegium autem seu corpus Episcoporum auctoritatem non habet, nisi simul cum Pontifice Romano, successore Petri, ut capite eius intellegatur, *huiusque integre manente potestate Primatus in omnes sive Pastores sive fideles* (H). Romanus *enim* (I) Pontifex habet in Ecclesi*am, vi muneris sui* (K), *Vicarii scilicet Christi et totius Ecclesiae Pastoris,* plenam, *supremam* (L) et universalem potestatem, *quam semper libere exercere valet* (M). *Ordo* autem Episcoporum, qui collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, *una cum* Capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite, subiectum *quoque* supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam *exsistit* (27) (N), *quae quidem potestas independenter a Romano Pontifice exerceri nequit* (O). Dominus enim *Simonem* ut petram *et clavigerum* (P) Ecclesiae posuit (cf. *Mt.* 16, 18-19), eumque Pastorem totius sui gregis constituit (cf. *Io.* 21, 15 ss.); *illud autem ligandi ac solvendi munus, quod uni Petro datum est* (*Mt.* 16, 19), *collegio quoque Apostolorum, suo Capiti coniuncto, tributum esse constat* (*Mt.* 18, 18) (28) (Q). Collegium hoc *quatenus* ex multis compositum, varietatem et *universalitatem* Populi Dei, *quatenus* vero sub uno capite collectum unitatem gregis Christi *exprimit* (R). In *ipso* (S), Episcopi, primatum et principatum Capitis sui fideliter servantes, (T) propria potestate in bonum fidelium suorum, immo totius Ecclesiae funguntur, Spiritu Sancto organicam structuram eiusque concor-

Textus prior

vel saltem receptum. Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab Episcopis in orbe terrarum degentibus, dummodo Caput collegii eos ad actionem collegialem invitet, vel saltem Episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur.

17. [*De relationibus Episcoporum in Collegio*]. Collegialis unio etiam in mutuis rationibus singulorum Episcoporum cum particularibus Ecclesiis Ecclesiaque universali apparet. Sicut Romanus Pontifex, ut successor Petri, est unitatis tum Episcoporum tum multitudinis principium ac visibile fundamentum, ita Episcopi singuli principium et centrum sunt unitatis in suis Ecclesiis particularibus, ad imaginem Ecclesiae universalis formatis, in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia catholica exsistit. Qua de causa singuli Episcopi suam Ecclesiam, omnes autem simul cum Papa totam Ecclesiam repraesentant in vinculo pacis (cf. *Eph.* 4, 3) et amoris.

Quando Episcopus particulari Ecclesiae praeficitur, regimen suum pastorale proprie dictum nonnisi super portionem populi sibi commissam, non super alias Ecclesias neque super Ecclesiam universalem extendit. Sed ut membrum collegii, pro universa Ecclesia ea sollicitudine ex officio tenetur, quae, licet actus iurisdictionis non sit, summopere tamen con-

Textus emendatus [64]

diam continenter roborante. Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud Collegium pollet, sollemni (U) modo in Concilio Oecumenico exercetur. Romani Pontificis praerogativa est Concilia Oecumenica convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare (29); nec Concilium Oecumenicum umquam datur, quod a successore Petri non sit ut tale confirmatum vel saltem receptum. Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab Episcopis in orbe terrarum degentibus, dummodo Caput collegii eos ad actionem collegialem *vocet,* vel saltem Episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat (V), ita ut verus actus collegialis efficiatur.

23. (olim n. 17). [*De relationibus Episcoporum in Collegio*]. Collegialis unio etiam in mutuis relationibus (A) singulorum Episcoporum cum particularibus Ecclesiis Ecclesiaque universali apparet. (B) Romanus Pontifex, ut successor Petri, est unitatis, tum Episcoporum tum *fidelium* (C) multitudinis, principium ac visibile fundamentum (30), Episcopi autem singuli principium et centrum sunt unitatis in suis Ecclesiis particularibus (31), ad imaginem Ecclesiae universalis formatis, in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia catholica exsistit (32). Qua de causa singuli Episcopi suam Ecclesiam, omnes autem simul cum Papa totam Ecclesiam repraesentant in vinculo pacis, amoris *et unitatis* (D). [65]

Singuli Episcopi quando *particularibus Ecclesiis* praeficiuntur, regimen suum pastorale super portionem populi *Dei* sibi commissam, non super alias Ecclesias neque super Ecclesiam universalem *exercent.* Sed *qua* membra collegii *episcopalis et legitimi Apostolorum successores singuli* ea sollicitudine pro universa Ecclesia ex *Christi institutione et praecepto tenentur* (33)

[65] *Textus prior*

fert ad Ecclesiae universalis emolumentum. Debent enim omnes Episcopi promovere et tueri unitatem fidei et disciplinae cunctae Ecclesiae communem, fideles edocere ad amorem totius corporis mystici Christi, praesertim membrorum pauperum, dolentium et eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (cf. *Mt.* 5, 10), tandem promovere omnem actuositatem quae toti Ecclesiae communis est, praesertim ut fides incrementum capiat et lux plenae veritatis omnibus hominibus oriatur. Ceterum hoc sanctum est quod, bene regendo propriam Ecclesiam ut partem Ecclesiae universalis, efficaciter conferunt ad bonum totius mystici Corporis, quod, ut dicit S. Basilius, etiam est corpus Ecclesiarum.

Textus emendatus

(E), quae, licet *exercitium* (F) iurisdictionis non sit, summopere tamen confert ad Ecclesiae universalis emolumentum. Debent enim omnes Episcopi promovere et tueri unitatem fidei et disciplinam (G) cunctae Ecclesiae communem, fideles edocere ad amorem totius corporis mystici Christi, praesertim membrorum pauperum, dolentium et eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (cf. *Mt.* 5, 10), tandem promovere omnem actuositatem quae toti Ecclesiae communis est, praesertim ut fides incrementum capiat et lux plenae veritatis omnibus hominibus oriatur. Ceterum hoc sanctum est quod, bene regendo propriam Ecclesiam ut *portionem* (H) Ecclesiae universalis, *ipsi* (I) efficaciter confertur ad bonum totius mystici Corporis, quod (K) est etiam corpus Ecclesiarum (34).

[66] Cura Christi Evangelium annuntiandi ubique terrarum ad corpus Pastorum pertinet, quibus omnibus in commune Christus mandatum dedit imponendo commune officium, ut iam Papa Coelestinus Patribus Ephesini Concilii commendavit. Unde liquet, etiam si suprema ordinatio operis missionum ad Romanum Pontificem pertinet, omnes tamen Episcopos, quantum eorum perfunctio muneris sinit, in laborum societatem cum eo venire, eique adesse debere. Missionibus auxilia spiritualia, humana et materialia, tam per se directe, quam suscitando fidelium ardentem cooperationem, suppeditare omnibus viribus debent.

Cura Evangelium ubique terrarum annuntiandi ad corpus Pastorum pertinet, quibus omnibus in commune Christus mandatum dedit imponendo commune officium, ut iam Papa Coelestinus Patribus Ephesini Concilii commendavit (35). Unde *singuli* Episcopi, quantum *propria* eorum perfunctio muneris sinit, in laborum societatem venire *tenentur inter se et* cum *successore Petri, cui grande munus christiani nominis propagandi singulari modo demandatum est* (1) (L). *Quare* missionibus *tum messis operarios* (M), tum etiam auxilia spiritualia et materialia, tam per se directe, quam suscitando fidelium ardentem cooperationem, suppeditare omnibus viribus debent. Episcopi denique, in universali caritatis societate, fraternum adiutorium aliis Ecclesiis, praesertim finitimis et egentioribus, secundum venerandum antiquitatis exemplum, libenter praebeant.

Episcopi denique, in universali caritatis societate, fraternum adiutorium aliis et praeser-

Divina autem Providentia factum est ut variae variis in locis ab Apostolis eorumque

Textus prior

tim tum egentioribus tum finitimis Ecclesiis, secundum venerandum antiquitatis exemplum, libenter praebeant. Ut collegialis ille affectus ad concretam applicationem perducatur, Coetus Episcopales multiplicem atque fecundam opem conferre possunt.

18. [*De Episcoporum ministeriis*]. Episcopi, mediantibus Apostolis, a Domino, cui omnis potestas in caelo et in terra data est, missionem accipiunt docendi omnes gentes et praedicandi Evangelium omni creaturae, ut homines universi, per fidem, baptismum et impletionem mandatorum salutem consequantur (cf. *Mt.* 28, 18-20; *Mc.* 16, 15-16). Quam missionem Spiritus, qui replevit orbem terrarum et misit Apostolos ut prophetarent gentibus et populis et regibus (cf. *Act.* 1, 8; *Apoc.* 10, 11), die Pentecostes dispertitis linguis igneis significavit. Munus autem illud quod Dominus pastoribus populi sui commisit, verum est servitium seu diakonia apostolica (cf. *Act.* 1, 25) quae in sacris Litteris significanter « ministerium » nuncupatur (cf. *Rom.* 11, 13; *Act.* 1, 17; 21, 19; *1 Tim.* 1, 12).

Episcoporum autem missio fieri potest per legitimas consuetudines, a suprema et univer-

Textus emendatus [66]

successoribus institutae Ecclesiae decursu temporum in plures coaluerint coetus, organice coniunctos, qui, salva fidei unitate, gaudent propria disciplina, proprio liturgico usu, theologico spiritualique patrimonio. Quaedam Ecclesiae, veluti matrices fidei, alias pepererunt quasi filias, quibuscum arctiore vinculo caritatis in vita sacramentali atque in mutua iurium et officiorum reverentia ad nostra usque tempora connectuntur (37). *Quae Ecclesiarum localium in unum conspirans varietas indivisae Ecclesiae catholicitatem luculentius demonstrat* (N). *Simili ratione* Coetus Episcopales *hodie* multiplicem atque fecundam opem conferre possunt, ut collegialis affectus ad concretam applicationem perducatur.

24. (olim n. 18). [*De Episcoporum Ministerio* (A)]. Episcopi, *utpote Apostolorum successores* (B), a Domino, cui omnis potestas in caelo et in terra data est, missionem accipiunt docendi omnes gentes et praedicandi Evange- [67] lium omni creaturae, ut homines universi, per fidem, baptismum et adimpletionem mandatorum salutem consequantur (cf. *Mt.* 28, 18; *Mc.* 16, 15-16; *Act.* 26, 17 s.) (C). *Ad hanc* missionem *implendam, Christus Dominus Spiritum Sanctum promisit Apostolis et die Pentecostes e coelo misit, cuius virtute testes Eidem essent usque ad ultimum terrae, coram* gentibus et populis et regibus (cf. *Act.* 1, 8; 2, 1 ss.; *Apoc.* 10, 11) (D). Munus autem illud, quod Dominus pastoribus populi sui commisit, verum est servitium quod in sacris Litteris « diakonia » seu ministerium *significanter* nuncupatur (cf. *Act.* 1, 17 et 25; 21, 19; *Rom.* 11, 13; *1 Tim.* 1, 12).

(E) Episcoporum autem missio *canonica* (F) fieri potest per legitimas consuetudines, a

[67] *Textus prior*

sali potestate Ecclesiae non revocatas, vel per leges ab eadem auctoritate latas aut agnitas, vel directo per ipsum successorem Petri; quo renuente, Episcopi in officium assumi nequeunt.

19. [*De Episcoporum munere docendi*]. Episcopi sunt praedicatores fidei, qui novos discipulos ad Christum adducunt, et doctores authentici seu vera auctoritate nomine Christi praediti, qui commisso populo fidem credendam et moribus applicandam praedicant, sub lumine Spiritus Sancti illustrant, ex thesauro Revelationis nova et vetera proferentes (cf. *Mt.* 13, 52), eam fructificare faciunt erroresque gregi suo impendentes vigilanter arcent. Fideles in Episcopi sententiam ex ore Christi prolatam concurrere, eique ut chordae citharae cohaerere debent. Imo, licet singuli praesules infallibilitatis praerogativa non polleant, quando tamen, etiam per orbem dispersi, sed collegialem nexum servantes, authentice docentes una cum Romano Pontifice ut testes fidei in reve-
[68] lata fide tradenda in unam sententiam conveniunt, doctrinam Christi infallibili oraculo enunciant. Quod adhuc manifestius habetur, quando in Concilio Oecumenico adunati, una cum Romano Pontifice, sunt pro universa Ecclesia fidei et morum doctores et iudices, quorum definitiones ab omnibus sincero animo accipi debent. In definitionibus suis Concilium ea infallibilitate pollent qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definiendo doctrinam de fide et moribus instructam esse voluit. Qua ipse quoque per se gaudet Romanus Pontifex, Collegii Episcoporum caput, quando, ut supremus pastor et doctor, qui fratres suos in fide confirmat (cf. *Lc.* 22, 32), doctrinam de fide vel

Textus emendatus

suprema et universali potestate Ecclesiae non revocatas, vel per leges ab eadem auctoritate latas aut agnitas, vel directe per ipsum successorem Petri; quo renuente *seu communionem Apostolicam denegante* (G), Episcopi in officium assumi nequeunt (38).

25. (olim n. 19). [*De Episcoporum munere docendi*]. *Praecipuum Episcoporum munus est praedicare Evangelium* (39) (A). Episcopi *enim* sunt fidei praecones (B), qui novos discipulos ad Christum adducunt, et doctores authentici seu auctoritate Christi praediti, qui populo *sibi* commisso fidem credendam et moribus applicandam praedicant, et sub lumine Sancti Spiritus illustrant, ex thesauro Revelationis nova et vetera proferentes (cf. *Mt.* 13, 52), eam fructificare faciunt erroresque gregi suo impendentes vigilanter arcent (cf. *2 Tim.* 4, 1-4) (C). *Episcopi in communione cum Romano Pontifice docentes ab omnibus tamquam divinae et catholicae veritatis testes venerandi sunt* (D); fideles *autem* in *sui* Episcopi sententiam *de huiusmodi rebus nomine* (E) Christi prolatam concurrere, eique *religioso animi obsequio* adhaerere debent (F). *Hoc vero religiosum voluntatis et intellectus obsequium singulari ratione praestandum est Romani Pontificis authentico magisterio etiam cum non ex cathedra loquitur; ita* nempe ut magisterium eius supremum reverenter agnoscatur, et sententiis ab eo *prolatis* sincere adhaereatur, iuxta mentem et voluntatem manifestam ipsius, quae se prodit praecipue *sive* indole documentorum, *sive* ex frequenti propositione eiusdem doctrinae, *sive* ex dicendi ratione (G).

Licet singuli praesules infallibilitatis praerogativa non polleant, quando tamen, etiam per orbem dispersi, sed *communionis* nexum

Textus prior

moribus definitivo actu proclamat. Iamvero Concilium Vaticanum I iure statuit Romani Pontificis definitiones ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse, ita ut ab eius iudicio ad aliud iudicium appellare numquam omnino liceat. Quando enim Romanus Pontifex aliquam veritatem de fide definit, non ut persona privata sententiam proponit, sed doctrinam fidei catholicae, divinitus Ecclesiae commissam, tamquam Doctor et Pastor Ecclesiae universalis exponit vel tuetur. Idem facit corpus Episcoporum quando supremum magisterium cum eo exercet.

Cum autem sive Romanus Pontifex sive Concilium sententiam definiunt, eam proferunt secundum ipsam Revelationem, cui omnes conformari tenentur et quae scripta vel tradita per legitimam Episcoporum successionem et imprimis ipsius Romani Pontificis cura integre transmittitur, atque praelucente Spiritu veritatis in Ecclesia sancte servatur et fideliter exponitur. Ad quam rite indagandam et apte enunciandam, Episcopi et Romanus Pontifex, pro officio suo et rei gravitate, per media apta, adhibito etiam consilio theologorum et exegetarum sedulo applicant; novam vero revelationem publicam tamquam ad divinum fidei depositum pertinentem non accipiunt.

Romani Pontificis authentico magisterio, etiam cum non ex cathedra loquitur, religiosum voluntatis et intellectus obsequium praestandum est, quo nempe magisterium eius supremum reverenter agnoscatur, et sententiae ab eo propositae sincere adhaereatur, idque iuxta mentem et voluntatem manifestatam ipsius, quae se prodit praecipue vel ex indole documentorum, vel ex frequenti propositione doctrinae, vel ex dicendi ratione.

Textus emendatus **[68]**

inter se et cum Successore Petri servantes (H), authentice *res fidei et morum* (I) docentes in unam sententiam *tamquam definitive tenendam* conveniunt, doctrinam Christi infallibiliter (J) enunciant (40). Quod adhuc manifestius habetur quando, in Concilio Oecumenico coadunati, pro universa Ecclesia fidei et morum doctores et iudices sunt, quorum definitionibus *fidei obsequio est adhaerendum* (41) (K).

Haec autem infallibilitas, qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide *vel* moribus instructam esse voluit, *tantum patet quantum divinae Revelationis patet depositum, sancte custodiendum et fideliter exponendum* (L). Qua quidem infallibilitate Romanus Pontifex, Collegii Episcoporum *Caput* vi muneris sui gaudet, quando, ut supremus *omnium christifidelium* (M) pastor et doctor, qui fratres suos in fide confirmat (cf. *Lc.* 22, 32), doctrinam de fide vel moribus definitivo actu proclamat (42). *Quare definitiones eius ex sese, et non ex consensu Ecclesiae, irreformabiles merito dicuntur, quippe quae sub assistentia Spiritus Sancti, ipsi in beato Petro promissa, prolatae sint, ideoque nulla indigeant aliorum approbatione, nec ullam ad aliud iudicium appellationem patiantur.* **[69]** *Tunc* enim Romanus Pontifex non ut persona privata sententiam *profert,* sed ut universalis Ecclesiae *magister supremus, in quo charisma infallibilitatis ipsius Ecclesiae singulariter inest,* doctrinam fidei catholicae exponit vel tuetur (43) (N). *Infallibilitas Ecclesiae promissa in corpore Episcoporum quoque inest,* quando supremum magisterium cum *Petri successore* exercet. *Istis autem definitionibus assensus Ecclesiae numquam deesse potest propter actionem eiusdem Spiritus Sancti, qua universus Christi grex in unitate fidei servatur et proficit* (44).

[69]

Textus prior

20. [*De Episcoporum munere sanctificandi*]. Episcopus est summus sacerdos et « oeconomus gratiae supremi sacerdotii », praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerre facit, et qua continuo vivit et crescit Ecclesia. Episcopis officium competit cultum christianae religionis Divinae Maiestati celebrandi et administrandi secundum praecepta Domini et generales Ecclesiae leges, eorum particulari iudicio ulterius legitime determinatas. Ipsi sunt ministri sacrae ordinationis et ministri ordinarii Confirmationis. Populos suos, ut in liturgia et praesertim in sacro Missae sacrificio, partes suas fide et reverentia impleant, exhortan-
[70] tur et instruunt. Eis, praeter sanctificans ministerium verbi sacramenta praebent, quorum omnium distributionem regularem et fructuosam sua auctoritate ordinant et confirmant.

Textus emendatus

Cum autem sive Romanus Pontifex sive Concilium sententiam definiunt, eam proferunt secundum ipsam Revelationem, cui omnes *stare et* conformari tenentur et quae scripta vel tradita per legitimam Episcoporum successionem et imprimis ipsius Romani Pontificis cura integre transmittitur, atque praelucente Spiritu veritatis in Ecclesia sancte servatur et fideliter exponitur (45) (O). Ad quam rite indagandam et apte enunciandam, Romanus Pontifex et Episcopi, pro officio suo et rei gravitate, per media apta, sedulo *operam navant* (46); novam vero revelationem publicam tamquam ad divinum fidei depositum pertinentem non accipiunt (47).

26. (olim n. 20). [*De munere Episcoporum sanctificandi*]. Episcopus, plenitudine sacramenti Ordinis insignitus (A), est « oeconomus gratiae supremi sacerdotii » (48), praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerri curat (49), et qua continuo vivit et crescit Ecclesia. *Haec Christi Ecclesia vere adest in omnibus legitimis fidelium congregationibus localibus, quae, pastoribus suis adhaerentes, et ipsae in Novo Testamento ecclesiae vocantur* (50) (B). *Hae sunt enim loco suo Populus novus a Deo vocatus, in Spiritu Sancto et in plenitudine multa* (cf. *1 Thess.* 1, 5). *In eis praedicatione Evangelii Christi congregantur fideles et celebratur mysterium Coenae Domini, « ut per escam et sanguinem Domini corporis fraternitas cuncta copuletur »* (51). *In quavis altaris communitate, sub Episcopi sacro ministerio* (52), *exhibetur symbolum illius caritatis et « unitatis Corporis mystici, sine qua non potest esse salus »* (53). *In his communitatibus, licet saepe exiguis et pauperibus, vel in dispersione degentibus, praesens est Chri-*

Textus prior

Textus emendatus [70]

stus, cuius virtute consociatur una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia (54). *Etenim* «*non aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus transeamus* » (55).

Omnis autem legitima Eucharistiae celebratio dirigitur ab Episcopo, cui officium commissum est cultum christianae religionis Divinae Maiestati *deferendi* atque administrandi secundum praecepta Domini et Ecclesiae leges, eius particulari iudicio ulterius pro dioecesi determinatas.

Ita Episcopi, orando pro populo et laborando, de plenitudine sanctitatis Christi multiformiter et abundanter effundunt (C). *Per ministerium verbi virtutem Dei credentibus in salutem communicant* (cf. *Rom.* 1, 16), *et per sacramenta, quorum regularem et fructuosam distributionem auctoritate sua ordinant* (56), *fideles sanctificant. Ipsi regunt collationem baptismi, quo regalis sacerdotii Christi participatio conceditur* (D). Ipsi sunt ministri *originarii* confirmationis (E), dispensatores sacrorum ordinum *et moderatores disciplinae poenitentialis,* atque populos suos, ut in liturgia et praesertim in sacro Missae sacrificio partes suas fide et reverentia impleant, *sollicite* exhortantur et instruunt. *Eis denique quibus praesunt exemplo conversationis suae proficere debent, mores suos ab omni malo temperantes et quantum poterint, Domino adiuvante, ad bonum commutando, ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniant sempiternam* (57).

21. [*De Episcoporum munere regendi*]. Etiam regimen Episcoporum ad fideles sanctificandos inservit. Ipsi Ecclesias sibi commissas ut vicarii et legati Christi regunt, non tantum consiliis, suasionibus, exemplis, sed vera

27. (olim. n. 21). [*De Episcoporum munere regendi*]. Episcopi Ecclesias sibi commissas ut vicarii et legati Christi regunt (58), consiliis, suasionibus, exemplis, *verum etiam auctoritate et* (A) sacra potestate, qua *quidem* [71]

[71] *Textus prior*

sacra potestate, qua tamen nonnisi ad gregem suum aedificandum uti debent, memores quod qui maior est fiat sicut minor et qui praecessor est sicut ministrator (cf. *Lc* 22, 26). Haec potestas qua, nomine Christi, personaliter funguntur, est propria, ordinaria et immediata, licet a supremo Ecclesiae regimine exercitium eiusdem ultimatim regatur et certis limitibus, intuitu utilitatis Ecclesiae vel fidelium, circumscribi possit.

Ipsis munus pastorale et habitualis et cotidiana cura ovium suarum plene committitur, « neque vicarii Romanorum Pontificum putandi sunt, quia potestatem gerunt sibi propriam verissimeque populorum quos regunt, antistites dicuntur ». Eorum itaque potestas a suprema et universali potestate non eliditur, sed e contra, ut docuit Concilium Vaticanum I, asseritur, roboratur et vindicatur, dum Spiritus Sanctus constitutionem Ecclesiae a Deo determinatam tam pro primatu quam pro episcopatu, secundum doctrinam Revelationis servandam indefectibiliter sustinebit.

Episcopus qui sacrum ius et coram Domino officium habet praescribendi et administrandi, imo, ubi opus est, ex amore coercendi, ante oculos teneat exemplum Boni Pastoris, qui venit non ministrari sed ministrare (cf. *Mt.* 20, 23) et animam suam pro animis ponere (cf. *Io.* 10, 11). Assumptus ex hominibus et circumdatus infirmitate, condolere potest iis qui ignorant et errant (cf. *Hebr.* 5, 1) et subditos, qui vere eius filii sunt, audire non ab-
[72] nuat, quos ad alacriter secum cooperandum exhortatur. Pro animabus eorum rationem red-

Textus emendatus

nonnisi ad gregem suum *in veritate et sanctitate* (B) aedificandum *utuntur,* memores quod qui maior est fiat sicut minor et qui praecessor est sicut ministrator (cf. *Lc.* 22, 26-27). Haec potestas qua, nomine Christi, personaliter funguntur, est propria, ordinaria et immediata, licet a suprema Ecclesiae *auctoritate* exercitium eiusdem *ultimatim* regatur (C) et certis limitibus, intuitu utilitatis Ecclesiae vel fidelium, circumscribi possit. *Vi huius potestatis Episcopi sacrum ius et coram Domino officium habent in suos subditos leges ferendi, iudicium faciendi, atque omnia, quae ad cultus apostolatusque ordinem pertinent, moderandi* (D).

Ipsis munus pastorale *seu* habitualis et cotidiana cura ovium suarum plene committitur, neque vicarii Romanorum Pontificum putandi sunt, quia potestatem gerunt sibi propriam verissimeque populorum quos regunt, antistites dicuntur (59). Eorum itaque potestas a suprema et universali potestate non eliditur, sed e contra asseritur, roboratur et vindicatur (60), *Spiritu Sancto constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam indefectibiliter servante* (E).

Episcopus, *missus a Patrefamilias ad gubernandam familiam suam* (F), ante oculos teneat exemplum Boni Pastoris, qui venit non ministrari sed ministrare (cf. *Mt.* 20, 28; *Mc.* 10, 45) et animam suam pro *ovibus* ponere (cf. *Io.* 10, 11). Assumptus ex hominibus et circumdatus infirmitate, condolere potest iis qui ignorant et errant (cf. *Hebr.* 5, 1-2). Subditos, *quos ut veros filios suos fovet et* ad alacriter secum cooperandum exhortatur, audire ne *renuat.* Pro animabus eorum rationem redditurus Deo (cf. *Hebr.* 13, 17) oratione, praedicatione

Textus prior

diturus Deo (cf. *Hebr.* 13, 1) oratione, praedicatione et caritate curam habeat tum eorumdem, tum etiam illorum qui inter populum suum degentes de uno ovili nondum sunt, quos in Domino commendatos sibi habeat. Ut Paulus Apostolus sapientibus et insipientibus debitor est, et promptus sit omnibus evangelizare (cf. *Rom.* 1, 14), fidelesque suos ad operositatem apostolicam et missionalem universalem exhortari. Fideles autem Episcopo adhaerere debent sicut Ecclesia Iesu Christo, et sicut Iesus Christus Patri, ut omnia per unitatem consentiant.

15. [*De Presbyteris et Diaconis*]. Hierarchia, divina ordinatione instituta, constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris. Episcopi autem *presbyteros* in suae societatis operis adiumentum ordinant, in quos gratiam de suae paternae plenitudinis abundantia transfundunt, ut, illis adiutricem operam navantibus veritatem et gratiam super omnes fideles dispergant.

Hi, licet pontificatus apicem non habeant, tamen sacramento recepto veri sunt sacerdotes secundae dignitatis, providi cooperatores ordinis episcopalis. In sacrificio Missae offerendo et sacramentis administrandis et ipsi in persona Christi agunt, fideles ad iugem orationem exhortantur et dirigunt, eosque multiformi praedicatione verbi Dei instruunt et ad communicandum sacrificium Christi et Ecclesiae in perfecta oboedientia fidei et amoris perducunt. Cura autem animorum actu exercenda eis a Romano Pontifice vel ab Episcopo competente assignatur, cuius in pascendo grege eique inserviendo vices agunt.

Circa Episcopum, coetum coaptatum et concordem constituentes, agnoscant presbyteri

Textus emendatus [72]

omnibusque operibus caritatis curam habeat tum eorumdem, tum etiam illorum qui de uno *grege* (G) nondum sunt, quos in Domino commendatos sibi habeat. *Ipse, cum* sicut Paulus Apostolus *cunctis* (H) debitor *sit, promptus sit* omnibus evangelizare (cf. *Rom.* 1, 14-15), fidelesque suos ad operositatem apostolicam et missionalem exhortari. Fideles autem Episcopo adhaerere debent sicut Ecclesia Iesu Christo, et sicut Iesus Christus Patri, ut omnia per unitatem consentiant (61), *et abundent in gloriam Dei* (cf. *2 Cor.* 4, 15) (I).

28. (olim n. 15 A). [*De Presbyteris eorumque relatione ad Christum, ad Episcopos, ad presbyterium et ad populum christianum*]. *Potestas sacra tum ordinis tum iurisdictionis, quae ex missione Christi in Episcopis residet, vario gradu variis subiectis in Ecclesia legitime demandatur* (62). *Sic ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exercetur ab illis qui iam ab antiquo Episcopi, Presbyteri, Diaconi vocantur* (63).

Quamvis presbyteri pontificatus apicem non habeant (64) *et in potestate sua ab Episcopis pendeant, tamen vi sacramenti Ordinis* (65) *secundum imaginem Christi Summi atque Aeterni Sacerdotis* (*Hebr.* 5, 1-10; 7, 24; 9, 11-28) *ad divinum cultum consecrati et ad divinum ministerium ordinati, veri sunt sacerdotes Novi Testamenti* (66). *Quod munus sacrum maxime exercent in Eucharistico cultu, quo in persona Christi agentes* (67) *Eiusque mysterium proclamantes, cum fidelibus, devotione et vita Capiti suo coniunctis, unicum sacrificium Novi Testamenti, Christi scilicet sese Patri immaculatam hostiam semel offerentis* (cf. *Hebr.* 9, 14-28) *in sacrificio Missae usque ad adventum Domini* (cf. *1 Cor.* 11, 26) *re-*

[72] *Textus prior*

cuncti, etiam religiosi, quot et quanta bona sibi ex hac intima coniunctione obveniant. Per
[73] Episcopum enim missionem ab ipso Christo accipiunt, fidenti et magno animo adimplendam, secundum quamdam impulsionem apostolicam, se ad salutem totius mundi protendentem. Episcopi denique munus participantes, exigentiam simul et promissionem perfectae caritatis erga gregem commissum, et incitamentum ad omnimodam adipiscendam sanctitatem recipiunt. In mysterii Domini celebratione, agnoscendo quod agunt et imitando quod tractant, per Christum seipsos discunt offerre; et confratribus suis, in vita spirituali, pastorali, vel in ipsis quotidianis curis, fraternum scientiae et operis praebere auxilium.

Textus emendatus

praesentant et applicant (68). *Muneris unici Mediatoris Christi* (*1 Tim.* 2, 5) *participes in suo gradu ministerii, fidelibus verbum divinum annuntiant, pro quibus peccantibus vel aegrotantibus ministerium reconciliationis et alleviationis summe funguntur. Necessitates ac preces populi fidelium ad Deum Patrem afferunt* (cf. *Hebr.* 5, 1-4), *Eumque in spiritu et veritate in medio gregis adorant* (cf. *Io.* 4, 24). *In verbo et doctrina laborant* (cf. *1 Tim.* 5, 17), *credentes quod in lege Domini meditantes legerint, docentes quod crediderint, imitantes quod docuerint* (69). *Munus Christi Pastoris et Capitis pro sua parte auctoritatis exercentes* (70), *familiam Dei ut fraternitatem in unum animatam* (71) *colligunt et per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducunt.*

Presbyteri, ordinis Episcopalis providi cooperatores (72) *eiusque complementum et organum, ad populo Dei inserviendum vocati, unum presbyterium* (73) *constituunt, diversis quidem officiis mancipatum. In singulis localibus fidelium congregationibus Episcopum, quocum fidenti et magno animo consociantur, quodammodo praesentem reddunt eiusque munera et sollicitudinem pro parte suscipiunt et cura cotidiana exercent. Qui sub auctoritate Episcopi portionem gregis dominici sibi addictam sanctificant et regunt, Ecclesiam universalem in suo loco visibilem faciunt et in aedificando toto corpore Christi* (cf. *Eph.* 4, 12) *validam opem afferunt. Ad bonum autem filiorum Dei semper intenti operam suam ad opus pastorale totius dioeceseos, immo totius Ecclesiae conferre studeant. Propter hanc in sacerdotio et missione participationem Presbyteri Episcopos vere ut patres suos agnoscant illisque obediant. Episcopus vero Sacerdotes suos ut filios et amicos consideret, sicut Christus discipulos suos*

Textus prior	*Textus emendatus* [73]
	iam non servos, sed amicos vocat (cf. *Io.* 15, 15). *Cum hoc corpore Episcoporum et Presbyterorum etiam Sacerdotes Religiosi ratione ordinis et ministerii coaptantur et bono totius Ecclesiae pro sua vocatione et gratia inserviunt.*

[74] (Novae §§) Vi communis sacrae ordinationis et missionis Presbyteri omnes inter se intima fraternitate nectuntur, quae sponte ac libenter sese manifestet in mutuo auxilio, tam spirituali quam materiali, tam pastorali quam personali, in conventibus et communione vitae, laboris et caritatis.

Fidelium vero, quos spiritualiter baptismate et doctrina genuerunt (cf. *1 Cor.* 4, 15; *1 Pt.* 1, 23), cura tamquam patres in Christo agant. Forma facti gregis ex animo (*1 Pt.* 5, 3) suae communitati locali ita praesint et inserviant, ut ista digne vocari possit illo nomine, quo unus et totus populus Dei insignitur, Ecclesiae scilicet Dei (cf. *1 Cor.* 1, 2; *2 Cor.* 1, 1; et passim). Memores sint se sua cotidiana conversatione et sollicitudine fidelibus et infidelibus, catholicis et non catholicis, faciem ministerii ecclesiastici exhibere, omnibusque testimonium veritatis et vitae reddere debere, et ut boni pastores illos quoque quaerere (cf. *Lc.* 15, 4-7), qui baptizati quidem in Ecclesia catholica a praxi sacramentorum, vel imo a fide defecerunt.

Quia genus humanum hodie magis magisque in unitatem civilem, oeconomicam et socialem coalescit, eo magis oportet ut sacerdotes, coniuncta cura et ope sub ministerio Episcoporum et Summi Pontificis, omnem rationem dispersionis elidant, ut in unitatem familiae Dei totum genus humanum adducatur.

Textus prior	*Textus emendatus*
Gradu inferiore in ministerio hierarchico, Episcopo et Presbyteris adsistunt *Diaconi* qui sacrificii celebrationi inserviunt, ministri extraordinarii sollemnis baptismi et sacrae communionis exsistunt, et varia officia publicae caritatis, praedicationis et administrationis exercere possunt, prout eis a competenti auctoritate assignata fuerint. Licet hodie in Ecclesia diaconatus ut plurimum habeatur solummodo	29. (olim n. 15 B). [*De Diaconis*]. In gradu inferiori hierarchiae sistunt Diaconi, *quibus « non ad sacerdotium, sed ad ministerium » manus imponuntur* (74). *Gratia etenim sacramentali roborati, in diaconia liturgiae, verbi et caritatis populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt. Diaconi est, prout ei a competenti auctoritate assignatum fuerit, solemniter baptismum ad-*

[74]

Textus prior

tamquam gradus, quo ad sacerdotium ascenditur, haec disciplina tamen non semper viguit nec hodie ubique viget. Imo diaconatus in futuro tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae exerceri poterit, ubi Ecclesia id pro necessitate curae animarum, aut in certis regionibus aut in omnibus, expedire censuerit. Quo in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere utrum tales diaconi sacra coelibatus lege adstringantur necne.

Textus emendatus

ministrare, Eucharistiam servare et distribuere, matrimonio Ecclesiae nomine adsistere et benedicere, Viaticum moribundis deferre, fidelibus sacram legere Scripturam, populum instruere et exhortari, fidelium cultui et orationi praesidere, sacramentalia ministrare, funeri ac sepulturae praeesse. Caritatis et administrationis officiis dediti, meminerint Diaconi moniti Beati Polycarpi: « Misericordes, seduli, incedentes iuxta veritatem Domini, qui omnium minister factus est » (75).

[75]

*Cum vero haec munera, ad vitam Ecclesiae summopere necessaria, in disciplina Ecclesiae latinae hodie vigenti in pluribus regionibus adimpleri difficulter possint, Diaconatus in futurum tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae restitui poterit. Ad competentes autem varii generis territoriales Episcoporum coetus, approbante ipso Summo Pontifice, spectat decernere, utrum et ubinam pro cura animarum huiusmodi diaconos institui opportunum sit. Supremae Auctoritati competit decernere, utrum hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri possit, vel imo iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex coelibatus, an e contra lex coelibatus etiam pro huiusmodi diaconis firma remanere debeat.**

* *Nota explicativa ad textum novum:*

Huic textui responderet triplex vel quadruplex suffragatio:

prima, de prima phrasi, in qua approbatur principium restaurati diaconatus;

secunda, de secunda phrasi, in qua determinatur auctoritas competens (quodsi textus reiicitur, sola auctoritas competens est Romanus Pontifex);

Textus prior	*Textus emendatus*
	tertia, de primo membro tertiae phraseos: approbante Romano Pontifice, diaconatus conferri potest viris maturis uxoratis; *quarta,* de altero membro tertiae phraseos: approbante Romano Pontifice diaconatus conferri potest etiam iuvenibus sine lege coelibatus. Si autem tertia vel quarta propositio admittitur, ultima incisa evidenter cadit. Si tertia et quarta reiiciuntur statuitur ipso facto ultima incisa. Si exitus tertiae suffragationis est negativus, quarta suffragatio fit superflua et stat ultima incisa. [75]

NOTAE [76]

Cap. III - *De constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de Episcopatu*

Ad n. 18.

(1) Cf. CONC. VAT. I, Sess. IV, Const. Dogm. *Pastor aeternus*: DENZ. 1821 (3050 s.).

(2) Cf. CONC. FLOR., Decretum pro Graecis: DENZ. 694 (1307) et CONC. VAT. I, *ibid.*: DENZ. 1826 (3059).

Ad n. 19.

(3) Cf. *Liber sacramentorum* S. GREGORII, Praefatio in Cathedra S. Petri, in natali S. Mathiae et S. Thomae: *PL* 78, 50, 51 et 152. S. HILARIUS, *In Ps.* 67, 10: *PL* 9, 450; *CSEL* 22, p. 286. S. HIERONYMUS, *Adv. Iovin.* 1, 26: *PL* 23, 247 A. S. AUGUSTINUS, *In Ps.* 86, 4: *PL* 37, 1103. S. GREGORIUS M., *Mor. in Iob,* XXVIII, V: *PL* 76, 455-456. PRIMASIUS, *Comm. in Apoc.* V: *PL* 68, 924 C. PASCHASIUS RADB., *In Mt.* L. VIII, cap. 16: *PL* 120, 561 C. Cf. LEO XIII, Epist. *Et sane,* 17 dec. 1888: *A.S.S.,* 21 (1888), p. 321.

Ad n. 20.

(4) Cf. *Act.* 2-6; 11, 30; 13, 1; 14, 23; 20, 17; *1 Thess.* 5, 12-13; *Phil.* 1, 1; *Col.* 4, 11, et passim.

(5) Cf. *Act.* 20, 25-27; *2 Tim.* 4, 6 s. coll. c. *1 Tim.* 5, 22; *2 Tim.* 2, 2; *Tit.* 1, 5; S. CLEM. ROM., *Ad Cor.* 44, 3; ed. FUNK, I, p. 156.

(6) S. CLEM. ROM., *Ad Cor.* 44, 2; ed. FUNK, I, p. 154 s.

(7) Cf. TERTULLIANUS, *Praescr. Haer.* 32; *PL* 2, 52 s. - S. IGNATIUS M., passim.

(8) Cf. TERTULLIANUS, *Praescr. Haer.,* 32; *PL* 2, 53.

[76] (9) Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 3, 1; *PG* 7, 848 A; HARVEY 2, 8; SAGNARD, p. 100 s.: « manifestatam ».

(10) Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 2, 2; *PG* 7, 847; HARVEY 2, 7; SAGNARD, p. 100: « custoditur ». Cf. *ibid.,* IV, 26, 2; col. 1053; HARVEY 2, 236, necnon IV, 33, 8; col. 1077; HARVEY 2, 262.

(11) S. IGNATIUS, M., *Philad.,* Praef. ed. FUNK, I, p. 264.

(12) S. IGNATIUS M., *Philad.,* 1, 1; *Magn.* 6, 1; ed. FUNK I, pp. 264 et 234.

(13) S. CLEM. ROM., *l. c.,* 42, 3-4; 44, 3-4; 57, 1-2; ed. FUNK, I, 152, 156, 172. S. IGNATIUS M., *Philad.* 2; *Smyrn.* 8; *Magn.* 3; *Trall.* 7; ed. FUNK, I, p. 266; 282; 232; 246 s. etc.; S. IUSTINUS, *Apoc.* 1, 65; *PG* 6, 428; S. CYPRIANUS, *Epist.,* passim.

(14) Cf. LEO XIII, Epist. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-96), p. 732.

(15) Cf. CONC. TRID., Sess. 23, Decr. *de sacr. Ordinis,* cap. 4: DENZ. 960 (1768); CONC. VAT. I, Sess. 4, Const. Dogm. 1 *De Ecclesia Christi,* cap. 3: DENZ. 1828 (3061). PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 209 et 212. *Cod. Iur. Can.,* can. 329 § 1.

(16) Cf. LEO XIII, Epist. *Et sane,* 17 dec. 1888: *A.S.S.,* 21 (1888), p. 321 s.

[77] *Ad n. 21.*

(17) S. LEO M., *Serm.* 5, 3: *PL* 54, 154.

(18) CONC. TRID., Sess. 23, cap. 3 citat verba *2 Tim.* 1, 6-7, ut demonstret Ordinem esse verum sacramentum: DENZ. 959 (1766).

(19) In *Trad. Apost.* 3, ed. BOTTE, *Sources Chr.,* pp. 27-30, Episcopo tribuitur « primatus sacerdotii ». Cf. *Sacramentarium Leonianum,* ed. C. MOHLBERG, *Sacramentarium Veronense,* Romae 1955, p. 119: « ad summi sacerdotii ministerium... Comple in sacerdotibus tuis mysterii summam »... IDEM, *Liber Sacramentorum Romanae Ecclesiae,* Romae 1960, pp. 121-122: « Tribuas eis, Domine, cathedram episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam et plebem universam ». Cf. *PL* 78, 224.

(20) *Trad. Apost.* 2, ed. BOTTE, p. 27.

(21) CONC. TRID., Sess. 23, cap. 4, docet Ordinis sacramentum imprimere characterem indelebilem: DENZ. 960 (1767). Cf. IOANNES XXIII, Alloc. *Iubilate Deo,* 8 maii 1960: *A.A.S.,* 52 (1960), p. 466. PAULUS VI, Homelia in Bas. Vaticana, 20 oct. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 1014.

(22) S. CYPRIANUS, *Epist.* 63, 14: *PL* 4, 386; HARTEL, III B, p. 713: « Sacerdos vice Christi vere fungitur ». S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In 2 Tim.* Hom. 2, 4: *PG* 62, 612: Sacerdos est « symbolon » Christi. S. AMBROSIUS, *In Ps.* 38, 25-26: *PL* 14, 1051-52: *CSEL* 64, 203-204. AMBROSIASTER, *In 1 Tim.* 5, 19: *PL* 17, 479 C et *In Eph.* 4, 11-12: col. 387 C. THEODORUS MOPS., *Hom. Catech.* XV, 21 et 24: ed. TONNEAU, pp. 497 et 503. HESYCHIUS HIEROS., *In Lev.* L. 2, 9, 23: *PG* 93, 894 B.

Ad n. 22.

(23) Cf. EUSEBIUS, *Hist. Eccl.,* V, 24, 10: *GCS* II, 1, p. 495; ed. BARDY, *Sources Chr.* II, p. 69. DIONYSIUS, apud EUSEBIUM, *ibid.* VII, 5, 2: *GCS* II, 2, p. 638 s.; BARDY, II, p. 168 s.

(24) Cf. de antiquis Conciliis, EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* V, 23-24: *GCS* II, 1,

p. 488 ss.; BARDY, II, p. 66 ss. et passim. CONC. NICAENUM, Can. 5: *Conc. Oec. Decr.* p. 7. [77]

(25) TERTULLIANUS, *De Ieiunio,* 13: *PL* 2, 972 B; *CSEL* 20, p. 292, lin. 13-16.

(26) S. CYPRIANUS, *Epist.* 56, 3: HARTEL, III B, p. 649; BAYARD, p. 154.

(27) Cf. Relatio officialis ZINELLI, in CONC. VAT. I: MANSI 52, 1109 C.

(28) Cf. CONC. VAT. I, Schema Const. dogm. II, *de Ecclesia Christi,* c. 4: MANSI 53, 310. Cf. relatio KLEUTGEN de Schemate reformato: MANSI 53, 321 B - 322 B et declaratio ZINELLI: MANSI 52, 1110 A. Vide etiam S. LEONEM M., *Serm.* 4, 3: *PL* 54, 151 A.

(29) Cf. *Cod. Iur. Can.,* can. 227.

Ad n. 23.

(30) Cf. CONC. VAT. I, Const. Dogm. *Pastor aeternus*: DENZ. 1821 (3050 s.).

(31) Cf. S. CYPRIANUS, *Epist.* 66, 8: HARTEL III, 2, p. 733: « Episcopus in Ecclesia et Ecclesia in Episcopo ».

(32) Cf. S. CYPRIANUS, *Epist.* 55, 24: HARTEL, p. 642, lin. 13: « Una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa ». *Epist.* 36, 4: HARTEL, p. 575, lin. 20-21.

(33) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei Donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 237.

(34) Cf. S. HILARIUS PICT., *In Ps.* 14, 3: *PL* 9, 206; *CSEL* 22, p. 86. - [78]
S. GREGORIUS M., *Moral.* IV, 7, 12: *PL* 75, 643 C. Ps.-BASILIUS, *In Is.* 15, 296: *PG* 30, 637 C.

(35) S. COELESTINUS, *Epist.* 18, 1-2, ad Conc. Eph.: *PL* 50, 505 AB; SCHWARTZ, *Acta Conc. Oec.* I, 1, 1, p. 22. Cf. BENEDICTUS XV, Epist. Apost. *Maximum illud*: *A.A.S.,* 11 (1919), p. 440. PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926: *A.A.S.,* 18 (1926), p. 69. PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei Donum,* l. c.

(36) LEO XIII, Litt. Encycl. *Grande munus,* 30 sept. 1880: *A.S.S.,* 13 (1880), p. 154. Cf. *Cod. Iur. Can.,* can. 1327; can. 1350 § 2.

(37) De iuribus Sedium patriarchalium, cf. CONC. NICAENUM, can. 6 de Alexandria et Antiochia, et can. 7 de Hierosolymis: *Conc. Oec. Decr.,* p. 8. - CONC. LATER. IV, anno 1215, Constit. V: *De dignitate Patriarcharum*: ibid. p. 212. - CONC. FERR.-FLOR.: *ibid.* p. 504.

Ad n. 24.

(38) Cf. *Cod. Iuris pro Eccl. Orient.,* can. 216-314: de Patriarchis; can. 324-339: de Archiepiscopis maioribus; can. 362-391: de aliis dignitariis; in specie, can. 238 § 3; 216; 240; 251; 255: de Episcopis a Patriarcha nominandis.

Ad n. 25.

(39) Cf. CONC. TRID., Decr. de reform., Sess. V, c. 2, n. 9, et Sess. XXIV, can. 4; *Conc. Oec. Decr.* pp. 645 et 739.

(40) Cf. CONC. VAT. I, Const. Dogm. *Dei Filius,* 3: DENZ. 1712 (3011). Cf. nota adiecta ad Schema I *de Eccl.* (desumpta ex S. ROB. BELLARMINO): MANSI 51, 579 C; necnon commentarius KLEUTGEN: MANSI 53, 313 AB. PIUS IX, Epist. *Tuas libenter*: DENZ. 1683 (2879).

(41) Cf. *Cod. Iur. Can.,* cann. 1322-1323.

[78] (42) Cf. Conc. Vat. I, Const. dogm. *Pastor Aeternus*: Denz. 1839 (3074).

(43) Cf. explicatio Gasser in Conc. Vat. I: Mansi 52, 1213 AC.

(44) Gasser, *ibid.*: Mansi 1214 A.

(45) Gasser, *ibid.*: Mansi 1215 CD, 1216-1217 A.

(46) Gasser, *ibid.*: Mansi 1213.

(47) Conc. Vat. I, Const. dogm. *Pastor Aeternus,* 4: Denz. 1836 (3070).

Ad n. 26.

(48) Oratio consecrationis episcopalis in ritu byzantino: *Euchologion to mega,* Romae 1873, p. 139.

(49) Cf. S. Ignatius M., *Smyrn.* 8, 1: ed. Funk, I, p. 282.

(50) Cf. *Act.* 8, 1; 14, 22-23; 20, 17, et passim.

(51) Oratio mozarabica: *PL* 96, 759 B.

(52) Cf. S. Ignatius M., *Smyrn.* 8, 1: ed. Funk, I, 282.

(53) S. Thomas, *Summa Theol.* III, q. 73, a. 3.

(54) Cf. S. Augustinus, *C. Faustum,* 12, 20: *PL* 42, 265; *Serm.* 57, 7: *PL* 38, 389, etc.

(55) S. Leo M., *Serm.* 63, 7: *PL* 54, 357 D.

(56) *Traditio Apostolica* Hippolyti, 2-3: ed. Botte, pp. 26-30.

(57) Cf. textus *examinis* in initio consecrationis episcopalis, et *Oratio* in fine Missae eiusdem consecrationis, post *Te Deum.*

[79] *Ad n. 27.*

(58) Benedictus XIV, Br. *Romana Ecclesia,* 5 oct. 1752, § 1: *Bullarium Benedicti XIV,* t. IV, Romae 1758, 21: « Episcopus Christi typum gerit, Eiusque munere fungitur ». Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c., p. 21: « Assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt et regunt ».

(59) Leo XIII, Epist. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-96), p. 732. Idem, Epist. *Officio sanctissimo,* 22 dec. 1887: *A.S.S.,* 20 (1887), p. 264. Pius IX, Litt. Apost. ad Episcopos Germaniae, 12 mart. 1875, et Alloc. Consist., 15 mart. 1875: Denz. 3112-3117, in nova ed. tantum.

(60) Conc. Vat. I, Const. dogm. *Pastor aeternus,* 3: Denz. 1828 (3061). Cf. Relatio Zinelli: Mansi 52, 1114 D.

(61) Cf. S. Ignatius M., *Ad Ephes.* 6, 1: ed. Funk, I, p. 218; necnon *Martyrium Polycarpi,* 12, 2: *ibid.,* p. 328.

(62) Cf. S. Ignatius M., *Ad Ephes.* 5, 1: ed. Funk, I, p. 216.

Ad n. 28.

(63) Cf. Conc. Trid., Sess. 23, *De sacr. Ordinis*, cap. 2: Denz. 958 (1765), et can. 6: Denz. 966 (1776).

(64) Cf. Innocentius I, *Epist. ad Decentium*: *PL* 20, 554 A; Mansi 3, 1029; Denz. 98 (215): « Presbyteri, licet secundi sint *sacerdotes,* pontificatus tamen *apicem* non habent ».

(65) Cf. Conc. Trid., *l. c.,* Denz. 956a-968 (1763-1778), et in specie can. 7: Denz. 967 (1777). Pius XII, Const. Apost. *Sacramentum Ordinis*: Denz. 2301 (3857-61).

(66) Cf. Innocentius I, *l. c.* S. Gregorius Naz., *Apol.* II, 22: *PG* 35, 432 B. Ps.-Dionysius, *Eccl. Hier.,* 1, 2: *PG* 3, 372 D.

(67) Cf. CONC. TRID., Sess. 22: DENZ. 940 (1743). PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 553; DENZ. 2300 (3850). [79]

(68) Cf. CONC. TRID., Sess. 22: DENZ. 938 (1739-40). CONC. VAT. II, Const. *De Sacra Liturgia,* n. 7 et n. 47.

(69) *Ordo consecrationis sacerdotalis,* in impositione vestimentorum.

(70) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* l. c., sub n. 67.

(71) Cf. S. CYPRIANUS, *Epist.* 11, 3: *PL* 4, 242 B; HARTEL, III, 2, p. 497.

(72) *Ordo consecrationis sacerdotalis,* in praefatione.

(73) Cf. S. IGNATIUS M., *Philad.* 4: ed. FUNK, I, p. 266. S. CORNELIUS I, apud S. CYPRIANUM, *Epist.* 48, 2: HARTEL, III, 2, p. 610.

Ad n. 29.

(74) *Constitutiones Ecclesiae aegyptiacae,* III, 2: ed. FUNK, *Didascalia,* II, p. 103. *Statuta Eccl. Ant.* 37-41: MANSI 3, 954.

(75) S. POLYCARPUS, *Ad Phil.* 5, 2: ed. FUNK, I, p. 300: Christus dicitur « omnium diaconus factus ». Cf. S. CLEMENS ROM., *Ad Cor.* 15, 1: *ibid.,* p. 32. S. IGNATIUS M., *Trall.* 2, 3: *ibid.,* p. 242. *Constitutiones Apostolorum,* 8, 28, 4: ed. FUNK, *Didascalia,* I, p. 530.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS [80]

RELATIO DE N. 18, OLIM N. 11

(A) Textus in initio abbreviatur secundum desiderium multorum Patrum. Delentur verba *ministrationes praesertim stabiles,* de quibus non paucae difficultates factae sunt, et quae non sunt necessaria; similiter delentur referentiae ad Sacram Scripturam, propter eamdem rationem. Cf. *Animadv.,* p. 74; E/590; E/629; E/678; E/698 (129 Epp.); E/961; E/762.

(B) Sententia prima simplificatur, ut etiam melius appareat Populum Dei, Ecclesiam et Corpus Christi unam eandemque realitatem concretam indicare. Adhibetur autem vox *ministeria,* non « ministrationes », quia hic de sola potestate hierarchica agitur.

(C) Secunda sententia ita construitur, ut vitetur impressio ac si laici mere passive se haberent. Tum ministri tum ceteri fideles ad Populum Dei pertinere dicuntur. Ministri autem *sacra* potestate pollent; omnes autem fideles *vera* dignitate christiana gaudent, quae tamen non semper est *plena,* scilicet ubi deficit gratia, ut observarunt E/680; E/758; E/863.

(D) Delentur verba « Ipse Dominus Iesus Ecclesiam suam, variis charismatibus ditatam, super Petrum rupem ac super Apostolos fundavit ». Haec verba hic non videntur necessaria et ceteroquin inveniuntur fere immutata in n. 19 (olim 12); imo eadem doctrina fusius continetur in lineis immediate succedentibus in eodem n. 18 (olim 11).

[80] (E) Additur *Episcopos,* quod deerat in textu, ut plures notaverunt, nempe *Animadv.,* p. 75; E/629; E/961. Delentur autem verba *et doctores,* quia vox « pastores » omnia comprehendit. Sic petierunt nonnulli Episcopi.

(F) Vox *visibile* ponitur ante « principium », ne videamur oblivisci principia invisibilia unitatis. Sic multi Patres, v. g. E/691; E/698 (132 Epp.); *Animadv.,* p. 75.

(G) Additur *Sacra Synodus,* ut propositio habeat subiectum.

(H) Delentur verba *Coryphaeo et Capite suo.* « *Coryphaeus* », cf. notam 3 textus prioris, ed. 1963, p. 32, dicitur de Petro relate ad ceteros Apostolos; non autem, uti videtur, de Papa relate ad ceteros Episcopos. Talis usus, etsi rectus, esset innovatio, quae forsan non esset opportuna. Cf. E/961; E/629; *Animadv.* p. 76.

Multi Patres notaverunt quod verba *et Capiti suo* in hoc loco non bene sonabant: fere sonabant ac si successor Petri esset caput Christi! E/698. Vel saltem duplex affirmabatur capitalitas Romani Pontificis, E/765. Commissio servandam esse putavit formulam a Concilio Vati-
[81] cano Primo promulgatam: « Christi Vicarium totiusque Ecclesiae caput » (Sess. IV, cap. 3; DENZ. 1826 [3059]). Additum est verbum *visibili,* iuxta desiderium nonnullorum Patrum, *Animadv.* p. 76; E/826.

De titulo *Vicarius Christi* legenda est in textu priore, Cap. II, nota 2, p. 32. Primis temporibus hic titulus *de Episcopis* adhibebatur, deinde de Romano Pontifice, qui usque ad saeculum XI praevalenter *Vicarius Petri* appellatur, postea autem passim *Vicarius Christi* dicitur. Infra, sub n. 27 (olim n. 24) etiam Episcopi *Vicarii Christi* vocantur. Maior pars Commissionis statuit titulum in nostro textu de Romano Pontifice adhibere.

RELATIO DE N. 19, OLIM N. 12

NOTA. Haec relatio confecta est secundum laborem tum Subcommissionis III, tum Subcommissionis de textibus biblicis. Relatores respective fuerunt D'ERCOLE et RIGAUX.

(A) Adiungitur ad verba *quos voluit* vox *Ipse,* quia stat apud *Mc.* 3, 13, et in textu sacro ut emphasis apparet.

(B) Omittitur *quos Apostolos nominavit,* ad vitandas controversias de textu *Lc.* 6, 13 inter exegetas ortas quoad sensum praecisum istius « nominavit ».

(C) Vocabulum *collegium* non sensu iuridico de coetu perfecte aequalium intelligitur; sed de coetu stabili, a Domino instituto, ut patet iam ex *Mc.* 3, 14 et 16: « epoièsen dôdeka... kai epoièsen toùs Dôdeka »,

et ex titulo « oi Dôdeka », qui regulariter adhibetur. Indoles collegialis [81]
etiam ex eo patet quod isti coetui unus Petrus praeficitur; cf. *Act.* 2, 14, etc. Fere omnes Patres Commissionis approbaverunt formulam: « ad modum collegii instituit ».

(D) Non admittitur additio *pastorem totius Ecclesiae,* quia in numero praecedente iam dictum est de Petro, totius Ecclesiae capite.

(E) Eliminatur vox *imprimis,* quae posset significare « praesertim », dum hic de ordine chronologico agitur. Ne autem appareat oppositio inter missionem ad Israel et missionem ad gentes, adhibetur formula paulina ex *Rom.* 1, 16: « Iudaeo primum et Graeco ».

(F) Omittuntur verba *summi Prophetae, Sacerdotis et Pastoris,* utpote specificatio quae hoc loco non est necessaria, ut vitetur terminologia de qua theologi non concordant. Cf. E/722.

(G) Loco *sub tutela* dicitur *sub ductu,* quia vox « tutela » nimis ius redolet, ut observant E/961; E/832 (17 Epp.).

(H) Additio de Spiritu Sancto in connexione cum missione Apostolorum pluribus Patribus satisfacere intendit; i. a. E/718 (15 Epp.).

(I) Loco *praedicando fidem,* ponitur « Evangelium » ut vitetur ambiguitas de qua E/550. Consequenter deleri debuit incisum *resurrectione Domini firmatam,* quod refertur ad *fidem,* non ad *Evangelium.* Textus
igitur simpliciter indicat *externam* praedicationem et *internum* influxum [82]
Spiritus Sancti.

(K) De fundamento Ecclesiae in Petro et Apostolis plures Patres sermonem fecerunt, i. a. E/629; E/678; E/698; E/862; necnon membra Commissionis Exc. CHARUE, de Scriptura, et Exc. HEUSCHEN, de Traditione, etc.

Die 15 nov. 1963 Subcommissio de textibus biblicis statuit adhibere sequentem formulam « in Apostolis condidit, et super beatum Petrum, eorum principem, aedificavit... ». Quae verba desumuntur ex antiqua *Praefatione* romana de Apostolis, quae sic sonat: « Vere dignum... Te laudare in Sanctis tuis, in quibus glorificatus es vehementer, per quos Unigeniti tui sacrum corpus exornas et in quibus Ecclesiae tuae fundamenta constituisti; — quam in Patriarchis mundasti, in Prophetis praeparasti, et *in Apostolis condidisti;* — ex quibus beatum Petrum, *Apostolorum Principem,* ob confessionem Unigeniti Filii tui, per os eiusdem Verbi tui confirmatum *in fundamento* domus tuae, mutato nomine, coelestium claustrorum praesulem custodemque fecisti ». Ex *Sacramentario Gregoriano*: cf. S. GREGORIUM M., *Liber Sacramentorum,* Praefatio Cathedrae S. Petri: *PL* 78, 50, collatis *ibid.* Praef. in natali S. Mathiae Apostoli: « in quibus [Apostolis] Ecclesiae tuae *fundamenta* constituis », col. 51; necnon Praef. in natali S. Tho-

[82] mae Apostoli: « Ecclesiam tuam in apostolicis tribuisti consistere *fundamentis,* de quorum *collegio* beati Thomae, apostoli tui, sollemnia celebrantes... », col. 152. Textus Patrum exhibentur in nota 3. Textus LEONIS XIII, Epist. *Et sane, A.S.S.,* 21 (1888), p. 321, sic sonat: « Divinum quippe aedificium, quod est Ecclesia, verissime nititur, tanquam in fundamento conspicuo, primum quidem in Petro et successoribus eius, proxime in Apostolis et successoribus Apostolorum episcopis ». Vide H. A. WILSON, *Gregorian Sacramentary,* London 1915: in Cath. S. Petri, p. 260; in festo S. Thomae, p. 295; in festo unius Apostoli, p. 311.

Varia scilicet specificatione in Novo Testamento sermo fit de « fundamento » per respectum ad Christum, ad Petrum et ad Apostolos in genere, et imago in variis applicationibus non perfecte coincidit. De qua differentia in textu servata est ratio. Pro Apostolis remittitur ad *Apoc.* 21, 14, de quo non est realis controversia; pro Petro, evidenter ad *Mt.* 16, 18; pro Christo ut lapide angulari, ad *Eph.* 2, 20.

RELATIO DE N. 20, OLIM N. 13

Textus prior « de Episcopis successoribus Apostolorum » emendatus et reformatus est collatis laboribus Subcommissionis III et Subcommissionis biblicae. Relatores fuerunt D'ERCOLE et RIGAUX.

Paragraphus 1ª: Textus prior, ut petierunt plures Patres, v. g. E/706, breviori modo redactus est, quin fiat sermo de « morte » Apostolorum,
[83] sed simpliciter de eorum missione « *ad finem saeculi duratura* », secundum *Mt.* 28, 20. Sententiae sequentes pari modo deletae sunt, quia speciem argumentationis quasi scholaris prae se ferebant, de illo nempe quod Apostoli « debuerunt » facere. Ita E/597; E/762; E/764. Omnia tamen elementa substantialia servata sunt.

Paragraphus 2ª: Commissio tamquam principium statuit referre testimonia omnino *obiective,* qualiter in documentis et factis exstant.

Apostoli potius et prius quam de instituendis successoribus, curam habuerunt ut *cooperatores* et adiutores sibi constituerent, quorum officia varia et permanentia non cum omni praecisione determinantur. Huiusmodi cooperatores Apostolorum in regendis Ecclesiis apparent Hierosolymis, in Ecclesiis paulinis (*Act.* et *Epist.*) atque in Ecclesiis quas alloquuntur *Pt.* et *Iac.* Variis nominibus indicantur: episcopi, presbyteri (seniores), praepositi, pastores etc.; quibus accedunt diaconi.

Inter illos quidam exstiterunt, quos Paulus alloquitur ut « rectores », quos posuit Spiritus Sanctus ad pascendam (poimainein) Ecclesiam Dei et ad invigilandum super eam, *Act.* 20, 28 et 31. Utrum illi viri nostris Episcopis et sacerdotibus respective respondeant, in *Schemate* non diri-

mitur, secundum optata E/698, E/752, aliorumque. Propter eandem [83]
rationem textus *1 Pt.* 5, 2-4, de « presbyteris » qui gregi Dei providere debent, sub Principe pastorum, nempe Christo, non amplius invocatur.

Apostoli cooperatoribus suis immediatis « *quasi per modum testamenti* » munus suum continuandum et ordinationem Ecclesiae perficiendam demandaverunt; quod ex natura institutionis societatis hierarchicae requiritur et ex voluntate expressa Apostolorum apparet. Hoc iam aliquo modo patet ex *Act.* 20, 25-27, praesertim autem ex Epistulis ad Tim. et Tit. Cf. *2 Tim.* 4, 6: « Ego enim iam delibor et tempus resolutionis meae instat... »; *Tit.* 1, 5: « Reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros... ». Factum talis successionis etiam patet ex testimonio S. CLEMENTIS ROM. 44, 3. In genere autem indicationes scripturisticae in Traditione clarificantur.

Textus S. CLEMENTIS ROM. 44, 2 affertur, non proprie ut ostendatur successio apostolica, sed successio ministerialis: de interpretatione enim huius textus non omnes periti conveniunt. Sed saltem hoc manifeste apparet, Apostolos edidisse quamdam successionis regulam, suos cooperatores respicientem.

Quod illi successores in Episcopis inveniantur, inducitur « *teste Traditione* », quae affirmat successionem inde ab initio ab Apostolis acceptam, ut patet ex textibus TERTULLIANI et praesertim S. IRENAEI, quem explicite ut testem Traditionis Commissio nominare statuit.

Paragraphus 3ᵃ: Vox *igitur* indicat nexum inter paragraphos 2ᵃᵐ et 3ᵃᵐ. Statim enim describitur *munus* illorum Episcoporum, qui, presbyteris et diaconis circumdati, gregi Dei tamquam pastores praesident, ut praesertim ex S. IGNATIO M. aliisque antiquis Patribus apparet, quoad
doctrinam, cultum et regimen. Quam enumerationem voluerunt i. a. [84]
Epp. Galliae Mer. Tripartitus autem Hierarchiae gradus, cum Episcopatu « monarchico », de quo agit i. a. E/861, testificatur quidem a S. Ignatio, sed non certum est eundem inde ab initio ex institutione Christi in omnibus et singulis Ecclesiis exstitisse. Quapropter testimonium S. Ignatii non in initio paragraphi affertur, sed hoc loco tantum inducitur.

Statuitur deinde parallelismus inter successionem Petri in Romano Pontifice et successionem Apostolorum in Episcopis, adhibito verbo « *munus* », quia revera agitur de officio seu ministerio regulariter exercendo; quod nonnisi incomplete per vocem « potestas » exprimitur, ut observavit E/505. Nihil tamen hic statuitur de contento aut extensione officii sive Papae sive Episcoporum.

Denique *docetur* a Synodo elementum principale, scilicet: *Episcopos in locum Apostolorum successisse,* quae expressio traditiona-

[84] lis est, ut apparet ex nota 14, quae compleri potest cum documentis citatis in textu priore sub nota 6, p. 33, ed. 1963. Non adhibetur tamen formula solemnis, de qua iudicabit Congregatio Generalis. Sed facto suffragio in Commissione retinentur verba « ex divina institutione ».

Similiter Commissio non expresse intrat, ut voluerunt tamen E/961 aliique, in distinctionem inter praerogativas personales, quas Duodecim, utpote fundatores Ecclesiae, transmittere non debebant, et munera a successoribus continuanda. Dicit tamen explicite quod permanet munus Apostolorum *pascendi* Ecclesiam.

Relatio de n. 21, olim n. 14

(A) Mutatur *ordo paragraphorum,* ut extollatur contentum paragraphi quae nunc in initio ponitur. Ita satisfactio praebetur Episcopis Regionis Parisiensis, et connexio idearum cum numero praecedente clarius apparet.

Quaedam insuper immutantur secundum vota plurium qui voluerunt ut in initio sermo fieret *de sacerdotio ipsius Christi.* Verba autem fere ad litteram desumpta sunt ex S. Leone M., *l. c.* Cf. E/635; E/714; E/849, etc. Cum verbis S. Leonis comparentur Eusebius, *Dem. Evang.* V, 3: *PG* 22, 365 C; *GCS* (23) VI, p. 222, 8 ss. Idem, *Hist. Eccl.* X, 68-69; ed. Bardy, *Sources Chr.* 55, p. 102 s. S. Io. Chrysostomus, *In Mt.* Hom. 50 (51), 3: *PG* 58, 507. Idem, *De prod. Iudae,* Hom. 1, 6: *PG* 49, 380, etc.

(B) Dicitur « verbum *Dei* » loco « verbum *fidei* », ad vitandam repetitionem huius ultimae vocis. Cf. *Animadv.,* p. 90. Episcopi gentibus « praedicant », credentibus autem « sacramenta administrant ».

Servitium Episcopi dicitur *eximium,* utpote actio Christi; exigit
[85] in praeposito *sapientiam et prudentiam.* Quae verba non sapiunt triumphalismum, ut timebat E/738.

(C) Quaedam parvae introducuntur mutationes, ut sermo fiat magis *biblicus.* Etiam « paternitas » ministri est biblica: cf. *1 Cor.* 4, 15: « Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres ». Ita E/961. De « paternitate » Episcopi secundum antiquos Patres et secundum Magisterium fuse agitur in textu priore sub nota 15, p. 35, ed. 1963.

(D) *Sunt,* loco *non sunt nisi,* ut voluerunt E/961 et *Animadv.,* p. 90.

(E) Supprimuntur verba: *ministerium sacerdotale verbi,* quia coincidunt cum « testificatione Evangelii gratiae Dei ». Accuratius etiam redditur sensus verborum S. Pauli, *2 Cor.* 3, 8-9, secundum E/961.

(F) Quidam Patres voluerunt affirmationem sacramentalitatis *magis*

positivam, quin sub verbis lateret quaedam implicita redargutio eorum [85]
qui hanc sacramentalitatem negaverunt. Ita *Animadv.,* p. 87 et E/797.

Ut eorum petitioni satisfiat, incipitur a dono Spiritus Sancti, ab ipso Christo Apostolis concesso; deinde agitur de impositione manuum, quae in Epistulis Pastoralibus describitur ut conferens donum Spiritus Sancti, et cuius consecratio episcopalis est continuatio, ut Traditio catholica constanter affirmat.

Cf. S. ATHANASIUS, *Apol. ad Const. Imp.,* 26: *PG* 25, 628 C. IDEM, *Epist. ad Drac.* 4: *PG* 25, 528 A. S. IO. CHRYSOSTOMUS, *In 1 Tim.* Hom. 13, 1: *PG* 62, 565. IDEM, *In 2 Tim.* Hom. 1, 2: *PG* 62, 603. THEODORETUS, *In 1 Tim.* 4, 14: *PG* 82, 816. PELAGIUS, *In 1 Tim.* 4, 14: ed. SOUTER (Texts and Studies, 9, 2), Cambridge 1926, p. 492, 11-12. Accedunt SEDULIUS SCOTTUS, *In 2 Tim.* 1: *PL* 103, 238 D. RABANUS MAURUS, *En. in Ep. Pli,* 23, 4: *PL* 112, 615 BC. HAYMO ALTISS., *Exp. in Ep. Pli, 1 Tim.* 4: *PL* 117, 794 A. LANFRANCUS, *In 2 Tim.*: *PL* 150, 361 A. S. BRUNO (?), *In 1 Tim.* 4: *PL* 153, 447 B, et *In 2 Tim.* 1: col. 460 D. HERVAEUS BURDIG., *In 1 Tim.* 4: *PL* 181, 1430 B, et *In 2 Tim.* 1: col. 1451-1452. S. THOMAS, *In 1 Tim.* 4, 14, lect. 3; *In 2 Tim.* 1, 6, lect. 3; *Summa Theol.* 2 2^{ae}, q. 184, a. 5, etc.

(G) Dicitur simpliciter « *Docet* Sancta Synodus... ». Ad Congregationem Generalem pertinet addere, si placet: « solemniter ». Declaratio de sacramentalitate fere ab omnibus Patribus petita est. Die 30 oct. 1963, quaestioni: « Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut dicatur episcopalem consecrationem summum gradum sacramenti Ordinis constituere? », responderunt: Placet: 2.123; Non placet: 34.

Potius autem quam *supremus gradus sacramenti* Ordinis, Episcopatus dicendus est eius *plenitudo* seu totalitas, omnes partes includens: *Animadv.,* p. 87; plenitudo sacerdotii cui presbyteri deinde participant: *Animadv.,* p. 87; plenitudo sacramenti Ordinis, vel ipsum sacramentum Ordinis: *Animadv.,* p. 88; E/758 (38 Epp.); E/894; E/630; E/803; [86]
E/816; E/629, etc.

Quod autem per consecrationem episcopalem *datur gratia Spiritus Sancti,* clare affirmatur in Traditione. Verba *Trad. Apost.* 2, ed. BOTTE, p. 27, sic sonant: « Consentientibus omnibus imponant super eum manus et presbyterium adstet quiescens. Omnes autem silentium habeant orantes in corde propter descensionem Spiritus ». Cf. *De Aleatoribus,* 4, inter Opera S. CYPRIANI: *PL* 4, 905 A; HARTEL III, 3, p. 94, 16-18: « Episcopium, id est Spiritum Sanctum, per impositionem manuum, cordis excepimus hospitio ». Pro S. IO. CHRYSOSTOMO impositio manuum, de qua in Ep. ad Tim., est consecratio episcopalis, conferens Ti-

[86] motheo charisma speciale, quod soli Episcopi conferre possunt: cf., praeter i. c. ex *1 Tim.* Hom. 13, 1 etiam *In Phil.*, Hom. I, 1: *PG* 62, 183.

Certum est quoque consecrationem episcopalem saepe datam esse subiecto qui non erat sacerdos, ut patet ex documentis citatis in textu priore, ed. 1963, sub nota 13, p. 35.

(H) In *Suggestionibus,* missis a S. Pontifice proponitur, ut n. 21, in media alinea altera, de muneribus Episcoporum docendi et regendi dicatur, quod « *natura sua* nonnisi in communione... exerceri possunt ». *Admittitur.* Ex se enim haec munera in communione cum Collegii Capite et membris exerceri debent. Notatum insuper est in disceptatione quod munera illa *de facto* apud orthodoxos exercentur, sed in explicationem theologicam et canonicam huius facti non videtur intrandum.

(I) Textus prior, ut plures Patres notaverunt, sic intelligi posset, quasi sola potestas sanctificandi in sacramento Ordinis diceretur conferri, dum plurimi putant potestates Episcoporum omnes, vel omnia eorum munera, saltem virtualiter seu radicaliter, per consecrationem communicari. Ita *Animadv.*, p. 85; p. 86; p. 88; E/672; E/718 (14 Epp.); E/729 (16 Epp.); E/734; E/855; E/822; E/832 (16 Epp.), etc. Cf. etiam PAULUS Pp. VI, Homelia in Bas. Vaticana, die 20 oct. 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), p. 1014.

Commissio, discussione instituta et suffragio facto, statuit affirmare consecrationem episcopalem tria munera conferre. Censuit, pro munere docendi et regendi, non esse interponendam formulam *saltem radicitus,* quae forsan non recte intelligeretur. Addidit tamen quod Episcopi haec munera exercere non possunt, nisi in communione cum collegii sui Capite et membris. Quibuscum compara dicta sub numero sequente. Ulteriores vero explicationes non putavit apponendas.

Textus liturgici clare affirmant varia illa munera, etiam « pascendi », per consecrationem episcopalem tribui, ut patet ex *Sacramentario Leoniano,* ex Rituali *Coptico, Chaldaico, Antiocheno,* etc. Quae documenta cf. in textu priore ed. 1963, sub nota 10, pp. 34-35. Alii textus inveniuntur in *L'Episcopat et l'Eglise universelle,* Paris 1962, pp. 770-780.
[87] Ita in *Trad. Apost.* 3: ed. BOTTE, p. 29: « ... pascere gregem sanctam tuam... »; *Canones Hippolyti,* apud F. CABROL et H. LECLERCQ, *Reliquiae liturgicae vetustissimae,* I, 1, Paris 1913, p. 264: « ... ut mereatur pascere gregem tuum magnum sacrum... »; *Euchologion Serapionis,* ed. FUNK, *Didascalia,* II, Paderborn 1905 (1959), p. 190: « ... qui pascat gregem tuum... »; Sacramentarium Gelasianum, apud C. MOHLBERG, *o. c., Liber Sacr. Rom. Eccl.,* p. 121 s.: « Da eis, Domine, clavis (sic) regni coelorum. Utantur ne(c) glorientur potestatem,

quam tribues in aedificacionem, non in destruccionem... Sint fideles [87]
servi prudentes, quos constituas tu, Domine, super familiam tuam... ». Formulae illae quoad substantiam in Pontificali Romano servatae sunt.

(K) De *charactere* statim fit mentio, simul cum gratia Spiritus Sancti, ut petierunt non pauci Patres, i. a. *Animadv.,* p. 88; E/630. Attamen character non ponitur ante gratiam, ut idem ordo servetur ac in Concilio Tridentino. Verba praescindunt a quaestionibus disputatis, quae a quibusdam Patribus tanguntur.

(L) Rursus exprimitur relatio sacerdotii episcopalis ad Christum, ut a pluribus petitum est. Episcopi autem dicuntur agere in persona Christi, non tantum Pontificis, sed etiam Magistri et Pastoris: totale enim munus Episcoporum est exprimendum.

Superioritas Episcopi super presbyteros non ex professo effertur, quia iam satis patet ex eo quod Episcopatus est plenitudo Ordinis. Similiter deletur incisa quod Episcopus non potest rursus fieri laicus, quia eius dignitas potius positivo modo est exprimenda.

(M) Quod solus Episcopus possit ordinare, petit ut affirmetur *Animadv.,* p. 70 et p. 87; vel saltem quod ipse solus possit Episcopos consecrare, E/629; E/745.

Dicitur in textu quod soli Episcopi novum membrum in corpus episcopale adsumere possunt. Commissio statuit nihil esse declarandum de quaestione utrum solus Episcopus possit sacerdotes ordinare, ideoque non solvit quaestionem iuris neque facti. De ordinationibus a sacerdotibus celebratis, cf. Denz. in nova editione, n. 1145 et 1290, coll. cum Conc. Trid., Sess. 23, can. 7, Denz. 967 (1777).

Consecratio episcopalis novum electum ad corpus episcopale aggregat. Ita iam aliquid dicitur de Episcopis titularibus, ut petiit i. a. E/689, necnon *Animadv.*, p. 66. De conditionibus ut quis sit membrum Collegii episcopalis expresse dicitur sub n. 22.

Relatio de n. 22, olim n. 16

De Subcommissione V vide Relationem generalem.

(A) Omittuntur verba *in Evangelio,* utpote grammaticaliter non recte disposita, necnon inutilia, cum probatio biblica iam praecedat sub n. 19 (olim 12). Ex desiderio autem S. Pontificis petitum est a Pont.
Commissione Biblica, utrum in initio huius numeri 22 dici posset *Sta-* [88]
tuente Domino S. Petrum et ceteros Apostolos unum collegium apostolicum constituere. Responsum Commissionis Biblicae est positivum. Secundum eandem Commissionem, sequens assertio quae eandem rem Romano Pontifici et Episcopis applicat, in Scriptura *fundamentum* ha-

[88] bet, in quantum voluntas Domini manifesta est, ut « collegium apostolicum a se fundatum, maneat usque ad consummationem saeculi ». Sed ex sola Scriptura *modus exsecutionis* non absolute constare dicitur. Quod ceterum in textu Schematis non asseritur. E contra ibi invocantur indicationes et demonstrationes ex doctrina et vita Ecclesiae.

(B) Loco *alii* ponitur *ceteri,* secundum petitionem plurium Patrum, v. g. Epp. Venezuel.; Epp. linguae Germ. et Scand.; Epp. Reg. Paris., ut melius indicetur qualitatem « Apostoli » sive Petro sive aliis pariter convenire.

(C) Proponitur in *Suggestionibus* missis a S. Pontifice, ut post « concilia celebrata », quod l. 23 legebatur loco « concilia coadunata » addatur *praesertim oecumenica.* Haec insertio *admittitur,* sed in aptiore loco videtur ponenda. Lin. 19 enim agitur unice de *perantiqua* disciplina. Quapropter textus ita componitur: « ... itemque concilia *coadunata,* per quae et altiora quaeque in commune statuerentur..., ordinis episcopalis indolem et rationem collegialem significant. *Quam manifeste comprobant Concilia oecumenica decursu saeculorum in Ecclesia celebrata. Eandem vero iam innuit ipse usus, antiquitus inductus...* ». Argumentum ex Conciliis oecumenicis tamen non est necessario unicum; a. v. assertio Commissionis positive non exclusive intelligitur.

(D) In hoc novo textu inducitur indoles et ratio collegialis totius Episcopatus *duplici ex capite,* nempe ex communione interecclesiali iam antiquitus vigente (de qua etiam in textu priore quaedam verba dicebantur, lineis 19-24), et ex conciliis in quibus de negotiis ecclesiasticis in communi ab Episcopis decernebatur. *De Conciliis* cf. in specie: Eusebius, *Hist. Eccl.* VI, 33, 2; VI, 37; VI, 43, 2-3 et 21; VII, 28-30; *GCS* II, 2, p. 588; 592; 612 et 622 s.; 702 ss.; Bardy, II, p. 136; 139; 153 et 159; 212 ss. Tertullianus, *Pudic.* 10: *PL* 2, 1000 BC; *CSEL* 20, p. 240, lin. 12-13. S. Cyprianus, *Epist.* 1, 2; 55, 6-7; 56, 2-3; 57, 1; 67, 6: Hartel, III, 2, p. 466 s.; 627 s.; 694; 650; 741; Bayard, (Coll. Budé) p. 3; 134 s.; 153 s.; 154; 232.

(E) Hisce verbis paululum immutatur sententia textus prioris quia hic plus insistitur in requisita *praesentia* plurium Episcoporum ubi agebatur de elevando novo electo ad summi sacerdotii ministerium, quam in *parte activa* eorum in ipsa consecratione novi Episcopi, de qua historice haud tota certitudine constat. Cf. *Trad. Apost. Hippolyti,* n. 2, ed. Botte, p. 26. Cf. etiam Conc. Nicaenum, Can. 4: *Conc. Oec. Decr.,* ed. Herder, 1962, p. 6.

(F) *Duo* hic affirmantur *requisita* ad hoc ut quis sit membrum colle-
[89] gii episcopalis, nempe consecratio sacramentalis et communio cum Collegii capite aliisque membris, secundum petitionem plurimorum Patrum.

Recolatur Responsum Patrum in Aula, die 30 oct. 1963, ad Quaestionem 2: « Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut dicatur omnem episcopum legitime consecratum in communione Episcoporum et Romani Pontificis, qui est eorum caput et principium unitatis, membrum esse Corporis Episcoporum? ». Responderunt Placet: 2.154. Non placet: 104. [89]

(G) Fit nova alinea, ut haec periodus coniungatur cum verbis subsequentibus, ubi sermo fit de Collegio *in ordine agendi,* potius quam cum verbis praecedentibus, ubi Collegium considerabatur praeprimis *in ordine ontologico.*

De nomine *Collegii,* vel *Ordinis,* vel *Corporis* Episcoporum notentur sequentia:

Nomen antiquissimum est *Ordo* Episcoporum; cf. TERTULLIANUS, *Adv. Marc.* 4, 5: *PL* 2, 366; *CSEL* 47, p. 430, lin. 20-21; *Praescr. Haer.* 32: *PL* 2, 44; *CSEL* 70, p. 39, lin. 3-5. S. CYPRIANUS terminos *corpus* et *collegium* introducit, *Epist.* 68, 34: HARTEL, III, 2, p. 746 s. OPTATUS MILEV. terminum *episcopale collegium* ut technicum adhibet, *Contra Parmen. Donat.* 1, 4: *CSEL* 26, p. 6, lin. 1-2. Cf. *ibid.* 3, 12 et 7, 6; p. 99-100 et 179 s. Testimonia uberius citantur in T. P., sub nota 28, p. 37, ed. 1963.

Compleatur enumeratio per usum vocis *collegii* episcoporum apud COELESTINUM Pp. I, v. g. *Epist.* 13, 5. ad Nestor.: *PL* 50. 447 A; SCHWARTZ, *Acta Conc. Oec.* I, 2, p. 9, lin. 19-22: « ab universitate collegii et conventu christianorum te prorsus esse seiunctum » *ibid.* n. 10: col. 484 AB; p. 12, lin. 1-4: « a nostro collegio, cum quibus tibi non potest esse communio, te intelligant separatum ». *Epist.* 18, 1-2, ad Conc. Ephes.: *PL* 50, 507 B; SCHWARTZ, p. 23, lin. 27-29: « hoc nobiscum omne in commune collegium ». *Epist.* 22, 8, ad Patres Conc.: *PL* 50, 543 B; SCHWARTZ, p. 101, lin. 5-7: « se in nostro collegio noverint non futuros ». Cf. J. LÉCUYER, *Le Collège des Evêques selon le Pape Célestin I: Nouv. Rev. Théol.,* 86 (1964), pp. 250-259.

Cf. etiam S. LEO M., *Epist.* 5, 2, ad Episc. Illyr.: *PL* 54, 615 B: « cum his qui nobis collegii charitate iuncti sunt ». *Epist.* 6, 1, ad Anast.: *PL* 54, 617 A: « fraterni collegii charitas ». *Epist.* 12, 2, ad Epp. Afr.: *PL* 54, 647 BC: « gravi semetipsum afficit damno qui in suum collegium assumit indignum ». R. P. FELIX II, *Epist.* 11, 3, apud GUENTHER, Coll. Avell., *CSEL* 35, 1, p. 157, lin. 20 s.: « a sacerdotali collegio et sacrosancta communione suspendimus... ».

In CONC. VAT. I, declar. GASSER, ante votum 18 iulii 1870: MANSI 52, 1213 B: « totum corpus Ecclesiae docentis iunctum cum suo ca-

[89] pite ». *Ibid.* 1214 A: « cum fieri non possit quod corpus Episcoporum separaretur a suo Capite ».

[90] (H) Proponitur in *Suggestionibus* missis a S. Pontifice, ut hoc loco addatur: Corpus Episcoporum auctoritatem non habet, nisi simul cum... capite eius intelligatur, *huiusque integre manente potestate primatus in omnes sive Pastores sive fideles.* Haec additio *admittitur.* Correspondet incisa superaddita *Quaestioni 3ae*, cui die 30 oct. 1963, Patres responderunt: Placet: 1.808; Non placet: 336. Ponitur *huiusque* ratione connexionis cum praecedentibus; ponitur *primatus* pro *primatialis* ratione imprimis latinitatis; dicitur denique *manente* loco *servata,* quia prima vox est accuratior in contextu.

(I) Additur *enim,* ut melius pateat consecutio idearum.

(K) Loco *per se* ponitur *vi muneris sui,* ne falso intelligatur posse « per accidens » dari suprema potestas sine Papa.

(L) Additur *suprema,* ne videatur potestas Papae esse aliquatenus minor potestati Collegii episcopalis, quae paulo infra appellatur « suprema ». Sic etiam clare patet quod *Romanus Pontifex, ad exercendam suam potestatem, ab Episcopis non dependet,* nec quoad actionem incipiendam, neque ad eam prosequendam. Potestatem enim suam directe a Christo accipit; ideoque Episcopi eum cogere non possunt.

(M) Proponitur in *Suggestionibus* a S. Pontifice missis ut in linea 41 § *Collegium* prosequatur textus: « Romanus enim Pontifex habet in Ecclesi*am, vi muneris sui, Vicarii scilicet Christi et totius Ecclesiae Capitis,* plenam, *supremam* et universalem potestatem, *quam semper libere exercere valet* ». *Admittitur* cum leviori emendatione, scilicet: dicitur secundum suggestionem: in Ecclesi*am,* sicut paulo infra, lin. 9-10, etiam de Ordine Episcoporum dicitur. Loco tamen « Ecclesiae *Capitis* » in hoc contextu dicitur: « totius Ecclesiae *Pastoris* », ut expressio sit magis concors cum locutione biblica, secundum quam Christus dicitur *Caput* Corporis, Petrus vero *Pastor* gregis, cf. *Io.* 21, 16-17: « Pasce agnos meos... pasce oves meas ».

Dicitur simpliciori modo « semper libere » (deleto « et »), ne impressio ingeratur acsi Rom. Pontifex arbitrarie et continuo in regimine Episcoporum interveniat. In *Relatione* autem ad n. 22, explicite dictum est quod Romanus Pontifex ad exercendam suam potestatem ab Episcopis non pendet, neque ad actionem incipiendam neque ad eam prosequendam; a. v. Episcopi eum cogere non possunt. Assertio illa itaque *in ipsum textum* nunc inseritur, ad praecavendas quascumque difficultates. Romanus Pontifex igitur suos collaboratores cum plena libertate eligit sive ex Episcopis sive ex aliis, secundum suam prudentiam, de qua ipse est iudex.

(N) Immutationes in hac periodo inductae generatim respiciunt stylum vel terminologiam. Attendendum est autem quod in locutione « indivisum subiectum » (T. P. 64, lin. 4 s.), omittitur vox *indivisum,* ne falso intelligatur Romanum Pontificem non posse suam plenam et supremam potestatem exercere independenter ab actione Episcoporum. [90]

Discussione autem instituta in Commissione Doctrinali, servata est expressio *una cum capite suo,* qua ceterum etiam patet subordinatio Episcoporum erga Romanum Pontificem, qui dicitur eorum *caput.* Verba Relatoris ZINELLI, in CONC. VAT. I, MANSI 52, 1109 C, exscribuntur in textu priori sub nota 29, p. 38, ed. 1963. [91]

(O) Proponitur in *Suggestionibus* a S. Pontifice missis, additio post verba lin. 9 s. *in universam Ecclesiam exsistit.* Commissio proponit ut legatur: « ... numquam sine hoc capite, subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam existit; *quae quidem potestas independenter a Romano Pontifice exerceri nequit* ». *Suggestio* quidem erat ut diceretur: « iuxta capitis ordinationem exercendae ». Sed haec formula excludebat ordinationem in Concilio statutam et a Romano Pontifice approbatam. Unde alii proposuerunt ut adhiberetur sententia, quae Quaestioni 3ae et 4ae diei 30 oct. 1963, ut « Nota 1a » adiecta erat, scilicet « Potestatis Corporis Episcoporum actuale exercitium regitur ordinationibus a Romano Pontifice approbatis ». Commissio tamen praetulit formulam primam utpote clariorem et simpliciorem.

(P) Loco *Petrum* dicitur *Simonem,* ac omisso *seu rupem,* additur: *et clavigerum*; quae vocabula adamussim congruunt cum textu Mt. allegato.

(Q) Hisce verbis, quae fere ad unguem desumuntur ex relatione KLEUTGEN in CONC. VAT. I, indicatur differentia inter Caput et membra intra ipsum collegium. Alii textus qui de eadem re in CONC. VAT. I occurrunt, nempe in Schemate II *de Ecclesia Christi,* c. 4; Relatio KLEUTGEN et declaratio ZINELLI: MANSI 53, 310; 53, 322 B et 52, 1110 B, exscribuntur in textu priore sub notis 30-32, p. 38 s., ed. 1963.

Ex mandato autem S. Pontificis Pont. Commissio Biblica interrogata fuit, an probatum sit id quod in medio numero 22 dicitur, vid.: « illud ligandi et solvendi munus quod uni Petro datum est, collegio quoque Apostolorum, suo Capiti coniuncto, tributum esse constat ». Responsum Pont. Commissionis Biblicae quoad *parallelismum* est *positivum.* Sed eadem Commissio advertit quod exegetae *non concordant* de praecisa interpretatione huius « potestatis ligandi et solvendi », et speciatim utrum haec potestas fuerit suprema in universam Ecclesiam. Quapropter Commissio Doctrinalis, lin. 15, suppressit particulam « *enim* », quae videbatur introducere sequentia tamquam demonstrationem com-

[91] pletam. Insuper statuit ut ad referentiam *Mt.* 18, 18 addatur referentia ad *Mt.* 28, 16-20, ubi ad Undecim dicit Dominus: Data est Mihi omnis potestas... euntes ergo... et ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Denique statuit ut in *Relatione* summatim indicarentur, praeter fundamenta biblica iam alibi indicata, etiam testimonia Traditionis, Conciliorum v. g. in Prologo « Pastor Aeternus » DENZ. 3050, vitae Ecclesiae, etc.

Interea recolantur illa quae in CONC. VAT. I sine contradictione
[92] officialiter prolata sunt. Cf. Schema Const. dogm. II, *de Ecclesia Christi,* c. 4: MANSI 53, 310: « Illud enim ligandi et solvendi pontificium, quod Petro soli datum est, collegio quoque Apostolorum, suo tamen capite coniuncto, tributum esse constat, protestante Domino: " Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis..." ». Recolatur etiam Relatio ZINELLI: MANSI 52, 1109 CD: « ... concedimus libenter et nos, in concilio oecumenico sive in Episcopis coniunctim cum suo capite *supremam* inesse *et plenam ecclesiasticam potestatem in fideles omnes*: utique Ecclesiae cum suo capite coniunctae optime haec congruit. Igitur Episcopi congregati cum capite in Concilio oecumenico, quo in casu totam Ecclesiam repraesentant, *aut dispersi, sed cum suo capite, quo casu sunt ipsa Ecclesia vere plenam potestatem habent...* ». Illud autem quod Relator ita corpori Episcoporum agnoscit, utpote ab omnibus agnitum, deinde etiam pro Romano Pontifice vindicat, propter verba Christi ad solum Petrum.

(R) Immutationes in hac periodo inductae perficiunt et complent tantum stylistice textum receptum, secundum vota plurium Patrum.

(S) Ponitur *ipso* loco « Collegio illo », ne vox Collegium repetatur.

(T) Supprimuntur verba lin. 17: « sub eius suprema auctoritate », quia iudicio Commissionis superflua videntur, utpote saepius dicta.

Propositum fuit in *Suggestionibus* a Papa missis, ut in verbis: « principatum Capitis sui fideliter servantes » loco verborum: *Capitis sui,* nempe collegii Episcoporum, diceretur: « Capitis Ecclesiae ». Commissio Doctrinalis fere unanimiter censuit potius *standum esse textui,* quia in toto contextu agitur de relatione Collegii Episcoporum cum Romano Pontifice, deque huius capitalitate in *collegio.* A. v. idea expressa recolit verba CONCILII VATICANI I, DENZ. 1821 (3051), ubi ponitur B. Petrus, eiusque successor tamquam principium perpetuum et visibile unitatis corporis Episcoporum.

(U) Omittuntur verba de Concilio ut *extraordinario*, ne praeiudicium feratur in quaestionem disputatam, utrum nempe actus collegialis extra-conciliaris sit *ordinarius.* Neque dirimitur quaestio utrum exercitium Magisterii universalis per Episcopos in orbe terrarum degentes,

sit actus proprie collegialis an non. Affirmatur simpliciter aliquis parallelismus actus collegialis tum intra tum extra Concilium. [92]

(V) Propositum fuit ut in fine num. 22 loco *vel libere recipiat* poneretur « et de eius acceptatione certo constet », quo melius inculcarentur partes necessariae quae in tali actu competunt Capiti Romano Pontifici. Sed observatum est quod hoc modo quaestio *de existentia* obiectiva actus collegialis permisceretur cum quaestione de eius *dignoscibilitate*. Quapropter textus prior clarior visus est; ideoque omnibus in Commissione placuit eum servare.

In *Suggestionibus* autem a Papa missis proponitur, ut in fine eiusdem numeri loco verborum: « dummodo Caput collegii eos ad actionem collegialem invitet » dicatur: « dummodo *ipse* (Papa), *uni Domino devi(n)-* [93]
ctus, eos ad actionem collegialem *vocet* ». Haec ultima expressio « *vocet* » libenter *acceptatur,* quia etiam in iuramento Episcoporum adhibetur. Incisum autem « uni Domino devinctus » Commissioni *non placuit*:

a) quia duae priores novae insertiones eam *inutilem* reddunt, scilicet: « Papa semper libere agere potest », et: « potestas Episcoporum independenter a Romano Pontifice exerceri nequit ». Sensum enim insertionis « uni Domino devinctus » videtur in intentione suggerentium praecise excludere altiorem auctoritatem humanam, quam Romanus Pontifex observare deberet;

b) quia formula est *nimis simplificata*: Romanus Pontifex enim etiam observare tenetur ipsam Revelationem, structuram fundamentalem Ecclesiae, sacramenta, definitiones priorum Conciliorum, etc. Quae omnia enumerari nequeunt. Formulae huiusmodi de « solo » vel « uno » cum maxima circumspectione tractandae sunt; secus innumerabiles excitant difficultates. Unde ne postea longiores et complicatae explicationes de tali formula praeberi debeant, Commissio censuit melius ab illa abstineri. Ratio est etiam ordinis psychologici, ne, unam partem pacificantes, alteram in novam anxietatem inducamus, praesertim quod spectat relationes cum Orientalibus, ut apparet ex historia aliae formulae, nempe « ex sese et non ex consensu Ecclesiae ».

Relatio de n. 23, olim n. 17

(A) Loco vocis *rationibus,* censuit Commissio ponere in titulo vocem clariorem *relationibus,* quidquid sit de latinitate.

(B) In *Suggestionibus* a S. Pontifice missis proponitur, ut n. 23, in secunda phrasi, supprimantur particulae « Sicut » et « ita », et simpliciter iuxtaponantur duae phrases. *Acceptatur.* Comparatio non nisi aliquem parallelismum manifestum indicare volebat, quin aliquid sugge-

[93] reretur *de modo quo* respective Romanus Pontifex in universa Ecclesia, Episcopus vero in *sua Ecclesia,* esset centrum unitatis.

(C) Loco *multitudinis* (T. P. lin. 4), dicitur *fidelium multitudinis,* quo pressius ad textum Conc. Vat. I accedatur, DENZ. 1821 (3050 s.).

(D) Additur *unitatis,* ad recolendum quod Episcopi, utpote Collegium efformantes, unitatem Ecclesiae exprimunt. De unitate Ecclesiae, respective in Episcopo et in Romano Pontifice, cf. i. a. sequentia testimonia et documenta: S. IGNATIUS, *Philad.* 3, 2 et 8, 1: FUNK, I, pp. 266 et 270. S. CYPRIANUS, *Epist.* 33, 1; 66, 8; 69, 3: HARTEL, III, 2, p. 566; 733 et 752. IDEM, *De cath. Ecclesiae unitate,* 4-6: HARTEL, III, 1, p. 212 s. S. LEO M., *Serm.* 4: *PL* 54, 149 ss. IDEM, *Epist.* 14, 11: *PL* 54, 676. MARTINUS V, Bulla *Inter cunctas,* 5-6: DENZ. 657-658 (1247-1248). Epist. S. OFFICII ad Epp. Angliae, 16 sept. 1864: DENZ. 1686 (2886). CONC. VAT. I, *l. c.* Sess. IV, Const. Dogm. I. *De Ecclesia*
[94] *Christi,* c. 1: DENZ. 1821 (3050). *Ibid.* c. 3: DENZ. 1827 (3060). *Ibid.* c. 4: DENZ. 1737 (3071). LEO XIII, Epist. Encycl. *Satis cognitum*: DENZ. 1960 (3308). Epist. *Testem benevolentiae,* 22 ian. 1899: *A.S.S.,* 31 (1898-99), p. 479; DENZ. 1976.

(E) Immutationes in hac pericopa (T. P., lin. 17-21) ad id factae sunt, ut, iuxta petitiones plurium Patrum, insinuaretur esse quoad regimen distinguendum inter Episcopum ut membrum Collegii et Episcopum ut singularem particulari Ecclesiae praepositum. Immutationes autem minoris momenti: supprimitur verbum *nonnisi* (lin. 19), ut superfluum; loco autem *extendit* (lin. 21) ponitur *exercent,* quo melius indicetur functio propria Episcoporum in suis Ecclesiis. Sollicitudo pro universa Ecclesia dicitur pro eis oriri *ex Christi institutione et praecepto,* secundum textum PII XII in *Fidei Donum,* qui citatur in T. P., sub nota 39, p. 40, ed. 1963.

(F) Loco *actus* (T. P., lin. 23), ponitur *exercitium,* ut magis consonum cum voce *sollicitudine.*

(G) Loco *disciplin*ae (T. P., lin. 27), ponitur *disciplin*am, ut discrimen appareat inter unitatem fidei, quae omnino eadem est pro universa Ecclesia, et unitatem disciplinae: haec enim, etsi in multis necessario communis est pro omnibus, in quibusdam tamen propria est pro particularibus Ecclesiis, quin tamen huiusmodi peculiaritates communem disciplinam ullatenus infringant.

(H) Loco *partem* (T. P., lin. 37), ponitur *portionem,* utpote modo loquendi theologico magis respondens.

(I) Additur *ipsi,* ut clarius exprimatur subiectum huius periodi, quae cum praecedenti coniungitur.

(K) Advertatur quod citatio S. Basilii, in textu priore allegata, non [94]
est S. Basilii sed Pseudo-Basilii.

(L) Nova formula substituit antiquiorem (T. P., lin. 7-11), duabus hisce rationibus: *a*) quia *suprema ordinatio operis missionum* non pertinet ad contextum huius numeri; *b*) quia ad hunc locum pertinet tantum affirmatio *sollicitudinis missionariae,* qua, diverso quidem modo, omnes adstringuntur Episcopi, praeprimis Romanus Pontifex, ut ex verbis citatis LEONIS XIII patet. Cf. etiam S. BERNARDUS, *De Consideratione,* III, 1: *PL* 182, 757-760. THOMAS A IESU (1564-1627), *De procuranda salute omnium gentium,* Romae 1940, II, pp. 67-68.

(M) Ponitur *messis operarios,* quo melius inculcetur officium Episcoporum destinandi suos subditos, imprimis sacerdotes, ut universale opus missionale ad effectum deducatur.

(N) Additur haec nova pericopa de coniunctione plurium dioecesium in uno coetu organice constituto, ad indicandum factum historicum peculiaris relationis inter Ecclesias, quae communem habent originem, unde oritur arcta unio inter Episcopos illarum Ecclesiarum sub forma Patriarchatus, ut iam antiquitus praesertim in Oriente. Compara
formam Coetuum Episcopalium hodie in Occidente. Quod si tale [95]
factum in contextu collegialitatis episcopalis consideretur, eiusdem indoles et momentum theologicum melius illustrantur. De iure Patriarcharum cf. etiam S. GREGORIUM M., *Epist.* 43, ad Eulogium (Alexandrinum) et Anastasium (Antiochenum): *PL* 77, 774 AB, necnon *Epist.* 40, ad Eulogium: *ibid.* col. 798C-900C. Verba praecipua exscribuntur in T. P., sub nota 45, p. 41, ed. 1963.

RELATIO DE N. 24, ANTEA N. 18

(A) In titulo, loco « minist*eriis* », dicitur « minist*erio* », cum haec vox sensum ita habeat extensivum ut omnia complectatur munera Episcoporum, de quibus in subsequentibus numeris agitur (cf. E/929).

(B) Loco « mediantibus Apostolis » (T. P., lin. 39) adhibetur locutio *utpote Apostolorum successores.* Ita verbis minus rigidis concepta, eadem idea apte exprimitur (cf. E/550).

(C) Additur textus *Act.* 26, 17 s., ubi amplius, verbis S. Pauli, ministerium apostolicum describitur.

(D) Pericopae (T. P., lin. 4-9) nova datur structura minus implexa; in qua insuper non amplius sermo est de missione Apostolorum, Spiritui Sancto in priore textu improprie tributa, secundum petitionem E/590 et E/961. Nec amplius extollitur significatio linguarum ignearum (cf. E/550).

[95] (E) In T. P., lin. 17, inde a verbis « Episcoporum autem... » fit *nova alinea,* ut melius pateat transitus ad sequentia, quippe quae aliam habeant indolem ac praecedentia. Agitur enim nunc de designatione *singulorum* episcoporum, non de descriptione ministerii episcoporum in genere.

(F) Post verbum « missio » (T. P., lin. 17) additur *canonica,* ad enuntiandum quod missio de qua hic agitur alia est ab illa de qua supra.

(G) Duae formulae propositae sunt: *quo renuente* et *quo communionem apostolicam denegante.* Commissio statuit *ambas,* ut aequivalentes, adhibere.

Relatio de n. 25, antea n. 19

(A) Initio fit haec additio ad exprimendum munus docendi esse *praecipuum* Episcoporum munus, ut docuit Conc. Trident.

(B) Loco « praedicatores fidei » (T. P., lin. 26), dicitur « fidei *praecones* » ad vitandam nimiam assonantiam vocum « praedicatores... praedicant » in eadem periodo.

(C) Propositum fuit ut adderetur citatio *Lc.* 10, 16, ad indicandum exercitium muneris docendi Pastorum secum ferre officium adhaesionis
[96] ex parte gregis, sed Commissio praetulit referentiam ad *2 Tim.* 4, 1-4, de vigilantia Pastorum.

(D) Adduntur haec verba, quibus veneratio exprimitur quae Episcopis, prouti sunt testes fidei, *ab omnibus* debetur, ab iis etiam qui eorum subditi non sunt.

(E) Loco « ex ore Christi » (T. P., lin. 35), dicitur « *nomine* Christi », utpote magis appropriatum. Ubi inculcatur obligatio fidelium sententiam Episcopi amplectandi, agitur non de quacumque eius sententia, sed de doctrina fidei et morum; ideo additum est: *in huiusmodi rebus.*

(F) Omittuntur verba S. Ignatii M. « eique ut chordae citharae » (T. P., p. 67, lin. 36), et ponuntur verba clariora et magis concreta *eique religioso animi obsequio adhaerere debent.*

(G) Transferuntur ad hunc locum verba T. P. p. 69, l. 3-12, paucis inductis immutationibus ipsa transpositione requisitis, ut melius pateat de magisterio Romani Pontificis non-infallibili agi *in contextu magisterii totius corporis episcopalis,* quod est obiectum huius paragraphi.

(H) Loco « sed collegialem nexum servantes » (T. P., p. 67, l. 39 s.), ponitur « *communionis* nexum servantes », ad vitandam quaestionem disputatam utrum in magisterio ordinario et universali verificetur actus

stricte collegialis, prouti in Concilio Oecumenico habetur. Loco locutionis bis repetitae « una cum Romano Pontifice », ponitur semel in initio sententiae: « communionis *inter se et cum successore Petri* ». [96]

(I) Pro verbis: « in revelata fide tradenda » (T. P., pp. 67-68, l. 41-1), ponuntur verba « *res fidei et morum* docentes », ne videatur infallibilitas corporis episcopalis coarctari tantum ad ea quae ab eodem ut divinitus revelata credenda proponuntur. Additur tamen quod agitur de casu quo proponunt sententiam *tamquam definitive tenendam.* Pariter, in eadem linea, omittuntur verba *ut testes fidei,* cum illa qualitas Episcoporum in eorum magisterio authentico sat superque includatur.

(J) Loco verborum « infallibili oraculo » (T. P., p. 68, l. 2), quae aliquantulum modum loquendi paganorum fere magicum sapiunt, dicitur clarius *infallibiliter.* Declarationes in Conc. Vat. I factae de hac impossibilitate errandi exscribuntur in T. P., sub nota 48, p. 41, ed. 1963. Cf. etiam Comment. ad Constit. II *de Eccl.,* de duplici subiecto infallibilitatis, scilicet « Episcopatus una cum Romano Pontifice, et Romanus Pontifex solus e cathedra loquens »: Mansi 53, 325 A.

(K) Loco antiquioris formulae (T. P., p. 68, l. 7): « sincero animo accipi debent » haec ponitur, quo melius urgeatur adhaesio definitionibus Concilii debita. Quae talis est, ut *sinceram animi adhaesionem superet,* quippe quae, ubi de definitionibus agitur, obsequium fidei penitus attingat: quod quidem fidei obsequium gradus diversos admittit iuxta maiorem vel minorem relationem veritatis definitae cum divina Revelatione. Ad hunc disparem adhaesionis gradum, adhibetur formula [97]
generica « *fidei obsequio* », non autem: « fidei *divinae* obsequio ».

(L) Verba « In definitionibus suis... esse voluit » (T. P., lin. 8-11) aliter ordinantur et notabiliter *complentur,* ut haec duo indubitanter affirmentur:

a) Infallibilitas qua Christus Ecclesiam instructam esse voluit prorsus *identificatur* cum infallibilitate Ecclesiae docentis; et quidem: sive totius Episcopatus, sive singulariter Romani Pontificis.

b) *Obiectum infallibilitatis* Ecclesiae, ita explicatae, eamdem habet extensionem ac depositum revelatum; ideoque extenditur ad ea omnia, et ad ea tantum, quae vel directe ad ipsum depositum revelatum spectant, vel quae ad idem depositum sancte custodiendum et fideliter exponendum requiruntur, ut habetur in Conc. Vat. I: Denz. 1836 (3070), ubi de infallibilitate Romani Pontificis.

(M) In *Suggestionibus* proponitur ut supprimatur *Collegii Episcoporum Caput,* et ut addatur postea: « Romanus Pontifex, ut supremus

[97] *omnium christianorum* pastor... ». Suppressio de Capite Collegii Commissioni *non videtur opportuna*:

ex una parte non habet valorem restrictivum: consulto enim non dicitur « ut » vel « quatenus » caput collegii;

ex altera parte ordo idearum exigit hanc incisam, quia explicat quare in textu qui *de munere docendi Episcoporum* agit, tam fuse de potestate docendi Romani Pontificis fiat sermo. Ceterum statim postea, scilicet lin. 3-4, explicite dicitur de Romano Pontifice: « ut *universalis Ecclesiae* magister supremus ».

Admittitur autem additio « omnium christianorum » sed potius scribatur « christi*fidelium* ». Protestantes et Orthodoxi enim se « christianos » dicunt, sed generatim vocem « christifidelium » non adhibent.

(N) Verba « Qua ipse quoque... vel tuetur » (T. P., p. 68, l. 9-26), post attentum et serenum Commissionis examen, fere ex novo excussa sunt his criteriis prae oculis habitis, quae praepositionibus multorum Patrum respondent, videlicet:

a) de infallibilitate Romani Pontificis, de qua iam Conc. Vat. I claram definitionem dogmaticam protulit, hic agitur tantummodo ex iusta praeoccupatione dandi de eadem *congruam explicationem,* praesertim quod attinet ad verba quibus dicitur huiusmodi definitiones Romani Pontificis irreformabiles esse *ex sese, et non ex consensu Ecclesiae;* quae verba a pluribus acatholicis non recte intelliguntur. Explicatio igitur intentionem oecumenicam habet.

b) Haec autem congrua explicatio gradatim exhibetur: primo dicitur quaenam sit *ratio formalis irreformabilitatis* huiusmodi definitionum, videlicet assistentia Spiritus Sancti singulariter Romano Pontifici in beato Petro promissa; secundo, indicantur *duae consequentiae,* non adaequate distinctae, illius irreformabilitatis, quibus fit ut dictae defini-
[98] tiones nulla aliorum approbatione indigeant, nec ullam ad aliud iudicium (ne quidem ad aliud iudicium ipsius Romani Pontificis) appellationem patiantur.

c) Infallibilitas autem ex eo evenit quod Romanus Pontifex, quando ex cathedra loquitur, *non ut persona privata* sententiam profert, sed tanquam *magister supremus Ecclesiae* docet; in quo actu charisma infallibilitatis ipsius Ecclesiae ei singulariter inest, et ipse totam Ecclesiam repraesentat. Explicatio Gasser in Conc. Vat. I: Mansi 52, 1213 AC, exscribitur in T. P. sub notis 51-52, p. 42, ed. 1963.

d) Eadem infallibilitas agnoscitur quoque *Corpori Episcoporum,* quando *simul cum Romano Pontifice* definitionem profert. Quod ad obiectum praecipuum et directum huius paragraphi pertinet.

e) *Assensus autem Ecclesiae* ad huiusmodi definitiones nunquam

deesse potest propter *Spiritum Sanctum,* cuius assistentia definitiones ab errore immunes sunt, et cuius actione totus grex Christi eis adhaeret et in fide etiam *proficit.* Hoc autem valet de definitionibus, sive a Romano Pontifice, sive a Corpore Episcoporum cum eo prolatis, ita ut etiam definitiones Concilii *ex sese* irreformabiles sint et approbatione populi non indigeant, ut erronee plures in Oriente tenent, sed consensum totius communitatis secum ferant et exprimant. Explicatio GASSER in CONC. VAT. I: MANSI 1214 A, exscribitur in T. P., ed. 1963, nota 52, p. 42. *Ibid.* nota 49, p. 41, recitatur textus LEONTII HIEROS. (sub nomine LEONTII BYZANT.), *Contra Monophysitas*: *PG* 86, 1878 CD, in quo manifestatur certitudo Patrum de praesenti assistentia Spiritus Sancti in Conciliis. [98]

(O) In hac alinea affirmatur quod definitiones praedictae *cum Revelatione necessario concordant*; quod Romanus Pontifex et Episcopi definientes verbo Dei scripto et tradito conformari tenentur, ut explicat GASSER in CONC. VAT. I: MANSI 1216 D: « *eosdem fontes* habent quales habet Ecclesia »; et denique quod Magisterium *media apta investigationis* adhibere debet. Commissioni non placuit hic consultationem « theologorum et exegetarum » vel *peritorum* explicite nominari, sed simpliciter media apta indicari.

RELATIO DE N. 26, ANTEA N. 20

(A) Dicitur Episcopus *plenitudinem* sacramenti Ordinis habere, in conformitate cum expressione in n. 21 (olim n. 14) adhibita.

(B) Inseritur hic textus *de communitate eucharistica,* praesertim in Ecclesia locali, secundum decisionem Commissionis Doctrinalis (cf. Conspectus Generalis, die 22 oct. 1963, III, 5), rogantibus pluribus Patribus, i. a. *Animadv.,* p. 33; E/518; E/555, etc. Citationes in hoc novo textu allatae desumuntur ex nota 57 textus prioris, p. 43, ed. 1963. Consideratur autem Ecclesia particularis praesertim infra dioecesim, sive sit paroecialis, sive alia ratione convocetur, semper tamen sub dependentia ab [99]
Episcopo. In textu priore, sub nota 57, p. 43, latius exscribuntur textus S. AUGUSTINI de « Ecclesia quae facit Eucharistiam, deque Eucharistia quae facit Ecclesiam ». Cf. *ibid.* verba *Sacramentarii Gregoriani*: ed. LIETZMANN, p. 36: « ut inter membra Eius connumeremur, cuius corpori communicamur et sanguini ». S. HIERONYMUS, *Ad Iovin.* 2, 29: *PL* 23, 326: « Vis scire quomodo cum Christo unum corpus efficiamur? Doceat te Ipse qui condidit: Qui comedit meam carnem... ». Card. FRANZELIN, *Theses de Ecclesia,* p. 317: « Sacramentaliter Ecclesia non solum significatur sed efficitur corpus mysticum, unum in se et intime

[99] unitum cum Christo Capite, per unionem eucharisticam ». De Orientalibus: N. Afinissief, *L'Eglise qui préside dans l'amour,* in: *La Primauté de Pierre dans l'Eglise Orthodoxe,* Neuchâtel 1960, pp. 8-14.

(C) Haec expositio intendit magis enucleatam doctrinam proponere de munere sanctificandi Episcoporum, secundum suggestiones v. g. E/531; E/358, etc. Munus illud exercetur *oratione, praedicatione, sacramentorum administratione* et etiam *exemplo.*

(D) Descriptio sanctificationis per *sacramenta* modo magis ordinato proponitur, incipiendo *a baptismo,* cuius administratio ab Episcopo dirigitur et quocum Episcopus etiam liturgice coniungitur. Baptismo autem introducitur regale et commune sacerdotium, de quo antea sub nn. 10-11 (olim n. 24) fuit sermo.

(E) Pro *Confirmatione* Episcopus vocatur minister « originarius », ut ratio servetur etiam disciplinae Orientalis. Additur insuper munus Episcopi moderandi disciplinam poenitentialem.

Relatio de n. 27, antea n. 21

(A) Incipitur immediate a describendo munere regendi. Unde omittitur prima periodus (T. P., lin. 1 s.), ubi potius de *finalitate* illius muneris agitur. Ut autem illa descriptio completa evadat, loco « vera sacra potestate » (T. P., lin. 5 s.), dicitur « *auctoritate et* sacra potestate ». De Episcopis ut *Vicariis Christi* loquitur S. Cyprianus, *Epist.* 59, 5; 63, 14; 65, 4; 68, 5, 75, 16: Hartel, III, 2, p. 671 s.; 713; 729; 748; 821. Alia testimonia antiqua et mediaevalia recitantur in T. P., sub nota 59, p. 44, ed. 1963.

(B) Additur *in veritate et sanctitate,* ad explicandum in quonam consistat illa aedificatio gregis quae Episcopis competit.

(C) In *Suggestionibus* a Papa missis proponitur, ut loco *ultimatim regatur,* ponatur *coordinandum sit.* Quia tamen haec nova expressio *debilior* est quam praecedens, mutatio Commissioni *non videtur opportuna.*

(D) Nova redactio huius formulae, quae partim provenit ex T. P., p. 71, lin. 33-39, ad id tendit ut *tria munera,* potestati regendi inhae-
[100] rentia, iuxta terminologiam traditionalem recenseantur, scilicet leges ferendi, iudicium faciendi et variis modis administrandi.

(E) Verba T. P., lin. 25-32, immutantur per verba de *forma regiminis,* quae aptiora videntur ac cum illis a Conc. Vat. I adhibitis (Denz. 1822 [3054]) magis cohaerentia. Insuper non fit allegatio explicita Conc. Vat. I (p. 71, lin. 27).

(F) Adduntur haec verba S. Ignatii M., de *familia Dei,* ad indican-

dum nexum gubernii episcopalis cum ipsa Dei providentia, quae talis [100]
est ut omnes apud Eum filii simus, unde etiam Episcopi subditos suos ut filios considerare debent.

(G) Omittuntur verba [*acatholici*] *inter populum suum degentes* (T. P., p. 72, l. 5 s.). Non raro enim evenit quod non sint pauci acatholici qui inter populum catholicum degant, sed e contra numerus exiguus catholicorum in aliquibus regionibus inter multitudinem non catholicorum versetur. Insuper, loco « ovili » (*ibid.*), dicitur *grege,* quia haec vox aptior est ad indicandam Ecclesiam quam illa, quae in ore Christi restringi videtur ad populum iudaicum significandum.

(H) Loco *sapientibus et insipientibus* (T. P., p. 72, lin. 8), ponitur *cunctis*; in hoc enim contextu, ubi etiam de non-catholicis agitur, pro eisdem illa verba possent sonare veluti offensiva.

(I) Adduntur verba *2 Cor.* 4, 15, ad ostendendum quod totum Episcoporum regendi munus ut ultimum finem habet unam Dei gloriam.

Relatio de n. 28, olim n. 15 A

Praenotanda generalia.

1) Plures Patres postulant ut antiquus numerus 15, de Presbyteris et Diaconis, *post explanatam doctrinam de Episcopis* reponatur. Ita: E/522 cum 20 Epp.; E/636: Epp. Neerl.; E/698: Epp. Brasil.; E/706: Epp. Indon.; E/832: Epp. Venez.; necnon E/722; 753; 863. Hoc modo volunt obtinere ordinem magis logicum, dum locus in priori schemate Presbyteris et Diaconis assignatus continuitatem materiae rumpit. Accedit intentio proponendi presbyteratum tamquam de plenitudine Episcopatus participatum; cf. E/722.

2) Postulant similiter plurimi ut paragraphus de presbyteratu *amplificetur,* quia presbyteri partes conspicuas in via Domini exercent et quia optanda est profundior et latior expositio de fundamento dogmatico eorum muneris, etiam respectu habito ad schema *De Clericis.* Ita: E/600, 635, 702, 710, 727, 753, 773, 776, 800, 819, 844, 855, 863, 872, 891, 958, 1033, 1064, etc.

3) Tamquam *materiam tractandam* Patres illi indicaverunt:

a) Relationes inter presbyteros *et Christum.* Ita, praeter praedictos: E/550, 590, 596, 702, 803, 832.

b) Relationes inter presbyteros *et Episcopum.* Ita similiter prae- [101]
ter iam indicatos: E/505, 636.

c) Relationes inter presbyteros *ad invicem,* id est in « presbyterio » seu collegio presbyterorum. Ita i. a. E/836.

[101] *d*) Relationes presbyterorum *ad populum fidelium.* Ita i. a. E/708, 775, 825, 862.

Nova redactio secundum has indicationes confecta est.

Ad alineam 1: « Potestas sacra ».

Hic ponitur affirmatio generalis *introductoria.* Formula nova fere ad verbum ex E/708 desumpta est. Memoratur potestas tum ordinis tum iurisdictionis, quae ex missione Christi in Episcopis plene residens, vario gradu aliis ministris demandatur. Cf. et *Emend.,* nn. 243: 244; E/767. Quidquid sit de historico ortu presbyterorum, diaconorum vel aliorum ministrorum, necnon de sensu praeciso terminorum qui in Novo Testamento ad eos designandos adhibentur, asseritur ministerium divinitus institutum variis ordinibus exerceri, qui iam ab antiquo Episcopi, Presbyteri, Diaconi vocantur, cum referentia ad verba Concilii Tridentini, DENZ. 966 (1776). Cf. dicta in *Relatione* de n. 20. P. BENOIT, *Les Origines de l'Episcopat selon le Nouveau Testament,* in: *L'Evêque dans l'Eglise du Christ,* Paris 1963, pp. 13-57.

Ad alineam 2: « *Quamvis presbyteri* »: de relatione *ad Christum.*

Agitur *de presbyteris,* qui scilicet Episcopo subordinantur, ut exprimitur tum verbis INNOCENTII I, tum affirmatione quod presbyteri in potestate « sua » (et non tantum in potestate « regendi ») ab Episcopo pendent. Non placuit hic adhibere expressiones « secundi ordinis » vel « secundae dignitatis »: E/606; 708; 722; 863. Expressiones istae occurrunt in Praefatione Ordinationis sacerdotalis: « ... ut cum Pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis et operis adiumentum sequentis ordinis viros et secundae dignitatis eligeres ». Similiter dicitur in Schemate reformato pro CONC. VAT. I, cap. 4: MANSI 53, 310: « ... Episcopos... presbyteris tam ordine quam iurisdictione ex divina institutione superiores esse ». Cf. CONC. TRID., *De Sacr. Ordinis,* can. 7; DENZ. 967 (1777). Br. KLEINHEYER, *Die Priesterweihe im römischen Ritus. Eine liturgiehistorische Studie* (Trierer Theol. Studien, 12), Trier 1962.

Presbyteratus, vi sacramenti Ordinis, *ad Christum* sacerdotem refertur; quod iam innui videtur in verbis INNOCENTII I, qui voce positiva presbyteros « secundos *sacerdotes* » vocat in connexione cum Episcopatu. Dicitur autem *vi sacramenti Ordinis,* et non: « per impositionem manuum Episcopi et consecratoria verba », ut voluit *Emend.,* n. 251, ad vitandam scilicet quaestionem de traditione instrumentorum.

Ut iam dictum est in *Relatione* ad n. 10, vox « *sacerdos* » (hiereus) in Novo Testamento non adhibetur nisi de ipso Christo, de sacerdotibus
[102] Antiquae Legis et de Populo christiano, aliquando etiam de sacerdoti-

bus paganis (*Act.* 14, 13). Sacerdotis est sacrificia offerre. Cf. Relatio [102] de num. 10, sub litt. C. Cum iam in Novo Testamento et aevo postapostolico Eucharistia ut « sacrificium » intelligatur, et presbyteri ut rectores communitatis sint rectores Eucharistiae (cf. *Didachè,* 14-15: ed. FUNK, I, pp. 32-34; S. CLEMENS ROM., *Ad Cor.* 40, 1-5 et 44, 4: ed. FUNK, I, p. 150 et p. 156), sacerdotium ministeriale Novi Testamenti suam propriam dignitatem *a Christo* institutam ostendit. Functio rectorum communitatis (« presbyteri ») cum functione cultica (« sacerdotes ») coniuncta apparet. Ita in sacerdotio Novi Testamenti advertitur unio inter potestatem ordinis, seu sanctificationis, et regiminis, quae simul quamdam divisionem et gradationem pro necessitate temporum et locorum admittit. Nomen tamen « sacerdotis » antiquitus Episcopo reservatur, licet titulus aliquando etiam presbytero in actu suo cultuali tribuatur. Epocha autem carolina, appellatio Episcopis, saepius tamen presbyteris datur. Cf. P.-M. GY, *Vocabulaire antique du sacerdoce,* in *Etudes sur le Sacrement de l'Ordre* (Lex Orandi, 22), Parisiis 1957, pp. 125-145. In Oriente ministeria sacerdotalia, in cultu, missione et regimine exercita, ad dispensationem mysteriorum Dei (cf. *1 Cor.* 4, 1) seu ad opus « deificationis » pertinere dicuntur; in quo opere sacerdos « synergos » dicitur. Cf. S. GREGORIUS NAZ., *Apol.* II, 22: *PG* 32, 432 B, necnon Ps.-DIONYSIUS, *Eccl. Hier.,* 1, 2: *PG* 3, 372 CD. Testimonia ista exscribuntur in textu priore, sub nota 22, p. 36, ed. 1963. Cf. etiam quae habet Ps.-DIONYSIUS de ordinibus angelorum in *Coel. Hier.* 3, 2: *PG* 3, 166 AC.

Munus quo sacerdos *in persona Christi* agit, speciatim in cultu *eucharistico,* exhibetur verbis PII XII, Encycl. Litt. *Mediator Dei, l. c.*: « ... sacerdotem nempe idcirco tantum populi vices agere, quia personam gerit Domini Nostri Iesu Christi, quatenus membrorum omnium caput est, pro iisdem semetipsum offert, ideoque ad altare accedere ut ministrum Christi, Christo inferiorem, superiorem autem populo ». Cf. CONC. TRID., Sess. 22, DENZ. 940 (1743): « ... Idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit ». *Ibid.,* DENZ. 938 (1740): ut sacrificium crucis in sacrificio missae « repraesentaretur, ... permaneret, ... applicaretur... ».

Citatur denique participatio muneris sacerdotalis *Christi* apud presbyteros in *praedicatione* verbi, in administratione *sacramentorum,* i. a. poenitentiae et unctionis infirmorum, in *oratione* pro populo et *exemplo,* et in genere *in pascendo grege,* ut appareat presbyteratum non in solo cultu occupari, sed etiam in regimine pastorali, quod ad unitatem in caritate Christi dirigitur.

Ad alineam 3: « Presbyteri, ordinis »: de relatione *ad Episcopum.*

[102] In textu priori, p. 72, lin. 19-20, dicebatur Episcopus in presbyteros « gratiam *de sua paternae plenitudinis abundantia* transfundere », ver-
[103] bis scilicet ex Praefatione consecrationis sacerdotalis transsumptis. Qui modus loquendi pluribus Patribus minus aptus videtur: *Emend.*, nn. 245-250, E/550; 758; 773; 803; 832. Ideo nova redactio confecta est, in qua proprius fons sacerdotii indicatur *in sacerdotio Christi,* ut in praecedente alinea apparet, dum nunc solummodo in alinea 3, de relatione ad Episcopum fit sermo.

Presbyteri, qui in Novo Testamento semper numero plurali inducuntur, circa Episcopum aliquem *coetum cum eo cohaerentem* constituunt. De illo « presbyterio » cf. S. IGNATIUS M., *Philad.* 4: ed. FUNK, I, p. 266: « unum altare, sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis ». IDEM, *Trall.* 3, 1: ed. FUNK, I, p. 244: « ... presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum ». *Didascalia,* II, 28, 4: ed. FUNK, I, p. 109: « nam et ipsi [presbyteri] tanquam apostoli et conciliarii honorentur episcopi et corona Ecclesiae; sunt enim consilium et curia Ecclesiae ». S. CORNELIUS I Papa, apud S. CYPRIANUM, *Epist.* 48, 2: HARTEL, III, 2, p. 610: « Omni actu ad me perlato, placuit contrahi presbyterium ». S. CYPRIANUS, *Epist.* 61, 3: HARTEL, p. 696 s.: « Cum Episcopo presbyteri sacerdotali honore coniuncti ». Ipse loquitur de « compresbyteris suis », *Epist.* 14, 4: HARTEL, p. 512. *Statuta Ecclesiae antiqua,* 33 (35): *PL* 56, 880; MANSI 3, 954: « Ut Episcopus in Ecclesia in consessu presbyterorum sublimior sedeat; intra domum vero collegam se presbyterorum esse cognoscat ».

Episcopus igitur in collegio presbyterorum princeps est. Sine Episcopo non possunt baptizare: TERTULLIANUS, *Bapt.* 17, 1: *PL* 1, 1218; *CSEL* 20, 214; ed. REFOULÉ, *Sources Chrét.,* p. 89 s. Certis diebus missae Episcopi participare tenentur, secundum CONCIL. AVERNENSE (anno 541), Can. 15: MANSI 8, 862.

In hac alinea 3ª primum respicitur ad sacerdotium prout *in Ecclesiis localibus* exercetur, quae suo modo imagines sunt Ecclesiae episcopalis. Ita ponitur fundamentum paroeciae, ut pro aliis schematibus necessarium esse videtur. Ideo non statim de religiosis sermo esse potest. Presbyteri dicuntur *sub auctoritate* Episcopi et non proprie « nomine eius » munus suum pastorale exercere. Quod faciendo etiam ad bonum *totius Ecclesiae* respicere debent.

Relatio eorum cum suo Episcopo niti dicitur in *oboedientia* et *fiducia,* cui ex parte Praesulis respondet paternus et amicalis affectus. De quibus cf. S. IGNATIUS M., *Magn.* 3, 1; *Trall.* 12, 2: ed. FUNK, I, p. 232 et 250.

Plures Patres etiam *sacerdotes religiosos* commemoratos volunt, ut

eorum relatio ad ordinem episcopatus magis efferatur et consectaria [103] collegialitatis episcopatus magis appareant: i. a. E/710. Sacerdotum regularium coaptatio in ordine et ministerio explicite exhibetur, ut pateat de eorum statu et activitate in dioecesi.

De relationibus iuridice determinatis et in specie *de exemptione* illorum, vi cuius Romanus Pontifex eis directe missionem suam assignat, [104] non videtur hic agendum, cum in schemate dogmatico exspectatur theologica expositio de relatione religiosorum ad corpus episcopale, cuius caput est Romanus Pontifex. Cf. E/550; 863; 961. Mens Patrum esse videtur, ut unitas presbyterii in sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus exprimatur, eiusque relatio exhibeatur ad unicum sacerdotium et commune ministerium, quod a Christo per Summum Pontificem et Episcopos derivatur. Haec unitas presbyterii quaestionem de exemptione non tangit.

Ad alineam 4: de relatione presbyterorum *ad invicem*.

Affirmatur necessitas cooperationis fraternae in re spirituali, pastorali, et in ipsis curis materialibus.

Ad alineam 5: de relatione *cum fidelibus*.

Praeter curam communem erga fideles in Ecclesia Dei, quae in communitate locali praesens est, Concilium commendat etiam curam pro infidelibus evangelizandis, necnon pro baptizatis qui praxim sacramentorum, vel immo aliquando fidem amiserunt. Hoc votum expressit E/753.

Ad alineam 6:

Per modum conclusionis insistitur super *unitatem* in corpore presbyterali prosequendam, praesertim nostro tempore.

Relatio de n. 29

Paragraphus constat duabus alineis, quarum *prima* de *munere* diaconorum in genere agit, *altera* vero de restauratione diaconatus permanentis. Disceptatio in Aula, praesertim de hac altera quaestione, valde ampla fuit. Huius discussionis conspectus summarius in hac *Relatione* praebetur post notas explicativas de textu Commissionis.

Ad alineam 1.

(A) Quamvis unus Pater E/898, expositionem de diaconis supprimere voluerit, alius tamen, E/626, cum plurimis censuit Schema agens de constitutione hierarchica Ecclesiae *de eis silere non posse,* ratione habita i. a. Canonis 6 Sessionis 23 Concilii Tridentini: Denz. 966 (1776).

B) De diaconis *in S. Scriptura* fit simplex mentio *Phil.* 1, 1. Descri-

[104] buntur autem qualitates ab his ministris requisitae *1 Tim.* 3, 8-12. Quod attinet ad *Act.* 6, 1-6, inter exegetas non absolute constat viros de quibus ibi agitur diaconis nostris correspondere, quamvis in Traditione ut illorum exemplar considerentur. Quapropter textus *Act.* in Constitutione non citatur.

C) *De indole sacramentali diaconatus,* statutum est, postulantibus pluribus, v. g. *Emend.,* n. 259, E/550, 795, eam in Schemate caute indicare, quia in Traditione et Magisterio fundatur. Cf. praeter Canonem citatum Tridentini: Pius XII, Const. Apost. *Sacramentum Ordinis,*
[105] 30 nov. 1947: Denz. 2301 (3858-59). Ex altera tamen parte cavetur ne Concilium paucos illos recentes auctores, qui de hac re dubia moverunt, condemnare videatur.

D) Diaconi ex eo characterizantur quod in inferiori gradu hierarchiae, non ad sacerdotium, sed *ad ministerium* ordinantur. A S. Ignatio M., *l. c., Trall.* 2, 3: ed. Funk, I, p. 242, dicuntur ministri mysteriorum Iesu Christi, non ciborum et potuum diaconi, sed Ecclesiae Dei ministri. Prioribus saeculis arcte cum sacerdotali munere Episcopi coniunguntur: dum presbyteri circa Episcopum « senatum Dei » constituunt, diaconi « ad ministerium Episcopi » ordinantur. Cf. K. Rahner et H. Vorgrimler, *Diaconia in Christo. Ueber die Erneuerung des Diakonates* (Quaest. Disput. 15-16), Friburgi Brisg. 1962. Quapropter in Schemate dicitur: « in communione cum Episcopo eiusque presbyterio ».

E) De *officiis* diaconorum plures proposuerunt ut enumerarentur tanquam explenda « *praesertim in absentia sacerdotis* ». Quae tamen incisa non placuit. Etenim diaconi etiam praesentibus sacerdotibus varia officia in cura pastorali exercere possunt, v. g. quasi per modum probationis, antequam nempe ad sacerdotium promoveantur.

F) Indicantur officia diaconorum in primis *modo generali,* brevi sed gravi sententia, in triplici campo, scilicet « in diaconia liturgiae, verbi et caritatis »; quod deinde magis specificatur per « caritatis et administrationis officia ».

G) In *officiis* enumerandis occurrunt quaedam quae iam in disciplina hodie vigente diaconis committi possunt, ut sunt solemnis administratio baptismi, can. 741; sacrae communionis distributio, can. 845 § 2; praedicatio, can. 1342 § 1. Oportet tamen non solum ius hodie in Ecclesia latina vigens respicere, ut observat E/961; cf. etiam E/1897; sed simul alia concreta exempla afferre, ut postulavit i. a. E/581. Indicantur itaque quaedam ulteriora officia, quae sive in decursu historiae a diaconis suscepta sunt, sive quae iisdem in posterum a competente auctoritate assignari poterunt, ut benedictio matrimonialis, assistentia ad funera, etc. Plures Patres haec duo expresse significaverunt, quia magni momenti

sunt in aedificanda communitate christiana quae sacerdote caret. Ita de matrimonio locuti sunt: E/718, 728, 865, 1081; de funeribus: E/865. [105]

Iuvat etiam considerare textum Constitutionis, in CONCILIO TRIDENTINO, Sess. 6 iulii 1563, propositae circa officium diaconorum. Decretum horum ministrorum officia enumerat in divinis mysteriis et in Ecclesiae procuratione: baptizant et praedicant et opera caritativa regunt. Commendatur Patribus tridentinis, ut haec omnia magno studio et pietate restituant. Cf. S. EHSES, *Conc. Trid. Acta,* VI, Friburgi Brisg. 1924, p. 601, lin. 9-34.

Ad alineam 2.

A) Quinque Patres, quorum unus loquitur nomine 38 Episcoporum (Lusitaniae), nempe E/673, 758, 900, 926, 1515, textum de *restauratione diaconatus* permanentis voluerunt *omittere,* contradicentibus tamen pluribus. [106] Quaestio enim 5, die 30 oct. 1963 Patribus in Aula proposita, sic sonabat: « Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut opportunitas consideretur instaurandi diaconatum ut gradum distinctum et permanentem sacri ministerii, secundum utilitatem Ecclesiae in diversis regionibus? ». Responderunt *Placet*: 1.588, *Non placet*: 525.

Quaestio restringitur ad disciplinam hodie in Ecclesia latina vigentem, quin ulteriores indicationes historicae afferantur. Mens autem schematis *non* est ut huiusmodi instauratio pro tota Ecclesia praescribatur, sed ut possibilitas et facultas futurae evolutioni pastorali *aperiatur,* quin ista iam praeiudicetur. Textus itaque nullatenus impedit quominus status diaconatus in regionibus, ubi necessitas restaurationis non vere habetur, remaneat sicut est. Tanquam *principium* possibilis restaurationis, non universalis sed regionalis, unice statuitur necessitas vel utilitas pastoralis, intuitu scilicet boni animarum. Cf. E/626, 656, etc.

B) Secunda disceptatio vertitur circa *auctoritatem competentem,* quae hanc restitutionem inducere poterit. Textus prioris redactionis qui simpliciter indicabat « Praepositos Ecclesiae » nimis indeterminatus vel immo ambiguus visus est. Placuit Commissioni hanc auctoritatem committere coetibus territorialibus Episcoporum, approbante ipso Summo Pontifice. Ex Patribus pauciores praeferebant rem committere Romano Pontifici, proponentibus Conferentiis episcopalibus, Emend. 266, E/706, 747, 828, 887, 949. Paucissimi rem committere volebant singulis Episcopis: E/639, 894, et forte 862; alii vero locuti sunt de solis Conferentiis Episcoporum, v. g. E/656; alii rursus de solo Romano Pontifice: Emend. 264, E/863, 825, 992, 1020.

C) De *quaestione coelibatus* agit ultima sententia novae redactionis, quae duplici membro constat, nempe:

[106] 1) utrum hic diaconatus viris maturioris aetatis, etiam in matrimonio viventibus, conferri possit;

2) utrum conferri possit iuvenibus efformandis, quibus non imponeretur lex coelibatus.

Pauci enim sunt Patres qui iuvenes, qui talem vocationem haberent, ad diaconatum efformare vellent, non imponendo eis legem coelibatus: E/728, 774, 865, forte 675. Multi e contra sunt qui priorem hypothesim consideraverunt, indicantes v. g.: patresfamilias: E/604, 726; homines iam coniugatos: E/694, 770, 864; homines maturos: E/626, 636, 814, 865; adultos iam catechistas: E/639; viros probatos et uxoratos: E/649, 696; viros adultae aetatis qui experimentum zeli dederint: E/705, 746, 807; viros distinctos et graviores: E/773, 951; probatos et eruditos: E/815 bis; probatos aetate provectos: E/824, 865; viros qui seipsos sustentant: E/723.

[107] QUOAD SUFFRAGIUM FERENDUM

Textus huius alineae postulat triplicem vel quadruplicem suffragationem:

prima, de prima phrasi, in qua approbatur principium restaurati diaconatus;

secunda, de secunda phrasi, in qua determinatur auctoritas competens. (Quodsi textus reiicitur, sola auctoritas competens est Romanus Pontifex);

tertia, de primo membro tertiae phraseos: approbante Romano Pontifice, diaconatus conferri potest viris maturis etiam uxoratis;

quarta, de altero membro tertiae phraseos: approbante Romano Pontifice, diaconatus conferri potest etiam iuvenibus sine lege coelibatus.

Si autem tertia vel quarta propositio admittitur, ultima incisa evidenter cadit. Si tertia et quarta reiiciuntur, statuitur ipso facto ultima incisa. Si exitus tertiae suffragationis est negativus, quarta suffragatio fit superflua et stat ultima incisa.

Si exitus tertiae suffragationis est positivus, textus Concilii ita exprimetur: « Hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri poterit ». Etc.

RELATIO DE DISCEPTATIONE IN AULA HABITA

Plurimi Patres de hac quaestione locuti sunt, sive faventes restaurationi, sive ei adversantes. Sententiae eorum non videntur totaliter contradictoriae, quia fautores plerumque prae oculis habent viros uxoratos;

adversantes vero praesertim iuvenes ad diaconatum efformandos. Ad utilitatem Patrum hic praebetur conspectus argumentorum quae ex utraque parte allatae fuerunt, cum responsionibus respectivis. [107]

I - *De ipsa restauratione diaconatus*

Ad *numerum* votorum quod attinet, *pro* instauratione locuti sunt quadraginta quinque (45), nomine patrum septingenti quinquaginta novem (759), quibus addendus est numerus indeterminatus episcoporum Aequatoriae. *Contra* instaurationem vero viginti quinque (25), nomine octoginta duo (82). Non omnino clare pro vel contra locuti sunt decem, inter quos unus loquens nomine episcoporum Poloniae, qui statuunt instaurationem pro patria sua non convenire (E/828); vel alii qui rem volunt committere Romano Pontifici in peculiaribus casibus determinandam (E/628, 714, 720, 733, 803, 992, 1020).

Quoad *argumenta,* haec dicta sunt: [108]

A) *Pro* instauratione.

1) *Indoles sacramentalis diaconatus* tamquam gradus distincti hierarchiae, quo ordine ab apostolis oriundo privari non convenit Ecclesiam, si illius ordinis necessitas habetur (E/705, 652, 770). Doctrina Concilii Tridentini de necessitate sacramentorum, Denz. 847 (1604), etiam de diaconatu valet (E/626). Cui argumento duo responderunt, non certum esse, quod diaconatus est verum sacramentum (E/613, 690). Huic responso duo replicant: « Diaconatum sacramentum esse aeque ac ordinem Episcoporum nemo dubitat » (E/626, 795).

2) Aliqui observant, quod habentur *vocationes propriae ad diaconatum,* quae nunc fructificare non possunt. Quidam enim iuvenes ad servitium hierarchicum et communitarium vocatos se sentiunt et ad diaconiam caritatis ac instructionis aptitudinem habent, sed timent responsabilitatem conscientiarum quae sacerdoti incumbit. In praxi hodierna huiusmodi homines aut a seminario recedunt, aut fiunt sacerdotes infelices, muneri suo impares, ex sensu frustrationis gravioribus tentationibus expositi (E/675, 728, 770, 774). Hae ergo vocationes ne frustrentur.

3) Longe praecipuum autem argumentum est *necessitas pastoralis,* quae exigit ut Episcopi et Presbyteri habeant cooperatores in ordine sacro constitutos, qui eos adiuvent et in immensis pagorum ruralium et suburbium parochiis quasi repraesentent, et qui parvulas diasporae communitates tamquam veras communitates liturgicas ac ecclesiales organizent (E/626, 656, 779, 865, 951 et alii plurimi). Multi tum ex

[108] regionibus missionalibus, tum ex ecclesiis iamdiu stabilitis, veram affirmant necessitatem.

Huic argumento quoad rem plures ex adversantibus quodammodo accedunt, dum dicunt cooperatores quidem esse necessarios, sed eos posse esse laicos ad hoc deputatos vel clericos in ordinibus minoribus. Unus solus fuit (E/952), qui dixit penuriam sacerdotum non vere existere.

B) *Contra* diaconatum instaurandum.

Argumentum longe principalius contra diaconatum instaurandum est *quaestio de eorum caelibatu,* de quo postea (sub II). Sed iam nunc notare iuvat, omnes fere persuasum habere, diaconatum instaurandum vera utilitate privari, si huiusmodi diaconi ad coelibatum adstringerentur (e. g. E/628, 948). Quatuor soli sunt, qui vellent ad diaconatum ordinari solos fratres religiosos vel Institutorum Saecularium, qui aliunde iam ad coelibatum tenentur (E/727, 817, 857, 887).

Alia autem argumenta contra instaurationem allata sunt haec:

1) Non pauci dixerunt illam *non esse necessariam.* Munera enim diaconis concredenda exerceri possunt a laicis ad hoc deputatis vel a clericis minoribus (E/628, 640, 703, 721, 768, 798, 817, 828, 887, 888, 901, 950, 965, 1020).

[109] Respondent autem fautores *laicos catechistas* et huiusmodi nonnulla quidem munera diaconalia exercere, ut sunt catechizare, praebere assistentiam caritativam, dirigere orationem communem, sed non omnia, maxime quoad Eucharistiae distributionem (E/864). Cui responso adversantes replicant, has etiam facultates *laicis deputatis* concedi posse (E/948, 888).

Addunt fautores, quod *non convenit* munera diaconalia regulariter exerceri ab hominibus qui ad hoc ordinati non sunt, secundum decretum Concilii Tridentini statuentis, « ut in posterum huiuscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur », Sessio XXIII can. 17, *Conc. Oec. Decr.,* p. 726/13 (E/626; cf. 652, 728, 770, 814). Replicant adversantes, id tamen in antiquitate factum esse (E/640).

Tandem urgent fautores, nec viros qui his muneribus funguntur, nec ipsas ecclesias quibus inserviunt, *privandas esse gratiis specialibus* quae per sacramentalem ordinationem dantur. Qui putat talia munera aequo modo a laicis exerceri posse, negligit « realismum supernaturalem » et « videtur non intelligere Ecclesiam, sicut est, fundatam scilicet super sacramenta et quidem super charismata per sacramentum ordinis collata » (E/656; cf. 805, 807, 864). Adversantes autem, valorem huius rationis agnoscentes, putant tamen *minus malum* esse exercitium muneris sine ordine, quam relaxationem legis coelibatus.

2) Duo contra instaurationem dixerunt *eam esse inutilem,* quia diaconi etsi Communionem distribuere possint, non tamen poterunt Confessiones audire, quibus fideles ad Communionem sunt parandi (E/628, 868). Quibus unus respondit, diaconos tamen posse iuvare ad contritionem sinceram excitandam (E/728). [109]

3) Nonnulli adversarii timent, ne ex diaconatu instaurato *minuatur numerus vocationum sacerdotalium* (E/591, 628, 673). Cui timori respondent fautores, hoc gratis asseri. Immo addunt diaconos, qui in pagis dissitis vitam eucharisticam possibilem reddunt, suscitaturos esse vocationes sacerdotales (E/652, 656, 815 bis), cum ita dignitas sacerdotis in pleniorem lucem ponatur (E/675). Addit aliquis Pater (E/864), iuvenes plerumque non eligere inter diaconatum et sacerdotium, cum diaconatus non sit status qui iuvenibus praesto erit.

4) Obiectiones contra diaconos permanentes etiam motae sunt *ex difficultate eos efformandi* et ex necessitate eos (cum familia) *sustentandi* (E/591, 628, 690, 828). Plures fautores respondent, in realitate nullum exsurgere novum problema efformationis nec oeconomiae (E/824, 864, 865, 826). Adversantes enim videntur cogitare de iuvenibus, qui ad diaconatum essent efformandi. Sed fautores fere omnes cogitant de duabus categoriis diaconorum, scilicet aut de viris iam maturis, in professione stabilitis et in religione satis eruditis, qui ad diaconatum non indigent multa formatione et qui oeconomice sibi familiaeque suae providere valent (E/626, 639, 951), aut de catechistis, cooperatoribus [110]
pastoralibus et huiusmodi, qui etiam nunc efformantur et ab Ecclesia sustentantur (E/699, 723, 815 bis, 864). Inter fautores solus unus alterve cogitat de seminaristis, qui ad sacerdotium minus apti viderentur, diaconatui destinandis (E/774; forte 675, 865, 728).

5) Aliqui timent, ne si meliores laici apostolici ordinantur diaconi, *Actio Catholica optimis suis membris privetur* (E/696, 817, 889). Respondet aliquis, Actionem Catholicam non constituere finem, sed medium, et quidem medium gradus inferioris quam actio hierarchica per sacramentum exercenda (E/652). Alius respondet, a diaconis sperari posse profundiorem hierarchiae insertionem in mundum laicorum, ideoque eos non paucum conferre ad laicos inspirandos (E/770).

6) Tandem sunt qui timent, ne diaconi futuri sint *rebelles* et male contenti (E/690, 828). Aliquis evocavit syndicatum diaconorum et operistitia » (E/873). Huic difficultati nemo respondit.

[110] II - *De possibilitate diaconorum uxoratorum*

Praenotanda duo:

1) Schema eiusque fautores non intendunt iubere, ut *ubique terrarum* instituantur diaconi uxorati. Sed volunt ianuam aperire, ut hoc institutum etiam in Ecclesia latina *possibile* fiat, ubi id ad curam animarum necessarium videbitur (E/626, 656).

Sed obiciunt nonnulli (E/750, 768, 813, 833), pro hodierna mundi unitate fere impossibile esse, ut quod in uno loco instituitur, alio in loco non habeatur. Quibus alii respondent (E/699, 951), pro collegialitate ac caritate inter omnes ecclesias vigentibus, illos qui diaconatum uxoratum pro terra sua superfluum, nocivum vel periculosum existimant, non tamen impedire debere alios, qui gravi necessitate urgentur.

2) Quaestio de diaconis uxoratis intime *cohaeret cum quaestione praecedente*. Fere enim omnes, tum faventes tum adversantes diaconatui instaurando, suasum habent, quod instauratio parum serviet, nisi permittantur diaconi etiam uxorati. Diaconatus instauretur uxoratus, aut non instauretur.

His praenotatis, rem aggrediamur. Quoad *numerum* votorum, *pro* matrimonio locuti sunt triginta (30), nomine septingenti et sexdecim (716) patrum. *Contra* vero quadraginta novem (49), nomine Patrum centum quinquaginta (150), quibus addi debet numerus indeterminatus episcoporum Aequatoriae. Contrarii etiam sunt episcopi Poloniae (E/828), qui dicunt diaconatum praesertim uxoratum patriae suae non convenire, et qui volunt sententiam de coelibatu ex decreto deleri. Nonnulli volunt quod Sacrosancta synodus decernat rem iudicio prudenti Sanctae Sedis relinquendam esse (E/803, 925, 949, 992, 1020). Alii volunt matri-
[111] monium permittere certis regionibus, praesertim missionum (E/727, 884), per modum experimenti (E/727), per modum exceptionis (E/733).

Nunc *argumenta* ab utraque parte allata inspicienda sunt.

A) *Pro* possibilitate diaconatus uxorati haec allata sunt:

1) Generale illud iam notatum, instaurationem diaconatus sine matrimonio *vix aliquid conferre* ad necessitates animarum sublevandas (E/628, 897, 948). Qua de re videntur fere omnes consentire. Pauci respondent, ordinari posse fratres religiosos (E/727, 817, 857, 887; forte etiam Poloni, E/828).

2) Praesertim in missionibus existit iam *ordo catechistarum,* virorum scilicet plerumque uxoratorum, qui quasi fundamentum sunt communitatum catholicarum parvarum, quatenus populum instruunt, ad sacramenta praeparant, orationem dirigunt. Si ergo officia diaconalia iam

implent, qua ratione eis denegatur ordinatio, qua maiore auctoritate [111] ornantur, eorum activitas ampliatur, eorum opera gratia uberiore fecundatur (E/814, 864)? Idem valet de viris qui in terris catholicorum hierarchiae inserviunt (E/626). Respondent alii, ut iam dictum est, haec aliave opera aequo modo a laicis ad id deputatis vel a clericis minoribus exerceri posse. Et addunt, rationem cur iis diaconatus recusetur esse, ut sancta maneat lex coelibatus pro ordinibus maioribus.

3) Nonnulli addiderunt argumentum subtilius, quod scilicet diaconi uxorati quodammodo facilius penetrabunt ac inserentur in communitatem populi, ita ut possint constituere *quasi pontem* inter « altum » clerum et populum. Dum enim theologice ac canonice ad clerum pertinebunt, ex altera parte psychologice ac culturaliter potius pertinebunt ad populum (E/770; cf. E/705, 726, 779, 814, 865). Constat unam ex gravioribus curae pastoralis hodiernae difficultatibus consistere in eo quod sacerdotes a populo nimis distant. Haec distantia partim oritur ex diuturna seminarii efformatione, partim etiam ex reservatione illa quae propter coelibatum sacerdoti in conversando cum hominibus necessaria est. Coelibatus sacerdotum pro cura animarum maximas utilitates habet, sed sub alio respectu aliquod secumfert incommodum. Huic incommodo poterit forte mederi, et hoc quasi vacuum quodammodo poterit impleri per diaconum uxoratum. Sic iam nunc catechistae aliique cooperatores pastorales facilius contactum cum hominibus ab Ecclesia alienis nectunt, ita ut viam sacerdoti parent.

4) Unus ex Africa, nomine septuaginta unius (71) loquens, observat quod in regionibus missionum diaconus coelebs, solus, segregatus, *difficillime perseverare poterit* (E/951). Dum enim sacerdoti, diuturna formatione supra populum levato, coelibatus facilior redditur, diaconus intimius in populum immersus maiores difficultates patietur.

B) *Contra* diaconatum uxoratum haec allata sunt argumenta:

1) Duo ad *valorem spiritualem coelibatus* provocaverunt. Coelibatus est auxilium medicinale et argumentum ac adiutorium profundioris vitae spiritualis, favet integritati servitii, libertati, spiritui paupertatis [112] (E/768, 948).

2) *Diuturna traditio* in Ecclesia latina. Respondent fautores, non agi de re nova, cum diaconi uxorati in antiquitate haberentur, et nunc apud Orientales existant (E/699, 726).

3) Obiicitur quod in aliquibus nationibus apud Mahumetanos, Buddhistas, Paganos *diminuetur aestimatio Catholicorum,* quando vident ministros sacros uxoratos (E/640, 687, 720, 749, 750, 813, 817, 948). Respondent aliqui Africani (E/696), instaurationem diaconatus uxorati non esse regressum, sed recognitionem facti, quod recentiores ecclesiae

[112] versantur in eodem statu ac Ecclesia primitiva. Alius respondet, Ecclesiam per instaurationem diaconatus dare testimonium mundo hodierno et fratribus separatis, testimonium scilicet iuventutis ac vigoris (E/699). In mente fautorum haec difficultas potest esse ratio, cur in aliquibus nationibus diaconatum instaurari non conveniat.

4) Aliqui obiecerunt, quod populus catholicus supponit, quod illi *qui Eucharistiam tractant,* coelibatum observant; quod in Eucharistiae aestimationem maxime confert (E/606, 891). Directe huic obiectioni nemo respondit. Indirecte tamen respondetur ab iis, qui volunt ut laicis vel clericis minoribus concedatur facultas Communionem distribuendi.

5) Obiciebatur etiam *scandalum* ex vita minus aedificante uxoris vel filiarum diaconi (E/787). Nulla responsio in documentis praebetur.

6) Obiciebatur etiam *difficultas oeconomica* familiae sustentandae (E/687, 690, 828, 873). Iam audivimus responsum: plerumque agetur de viris qui aut sibi familiaeque providere valent, aut iam ab Ecclesia sustentantur.

7) Alii multi, praesertim ex Europa orientali, timent, ne diaconi uxorati *nimis ab auctoritate civili pendeant,* et ita fiant instrumenta regiminis religiosi infensi ad ecclesiam nationalem constituendam (E/673, nomine 16 ex Yugoslavia; E/828, nomine Poloniae). E contra quidam patres ex Asia orientali existimant, diaconatum etiam uxoratum fere necessarium esse, etiam ratione persecutionis (E/685; E/705, nomine 40; E/807; E/864, nomine 34).

8) Timetur, ne possibilitas diaconatus uxorati *minuat numerum vocationum ad sacerdotium* (E/787, 828, 889, 926). Responderunt plures diversa ; sive quod hoc a priori dicitur (E/656), sive quod plerumque diaconatus non erit status, quem iuvenes eligere poterunt (E/696, 864). Ulterius advertunt quod severior poterit fieri selectio ad sacerdotium (E/694, 770). « Qui ad diaconatum prae presbyteratu tendit propter matrimonium, vix aptus est censendus ad sacerdotium » (E/626). Denique, si per diaconos vita eucharistica intensior etiam in pagis dissitis possibilis fit, sperandum est plures orituras esse vocationes sacerdotales (E/656, 865).

9) Multi diaconatum uxoratum respuunt, quia inde timent *relaxa-*
[113] *tionem coelibatus etiam pro sacerdotibus* (E/591, 640, 673, 766, 799, 845, 891, 962). Responderunt aliqui, periculum hoc non existere (E/675, 779, 814, 952). In specie autem responderunt non agi de re nova, sed in Ecclesia Orientali existente; et addunt ibi matrimonium sacerdotum non nocuisse coelibatui episcoporum (E/652, 726). Ulterius aliquis respondit, quod « Ecclesia promovendo tales coniugatos ad diaconatum et statuendo illos non altius ad sacerdotium promoveri posse, potest

melius roborare sacram coelibatus sacerdotalis legem » (E/649, 814). [113]
Aliquis tandem observat, omnem rem abusui patere, proinde etiam abusui contra coelibatum; sed propterea bonum non est impediendum (E/726). Id quod certo utile, immo necessarium est, non est reiiciendum propter timorem incertum (E/770).

NOTA: *Solutio quaestionis* ad ipsum Concilium spectat.

De auctoritate in hac re competenti iam dictum est in Relatione ad alineam 2, B.

RELATIO GENERALIS [114]

Ad hoc caput revidendum secundum Venerabilium Patrum *Observationes,* tres vel, si vis, quattuor Subcommissiones adiutricem operam praebuerunt.

Numeri 18-21 (olim nn. 11-14) emendati sunt a Subcommissione tertia: *de Institutione et Sacramentalitate Episcopatus,* cuius membra erant Em.mus KÖNIG, Exc.mus BARBADO, quem interim Deus ad Se vocavit, necnon Exc.mus DOUMITH: periti vero Rev.mi CIAPPI, D'ERCOLE, LECUYER, TURRADO atque XIBERTA. Relationes de nn. 18 et 21 compositae sunt a LECUYER. Numeri autem intermedii 19 et 20 (olim nn. 12-13), in quibus sermo est de *Institutione XII Apostolorum,* necnon de *Episcopis eorum Successoribus,* revisi sunt a laudata Subcommissione tertia, iuvante Subcommissione prima, quippe cui praeter quaestionem de *Mysterio Ecclesiae* concredita erat *revisio textuum* S. Scripturae. Relatores autem fuerunt Rev.mi D'ERCOLE et RIGAUX.

Numeri 22 et 23 (olim nn. 16 et 17), in quibus sermo fit de *Collegialitate Episcoporum,* tam respectu S. Pontificis, quam respectu mutuae collaborationis, revisioni subiecti sunt Subcommissioni quintae, dictae *de Collegialitate,* cuius membra fuerunt Exc.mi PARENTE, FLORIT, SCHROEFFER, VOLK, postea accedentibus HENRIQUEZ et HEUSCHEN, cooperante numero insolito peritorum: BETTI, qui erat generalis relator, COLOMBO, nunc in Collegium Episcopale cooptatus, DHANIS, D'ERCOLE, GAGNEBET, LAMBRUSCHINI, MACCARRONE, MOELLER, RAHNER, RATZINGER, SALAVERRI, SCHAUF, SMULDERS, THILS. Relationem de numero 16° composuerunt DHANIS et THILS, relationem de numero 17° RATZINGER, relationem vero de ipso problemate collegialitatis redigerunt collegialiter: SALAVERRI, MACCARRONE, RAHNER, RATZINGER, THILS, DHANIS.

In redigendo textu *de Collegialitate* Subcommissio quinta multa tulit, sudavit et alsit. In sex perlongis sessionibus attentae considerationi

[114] subiectae fuerunt famosae *Propositiones* a Patribus in Aula Conciliari commendatae, et permagna illa series *Observationum,* quae ad solam quaestionem de Episcopis quod spectat, implent circiter 500 folia compacte impressa. Deinde auditis sententiis atque argumentis ex utraque parte prolatis tandem perventum est ad redactionem, quae etiam postea, videlicet in sessione plenaria totius Commissionis doctrinalis, habita die 6 martii, omnibus videbatur acceptabilis. Ex desiderio autem Summi Pontificis, communicato cum Commissione doctrinali per epistolam Exc.mi Secretarii generalis d.d. 19 maii 1964, propositae sunt quaedam
[115] suggestiones de quibus libere, ut voluit Sua Sanctitas, in Commissione disputatum est d. 5 iunii 1964, et de quibus suis locis ad numeros 21, 22, 23, 25 et 27 refertur.

In numeris 24-27 (olim nn. 18-21) exponitur doctrina de *Episcoporum ministerio* eorumque *muneribus tribus principalioribus.* Revisio textus, quae facilius procedebat quam revisio numerorum praecedentium, commissa fuit eidem Subcommissioni quintae, quae egit de *Collegialitate.* De *doctrina et magisterio in genere* retulit COLOMBO; de *infallibilitate* in specie BETTI.

De Presbyteris sermo est in numero 28 (olim n. 15 A) et quidem ob postulata plurium Patrum multo fusius quam in priore redactione. Ad textum emendandum eumdemque sub vario respectu ampliandum collaboravit Subcommissio quinta, cuius membra fuerunt Exc.mi ROY, SCHERER et FRANIĆ, iuvantibus peritis GRILLMEIER, relatore, KLOPPENBURG, LAMBERT, RODHAIN, SMULDERS atque TRAPÉ.

Eidem Subcommissioni quintae commissa fuit redactio numeri 29 (olim n. 15 B), *de Diaconis,* relatoribus KLOPPENBURG et SMULDERS.

Et haec hoc loco sufficiant, quia de singulis sectionibus suis locis, amplior iam fuit sermo in respectivis Relationibus.

CAPUT IV (OLIM III) [117]

DE LAICIS

Textus prior

22. [*Introductio*]. Sacrosancta Synodus, postquam in declaratione de mysterio Ecclesiae munera sacra Hierarchiae ante oculos posuit, nunc ad considerandas condicionem et missionem totius Populi Dei, et speciatim laicorum, cum gaudio animum convertit. Populus ille, beneficiis Divini Redemptoris cumulatus, ab Eoque in communitatem caritatis et veritatis constitutus, ab Eo etiam ut instrumentum redemptionis sumitur et ad universum mundum mittitur.

Pastores scilicet instituti sunt, non ut totum onus aedificandi Mystici Christi Corporis in se suscipiant, sed ut fideles ita pascant et regant, ut cuncti suo modo et in suo ordine ad commune opus explendum cooperentur. (Cf. *Eph.* 4, 11-16).

Textus emendatus

30. (olim n. 22). [*Prooemium*]. Sancta Synodus, muneribus Hierarchiae declaratis, libenter animum advertit (A) *statui* illorum Christifidelium qui laici nuncupantur (B). Quodsi omnia quae de Populo Dei dicta sunt, ad laicos, *religiosos* et clericos aequaliter diriguntur, laicis tamen, *viris et mulieribus* (C), ratione condicionis et missionis, quaedam particulariter pertinent, quorum fundamenta *ob specialia rerum adiuncta nostri temporis magis expendenda sunt* (D). Pastores enim *sacri ignorare non possunt quantum laici ad bonum totius Ecclesiae conferant. Sciunt enim Pastores se a Christo* non esse institutos, ut totam missionem *salvificam* Ecclesiae *versus mundum* in se solos suscipiant, sed *praeclarum munus suum esse* ita pascere fideles *eorumque ministrationes et charismata ita recognoscere,* ut cuncti suo modo ad commune opus *unanimiter* cooperentur (E). *Oportet enim, ut omnes « veritatem facientes in caritate, crescamus in Illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate »* (*Eph.* 4, 15-16) (F).

23. § 4. Iamvero sacrosancta Synodus nomine laicorum intelligit fideles, qui baptismate in Populum Dei cooptati in communi christifidelium statu Deo serviunt, et pro parte sua

31. (olim n. 23, § 4). [*Quosnam S. Synodus hic sub nomine laicorum intellegat*]. Nomine laicorum *hic* intelleguntur (A) omnes Christifideles praeter membra ordinis sacri et

[117] *Textus prior*

missionem totius populi christiani in mundo exercent, etiam per actionem religiosam, sed [118] neque ad ordinem hierarchicum, neque ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum pertinent. Animum scilicet convertit ad illos qui in laboribus huius mundi partes agunt, sed spiritu evangelico ducti, concupiscentiis saeculi valide opponuntur, immo vocatione sua christiana mundum velut ab intra sanctificant. Omnes secundum operationem uniuscuiusque membri augmentum Corporis faciunt, donec perveniant ad aetatem plenitudinis Christi (cf. *Eph.* 4, 11-16). Una est ergo totius organici Corporis vocatio.

23. [*De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate*]. Ecclesia sancta, ex divina institutione, mira varietate ornatur et regitur, quandoquidem « ex multis et alter-

Textus emendatus

status religiosi in Ecclesia sanciti, Christifideles scilicet qui, utpote *baptismate Christo concorporati,* in Populum Dei constituti, *et de munere Christi sacerdotali, prophetico et regali suo modo participes facti,* pro parte sua missionem totius populi christiani *in Ecclesia et* in mundo exercent (B).

Laicis indoles saecularis propria et peculiaris est. Membra enim ordinis sacri, quamquam aliquando in saecularibus versari possunt, etiam saecularem professionem exercendo, ratione suae particularis vocationis praecipue et ex professo ad sacrum ministerium ordinantur, dum religiosi suo statu praeclarum et eximium testimonium reddunt, mundum transfigurari Deoque offerri non posse sine spiritu beatitudinum. Laici vero tota ratione vitae peculiariter, etsi non exclusive, ad res temporales gerendas et secundum Deum ordinandas vocantur (C). *In saeculo vivunt, scilicet in omnibus et singulis mundi officiis et operibus et in ordinariis vitae familiaris et socialis condicionibus, quibus eorum existentia quasi contexitur. Ibi a Deo vocantur, ut suum proprium munus exercendo, spiritu evangelico ducti, fermenti instar ad mundi sanctificationem* velut ab intra *conferant, sicque praeprimis testimonio vitae suae, fide, spe et caritate fulgentes, Christum aliis manifestent* (D). *Ad illos ergo peculiari modo spectat res temporales omnes, quibus arcte coniunguntur, ita illuminare et ordinare, ut secundum Christum iugiter fiant et crescant et sint in laudem Creatoris et Redemptoris* (E).

32. (olim n. 23, § 1-3). [*De* dignitate *laicorum prout sunt membra Populi Dei*] (A). Ecclesia sancta, ex divina institutione, mira varietate ordinatur et regitur. « *Sicut enim in uno*

Textus prior

nae dignitatis membris unum Corpus Christi efficitur ».

Unus est enim Populus Dei electus, eadem nobilitas membrorum ex eorum in Christo regeneratione, eadem filiorum Dei gratia, eadem vocatio ad perfectionem, eadem salus, eadem spes, eadem caritas, eadem media salutis pro omnibus: « unus Dominus, una fides, unum baptisma » (*Eph.* 4, 5). Nulla igitur in Christo et in Ecclesia inaequalitas, spectata natione, condicione sociali, sexu, quia « non est Iudaeus, neque Graecus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos " unus " estis in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 28; cf. *Col.* 3, 11). Ad omnes pertinet regale illud sacerdotium, quo Christus « fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo » (*Apoc.* 1, 6); « idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum » (*Rom.* 10, 12). « In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus » (*1 Cor.* 12, 13), viventes de verbo Dei et de corpore et sanguine Domini, usquedum caelestes nuptiae in regno Patris parentur.

Si igitur in Ecclesia non omnes eadem via procedunt, neque singuli eadem fidelitate et virtutis alacritate Deo invitanti respondent, omnes tamen ad eamdem vocantur sanctitatem. Et si quidam ex voluntate Christi ut doctores, mysteriorum dispensatores et pastores super alios constituuntur, vera tamen inter omnes viget aequalitas, quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem. Distinctio enim quam ipse Dominus inter Hierarchiam et Populum posuit, simul est coniunctio, cum Pastores et alii fideles inter se communi necessitudine devinciantur, Ecclesiae praepositi populo inserviant, populus autem pastoribus et docto-

Textus emendatus **[118]**

corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra » (*Rom.* 12, 4-5) (B).

Unus est *ergo* Populus Dei electus: « unus Dominus, una fides, unum baptisma » (*Eph.* 4, 5); *communis* dignitas membrorum ex eorum **[119]** in Christo regeneratione, *communis* filiorum gratia, *communis* ad perfectionem vocatio, *una* salus, *una* spes *indivisaque* caritas (C). Nulla igitur in Christo et in Ecclesia inaequalitas, spectata stirpe vel natione (D), condicione sociali vel sexu, quia « non est Iudaeus neque Graecus: non est servus neque liber: non est masculus neque femina. Omnes enim vos " unus " estis in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 28 gr.; cf. *Col.* 3, 11).

Si igitur in Ecclesia non omnes eadem via incedunt, omnes tamen ad sanctitatem vocantur *et coaequalem sortiti sunt fidem in iustitia Dei* (cf. *2 Pt.* 1, 1) (E). Etsi quidam ex voluntate Christi ut doctores, mysteriorum dispensatores et pastores *pro* aliis constituuntur (F), vera tamen inter omnes viget aequalitas quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem *circa aedificationem Corporis Christi.* Distinctio enim quam Dominus posuit inter *sacros ministros* et *reliqua membra* Populi sui, *secumfert* coniunctionem, cum Pastores et alii fideles inter se communi necessitudine devinciantur; Ecclesiae Pastores, *exemplum Domini secuti, sibi invicem et reliquo* populo ministrent, hic autem *alacriter* Pastoribus et doctoribus *sociam operam praestet* (G). *Sic in varietate omnes testimonium perhibent de mirabili unitate in Corpore Christi: ipsa enim diversitas gratiarum, ministrationum et operationum filios Dei in unum colligit, quia « haec omnia*

[119] *Textus prior*

ribus suis oboediens, ad salutem communem cooperetur.

Fideles autem sicut ex dignatione divina fratrem habent Christum, qui cum sit Dominus omnium, venit tamen non ministrari sed ministrare, ita etiam fratres habent eos, qui in sacro ministerio positi, auctoritate Christi et docent et sanctificant et pascunt, ut mandatum novum caritatis ab omnibus impleatur. Quocirca pulcherrime dicit S. Augustinus: « Ubi me
[120] terret, quod vobis sum, ibi me consolatur quod vobiscum sum. Vobis enim sum episcopus, vobiscum sum christianus. Illud est nomen suscepti officii, hoc gratiae; illud periculi est, hoc salutis ».

25. [*De vita salutifera et apostolica laicorum*]. Ad Populum Dei vocati et in uno Corpore Christi sub uno Capite constituti, quicumque sunt, ut viva membra ad Ecclesiae incrementum eiusque iugem sanctificationem vires suas omnes, beneficio Creatoris et gratia Redemptoris acceptas, conferre tenentur.

Apostolatus autem laicorum est participatio ipsius missionis Ecclesiae salvificae, titulo omnibus christifidelibus communi, vel etiam a sacra Hierarchia addito, quin tamen propter hunc ultimum titulum laici ex suo statu exeant. Omnibus igitur fidelibus onus honorificum incumbit adlaborandi ut divinum salutis propositum ad universos homines omnium temporum et ubique terrarum magis applicetur. Ius proinde iidem habent, ut pro suis viribus opus salutare Ecclesiae etiam operose suo modo participent.

Christifidelium socius labor efficit ut fides annuntietur ipsique valores religiosi mundo communicentur, ut iam patet in primaeva communitate, in qua baptizati oratione, exemplo,

Textus emendatus

operatur unus atque idem Spiritus » (*1 Cor.* 12, 11) (H).

Laici *igitur* sicut ex divina dignatione fratrem habent Christum, qui cum sit Dominus omnium, venit tamen non ministrari sed ministrare (cf. *Mt.* 20, 28), ita etiam fratres habent eos, qui in sacro ministerio positi, auctoritate Christi doc*endo* et sanctific*ando familiam* Dei ita pascunt, ut mandatum novum caritatis ab omnibus impleatur (I). Quocirca pulcherrime dicit S. Augustinus: « Ubi me terret, quod vobis sum, ibi me consolatur quod vobiscum sum. Vobis enim sum episcopus, vobiscum sum christianus. Illud est nomen officii, hoc gratiae; illud periculi est, hoc salutis » (1).

33. (olim n. 25, § 1). [*De laicorum vita salutifera et apostolica*]. *Laici in Populo* Dei congregati et in uno Corpore Christi sub uno capite constituti (A), quicumque sunt, *vocantur, ut tamquam* viva membra ad Ecclesiae incrementum eiusque iugem sanctificationem vires suas omnes, beneficio Creatoris et gratia Redemptoris acceptas, *conferant.*

Apostolatus autem laicorum est participatio ipsius salvificae missionis Ecclesiae, *ad quem apostolatum omnes ab ipso Domino per baptismum et confirmationem deputantur* (B). *Sacramentis autem, praesertim sacra Eucharistia, communicatur et alitur illa caritas erga Deum et homines, quae anima est totius apostolatus* (C). *Laici autem speciatim ad hoc vocantur, ut praesentem et actuosam reddant Ecclesiam in eis locis et rerum adiunctis, ubi ipsa nonnisi per eos sal terrae evadere potest* (2) (D). *Sic omnis laicus, ex ipsis donis sibi collatis, testis simul et vivum instrumentum totius missionis Ecclesiae existit « secundum mensuram donationis Christi* » (*Eph.* 4, 7).

Textus prior

verbo, eleemosynis, sacrificio Ecclesiam aedificabant (cf. *Act.* 2, 42; 4, 31; 8, 14; 11, 19-20). Proinde laici non exclusive curis temporalibus deputantur, sed pretiosissimam actionem ad evangelizationem mundi exercent. Quod si quidam eorum, deficientibus sacris ministris, vel iisdem in regimine persecutionis impeditis, officia sacra pro facultate supplent; et si plures quidem ex eis pro regno Dei omnibus renuntiantes, totas vires suas in opera apostolica impendunt: universos tamen oportet ad augmentum extensivum et intensivum totius Corporis Christi cooperari.

Textus emendatus [120]

Praeter hunc apostolatum, qui ad omnes omnino christifideles spectat, laici insuper diversis modis ad cooperationem magis immediatam cum apostolatu Hierarchiae vocari possunt (3) (E), *ad modum illorum virorum ac mulierum, qui Paulum apostolum in Evangelio adiuvabant, multum in Domino laborantes* (cf. *Phil.* 4, 3; *Rom.* 16, 3 ss.). *Praeterea* aptitudine gaudent, ut ad quaedam munera ecclesiastica, ad finem spiritualem exercenda, ab Hierarchia adsumantur (F).

Omnibus igitur *laicis* onus *praeclarum* incumbit adlaborandi (G), ut divinum salutis propositum ad universos homines omnium tem- [121]
porum et ubique terrarum magis *magisque pertingat.* Via proinde eisdem *undequaque* pateat, ut pro suis viribus *temporumque necessitatibus* opus salutare Ecclesiae *naviter et ipsi* participent (H).

34. (novus numerus). [*De participatione laicorum in sacerdotio universali et cultu*] (A). Supremus et aeternus Sacerdos Christus Iesus, cum etiam per laicos suum testimonium suumque servitium continuare velit, eos suo Spiritu vivificat indesinenterque impellit ad omne opus bonum et perfectum (B).

Illis enim, quos vitae et missioni suae intime coniungit, etiam sui muneris sacerdotalis partem tribuit ad cultum spiritualem exercendum, ut glorificetur Deus et salventur homines (C). Qua de causa laici, utpote Christo dicati et Spiritu Sancto uncti, mirabiliter vocantur et instruuntur, ut uberiores semper fructus Spiritus in ipsis producantur. Omnia enim eorum opera, preces et incepta apostolica, conversatio coniugalis et familiaris, labor quotidianus, animi corporisque relaxatio, si in Spiritu peragantur, imo molestiae vitae si patienter sustineantur, fiunt « spirituales hostiae, acceptabiles Deo per Iesum Christum » (*1 Pt.* 2, 5) (D), quae in Eucharistiae celebratione, cum dominici corporis oblatione, Patri piissime offeruntur. Sic et laici, qua adoratores ubique sancte agentes, ipsum mundum Deo consecrant.

35. (novus numerus). [*De participatione laicorum in munere prophetico Christi et testimonio*]. Christus, Propheta magnus, qui et testi-

[121] monio vitae et verbi virtute Regnum proclamavit Patris, usque ad plenam manifestationem gloriae suum munus propheticum adimplet, non solum per Hierarchiam, quae nomine et potestate Eius docet, sed etiam per laicos, quos ideo et testes constituit et sensu fidei et gratia verbi instruit (cf. *Act.* 2, 17-18; *Apoc.* 19, 10), ut virtus Evangelii in vita quotidiana, familiari et sociali eluceat. Ipsi se praebent ut filios repromissionis, si fortes in fide et spe praesens momentum redimunt (cf. *Eph.* 5, 16; *Col.* 4, 5) et futuram gloriam per patientiam exspectant (cf. *Rom.* 8, 25). Hanc autem spem non in animi interioritate abscondant, sed conversione continua et colluctatione « adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae » (*Eph.* 6, 12) etiam per vitae saecularis structuras exprimant.

Sicut sacramenta Novae Legis, quibus vita et apostolatus fidelium alitur, coelum novum et terram novam (cf. *Apoc.* 21, 1) praefigurant, ita laici evadunt validi praecones fidei sperandarum rerum (cf. *Hebr.* 11, 1),
[122] si cum vita ex fide professione fidei inhaesitanter coniungunt (A). Haec evangelizatio, nuntium Christi scilicet et testimonio vitae et verbo prolatum, notam quamdam specificam et peculiarem efficacitatem acquirit ex hoc, quod in communibus condicionibus saeculi completur.

Quo in munere magni pretii apparet ille status vitae, qui speciali sacramento sanctificatur, scilicet vita matrimonialis et familiaris (B). Ibi exercitium et schola praeclara apostolatus laicorum habetur, ubi religio christiana totam vitae institutionem pervadit et in dies magis transformat. Ibi coniuges propriam habent vocationem, ut sibi invicem et filiis sint testes fidei et amoris Christi. Familia christiana tum praesentes virtutes Regni Dei tum spem vitae beatae alta voce proclamat. Ita exemplo et testimonio suo arguit mundum de peccato et eos qui veritatem quaerunt illuminat.

Proinde laici, etiam quando curis temporalibus occupantur, pretiosam actionem ad evangelizandum mundum exercere possunt et debent (C). Quodsi quidam eorum, deficientibus sacris ministris, vel iisdem in regimine persecutionis impeditis, officia sacra pro facultate supplent; et si plures quidem ex eis totas vires suas in opere apostolico impendunt: universos tamen oportet ad dilatationem et incrementum Regni Christi in mundo cooperari (D). Quapropter laici sollerter in profundiorem cognitionem veritatis revelatae incumbant, et instanter a Deo sapientiae donum impetrent.

Textus prior

25. § 3-4. Ad laicos spectat etiam ut condiciones diffusioni religionis idoneas promo-

Textus emendatus

36. (olim n. 25, § 3-4). [*De participatione laicorum in servitio regali*]. *Christus, factus*

Textus prior

veant *valoresque morales* diffundant, hac quidem ratione ut in ipso saeculo viventes, mundum evangelico nuntio illuminent; ut Ecclesiae spatium vitae et operositatis obtineant atque communiant; ut denique instituta et condiciones mundi, si qua mores ad peccatum conducant, ita sanent, ut haec omnia ad iustitiae normas conformentur et virtutum exercitio potius faveant quam obsint. Ad quam apostolicam navitatem Ecclesia suos filios instanter appellat, praesertim laicos, qui variis officiis in mundo addicti et experientia singulari praecellentes, opportunitatibus datis maiore cum efficacia uti possunt, praecipue per contactus suos personales. Pro sua cuiusque intellectuali cultura, sollerter incumbant in profundiorem cognitionem veritatis revelatae atque catholicae doctrinae, tum pro sua cuiusque aedificatione, tum etiam pro enodandis sui temporis quaestionibus.

Denique ad omnes christifideles id etiam spectat, ut per *opera etiam saecularia* seipsos aliosque sanctificent, ita ut mundus Spiritu Christi imbuatur, atque in iustitia et pace finem suum efficacius attingat. In quo officio universaliter adimplendo laici principem locum tenent. Per activitatem suam gratia Christi intrinsecus elevatam valide conferant operam ut bona creata secundum Creatoris ordinationem eiusque Verbi illuminationem, humano labore, arte technica, civilique cultura ad utilitatem omnium prorsus hominum excolantur, aptiusque inter illos distribuantur, et suo modo ad universalem progressum in christiana et humana libertate conducant. Ita Ecclesia reapse tamquam lumen pro tota societate apparebit.

Fideles, memores verborum Domini: « Red-

Textus emendatus [122]

oboediens usque ad mortem et propter hoc a Patre exaltatus (cf. *Phil.* 2, 8-9), *in gloriam regni sui intravit; Cui omnia subiiciuntur, donec Ipse se cunctaque creata Patri subiiciat, ut sit Deus omnia in omnibus* (cf. *1 Cor.* 15, 27-28). *Quam regiam potestatem discipulis communicavit, ut et illi in regali libertate constituantur et sui abnegatione vitaque sancta regnum peccati in seipsis devincant* (cf. *Rom.* 6, 12), *immo ut Christo etiam in aliis servientes, fratres suos ad Regem, cui servire regnare est, humilitate et patientia perducant* (A). *Dominus enim regnum suum etiam per laicos fideles dilatare cupit, regnum scilicet veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae, regnum iustitiae, amoris et pacis* (4); *in quo regno ipsa creatura liberabitur a servitute corruptio-* [123]
nis in libertate gloriae filiorum Dei (cf. *Rom.* 8, 21) (B). *Magna sane promissio, magnumque mandatum discipulis datur*: « *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei* » (*1 Cor.* 3, 23).

Fideles igitur totius creaturae intimam naturam, valorem et ordinationem in laudem Dei agnoscere, et per opera etiam saecularia se invicem ad sanctiorem vitam adiuvare debent (C), *ita ut mundus spiritu Christi* imbuatur atque in iustitia, *caritate* et pace finem suum efficacius attingat (D). In quo officio universaliter adimplendo laici *praecipuum* locum obtinent (E). *Sua igitur in profanis disciplinis competentia* suaque activitate (F), gratia Christi intrinsecus elevata, valide conferant operam, ut bona creata secundum Creatoris ordinationem Eiusque Verbi illuminationem humano labore, arte technica, civilique cultura ad utilitatem omnium prorsus hominum excolantur, aptiusque inter illos distribuantur, et suo modo ad universalem progressum in humana et chri-

[123]

Textus prior

dite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo » (*Mt.* 22, 21), ex altera parte confusionem vel indebitam permixtionem religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus sedulo vitabunt; ex altera vero infaustae separationi earumdem vel immo oppositioni civitatis terrenae contra Deum eiusque Ecclesiam legitime adversabuntur, cum nulla humana activitas, ne in re quidem profana, Dei imperio subtrahi possit. Ita plurimi christifideles, imprimis laici, spiritu apostolico imbuti conspicuam conferunt operam ut missio divina Ecclesiae hodiernis necessitatibus plenius respondere valeat.

Sicut enim merito probari debet indoles laica terrenae civitatis, quae saecularibus curis iure addicta, propriis regitur principiis, ita pariter infensus « laicismus » seu « saecularismus », qui scilicet societatem extra omnem [124] religionem extruere contendit et libertatem christianam impugnat et eruit, merito proscribitur.

Textus emendatus

stiana libertate conducant. *Ita Christus per Ecclesiae membra* totam societatem *humanam* suo salutari lumine magis *magisque illuminabit* (G).

Laici *praeterea, collatis quoque viribus* (H), instituta et condiciones mundi, si qua mores ad peccatum *incitant,* ita sanent, ut haec omnia ad iustitiae normas conformentur et virtutum exercitio potius faveant quam obsint. *Ita agendo culturam operaque humana valore morali imbuent* (I). *Hoc modo simul ager mundi melius pro semine verbi divini paratur, et Ecclesiae latius patent portae, quibus introeat nuntius pacis* (K).

Propter ipsam oeconomiam salutis, fideles discant sedulo distinguere inter iura et officia quae eis incumbunt, quatenus Ecclesiae aggregantur, et ea quae eis competunt, ut sunt humanae societatis membra (L). *Utraque inter se harmonice consociare satagent, memores se, in quavis re temporali, christiana conscientia duci debere,* cum nulla humana activitas, ne in rebus temporalibus quidem, Dei imperio subtrahi possit. *Nostro autem tempore maxime oportet ut distinctio haec simul et harmonia quam clarissime in modo agendi fidelium elucescant,* ut missio Ecclesiae particularibus mundi hodierni condicionibus plenius respondere valeat. Sicut enim *agnoscendum est* terrenam civitatem, saecularibus curis iure addictam, propriis regi principiis, ita infausta doctrina, quae societatem, *nulla habita religionis ratione,* exstruere contendit et libertatem *religiosam civium* impugnat et eruit, merito *reiicitur* (5) (M).

Textus prior

26. [*De christifidelium relatione ad Hierarchiam*]. Christifideles omnes, laicis non exceptis, ius habent a Pastoribus adiumenta ad salutem necessaria et utilia accipiendi, eisque necessitates et optata sua patefaciendo, men-

Textus emendatus

37. (olim n. 26). [*De* laicorum *relatione ad Hierarchiam*] (A). Laici, *sicuti omnes fideles* (B), ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, *verbi Dei praesertim et sacramentorum adiumenta a sacris pastoribus abundanter* ac-

Textus prior

tem generosam et liberam, filiis Ecclesiae dignam, ostendunt. Laici itaque pro scientia, competentia in rebus, et auctoritate qua pollent facultatem habent, immo aliquando officium, suam sententiam declarandi, de iis quae ad Ecclesiae vel communitatis bonum pertinent. Hoc tamen ut christiano modo adimpleatur, ante omnia per Ecclesiae instituta, si qua sint, est exercendum; semper vero cum caritate et prudentia, veracitate et humilitate, fortitudine et debita reverentia erga illos, qui ratione sacri sui muneris Christi personam gerunt. Pastores vero, sua facientes verba Scripturae: « Probate spiritus si ex Deo sint » (*1 Io.* 4, 1) et « Spiritum nolite extinguere » (*1 Thess.* 5, 19), coepta, vota et desideria a fidelibus proposita attente in Christo considerent.

Iterum christifideles omnes, ideoque et laici, in Praepositis suis, in illis praesertim, quorum auctoritas nomine Christi exercetur, cum ab Eius institutione originem ducat, Christum oculis fidei semper inspicere tenentur, eisque oboedire in simplicitate cordis, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut facientes voluntatem Dei ex animo (cf. *Eph.* 6, 5-6). Nedum censurae iniustae aut imprudenti aditum aperiant, prompta voluntate praecepta legitimae auctoritatis exsecutioni mandent, ad exemplum Eius qui per oboedientiam mundum redemit. Neque omittant precibus suis Praepositos Deo commendare, ut iidem quasi rationem pro animabus subditorum reddituri, munus suum adimplere queant cum gaudio et non gementes (cf. *Hebr.* 13, 17).

Textus emendatus [124]

cipiendi (6) (C), hisque necessitates et optata sua ea libertate *et fiducia, quae filios Dei et fratres in Christo decet,* patefaciant (D). Pro scientia, competentia et *praestantia* quibus pollent, facultatem, immo aliquando et officium habent suam sententiam de iis quae bonum Ecclesiae (E) *respiciunt* declarandi (7). Hoc fiat, *si casus ferat,* per instituta ad hoc ab Ecclesia stabilita (F), et semper in veracitate, fortitudine et prudentia, cum reverentia et caritate (G) erga illos, qui ratione sacri sui muneris personam Christi gerunt.

Laici, sicut omnes fideles, illa quae sacri Pastores, *utpote Christum repraesentantes, tamquam magistri et rectores* in Ecclesia statuunt, *christiana* oboedientia prompte amplectantur (H), Christi exemplum secuti, qui sua oboedientia *usque ad mortem beatam libertatis filiorum Dei viam omnibus hominibus aperuit* (I). Neque omittant precibus suis Praepositos suos Deo commendare, quippe qui pervigilant quasi rationem pro animabus nostris reddituri, [125] ut cum gaudio hoc faciant et non gementes (cf. *Hebr.* 13, 17).

Sacri vero Pastores laicorum *dignitatem et responsabilitatem in Ecclesia agnoscant et promoveant; libenter eorum prudenti consilio utantur, cum confidentia eis in servitium Ecclesiae officia committant et eis agendi libertatem et spatium relinquant, immo animum eis addant, ut etiam sua sponte opera aggrediantur* (K). *Paterno cum amore* coepta, vota et desideria a laicis proposita attente in Christo considerent (8) (L). Iustam autem libertatem, quae omnibus in civitate terrestri competit, Pastores *observanter* agnoscent (M).

Ex hoc familiari commercio inter Laicos et Pastores permulta bona Ecclesiae exspectanda sunt: *ita enim in laicis roboratur propriae re-*

[125] *Textus prior*

27. [*Adhortatio*]. Sacrosancta Synodus, quae magna cum gratitudine conscia est de ingentibus bonis ope omnium christifidelium, ad iugem Corporis Christi aedificationem obtentis, omnes utriusque sexus fideles amanter et instanter hortatur, ut collatis viribus una cum Hierarchia divinitus instituta, sub Christo capite eiusque Spiritu veritatis et amoris animati, missionem suam apostolicam ad gloriam Dei Patris per Filium in Spiritu Sancto indesinenter expleant. Dignitatis et vocationis suae conscii, magno animo suscipiant suum, pro parte qua in mundo operantur, speciale officium, quod nempe eodem modo ab aliis neque praestatur neque praestari potest. Etiam in difficilioribus
[126] adiunctis positi, ne erubescant Evangelium, sed officium suum ardenter impleant, ut fiat voluntas Dei, sanctificatio nostra, et Patris, qui in caelis est, regnum adveniat!

Textus emendatus

sponsabilitatis sensus, fovetur alacritas, et facilius laicorum vires Pastorum operi associantur (N). *Hi vero, laicorum experientia adiuti, tam in rebus spiritualibus quam in temporalibus, distinctius et aptius iudicare valent, ita ut tota Ecclesia, ab omnibus membris suis roborata, suam pro mundi vita missionem efficacius compleat.*

38. (olim n. 27). [*Conclusio*]. (A) Unusquisque laicus *debet esse* coram saeculo testis resurrectionis et vitae Domini Iesu atque signum Dei vivi. *Omnes insimul* et unusquisque *pro sua parte* mundum fructibus spiritualibus alere debent (cf. *Gal.* 5, 22), *in eumque spiritum diffundere, quo animantur illi pauperes, mites et pacifici, quos Dominus in Evangelio beatos proclamavit* (cf. *Mt.* 5, 3-9) (B). Uno verbo, « quod anima est in corpore, hoc sint in mundo christiani » (9 (C).

NOTAE

Caput IV (olim III) - *De laicis*

Ad n. 32.

(1) S. AUGUSTINUS, *Serm.* 340, 1: *PL* 38, 1483.

Ad n. 33.

(2) Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 221 s. PIUS XII, Alloc. *De quelle consolation,* 14 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 790 s.

(3) Cf. PIUS XII, Alloc. *Six ans se sont écoulés,* 5 oct. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 927. De « mandato » et missione canonica, cf. Decretum *De Apostolatu laicorum,* cap. IV, n. 16, cum notis 12 et 15. [126]

Ad n. 36.

(4) Ex *Praefatione* festi Christi Regis.

(5) Cf. LEO XIII, Epist. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), p. 166 ss. IDEM, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.,* 22 (1889-90), p. 397 ss. PIUS XII, Alloc. *Alla vostra filiale,* 23 mart. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 220: « la legittima sana laicità dello Stato ».

Ad n. 37.

(6) *Cod. Iur. Can.,* can. 682.

(7) Cf. PIUS XII, Alloc. *De quelle consolation, l. c.,* p. 789: « Dans les batailles décisives, c'est parfois du front que partent les plus heureuses initiatives... ». IDEM, Alloc. *L'importance de la presse catholique,* 17 febr. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 256.

(8) Cf. *1 Thess.* 5, 19 et *1 Io.* 4, 1.

Ad n. 38.

(9) *Epist. ad Diognetum,* 6: ed. FUNK, I, p. 400. Cf. S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In Mt.* Hom. 46 (47), 2: *PG* 58, 478, de fermento in massa.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS [127]

RELATIO DE N. 30, OLIM N. 22

(A) Textus huius Introductionis desumitur praevalenter ex *Nova ordinatione capitum* proposita mense sept. 1963 ab E.mo Suenens, cum minoribus modificationibus.

In initio deletur *nunc,* quia non necessarium, et simpliciore locutione dicitur *animum advertit,* ut voluit E/532.

(B) Ponitur *statui* laicorum, loco *condicioni et missioni* (quae verba paulo post recurrunt), ut laicatui agnoscatur in Ecclesia honor constituendi *statum,* saltem sensu lato.

(C) Additur *religiosos,* quia definitio, vel potius circumscriptio typologica laicorum eos contradistinguit non solum a clericis, sed etiam a religiosis, per notam quodammodo specificam « indolis saecularis ». Additur autem *viris et mulieribus,* ob dicta in Aula de loco mulierum in Ecclesia.

(D) *Ob specialia ... expendenda sunt*: sic indicatur ratio etiam historica in ordine salutis, cur hoc momento Ecclesia magis directe consideret condicionem et missionem laicorum.

[127] (E) Plures emendationes coniunctionem et *solidaritatem* inter Hierarchiam et Laicatum exprimere intendunt. Maioris momenti sunt modificationes propositae ab E/989; E/972, etc. Apposita est incisa *ministrationes et charismata,* necnon vox *unanimiter* secundum plurimorum interventionem.

(F) IOANNES PP. XXIII, in allocutione diei Pentecostes 1960, voluit ut hic textus programmaticus sit « scriptus super portas Concilii ».

RELATIO DE N. 31, OLIM N. 23, § 4

(A) Multi Patres postulaverunt *ampliorem descriptionem* Laici, et in specie quod indoles saecularis eius peculiariter in lucem adduceretur. Subcommissio unanimiter statuit hanc paragraphum esse conficiendam et immediate post n. 30 (antea n. 22) esse ponendam, claritatis logicae causa.

In prima propositione dicitur *hic,* ut innuatur Concilium non velle definitionem dare dirimendo discussiones scholarum, v. g. utrum Religiosi, et a fortiori membra Instituti Saecularis, inter laicos numerandi sint, et quonam sensu. Ulterius Concilium non proponit definitionem « ontologicam » laici, sed potius descriptionem « typologicam ».

[128] (B) In initio indicatur *ratio generica et positiva christifidelium,* quae nititur in baptismo, quo Christo incorporantur, et quae connectitur cum munere sacerdotali, prophetico et regali Christi, ut voluerunt E/938 (120 Epp.); E/1093 (90 Epp.); E/989 (40 Epp.), etc. Indicatio connexus cum Corpore Christi per baptismum addita est suggerentibus E/1017; E/981; E/1083/3 (40 Epp.). Participatio fidelium, etiam laicorum, in triplici munere Christi, quae hic simpliciter indicatur, postea in numeris 34, 35 et 36 explanatur.

(C) Secunda pars textus elaborat *typologiam Laici* in mundo, per comparationem cum clericis et religiosis, secundum E/1017. Pro *clericis* inspiciatur Caput III de institutione hierarchica Ecclesiae; pro *Religiosis* autem Caput VI, praesertim n. 44.

(D) Haec sententia correspondet ex una parte *Propositioni* laudatae E.mi Suenens et E/983, ex altera parte modificationibus quae claritatis gratia introductae sunt, praesertim de laicorum munere in sanctificando mundo. Laici scilicet in mundo sunt et in eo laborant, sed « malitiae mundi » adversantes, « mundum ipsum » ab intra sanctificant. Haec antithesis correspondet duplici significationi vocabuli « mundi » in textibus biblicis: Christus mundum sub signo peccati et Satanae odio habet, sed homines in mundo degentes diligit, et vult ut mundus per fidem salvetur. Similiter agere debent christiani.

(E) Subcommissio addidit: *in laudem gloriae Creatoris et Redemptoris,* 1) ut aspectus culticus totius Ecclesiae magis appareret, sicut a pluribus Patribus rogatum fuit; 2) ut per verbum « Creatoris » valores ordinis creationis in lucem adducerentur; 3) ut per vocem « Redemptoris » omnia in luce redemptionis resumerentur. [128]

Relatio de n. 32, olim n. 23

(A) *Titulus* mutatus est secundum propositionem E/529, quia locutio « de aequalitate et inaequalitate » non placebat.

(B) Textus *Rom.* 12, 4-5 rursus citatur, ut imago Corporis Christi, etsi pertinet ad thema generale, explicite appareat etiam ubi loquendum est de dignitate laicorum in eius nota specifica. Cf. propositionem E/990. Textus prior adducebat citationem e Pontificali Romano, quae non retinetur, quia de facto de variis gradibus *Hierarchiae* agit.

(C) Postulatum est, ut inde ab initio indicaretur unitas in *fide*; ita E/1014 (31 Epp.). Similiter E/983 proposuit inversionem, ut ab Apostolo inciperetur et ut clarius apparerent tres virtutes theologales. Dicitur autem « *communis* nobilitas... » ut urgeatur koinônia seu solidaritas; in eodem sensu dicitur *una* salus, *una* spes.

(D) Postulaverunt E/1025 et E/966 ut dicatur: « *stirpe* vel natione », nempe contra « razzismum ».

(E) Citatio *2 Pt.* 1, 1 addita est, ut satisfieret E/1040 et E/1045. In qua citatione, vel potius allusione, omittitur vox *nobiscum,* quippe [129] cuius sensus maneat dubius, id est: nobiscum Iudaeis? An nobiscum apostolis?

(F) Dicitur *pro* aliis, loco *super* alios, ut melius indicetur ministerium seu diakonia, secundum votum E/1045 (30 Epp.).

(G) Plures leviores *correctiones stylisticae,* secundum desiderium E/990, in sensu « diakoniae », vel etiam pro latinitate inductae sunt.

(H) *Diversitas* est elementum unitatis, secundum quod provenit ex operatione unius Spiritus Sancti. Quae idea Orientalibus maxime cordi est. Cf. E/985.

(I) Additur: *familiam Dei,* ut obiectum actionis grammaticaliter indicetur, et ut urgeatur « koinônia », ut praesertim ab Epp. Asiae desideratur.

Relatio de n. 33, olim n. 25, § 1

(A) Propositum fuit, ut post mentionem « Populi Dei » et « Corporis Christi » adderetur: *sacerdotium universale participantes,* ut in memoriam revocaretur hoc thema, quod nunc ad Cap. II: *De Populo*

[129] *Dei* translatum est. Sed de sacerdotio universali tractatio statim post, sub n. 34, ponitur. Activitas autem religiosa laicorum in textu exhibetur, non tamquam occasionalis et suppletiva, sed ut ordinaria et regularis. Omnibus enim competit cooperatio ad diffundendam fidem et gratiam.

(B) Plurimi Patres postulaverunt, ut indicaretur basis *sacramentalis* activitatis laicorum. Ita E/660, E/905, E/976, E/916. Ideo praeter baptismum et confirmationem indicatur etiam S. Eucharistia.

(C) De *caritate* ut anima apostolatus locuti sunt E/916 et E/917. Cur autem Dominus caritatem mandatum « suum » et mandatum « novum » vocet, explicatur in textu priori ed. 1963, sub nota 10, p. 14.

(D) De praesentia Ecclesiae, ut *sal terrae,* per laicos cf. praeter E/989 (30 Epp.); E/505; E/916; E/974; E/1046; E/1076; E/1085. Hic praecipue utiles comprobantur *contactus personales,* quos laici cum hominibus in mundo habent.

(E) Distinguit Subcommissio sat clare inter *apostolatum generalem* et apostolatum strictioris sensus, scilicet *ex mandato.* Haec ultima quidem vox non adhibetur, — quod neque fiebat in textu priore — sed substantia eius servatur, ut petierunt omnes. Communis ergo vocatio ad apostolatum distinguitur a formis specialibus sub « magis immediata » responsabilitate Hierarchiae. Ita E/989; E/990; E/974; E/1046; E/1083; E/1085.

Subcommissio adhibet vocabulum *cooperationis.* Notum est Pium XI saepius adhibuisse verbum « participationis », dum Pius XII et Ioannes XXIII libentius de « collaboratione » loquebantur. Quaestio tamen per locutionem « cooperatio magis immediata » non dirimitur. In-
[130] vocantur autem textus principaliores *S. Pauli* de cooperatoribus suis laicis, sive viris sive mulieribus.

(F) Haec idea complementaria *de muneribus ecclesiasticis* a laicis exercendis desumitur ex laudata *Propositione* E.mi Suenens.

(G) Vox *praeclarum* placet potius quam *honorificum,* quamvis E/1090 aliter sentiat.

Dicitur: *laicis,* loco: *fidelibus,* ut intelligatur hic agi de solis laicis, et non in genere de omnibus christifidelibus, inclusis clericis et religiosis.

(H) Mutationes *in ultima sententia* propositae sunt ab E/1083/3, qui instat, quod in apostolatu generico laici expectare non debent « mandata » Hierarchiae, sed suam responsabilitatem sponte adsumere; quod propter temporis nostri necessitates magis urget.

RELATIO DE N. 34: NOVUS [130]

(A) Tres sequentes paragraphi sunt partim novae et desumuntur praevalenter ex E/938 (120 Epp.). Exponitur autem in iis *participatio* Laicorum *in munere sacerdotali, prophetico* et *regali* Christi. Vitatur tamen nimis rigida applicatio istius triplicis muneris, ne tripartitio theologiae imponatur. Unde magis respicitur ad sensum, nempe ad cultum, ad testimonium et ad servitium in communione. Idea *koinônias* sub aspectu oecumenico magni momenti est, et a pluribus Patribus commendatur.

Ita simul facilior fit expositio de apostolatu laicorum *ratione obiecti* circa quod exercetur. In eumdem sensum redacta est Introductio n. 30, et descriptio « quidnam sit Laicus? » n. 31. Intentio est vitare omnem speciem « clericalismi ».

(B) Haec initialis sententia obiectum enuntiat, quod in *tribus* paragraphis sequentibus evolvitur secundum aspectus sacerdotii, testimonii et servitii.

Sequens expositio, quoad sensum et non semel quoad ipsa verba, desumitur ex E/938, sed etiam ex E/529; E/908; E/923; E/979; E/984.

(C) Observat E/938, quoad laici non tantum diriguntur ad homines et ad mundum, sed etiam *ad laudem Deo deferendam* per cultum.

(D) Propositum est in hoc loco adducere citationem *Rom.* 12, 1, quae tamen alibi iam explicite adhibetur; unde praefertur citatio *1 Pt.* 2, 5. Iamvero *hostiae spirituales* et *fructus Spiritus Sancti* non in solo cultu reponuntur, sed etiam in omnibus actibus vitae christianae quotidianae. Sic laici quoque mundum Deo aliquo vero sensu « consecrant », quamvis hanc consecrationem aliter ac sacerdotes ministeriales operentur, et quin mundus exinde ex suo temporali ordine exeat. Duae istae assertiones, hic inserendae, a maiore parte Commissionis in sessione plenaria approbatae sunt. Rerum itaque temporalium indoles propria, ad bonum temporale directa, integre servari debet, ut *confusioni* inter res [131]
religiosas et res temporales praecaveatur, simul tamen etiam *separatio* vitetur, qua valores terrestres ut totaliter independentes et absoluti efferrentur.

Haec paragraphus paucis absolvitur, quia de hoc obiecto fusius actum est in capite *De Populo Dei,* sub n. 10 et 11 (olim n. 24).

[131] RELATIO DE N. 35: NOVUS

(A) Hic aspectus *eschatologicus,* qui etiam realitates terrestres coinvolvit, explicitius elaboratus est propter rationes oecumenicas.

(B) De apostolatu *familiae christianae* hic additur expositio, instantibus E/938 (120 Epp.); E/910; E/920 et E/1070. Cf. etiam quae dicuntur de « sacramento matrimonii » sub n. 11, et de « sanctitate » coniugum et parentum sub n. 40. Aspectus formalis istius obiecti in tribus indicatis paragraphis est omnino diversus.

S. AUGUSTINUS ita patresfamilias alloquitur, *Serm.* 94: *PL* 38, 580 s.: « Agite vicem nostram in domibus vestris. Episcopus inde appellatus est, quia superintendit, quia intendendo curat ». Ideo, ait, parentes debent suos in fide instruere. Cf. *In Io. tr.* 51, 13: *PL* 35, 1768. Secundum S. Io. CHRYSOSTOMUM, domum suam ecclesiam efficere debent, *In Gen. Hom.* 2, 4: *PG* 53, 31. *In Gen. serm.* 6, 2: *PG* 54, 607. Cf. *ibid.* 7, 1; col. 607 s.: « Cum heri dixissem: unusquisque vestrum domum suam ecclesiam efficiat, magna voce acclamastis ac voluptatis qua vos illa verba profunderant, significationem dedistis ». De educatione christiana, cf. S. GREGORIUS NYSS., *Vita S. Macrinae*: *PG* 46, 961-964. S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In Eph. Hom.* 21, 2: *PG* 62, 151. S. HIERONYMUS, *Epist.* 107 ad Laetam: *PL* 22, 867-878.

Status coniugatorum in Ecclesia apud S. AUGUSTINUM vocatur *vitae genus* vel *professio*: *Enarr. Ps.* 36, I, 2: *PL* 36, 356 s.; *Enarr. Ps.* 132, 4: *PL* 37, 1730. Vel *officium*: *Serm.* 96, 7, 9: *PL* 38, 588; *ibid.,* 267, 4; col. 1231. Vel *gradus*: *Serm.* 192, 2: *PL* 38, 1012. S. GREGORIUS M. in Ecclesia distinguit *ordines,* scilicet pastorum (praedicatorum), continentium et coniugatorum: *Mor.* I, 14, 20; *PL* 75, 535; *In Ezech.* I, 8, 10 et II, 7, 3: *PL* 76, 858 et 1014. De gradibus et ordinibus loquuntur etiam S. FULGENTIUS, *De Trin.* 12: *PL* 65, 507, et S. BEDA VEN., *In Io.,* cap. 2: *PL* 92, 661. D. THEODORETUS adhibet vocem « tagmata », *In 1 Tim.* 2, 15: *PG* 82, 804; S. Io. CHRYSOSTOMUS vocem « fratreias », *In 1 Cor.* 30, 4: *PG* 61, 254.

De matrimonio ut *dono Dei* cf. *1 Cor.* 7, 7: « Unusquisque proprium donum (idion charisma) habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic ». Cf. THEODORETUS, *Haeret. fabul. compend.* V, 25: *PG* 83, 540, et *In 1 Cor.* 7, 7: *PG* 82, 273. S. HIERONYMUS, *Epist.* 48, 4: *PL* 22, 496. S. AUGUSTINUS, *De Dono Persev.* 14, 37: *PL* 45, 1015 s.:
[132] « Non tantum continentia Dei donum est, sed coniugatorum etiam castitas ». *Serm.* 354, 4: *PL* 39, 1564 s.: « Est enim coniugalis vita lauda-

bilis, et habet in corpore Christi locum suum... Coniugalem agentes vitam, [132]
si tenent humilitatem, superbis castis meliores sunt ».

(C) Dicitur: *curis temporalibus,* quia locutio: *negotia saecularia,* ab E/990 proposita, praesertim in translationibus non placet. Haec et sequentia desumuntur ex textu priori, n. 25, par. *a*). Attamen ibi idea erat paululum diversa, quia ibi sermo erat de finalitate actionis laicorum, hic vero agitur de eorum occupationibus.

(D) Pro *augmento extensivo et intensivo* dicitur potius *ad dilatationem et incrementum,* quae magis latine et minus scholastice sonant, ut observaverunt E/996 et E/717.

Haec expositio de indole prophetica muneris laicorum compleatur ex illis, quae dicuntur sub n. 12, de sensu fidei et charismatibus.

Munus *doctrinale* laicorum impletum invenimus a doctoribus laicis antiquis, v. g. S. Iustino, Aristide, Arnobio, Lactantio, Boetio, Cassiodoro, etc., necnon a modestioris condicionis christianis, de quibus Celsus apud Origenem, *C. Celsum,* III, 55: *PG* 11, 993. Cf. S. Thomas, *Summa Theol.* III, q. 71, a. 4, ad 3: « Instructio conversiva ad fidem... potest competere cuilibet praedicatori, vel etiam cuilibet fideli ».

Relatio de n. 36, olim n. 25, § 3-4

(A) In nova redactione cura habita est ut participatio in munere *regali* tamquam *servitium* appareret.

(B) De *regali* sacerdotio fidelium, quo regnum peccati devincunt, cf. Origenes, *In Mt. hom.* 14, 7: *PG* 13, 1197. S. Hilarius, *In Ps.* 67, 30: *PL* 9, 465; *CSEL* 22 (Zingerle) p. 306: « Ipse rex sit eius, cuius servus fuit ante, peccati, hostiam seipsum vivam... Deo offerens ». Cf. *ib.* 135, 6; col. 771; p. 717: « Reges sunt in quos non regnat peccatum, qui dominantur corporis sui, quibus est huius subditae et subiectae sibi carnis imperium. Hi ergo reges sunt, et horum Deus rex est ». *Ibid.* 2, 42; col. 287; p. 69; *ibid.* 137, 12; col. 789; p. 741.

S. Ambrosius, *In Ps.* 118, *serm.* 14, 30: *PL* 15, 1403. S. Hieronymus, *In Is.* 60, 1: *PL* 24, 588 s. S. Leo M., *Serm.* 4, 1: *PL* 54, 149: « Quid enim tam regium, quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam puram, et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre? ».

(C) Effertur *valor rerum creatarum,* ut in luce ponatur apostolatus ex parte obiecti, ne apostolatus ille laicorum appareat ut aliquid arbitrarie super ipsam naturam rerum additum.

(D) Additur *caritate* propter momentum huius virtutis, secundum postulatum E/1083, 3.

[132] (E) Dicitur: *praecipuum,* suadente E/986, propter latinitatem et [133] praecisionem. Licet cleri et religiosi quamdam activitatem « laicalem » aliquando exerceant, praesertim ad certas deficientias complendas, a. v. per modum suppletivum, universaliter tamen loquendo pro huiusmodi activitate laicis substitui nequeunt.

(F) De *competentia in profanis disciplinis* fit sermo secundum desiderium E/1083, 3.

(G) Dicitur « *Christus* per Ecclesiae membra », ut observetur Christocentrismus, a S. P. PAULO VI commendatus in *Alloc.* 29 sept. 1963, ad Concilium. Dicitur *per Ecclesiae membra,* quia agitur de officio quod fidelibus incumbit.

(H) Additur *collatis viribus,* ut appareat aspectus communitarius, secundum plurium desiderium.

(I) Servatur expressio *valor moralis,* quamvis plures Patres criticam moverint contra vocabula « valores religiosi, morales, saeculares ». Cf. E/717; E/934 (30 Epp.); E/990; E/1004; E/1074 (30 Epp.). Videtur tamen quod sese opponunt triplici divisioni horum valorum, non vero contra usum termini valoris in hoc loco. Terminus tum in textu priori, tum in textu proposito E/938 (120 Epp.) adhibetur, et per explicationem in nova redactione additam clarificatur, in sensu a Patribus intento.

(K) Hic proponebatur poni textum *de beatitudinibus,* inspiratum per votum E/938, qui textus tamen melius in n. 38 (Conclusio) locum inveniet.

(L) Textus de *distinctione* inter campum *ecclesiasticum* et campum *civilem* est emendatio textus prioris, n. 25, sub litt. *c*). Ille textus quasi innumeras murmurationes excitavit, et quidem duplici sensu:

a) Quidam voluerunt ut *ne allusio quidem* fieret ad relationes inter Ecclesiam et Statum, et vituperant in contextu citationem *Mt.* 22, 21, necnon expressionem « infaustae separationis ». Sic E/939; E/936 (91 Epp.); E/1005; E/996; E/966; E/980 (39 Epp.); E/1024.

b) Alii timent ne dicta *de laicitate* doceant quasi independentiam rerum profanarum a principiis moralibus. Locutio: *indoles laica,* aiunt, ne usurpetur, quia extra regiones linguae gallicae difficile intelligitur. Sic E/966 et E/934 (30 Epp.). Quibus accedunt E/867 et E/990. PIUS XII, *l. c.,* hanc expressionem italice adhibuit.

Textus ut nunc proponitur inspiratus est ab E/966 et E/989.

(M) In ultima sententia paragraphi supprimuntur locutiones *indoles laica* et *infensus laicismus,* quia difficile intelliguntur nisi in cultura linguae gallicae; aufertur etiam *saecularismus,* quia vox ambigua est, praesertim quando verti debet in alias linguas. Subcommissio tamen unanimiter declarat se thesim textus recepti sub aliis formulis rursus

affirmare, et voluit ut hoc in *Relatione* explicite diceretur. Ita statuitur [133]
differentia inter tendentiam servandi legitimam autonomiam societatis civilis, et completam saecularizationem, religioni adversam.

RELATIO DE N. 37, OLIM N. 26 [134]

(A) *De obiecto huius paragraphi.* E/932 (69 Epp.) proponit ut de oboedientia agatur in capite II schematis, ubi de Populo Dei, quia oboedientia est obligatio communis omnium fidelium. Iamvero E/1085 optat ut in *hac* paragrapho non minus de obligatione pastorum quam laicorum fiat sermo, et postulat uberiorem expositionem de spiritualitate laicorum.

Subcommissio respondit quod agere intenderet, non tantum de *oboedientia,* sed de *tota relatione* laicorum ad clerum, speciatim tamen sub respectu laicorum, ut omnia secundum aequitatem dicerentur. De spiritualitate vero potius in capite « de Sanctitate » tractandum est.

(B) « *Laici,* sicut omnes *fideles...* ». Ita ponitur suggerente E/1016. Distinguitur ergo inter laicos et « fideles omnes », ad quos etiam clerici et religiosi pertinent.

(C) Per voces textus emendati: *verbi Dei et Sacramentorum* quodammodo specificantur adiumenta de quibus hic sermo est, ut voluit, E/1085. Additum est insuper: *abundanter.*

(D) De *fiducia* sermo fit, ut urgeatur spiritus familialis in Ecclesia, suadentibus E/972 et E/1078. Cf. sub (K) correspondentem observationem ex parte pastorum.

In eadem connexione idearum petunt E/979 et E/1070 ut hic fusius agatur *de opinione publica* in Ecclesia. Sed subcommissio observavit hanc quaestionem non solos laicos respicere, et insuper iam sub aliquo aspectu tractatam esse sub n. 12 (olim n. 24), ubi scilicet de sensu fidei. Quapropter illa quae in textu dicuntur subcommissioni videbantur sufficere.

Dicitur *quae filios Dei... decet,* ut magis theologice exhibeatur natura relationis inter laicatum et hierarchiam, ut voluit E/967. Modum dicendi exhortativum *patefaciant* voluit E/996.

(E) Post *bonum Ecclesiae* omittitur *et communitatis,* suadente E/1127.

(F) De *institutionibus* ad ordinandas relationes inter laicos et Hierarchiam haec notatu digna sunt: E/976 proponit specialem Congregationem; dum E/941 suggerit specialem instantiam pro componendis querelis inter clerum et laicos. E/915 et E/996 volunt instituta ad suggestiones Hierarchiae proponendas. Quibus tamen opponitur E/989 (40 Epp.). Verba: *si casus ferat* dicuntur secundum desiderium E/1085

[134] claritatis gratia; attamen quaestio de erigendis institutionibus potius ad Decretum practicum videtur pertinere.

(G) « *Caritas* » ponitur in fine, quia est apex omnium.

(H) Quidam Patres voluerint urgere obligationem *oboedientiae,* E/921; E/1097. Alius: E/888 petit *distinctam* rationem oboedientiae pro variis gradibus sollemnitatis in declarationibus Magisterii. De istis autem agitur sub n. 25 (olim n. 19), ubi de munere docendi Episcoporum.

(I) *Respectus ad Christum* Eiusque oboedientiam inseritur, ut pro-
[135] fundior natura nostrae oboedientiae exhibeatur, ut voluit E/967. Simul extollitur nexus inter oboedientiam et libertatem sacram.

(K) Post expositionem de habitudine laicorum ad Hierarchiam, nunc e converso res consideratur *ex parte Pastorum.*

Textus « *dignitatem* et responsabilitatem ... *aggrediantur* », desumitur ex Decreto de Apostolatu Laicorum, tit. 2, c. 1, n. 21. Suggestio proponitur ab E/930, et accessit consensus Commissionis de Apostolatu Laicorum.

Pro « consilio secundum propriam *competentiam* » scribitur « *prudenti* consilio », tum quia de « competentia » illa iam pluries sermo fuit, et ceterum hic non apparebat utrum ageretur de competentia laicorum an de competentia Hierarchiae.

(L) *Paterno cum amore* ponitur pro spiritu familiali, ut dictum est supra sub (D). Dicendi modus scilicet est minus iuridicus.

(M) Quae hic dicuntur de laicorum *libertate in temporalibus rebus* respondet votis E/989 (39 Epp.); E/1127; E/1116; E/1083.

(N) Fusior sermo de *familiari commercio* inspiratus est per E/989 (39 Epp.), cui accedit E/912.

E/936 (90 Epp.) petiit ut inculcaretur cooperatio laicorum *pro expensis cultus.* Quod videtur potius ad Decretum practicum pertinere.

Relatio de n. 38, olim n. 27

(A) Textus iste desumptus est ex *Nova ordinatione* proposita ab E.mo Suenens, in qua urgetur aspectus christologicus.

(B) Ponitur *omnes insimul* et singuli pro sua parte, ut aspectus communitarius disertius indicetur. Producuntur autem fructus animante spiritu beatitudinum evangelicarum.

(C) Citatio est ex *Epistula ad Diognetum,* VI, 1, expressa tamen sub forma optativa.

RELATIO GENERALIS [136]

Inter quattuor capita Schematis *de Ecclesia,* praeparati a Commissione Theologica, caput *de Laicis* videbatur tale, ut post modicam emendationem, quae non nisi accidentalia respiceret, approbari posset. Attamen quando currente mense septembri anni 1963, ab E.mo Cardinali Suenens proposita fuit nova capitum ordinatio in Schemate *de Ecclesia,* notabilis accidit rerum mutatio.

Interposito enim inter caput I *de Mysterio Ecclesiae* et caput II *de Hierarchia et Episcopatu* novo capite *de Populo Dei,* quaedam ex capite *de Laicis,* exempli causa de Sacerdotio Communi, transponenda erant ad caput novum, dum ex altera parte in ipso capite *de Laicis* clarius et etiam latius exponenda erant ea quae specifice sunt laicis propria: quod facilius erat dictu quam factu.

Revisio capitis *de Laicis* concredita fuit Subcommissioni, cuius membra erant Exc.mi WRIGHT, SPANEDDA, McGRATH. Mense autem novembri a. 1963 erecta fuit Subcommissio mixta, cuius membra, praeside Exc.mo WRIGHT, erant ANCEL, SCHROEFFER, McGRATH ex parte Commissionis doctrinalis, GUANO, BLOMJOUS, HENGSBACH, MENAGER ex parte Commissionis de laicorum apostolatu. Membris autem tamquam periti adfuerunt: DELHAYE, HAERING, HIRSCHMANN, KLOSTERMANN, LAFORTUNE, MEDINA, MOELLER, v. RIEDMATTEN, TUCCI, necnon, ut huic subcommissioni congruit, tres laici cooperatores: DE HABICHT, SUGRANYES DE FRANCH et VASQUEZ.

Omnia membra huius Subcommissionis mixtae, excepto Exc.mo BLOMJOUS, Episcopo Mvazaensi, diebus 1 et 2 februarii convenerunt Turigi in Helvetia et per quattuor sessiones longas absolverunt opus sibi demandatum, iuvantibus Ill.mo Glorieux, secretario Commissionis *de Laicis,* necnon pluribus peritis, quos inter duobus laicis. Pro magna parte relatorem fecit v. RIEDMATTEN.

In nova ordinatione et revisione textus plures, ut patet, scopuli erant vitandi. Non enim simpliciter in idem incidunt laici cum fidelibus, quippe qui includunt etiam hierarchicos et fideles. Bene quoque distinguendi erant ordo naturalis et supernaturalis, temporalia et spiritualia, ut ex una parte periculosa confusio, ex alia non minus periculosa separatio evitaretur. Tandem quod ad usum vocabulorum attinet: voces: clerici, laici, religiosi, clericalismi, laicismi, mundi quoque eiusque consecrationis vel damnationis sive in lingua sacra, sive in iuridica, sive in vulgari quotidiana, aliter ac aliter usurpantur.

Quod ad Actionem Catholicam attinet, vox in Capite non nominatur,

[136] utpote decursu temporum vario sensu adhibita, principia autem clare statuuntur.

Subcommissioni curae erat magis quam distinctionem, quae reapse
[137] inter hierarchicos et laicos existit, urgere socium utrorumque laborem apostolicum ex virtute communis sacerdotii, tam in ordine sanctificationis quam in ordine doctrinae et directionis.

Expedire quoque videbatur suo loco quaedam addere de matrimonio et de familia, etsi, maxime in Ecclesia Orientali, etiam sacerdotibus non semper excluditur via ad connubium et prolis educationem in familiae nexu.

Diligens cura adhibita est, non solum ut omnis collisio evitaretur cum Schemate *de Laicorum Apostolatu,* sed etiam ne intraretur in quaestiones illi decreto reservatas. Potius huius documenti disciplinaris ponitur basis dogmatica.

Opus Subcommissionis mixtae debite revisum et quibusdam factis emendationibus approbatum fuit a Commissione doctrinali in sessionibus plenariis, diebus 10-12 martii huius anni 1964 habitis in palatio Vaticano.

CAPUT V [139]

(SIVE CAP V, SECTIO A)

DE UNIVERSALI VOCATIONE AD SANCTITATEM IN ECCLESIA

Textus prior

28. [*Prooemium*]. In mysterio Ecclesiae, quod a Sancta Synodo sollemniter mundo annuntiatur, omnes, sive ad Hierarchiam pertinent, sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur. Filius enim, qui secundum aeterni Patris consilium ad homines in terra venit, « ut vitam habeant et abundantius habeant » (*Io.* 10, 10), universos ad plenam perfectamque adoptionem filiorum elevat eosque benedictionibus caelestibus replet, ut sint sancti et immaculati in conspectu Dei, in laudem gloriae gratiae suae (cf. *Eph.* 1, 3-6); quosdam autem inter illos benigne eligit, ut per statum vitae, ab Ecclesia sancitum, huius universalis vocationis ad Regnum caelorum praeclarum in mundo ferant testimonium et exemplum.

29. [*De universali ad sanctitatem vocatione*]. Omnis perfectionis divinus Magister et Exemplar, Dominus Iesus, sanctitatem vitae,

Textus emendatus

39. (olim n. 28). [*Prooemium*] (A). Ecclesia (B), cuius mysterium a Sacra Synodo *proponitur, indefectibiliter sancta creditur. Christus enim, Dei Filius, qui cum Patre et Spiritu* « *solus Sanctus* » *celebratur* (1), *Ecclesiam tamquam sponsam suam dilexit, Seipsum tradens pro ea, ut illam sanctificaret* (cf. *Eph.* 5, 25-26), *eamque Sibi ut corpus suum coniunxit atque Spiritus Sancti dono cumulavit, ad gloriam Dei. Ideo in Ecclesia* omnes (C), sive ad Hierarchiam pertinent sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur, *iuxta illud Apostoli*: « *Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra* » (*1 Thess.* 4, 3). *Haec autem Ecclesiae sanctitas* (D) *in gratiae fructibus quos Spiritus in fidelibus producit, incessanter manifestatur et manifestari debet; multiformiter exprimitur apud singulos, qui in suo vitae ordine ad fastigium caritatis, aedificantes alios, accedunt; peculiariter vero apparet in praxi consiliorum, quae evangelica appellari consueverunt. Quae consiliorum praxis, Spiritu Sancto impellente, a quibusdam christianis assumpta, sive privatim sive in conditione vel statu ab Ecclesia sancitis,* (E) praeclarum in mundo fert, et ferre oportet, eiusdem sanctitatis testimonium et exemplum.

40. (olim n. 29). [*De universali ad sanctitatem vocatione*]. Omnis perfectionis divinus Magister et Exemplar (A), Dominus Iesus, san-

[140]

Textus prior

cuius Ipse et auctor et consummator exstat, omnibus et singulis hominibus cuiuscumque condicionis praedicavit dicens: « Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48). Sanctitatis autem viam omnibus Eum sincere sequentibus per Spiritum Sanctum aperire desiderans, unum universaleque mandatum dedit, ut Deum diligant ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et ex tota virtute sua (cf. *Mc.* 12, 30), et proximum diligant sicut Ipse usque in finem suos dilexit (cf. *Io.* 13, 1, 34). Cunctis proinde perspicuum est, Dominum omnes discipulos ad plenam vitae christianae et caritatis perfectionem, id est ad sanctitatem vocare.

Proinde pro omnibus et singulis, cuiusvis status vel ordinis, sive in saeculo sive in religione degentibus, una est christiana sanctitas, quae in fide et baptismate inchoata, gratuita excitante et adiuvante Dei gratia, in abundantes fructus excrescit, sicut Ecclesiae historia Sanctorumque vita luculenter commonstrant. Omnes ergo christifideles ad caritatem perfectam vires secundum mensuram donationis Christi acceptas extendant, ut Eius vestigia se-

Textus emendatus

ctitatem vitae, cuius Ipse et auctor et consummator exstat, omnibus et singulis discipulis suis cuiuscumque conditionis praedicavit: « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48) (2). *In omnes enim* (B) *Spiritum Sanctum misit, qui eos intus moveat,* ut Deum diligant ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et ex tota virtute sua (cf. *Mc.* 12, 30), et ut invicem se diligant sicut Christus eos dilexit (cf. *Io.* 13, 34; 15, 12). *Christi asseclae* (C) *a Deo non secundum opera sua, sed secundum propositum et gratiam Eius vocati atque in Iesu Domino iustificati, in fidei baptismate vere filii Dei et consortes divinae naturae, ideoque reapse sancti effecti sunt. Eos proinde oportet sanctificationem quam acceperunt, Deo dante vivendo tenere atque perficere. Ab Apostolo monentur, ut vivant « sicut decet sanctos »* (*Eph.* 5, 3), *et induant « sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam »* (*Col.* 3, 12), *fructusque Spiritus habeant in sanctificationem* (cf. *Gal.* 5, 22; *Rom.* 6, 22). *Cum vero in multis offendimus omnes* (cf. *Iac.* 3, 2), *misericordiae Dei iugiter egemus atque orare quotidie debemus*: *« Et dimitte nobis debita nostra »* (*Mt.* 6, 12) (3).

Cunctis proinde perspicuum est (D), omnes christifideles cuiuscumque status vel ordinis ad vitae christianae plenitudinem et caritatis perfectionem vocari (4), *qua sanctitate, in societate quoque terrena, altiora bona humaniori modo promoventur.* Ad quam *perfectionem* adipiscendam *fideles* vires secundum mensuram donationis Christi acceptas adhibeant, ut Eius vestigia sequentes *Eiusque imagini conformes effecti, voluntatem Patris in omnibus obsequen-*

Textus prior

quentes sese gloriae Dei et servitio proximi toto animo devoveant.

30. [*De multiformi unius sanctitatis exercitio*]. In variis vitae generibus et officiis una sanctitas excolitur. Sacra Synodus imprimis utriusque cleri sacerdotes enixe et peramanter hortatur, ut ad imaginem ordinis Episcoporum, qui in condicione vocationis ad perfectum caritatis pastoralis exercitium constituuntur, et cum quibus Presbyteri omnes in uno eucharistico sacrificio coniunguntur, ministerium suum sancte, alacriter et fortiter adimpleant ad totius populi sanctificationem. Sic enim, ut Sancti Patres docent, ad perfecte Deum amandum proximumque perfecte propter Ipsum, ascendere possunt, aemuli illorum sacerdotum, qui saeculorum decursu, in humili saepe et abscondito servitio, praeclaram sanctitatis propaginem reliquerunt.

Missionis autem et gratiae episcopalis participes sunt inferioris quoque ordinis ministri, immo latiore sensu etiam a Deo electi laici, qui, ut plene se dedant apostolatus operibus, ab Episcopo vocantur.

Textus emendatus [140]

tes, gloriae Dei et servitio proximi toto animo sese devoveant. Ita sanctitas Populi Dei in abundantes fructus excrescet, sicut in Ecclesiae historia per tot Sanctorum vitam luculenter com- [141] monstratur.

41. (olim. n. 30). [*De multiformi unius sanctitatis exercitio*]. In variis vitae generibus et officiis (A) una sanctitas excolitur *ab omnibus, qui a Spiritu Dei aguntur, atque voci Patris oboedientes Deumque Patrem in spiritu et veritate adorantes, Christum pauperem, humilem, et crucem baiulantem sequuntur, ut gloriae Eius mereantur esse consortes. Unusquisque vero secundum propria dona et munera per viam fidei vivae, quae spem excitat et per caritatem operatur, incunctanter incedere debet.*

Gregis Christi Pastores (B) *imprimis oportet, ut ad imaginem summi et aeterni Sacerdotis, Pastoris et Episcopi animarum nostrarum, sancte et alacriter, humiliter et fortiter exsequantur ministerium suum, quod ita adimpletum, etiam pro eis erit praecelsum sanctificationis medium. Ad plenitudinem sacerdotii electi, sacramentali gratia donantur, ut orando, sacrificando et praedicando, per omnem formam episcopalis curae et servitii, perfectum pastoralis caritatis munus exerceant* (5), *animam suam pro ovibus ponere ne timeant et forma facti gregis* (cf. *1 Pt.* 5, 3), *Ecclesiam etiam exemplo suo ad maiorem in dies sanctitatem promoveant.*

Sacerdotes in similitudinem ordinis Episcoporum, quorum spiritualem coronam efformant (6) (C), *de eorum muneris gratia participantes, per Christum, aeternum et unicum Mediatorem, quotidiano officii sui exercitio in Dei proximique amore crescant, communionis sacerdotalis vinculum servent, in omni bono*

[141]

Textus prior

Libenter etiam coniuges parentesque alloquitur Sacra Synodus, ut amore fideli se invicem in vita gratiae sustineant, et prolem aman-

Textus emendatus

spirituali abundent atque vivum Dei testimonium omnibus praestent (17), aemuli eorum sacerdotum, qui saeculorum decursu, in humili saepe et abscondito servitio praeclarum sanctitatis specimen reliquerunt. *Quorum laus est in Ecclesia Dei. Pro plebe sua et toto Populo* [142] *Dei ex officio precantes et* sacrificium offerentes, *agnoscendo quod agunt et imitando quod tractant* (8), *nedum apostolicis curis, periculis et aerumnis impediantur, per ea potius ad altiorem sanctitatem ascendant, ex abundantia contemplationis actionem suam nutriendo et fovendo, in oblectamentum totius Ecclesiae Dei. Omnes presbyteri et speciatim illi qui peculiari suae ordinationis titulo sacerdotes dioecesani vocantur, meminerint quantum ad suam sanctificationem conferant cum suo Episcopo fidelis coniunctio atque generosa cooperatio.*

Missionis autem et gratiae *supremi Sacerdotis* (D) *peculiari modo* participes sunt inferioris quoque ordinis ministri, *imprimis Diaconi, qui mysteriis Christi et Ecclesiae servientes* (9), *ab omni vitio puros se custodire atque Deo placere et omne bonum coram hominibus providere debent* (cf. *1 Tim.* 3, 8-10 et 12-13). *Clerici, qui a Domino vocati et in partem Eius sepositi, sub vigilantia Pastorum ad officia ministrorum se praeparant, mentes et corda sua tam praeclare electioni conformare tenentur, in oratione assidui, amore ferventes, quaecumque sunt vera, iusta et bonae famae cogitantes, omnia in gloriam et honorem Dei perficientes.* Quibus accedunt illi a Deo electi *laici,* qui, ut plene se dedant apostolicis operibus, ab Episcopo vocantur *et in agro Domini cum multo fructu laborant* (10).

Coniuges autem (E) parentesque christiani oportet ut *proprium iter sequentes, amore fideli, totius vitae decursu* se invicem in gra-

Textus prior

ter a Deo acceptam christiana mente et evangelicis virtutibus imbuant. Ita enim exemplum indefessi et generosi amoris omnibus praebent, fraternitatem caritatis aedificant et fecunditatis Matris Ecclesiae testes et cooperatores existunt, in signum illius dilectionis qua Christus Sponsam suam dilexit Seque pro ea tradidit (cf. *Eph.* 5, 25).

Denique pro omnibus christifidelibus supernas vires a Deo adprecatur, ut iidem in arduo sanctitatis itinere magno animo progrediantur; qua fervida fidelitate gratiam, vi cuius filii Patris, fratres Christi et templum Spiritus Sancti efficiuntur, fidelius servent eamque copiosioribus fructibus fecundam reddant ad Sanctissimae Trinitatis gloriam. Quo magis insuper crescit eorum sanctitas, eo clarius etiam Christi mysterium in Ecclesia revelabitur ut signum et medium sanctitatis pro mundo, necnon ut fermentum impensioris spiritualis vitae in mundo.

31. [*De mediis ad sanctitatem et de consiliis evangelicis*]. Sanctificationis forma et finis est amor Dei super omnia et operosa proximi

Textus emendatus [142]

tia sustineant, et prolem amanter a Deo acceptam christianis *doctrinis* et evangelicis virtutibus imbuant. Ita enim exemplum indefessi et generosi amoris omnibus praebent, fraternitatem caritatis aedificant, et foecunditatis Matris Ecclesiae testes et cooperatores exsistunt, in signum illius dilectionis, qua Christus Sponsam suam dilexit Seque pro ea tradidit (11). *Ii vero, qui duris incumbunt laboribus, oportet, ut humanis operibus seipsos perficiant, concives* [143] *adiuvent, totamque societatem et creationem ad meliorem statum promoveant, verum etiam ut Christum, cuius manus fabrilibus se exercuerunt et qui semper cum Patre ad salutem omnium operatur, in actuosa caritate imitentur, spe gaudentes, alter alterius onera portantes, atque ipso suo quotidiano labore ad altiorem ascendant sanctitatem etiam apostolicam.*

Specialiter etiam (F) *Christo pro salute mundi patienti se uniri sciant ii, qui paupertate, infirmitate, morbo, variisque aerumnis opprimuntur, vel persecutionem propter iustitiam patiuntur, quos Dominus in Evangelio beatos praedicavit et quos « Deus... omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos, Ipse perficiet, confirmabit solidabitque* » (*1 Pt.* 5, 10).

Omnes igitur christifideles (G) *in vitae suae conditionibus, officiis vel circumstantiis, et per illa omnia, in dies magis sanctificabuntur, si cuncta e manu Patris coelestis cum fide suscipiunt et voluntati divinae cooperantur, caritatem qua Deus dilexit mundum in ipso temporali servitio omnibus manifestando.*

42. (olim n. 31). [*De via ac mediis ad sanctitatem*]. « *Deus caritas est* (A) *et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo* » (*1 Io.*

[143]

Textus prior

dilectio. Unde mandatum dilectionis Dei et proximi ab ipso Domino pro omnibus proclamatur ut primum, maximum et necessarium, in cuius cotidiano opere perfectio usque ad plenitudinem exseritur. Caritas enim, quae a Spiritu Sancto in cordibus nostris diffunditur (cf. *Rom.* 5, 5), sacris et sacramentalibus actionibus et sedula, iuxta uniuscuiusque statum, mandatorum observantia et omnium virtutum exercitatione augetur et crescit.

Inter sanctificationis media, quae omnia a caritate procedunt et reguntur, praeclara exstant *consilia* quae *evangelica* inde ab antiquis temporibus appellari consueverunt, quae etsi perfectionem non constituunt, ad caritatis ta-

Textus emendatus

4, 16). Deus autem caritatem suam in cordibus nostris diffudit per Spiritum Sanctum *qui datus est nobis* (cf. *Rom.* 5, 5); ideoque donum primum et maxime necessarium est caritas, qua Deum super omnia et proximum *propter Illum diligimus.* Ut vero caritas tamquam bonum semen in anima increscat *et fructificet, unusquisque fidelis debet verbum Dei libenter audire Eiusque voluntatem, opitulante Eius gratia, opere complere,* sacramentis, praesertim Eucharistiae, et sacris actionibus *frequenter participare, seseque orationi, suiipsius abnegationi,* [144] fraterno actuoso servitio et omnium virtutum exercitationi *constanter applicare. Vinculum enim perfectionis est caritas* (cf. *Col.* 3, 14), *quae omnia sanctificationis media regit, informat ad finemque perducit* (12).

Cum Iesus, Dei Filius (B), *caritatem suam manifestaverit, animam suam pro nobis ponendo, nemo maiorem habet dilectionem, quam qui animam suam pro Eo et fratribus suis ponit* (cf. *1 Io.* 3, 16; *Io.* 15, 13). *Ad hoc ergo maximum amoris testimonium reddendum coram omnibus, praesertim persecutoribus, aliqui christiani iam a primo tempore vocati sunt et semper vocabuntur. Martyrium igitur, quo discipulus Magistro pro mundi salute mortem libere accipienti assimilatur, Eique in effusione sanguinis conformatur, ab Ecclesia eximium donum supremaque probatio caritatis aestimatur. Quod si paucis datur, omnes tamen parati sint oportet, Christum coram hominibus confiteri, Eumque inter persecutiones, quae Ecclesiae numquam desunt, in via crucis subsequi.*

Sanctitas Ecclesiae (C) *item speciali modo fovetur multiplicibus consiliis, quae Dominus in Evangelio discipulis suis observanda proponit* (13). *Inter quae eminet pretiosum gratiae divinae donum, quod a Patre quibusdam*

Textus prior

men fervorem maxime conferunt. Inter multa quae in Evangelio proponuntur, tria in Ecclesiae doctrina et usu peculiariter extolluntur. *Paupertas* scilicet quae in signum praestantiae bonorum Regni caelestis et actuosum fraternitatis christianae testimonium, in filiorum Dei libertate adsumitur. Deinde virginitas propter Regnum caelorum seu *Deo dicata castitas,* quae quibusdam a Patre datur (cf. *Mt.* 19, 11), tamquam signum quo quis se Deo totum devovet, propter ipsum solum dilectum, et simul tamquam principium spiritualis fecunditatis in mundo. Denique totalis subiectio Deo divinaeque ordinationi in *oboedientia* erga praepositum, nomine Christi animas dirigentem. Tria praedicta consilia, ab Ecclesia enixe commendantur, propter eorum ad sanctificationem momentum atque pondus, praesertim quia christiani per eorum praxim ad Domini vitae terrestris formam et genus propinquius accedunt.

Quamobrem christifideles, qui omnes ad sanctitatem vitae invitantur et obligantur, non omnes tamen ad consiliorum evangelicorum praxim reapse vocantur, nisi secundum proprium charisma et prudentes caritatis normas. Sed omnes ad hoc tendere debent, ut in usu mundanarum rerum sic eorum rectos affectus in rem deducant, ut a caritate perfecta prosequenda minime impediantur, monente Apostolo: « qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur » (*1 Cor.* 7, 31). Gaudet autem Ecclesia plures in sinu suo inde ab antiquitate exstitisse ab ea laudatos anachoretas, continentes, virgines ac viduas. Plures enim fuerunt omni tempore et adhuc sunt viri et mulieres, qui haec consilia, vel quaedam vel omnia, excitante Dei gratia, privatim observant, etiam aliquando voto obstricti, sese toto corde Deo summe dilecto consecrantes et servitio diffu-

Textus emendatus [144]

datur (cf. *Mt.* 19, 11; *1 Cor.* 7, 7), ut in virginitate *vel coelibatu facilius indiviso corde* (cf. *1 Cor.* 7, 32-34) *Deo soli se devoveant* (14). Haec perfecta propter Regnum *coelorum continentia semper in honore praecipuo ab Ecclesia habita est,* tamquam signum *et stimulus* caritatis, ac *quidam peculiaris fons* spiritualis foecunditatis in mundo.

Ecclesia etiam (D) *Apostoli monitionem recogitat, qui fideles ad caritatem provocans, eos exhortatur, ut hoc in se sentiant quod et in Christo Iesu, qui « semetipsum exinanivit formam servi accipiens, ... factus oboediens usque ad mortem »* (*Phil.* 2, 7-8) *et propter nos « egenus factus est, cum esset dives »* (*2 Cor.* 8, 9). *Huius caritatis et humilitatis Christi imitatio-* [145] *nem et testimonium cum a discipulis semper praeberi necesse sit, gaudet Mater Ecclesia plures in sinu suo inveniri viros ac mulieres, qui exinanitionem Salvatoris pressius sequuntur et clarius demonstrant, paupertatem in filiorum Dei libertate suscipientes et propriis voluntatibus abrenuntiantes*: *illi scilicet sese homini propter Deum in re perfectionis ultra mensuram praecepti subiiciunt, ut Christo oboedienti sese plenius conforment* (15).

Omnes christifideles (E) ad sanctitatem *et proprii status perfectionem prosequendam* invitantur et *tenentur.* Attendant igitur omnes, *ut affectus suos recte dirigant,* ne usu rerum mundanarum a caritate perfecta prosequenda impediantur, monente Apostolo: Qui utuntur hoc mundo, *in eo ne sistant*: *praeterit enim figura huius mundi* (cf. *1 Cor.* 7, 31 gr.) (16).

[145] *Textus prior* | *Textus emendatus*

sionis amoris dedicantes, sive contemplatione, sive apostolicis laboribus susceptis, sive spiritualibus exhortationibus sparsis.

NOTAE

Caput V (sive cap. V, sectio A) - *De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia*

Ad n. 39.

(1) Missale Romanum, *Gloria in excelsis.* Cf. *Lc.* 1, 35; *Mc.* 1, 24; *Lc.* 4, 34; *Io.* 6, 69 (ho hagios tou Theou); *Act.* 3, 14; 4, 27 et 30; *Hebr.* 7, 26; *1 Io.* 2, 20; *Apoc.* 3, 7.

Ad n. 40.

(2) Cf. Origenes, *Comm. Rom.* 7, 7: *PG* 14, 1122 B. Ps.-Macarius, *De Oratione,* 11: *PG* 34, 861 AB. S. Thomas, *Summa Theol.* II-II, q. 184, a. 3.

(3) Cf. S. Augustinus, *Retract.* II, 18: *PL* 32, 637 s. Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 225.

[146] (4) Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Rerum omnium,* 26 ian. 1923: *A.A.S.,* 15 (1923), p. 50 et 59-60. Litt. Encycl. *Casti Connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 548. Pius XII, Const. Apost. *Provida Mater,* 2 febr. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 117. Alloc. *Annus sacer,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), pp. 27-28. Alloc. *Nel darvi,* 1 iul. 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 574 s.

Ad n. 41.

(5) Cf. S. Thomas, *Summa Theol.* II-II, q. 184, a. 5 et 6. *De perf. vitae spir.,* c. 18. Origenes, *In Is.* Hom. 6, 1: *PG* 13, 239.

(6) Cf. S. Ignatius M., *Magn.* 13, 1: ed. Funk, I, p. 240.

(7) Cf. S. Pius X, Exhort. *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *A.S.S.,* 41 (1908), p. 560 s. *Cod. Iur. Can.,* can. 124. Pius XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), p. 22 s.

(8) *Ordo consecrationis sacerdotalis,* in Exhortatione initiali.

(9) Cf. S. Ignatius M., *Trall.* 2, 3: ed. Funk, I, p. 244.

(10) Cf. Pius XII, Alloc. *Sous la maternelle protection,* 9 dec. 1957: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 36.

(11) Pius XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 548 s. Cf. S. Io. Chrysostomus, *In Ephes.* Hom. 20, 2: *PG* 62, 136 ss.

Ad n. 42.

(12) Cf. S. Augustinus, *Enchir.* 121, 32: *PL* 40, 288. S. Thomas, *Summa Theol.* II-II, q. 184, a. 1. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 660.

(13) De consiliis in genere, cf. Origenes, *Comm. Rom.* X, 14: *PG* 14, 1275 B. S. Augustinus, *De S. Virginitate,* 15, 15: *PL* 40, 403. S. Thomas, *Summa Theol.* I-II, q. 100, a. 2 C (in fine); II-II, q. 44, a. 4, ad 3.

(14) De praestantia sacrae virginitatis, cf. TERTULLIANUS, *Exhort. Cast.* 10: *PL* 2, 925 C. S. CYPRIANUS, *Hab. Virg.* 3 et 22: *PL* 4, 443 B et 461 A s. S. ATHANASIUS, *De Virg.*: *PG* 28, 252 ss. S. Io. CHRYSOSTOMUS, *De Virg.*: *PG* 48, 533 ss. **[146]**

(15) De spirituali *paupertate* et *oboedientia* testimonia praecipua S. Scripturae et Patrum afferuntur in Relatione pp. 152-153.

(16) De praxi effectiva consiliorum quae non omnibus imponitur, cf. S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In Mt.* Hom. 7, 7: *PG* 57, 81 s. S. AMBROSIUS, *De Viduis,* 4, 23: *PL* 16, 241 s.

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS **[147]**

RELATIO DE N. 39, OLIM N. 28

(A) *Nova redactio* Prooemii, in qua tantum pauca resumuntur ex textu priori, necessaria apparuit ad respondendum breviter et summatim pluribus Patrum postulationibus sive circa materiam in genere sive circa singula elementa.

(B) *Prima phrasis*: « Ecclesia ... cumulavit ad gloriam Dei », continet affirmationem fidei: scilicet *ipsam Ecclesiam* esse sanctam. Et datur explicatio, commemorata expresse Sanctissima Trinitate: *Christus,* qui « solus sanctus » est, etiam Ecclesiam quam fundavit, sanctam voluit et fecit. Additur finis ipsius sanctitatis Ecclesiae: ad gloriam Dei. Sic providetur illis Patribus, qui postulaverunt, ut in primis sermo fieret de sanctitate Ecclesiae (cum simus in constitutione *de Ecclesia*) in suo aspectu *ontologico* et obiectivo, et in suo *fine.* Quod petitum fuit a plurimis: E/1057, 1106, 1108, 1109, 1177, 1199, 1203, 1208, 1211, 1222, 1225, 1252, 1289, 1377, etc.

(C) *Secunda phrasis*: « Ideo in Ecclesia... sanctificatio vestra ». Prima verba desumuntur ex textu priori; alia adduntur: in specie verba S. Pauli, *1 Thess.*, 4 3, quae videntur esse fundamentalia pro ultima radice sanctitatis christianae. Ille textus ab exegetis omnino ad rem dicitur esse. Sic in ista secunda sententia fit logice transitus ab ordine ontico primae sententiae ad vocationem et *ordinationem omnium ad sanctitatem.* Colligatio autem, tam in prima quam in ista secunda sententia, cum Deo, cum Ss.ma Trinitate, cum Christo, cum Ecclesia luculenter enuntiat sanctitatem non esse inventum quoddam dependens a mutabili voluntate hominum, sed ontologice iam habere suam essendi rationem theologicam, Trinitariam, Christologicam, ecclesialem. Unde patet momentum istius paragraphi etiam sub aspectu oecumenico. Cf. E/1055, 1144, 1174, 1191, 1213, 1294, 1533, etc.

[147] (D) *Tertia affirmatio*: « Haec enim Ecclesiae sanctitas... et exemplum »: monstrat progressive sanctitatem in Ecclesia non esse aliquid mere ideale, numquam in praxi obtentum, sed *aliquod factum,* quod manifestatur et manifestari debet, variis quidem modis et formis, et revera per fructus Spiritus Sancti in Ecclesia semper habitum est. Sic quodammodo insinuatur divisio materiae et mediorum ad sanctitatem, quia iam indicantur consilia evangelica.

Sed hic talia consilia citantur modo generico, ita ut per se pertinere possint etiam ad illos, qui non sunt in statu religioso. Ita prooemium, ut observatum fuit in Subcommissione, potest remanere, etiam si pro
[148] religiosis caput separatum instituitur. Ad sanctitatem, in qua Christus constituit suam Ecclesiam, et ad quam omnes vocantur et ordinantur a Deo per gratiam Spiritus Sancti, referuntur non tantum *praecepta* sed etiam *consilia.* Ideo *etiam consilia* pertinent ad ordinationem divinam et consequenter ad constitutivum bonitatis et perfectionis in Ecclesia. Prooemium tamen includit quoque coetum particularem illorum, qui *praxim* consiliorum evangelicorum in Ecclesia profitentur.

(E) Addidit Commissio verba de *multiformitate* sanctitatis in variis vitae ordinibus. Explicite insuper addidit, quod *consilia* vel *privatim* vel in *conditione* aut *statu* ab Ecclesia sancito observari possunt, ut etiam ad conditionem Sacerdotum in ritu latino et ad Religiosos alludatur.

Relatio de n. 40, olim n. 29

Subcommissio recepit textum priorem, cum aliquibus emendationibus, omissionibus et emendationibus.

(A) *Prima periodus*: « Omnis... perfectus est »: manet, ut iam in principio ponantur aspectus divinus (sicut Pater perfectus est) et aspectus *christologicus* perfectionis et sanctitatis christianae, ut postulaverunt i. a. E/529 et 1053.

(B) *Secunda periodus*: « In omnes... dilexit ». Immutatur textus prior: « Sanctitatis viam... » ad vitandas difficultates aliquas propositas a Patribus. Ita actio Spiritus Sancti etiam interna magis demonstratur in sanctitate christianorum, ut postulavit i. a. E/1120.

Amor Dei et proximi iam in Antiquo Testamento praescribitur, *Deut.* 6, 4-5 et *Lev.* 19, 18, et denuo proclamatur *Mt.* 22, 37-40, et *Lc.* 10, 27. Amor Dei alium dominum excludit, *Mt.* 6, 24; amor vero proximi in regula aurea positive proponitur, *Mt.* 7, 12, et ad ipsos inimicos extenditur, *Mt.* 5, 43; *Lc.* 6, 28. Est legis impletio, *Rom.* 13, 8; dummodo fiat opere et veritate, *1 Io.* 3, 18. Cf. S. Clemens Rom., *Ad Cor.* 49: Funk, p. 162.

(C) *Tertia periodus*: « Christi asseclae... debita nostra ». Haec est [148] *nova* sententia addita, in sequentibus Patrum considerationibus innixa: scilicet quod ipsi christiani, iam fide et baptismate iustificati, vere sancti sunt ontologice et radicaliter; cf. supra de n. 39 (B). Ita datur *fundamentum ontologicum* sanctitatis, quod fundamentum manet etiam si postea in peccata incidimus. Haec autem *recordatio peccatorum* in ipsa Ecclesia sancta, respondet desiderio quorumdam Patrum, ne nostra constitutio videatur esse in puro idealismo, potius quam attendere ad concretam vitam multorum. Ita E/1164, 1165, 1183, 1187, 1215, etc.

(D) *Ultima periodus* (§ 2): « Cunctis proinde... commonstratur »: recolligit *modo breviore,* ad vitandas repetitiones, de quibus lamentati sunt plures Patres, ea quae in textu priori dicuntur a lin. 29 ad lin. 40, mutato etiam ordine verborum. In hac periodo, quae est velut conclusio totius numeri, affirmatur categorice, quod omnes christiani non tantum [149] ad sanctitatem, ut dicamus substantialem, sed etiam *ad perfectionem* seu ad ipsam sanctitatem heroicam, sicut apparet in pluribus sanctis historiae Ecclesiae, vocantur. Additum est a Commissione quod sanctitas insuper de se promovet *humaniorem modum vivendi* in terrestribus. Conformitas cum *Christi imagine* suggesta fuit i. a. ab E/529; obsequium erga *voluntatem Patris* similiter a Commissione plenaria additum est, ut sermo fiat de adimpletione *mandatorum,* secundum desiderium E/1138 et plurimorum aliorum.

Perfectus est ille, cui nihil in ordine morali deest; cuius plenitudinis Deus ipse est exemplar. Cf. *Iac.* 1, 4: « ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes »; *ibid.* 3, 2; *Didachè,* 1, 4 et 6, 2: FUNK, *Patres Apostolici,* p. 4 et 16; S. IGNATIUS M., *Ad Eph.* 15, 2: FUNK, p. 224.

Secundum ORIGENEM, *Comm. Rom.* 7, 7: *PG* 14, 1124 A, perfectio est similitudo cum Christo, quando quis « se per omnia Verbo ac Sapientiae Dei ita coaptavit, ut in nullo prorsus ab eius similitudine decolor haberetur ». Secundum Ps.-MACARIUM, *De Oratione,* 11: *PG* 34, 861, perfectio, qua significatur plena et absoluta puritas a malis affectibus per participationem boni Spiritus, omnibus a Domino praecipitur. Pro S. THOMA, *Summa Theol.* II-II, q. 184, a. 3, perfectio per se et essentialiter consistit in caritate, quae secundum totam suam plenitudinem est de praecepto.

De universali vocatione ad sanctitatem, cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum omnium* (de S. Francisco Salesio) 26 ian. 1923: *A.A.S.,* 15 (1923) p. 50: « Nec vero quisquam putet ad paucos quosdam lectissimos id pertinere, ceterisque in inferiore quodam virtutis gradu licere consistere. Tenentur enim hac lege, ut patet, omnino omnes, nullo excepto... ». *Ibid.* pp. 59-60: « ... ut populus intelligat, vitae sanctimoniam haud esse sin-

[149] gulare beneficium, quod aliquibus concedatur, ceteris posthabitis, sed communem omnium sortem et commune officium ». Notus est textus S. FRANCISCI SALESII, *Introduction à la vie dévote,* L. 1, c. 3: « ... une hérésie, de vouloir bannir la vie dévote de la compagnie des soldats, de la boutique des artisans, de la cour des princes, du ménage des gens mariés. Il est vrai, Philothée, que la dévotion purement contemplative, monastique et religieuse, ne peut être exercée en ces vocations-là. Mais aussi, outre ces trois sortes de dévotions, il y en a plusieurs autres, propres à perfectionner ceux qui vivent dans les états séculiers... Où que nous soyons, nous pouvons et devons aspirer à la vie parfaite ».

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 548: « Sanctitatis exemplar... quod est Christus Dominus, omnes cuiuscumque sunt condicionis et quamcumque honestam vitae rationem inierunt, possunt ac debent imitari atque, Deo adiuvante, ad summum quoque christianae perfectionis fastigium, ut complurium Sanctorum exemplis comprobatur, pervenire ».

[150] RELATIO DE N. 41, OLIM N. 30

(A) *Prima periodus* (§ 1): « In variis vitae... debet », quae accipitur ex E/1181 b, introducit ad *obligationem* quam unusquisque habet perfectionem in proprio statu adipiscendi, secundum propria dona et munera. Sic ex vocatione universali ad sanctitatem in numero praecedenti fit transitus ad obligationem sanctitatis *in proprio statu* prosequendae. Ergo unusquisque non tantum potest sed etiam *debet* in proprio statu salvari et sanctificari. Sic gressus fit ad varios *status* munerum in Ecclesia, qui postulant etiam speciales obligationes, habito respectu ad propriam formam sanctitatis. *Virtutes* autem *theologales* citantur secundum postulationem *Emendat.,* pars II, n. 69 et E/1134, 1146, 1148, 1175, 1206, 1409, etc.

(B) *Secunda periodus* (§ 2): « Gregis Christi pastores... promoveant », agit de sanctitate *Episcoporum* de expresso desiderio multorum Patrum, *Emendat.,* pars II, n. 71, E/1053, 1106, 1107, 1108, 1148, 1151, 1160, 1171, 1203, 1253, 1293, etc. In specie invocantur exemplum Christi, E/1292; gratia sacramentalis, E/1247; ipsius muneris exercitium, E/1257; personale exemplum, E/1140, 1191, 1256, 1292; caritas perfecta, *Emendat.,* pars II, n. 72, E/1109, etc.

(C) *Tertia periodus* (§ 3): « Sacerdotes... cooperatio », agit distincto modo de sanctitate *sacerdotum,* ut satisfactio praebeatur non solum desiderio plurimorum Patrum, sed etiam Commissioni de Laboribus coordinandis, quae hoc expresse postulavit faciendum. Sacerdotes ipsa

pastorali caritate sanctificantur, ut dixerunt E/1053 (30 Epp.), 1080, [150]
1167 (15 Epp.), 1932; vel ipso exercitio muneris sui, cf. E/1257, et quidem per Christum, cf. E/1292. Aliqua elementa ex textu priori desumuntur; quaedam a Commissione plenaria addita sunt, nempe brevis *laus* sacerdotum, necnon sententia de coniunctione sacerdotum, praesertim illorum qui dioecesani vocantur, cum Episcopo suo.

(D) *Quarta periodus* (§ 4): « Missionis... laborant », agit expresse de sanctitate aliorum ad clerum pertinentium, in specie *Diaconorum*. Deinde memorantur *clerici et seminaristae,* ut voluit explicite Commissio Coordinationis. Denique citantur etiam *laici electi* (de quibus iam in textu priori, p. 141, lin. 18-22). Itaque periodus, praeter dicta de laicis apostolicis, est nova. Laici illi, qui ad apostolatum cum totali dedicatione adsumuntur, quamvis ad statum perfectionis canonicum non pertineant, nullo tamen elemento constitutivo perfectionis carent, ut dixit Pius XII, *l. c.* in nota 10.

(E) *Quinta periodus* (§ 5): « Coniuges... tradidit » provenit ex textu priori (p. 142, lin. 31-36), cum additione « proprii itineris » et cum duabus tantum immutationibus: loco « in vita gratiae », ponitur: « in gratia »; et loco « christiana mente », ponitur « christianis doctrinis », secundum E/1175 et 1217. De coniugibus et parentibus agitur etiam
in n. 11 (olim 24, 2) *de Populo Dei,* et in n. 35 *de Laicis*; hic vero de [151]
illis tractatur sub aspectu sanctificationis. Verba Pii XI, in Encycl. *Casti Connubii,* exscribuntur in textu priori, sub nota 7, p. 25, ed. 1963.

Altera pars huius alineae, quae speciatim *de operariis* agit, qui duris incumbunt laboribus, addita est a Commissione plenaria; summatim autem exhibet spiritualitatem laboris, secundum E/1053 (30 Epp.), 1057, 1183, 1203, 1206, etc.

(F) *Sexta periodus* (§ 6): « Specialiter... solidabitque » est *nova,* ad satisfaciendum desiderio Patrum, qui volunt ut speciali modo commemorentur illi, qui sanctitatem adipisci possunt et debent *in tribulatione, paupertate, etc.* Subcommissio censuit insuper ut hic fieret brevis recordatio *beatitudinum evangelicarum.* De pauperibus, tribulatis, etc., voluerunt sermonem: E/529, 1053, 1057 (58 Epp.), 1148, 1183 (11 Epp.), 1257. Variae aliae categoriae, v. g. infantes, senes, etc., indicantur in *Emendat.,* pars II, n. 75, E/529, 1108 (79 Epp.), 1207. De nexu cum Ecclesia, cf. *Emendat.,* pars II, n. 77, E/529, 1148.

(G) Subcommissio autem fuit consilii, ut explicitius sermo fieret de sanctitate consequenda in diversis *saecularibus professionibus,* ex plurimorum votis Patrum. Quod factum est per novam periodum insertam: « Omnes... manifestando ». Cf. E/1105, 1163, 1170, 1171, 1197, 1211, 1253, 1262, 1329, 1336, etc.

[151] RELATIO DE N. 42, OLIM N. 31

(A) *Prima periodus* (§ 1): « Deus caritas est... perducit », agit de principali et necessaria via ad sanctitatem, quae est *caritas,* in qua omnes aliae viae includuntur et superantur. Textus desumitur ex redactione priori, p. 143, lin. 27 ss., sed alio ordine et cum quibusdam immutationibus, ut clarius appareat caritas tum ut *virtus infusa,* ideo ut donum divinum, tum ut *mandatum,* ideo ut urgens ad diligendum Deum et proximum per exercitium etiam omnium *aliarum virtutum* et mediorum. De *sacramentis* voluerunt sermonem: E/1056, 1057, 1158, 1195, 1199, 1200, 1203, 1206, 1242, 1259. De *oratione*: E/1056, 1057, 1109, 1148, 1158, 1200, 1336. De *abnegatione* et ascesi: E/1056, 1158, 1199, 1200, 1203. De fraterno *servitio*: E/1109, 1174, 1195, 1200, 1210, 1216, etc. Quibus satisfactio praebetur. Deleta autem est citatio *Mc.* 12, 30, quia iam sub n. 40 ipsis verbis affertur. In fine periodi caritas dicitur *vinculum perfectionis* et *forma* ac *finis virtutum,* secundum *Mt.* 7, 12; 22, 40; *Io.* 14, 7; *Rom.* 13, 10; *1 Cor.* 13, 4 ss.; *Col.* 3, 14; *1 Tim.* 1, 5. Verba autem S. AUGUSTINI, *Enchir.* 32, et PII XII, *Menti nostrae,* exscribuntur in textu priori, sub nota 8, p. 25, ed. 1963.

(B) *Secunda periodus* (§ 2): « Cum Iesus... subsequi », agit de mediis extraordinariis, quae etiam nostris diebus occurrere possunt christianis, et in primis *de martyrio,* sicut postulatum fuit i. a. ab E/1173, 1195, 1269. Haec periodus non aderat in textu priori.

[152]

(C) *Tertia periodus* (§ 3): « Sanctitas Ecclesiae... in mundo », in primis indicat *multiplicia consilia,* quae in Evangelio proponuntur. De notione *consilii in genere,* cf. ORIGENES, *Comm. in Mt.* X, 14: *PG* 14, 1275 B: « Praecepta donantur, ut debita persolvamus... Ea vero quae supra debitum facimus, non facimus ex praeceptis. Verbi causa, virginitas non ex debito solvitur, neque enim per praeceptum expetitur, sed supra debitum offertur ». S. AUGUSTINUS, *De S. Virginitate,* 15, 15: *PL* 40, 402: « Praeceptum enim est hoc, cui non oboedire peccatum est; non consilium, quo si uti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrabis ». Consilia pertinent ad bene esse virtutis perfectae secundum S. THOMAM, *Summa Theol.* I-II, q. 100, a. 2. Ad perfectionem caritatis ordinantur: II-II, q. 44, a. 4, ad 3. Cf. expositionem generalem, *ibid.,* q. 184-189.

Nova redactio in primis agit de *sacra virginitate* ac de eius momento pro singulis et pro Ecclesia. Quaedam verba desumuntur ex textu priori, attamen nonnulla alia adduntur vel etiam mutantur, ad Patrum postulationibus respondendum. Ita sermo fit de « virginitate vel coelibatu

pro Deo solo », quia vox « castitas », vel « castitas pefecta » vel « castitas Deo dicata » de se potest habere applicationem latiorem. De quibus dixerunt: E/530, 1108, 1181 b, 1374. Verba S. CYPRIANI et BASILII ANCYR. exscribuntur in textu priori, sub nota 11, p. 26, ed. 1963. [152]

(D) *Quarta periodus*: « Ecclesia... conforment », agit de aliis consiliis evangelicis, scilicet *paupertatis* et *oboedientiae,* quae etiam illis qui non sunt Religiosi proponuntur ad perfectionem consequendam. De *paupertate evangelica* voluerunt ampliorem determinationem, etiam cum relatione ad Christum: E/ 530, 1108, 1172, 1248, 1251, 1256, 1261. Pro *oboedientia* urgent aspectum christologicum: E/1053, 1108; efficacitatem apostolicam: E/1251, 1261.

De paupertate, cf. *Mt.* 5, 3 et 19, 21; *Mc.* 10, 21; *Lc.* 18, 22, de iuvene qui a Domino invitatur, ut bona omnia temporalia derelinquat ad Christum sequendum. Quae vocatio quidem particularis est, sed simul valorem typicum pro aliis induit. Libertas a bonis mundi omnibus commendatur: *Mt.* 6, 19-21; 8, 20; *Lc.* 12, 33-34; *Iac.* 5, 2-3. In laude paupertatis Patres abundant. Cf. CLEMENS ALEX., *Quis dives,* 11 s.: *PG* 9, 615 s. ORIGENES, *In Mt.* Hom. 15, 16: *PG* 13, 1300 A. S. CYPRIANUS, *Hab. Virg.* 11: *PL* 4, 449 s. S. ATHANASIUS, *Vita Antonii,* 2: *PG* 26, 841 s. S. HIERONYMUS, *Epist.* 108, 15: *PL* 22, 892: « Illa [nempe Paula] ardentior fide, toto Salvatori animo iungebatur, et pauperem Dominum pauper spiritu sequebatur, reddens ei quod acceperat, pro ipso pauper effecta ». IDEM, *Epist.* 125, 20; col. 1085: « Si perfecta desideras, exi cum Abraham de patria et de cognatione tua, et perge quo nescis. Si habes substantiam, vende et da pauperibus. Si non habes, grandi onere liberatus es; nudum Christum nudus sequere. Durum, gran- [153]
de, difficile; sed magna sunt praemia ». S. BASILIUS, *Serm. ascet.* 2, 1: *PG* 31, 881 C. S. NILUS, *De octo spir. malitiae,* 7: *PG* 79, 1152 CD.

De oboedientia. Exemplum Christi effertur *Io.* 4, 34; 6, 38; *Phil.* 2, 8; *Hebr.* 10, 5-7. Secundum Patres, « oboedientia quae maioribus praebetur, Deo exhibetur », ut dicit S. BENEDICTUS, *Regula,* 5: *PL* 66, 350. Cf. *ibid.* 66, 872 D: « Abbas autem, quia vices Christi agere creditur, domnus et abbas vocetur, non sua assumptione, sed honore et amore Christi ». CASSIANUS, *Instit.* 12, 32 et *Collat.* 24, 26; *PL* 49, 475 et 1327 BC. In oboedientia caritas fulget: GREGORIUS M., *Mor.* XXXV, 14, 32: *PL* 76, 768.

(E) *Quinta periodus* (§ 5): « Omnes christifideles... mundi », reassumit materiam alin. « quamobrem » textus prioris, sed vitata difficultate quae obvenire potuerit ex verbis *de vocatione ad consilia*; quidam enim Patres postulaverunt ut illa verba tollerentur, v. g. E/1292. Ideo in genere in nova redactione affirmatur quod, quamvis de facto non om-

[153] nes christifideles observent neque aliquando observare possint consilia evangelica, spectata illorum propria conditione, omnes tamen manent obligati ad *perfectionem proprii status* prosequendam. Ad res mundanas contra caritatem perfectam affici non possunt. Sic transitus praeparatur ad partem quae agit *de Religiosis,* qui ad profitenda consilia in praxi vocantur, ita ut pro ipsis consilia, libere suscepta, reapse transeant in formam praecepti, immo et voti, ut suo loco dicetur. Reliqua verba textus prioris circa finem de *privata* consiliorum vel etiam votorum observantia, hic delentur.

Quod praxis effectiva consiliorum non omnibus imponitur, legitur v. g. apud S. Io. CHRYSOSTOMUM, *In Mt.* Hom. 7, 7: *PG* 57, 81 et S. AMBROSIUM, *De Viduis,* 4, 23: *PL* 16, 241 s., quorum verba exscribuntur in textu priori, ed. 1963, sub nota 13, pp. 26-27. Ibidem habentur verba S. FRANCISCI SALESII, *Traité de l'Amour de Dieu,* VIII, 6: ed. Annecy, t. 5, 1894, p. 75 ss. Secundum S. THOMAM « abrenuntiatio propriorum, secundum quod est *actu* », non requiritur ad perfectionem, bene vero « secundum praeparationem animi »: *Summa Theol.* II-II, q. 184, a. 7, ad 1. Cf. *Ibid.,* q. 44, a. 4, ad 3.

[154] RELATIO GENERALIS

Haec relatio tam brevis erit, ut vix nomen relationis mereatur. Etenim hoc caput V, in quo sermo est de « universali vocatione ad sanctitatem », cum capite sequenti « de Religiosis » agente tam arcte connectitur, ut ambo capita per modum unius curae commissa fuerint uni Subcommissioni, eidemque mixtae, decem Patrum, quibus auxilio erant duodecim Periti. Quia in relatione ab illa Subcommissione facta consequenter *complexive* agitur de vocatione ad sanctitatem et de statu religioso, hac de causa dabitur post relationes particulares de singulis numeris capitis sequentis.

Unum autem addatur oportet. In Commissione doctrinali tractatio complexiva probata fuit, quia dicebatur plures Patres, v. g. Gallos fere omnes, tali tractationi favere: postea autem apparuit plures centenos contrariam tenere sententiam, eam videlicet, ut de sanctitate sermo fiat in capite primo *de Mysterio Ecclesiae,* vel in secundo *de Populo Dei*; de statu religioso autem dicatur immediate post caput de Laicis.

Quia ex utraque parte (ut apparebit ex relatione adiuncta ad caput sequens) bona argumenta proponebantur, et insuper remissio tractatus *de Sanctitate* in initium Schematis *de Ecclesia,* secum ferebat multas difficultates practicas cum perditione multi temporis — ex alto enim urge-

batur, ut totum Schema *de Ecclesia* quam citissime Patribus tradere- [154]
tur —, Commissioni placuit retinere tractationem complexivam.

Ut autem omnis iustitia adimpleatur, hoc loco in memoriam revocandum est, tractationem prorsus separatam die 26 april. a. 1963 placuisse magnae Subcommissioni mixtae compositae ex membris peritisque cum Commissionis *doctrinalis* tum Commissionis *de laicorum Apostolatu*. Ad unum enim omnes: Praesides eminentissimi, Patres et Periti, quorum 15 laici, praeferebant utriusque separationem radicalem, quia in hac sola suppositione possibile erat adiungere ad Caput *de Religiosis* etiam Caput *de Matrimonio iunctis*. Dicebant enim laici castum connubium multo magis honoratum iri capite speciali in Schemate de Ecclesia, Corpore Christi, quam Schemate separato etsi longissimo et optimo.

Quod si forsan Patribus magis placebit numeros *de Religiosis* non proponere per modum capitis separati, sed per modum sectionis secundae capitis *de Sanctitate,* redeundum erit ad titulum priorem: De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia et de Religiosis: Sectio I: *De omnium vocatione ad sanctitatem.*

[155]

CAPUT VI

(SIVE: CAP V, SECTIO B)

DE RELIGIOSIS

Textus prior

32. [*De praxi consiliorum in statu vitae ab Ecclesia sancito*]. Ad consilia evangelica, in verbis et exemplis Domini fundata, ab Apostolis et Patribus, Ecclesiaeque doctoribus et pastoribus commendata, plures christiani vocati accedunt, immo praxim eorum instituunt in stabili vivendi forma, ab Ecclesia sancita, quae status perfectionis acquirendae vocatur. Quae institutio, velut arbor ex germine divinitus dato mirabiliter et multipliciter in agro Domini crescit et ramis diffunditur.

Status huiusmodi, ratione habita divinae Ecclesiae constitutionis, non est intermedium quid inter clericalem et laicalem condicionem, sed ex utraque parte christifideles quidam a Deo vocantur, ut in Ecclesiae mysterio peculiari dono fruantur et servitio mancipentur.

Textus emendatus

43. (olim n. 32). [*De professione Consiliorum evangelicorum in Ecclesia*]. *Consilia evangelica* (A) *castitatis Deo dicatae, paupertatis et oboedientiae,* utpote in verbis et exemplis Domini fundata et ab Apostolis et Patribus Ecclesiaeque doctoribus et pastoribus commendata, *sunt donum divinum, quod Ecclesia a Domino suo accepit et gratia Eius semper conservat. Ad ipsam quoque pertinet illa interpretari, eorum praxim moderari et etiam stabiles inde vivendi formas constituere.* Quo factum est (B) ut, quasi in arbore ex germine divinitus dato mirabiliter et multipliciter in agro Domini ramificata, *variae formae vitae solitariae vel communis, variaeque familiae creverint, quae tum ad profectum sodalium, tum ad bonum totius Corporis Christi opes augent* (1). *Illae enim familiae sodalibus suis adminicula conferunt* stabilitatis in modo vivendi firmioris, *doctrinae ad perfectionem prosequendam probatae, communionis in militia Christi fraternae, libertatis per oboedientiam amplificatae, ita ut suam religiosam professionem secure implere et fideliter custodire valeant, atque in caritatis via spiritu gaudentes progrediantur.*

Status huiusmodi (C), ratione habita divinae *et hierarchicae* Ecclesiae constitutionis, non est intermedius inter clericalem et laicalem conditionem, sed ex utraque parte quidam christifideles a Deo vocantur, ut in *vita* Ecclesiae peculiari dono fruantur et, *suo quisque modo, eiusdem missioni salvificae prosint* (2).

Textus prior

33. [*De momento statuum perfectionis acquirendae in Ecclesia*]. Cum Christus sua vivendi forma exemplar sit omnium virtutum, ideo in Ecclesia, in qua mysterium Eius indesinenter viget et operatur, numquam deerunt qui consilia evangelica expresse profitebuntur. In Ecclesia enim plenior illa abnegatio, quae in horum consiliorum professione continetur, dum Christi exinanitionem et crucem pressius imitatur, novam vitam redemptione Christi acquisitam manifestius per proprium statum significat et resurrectionem et gloriam regni caelestis clarius praenuntiat.

Consiliorum professio est in Ecclesia Spiritus Sancti fructus pretiosus, eiusque sanctitatis peculiare testimonium, cum via praeclara sit amoris indivisi erga Deum (cf. *1 Cor.* 7, 31-34), quo christifideles non solum interius sed exteriore quoque vitae ratione soli Christo adhaerent.

Ideo cum evangelica consilia suos asseclas, per caritatem ad quam ducunt, Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniungant, spiritualis horum vita bono totius Ecclesiae devoveatur oportet. Propterea consiliorum professio illos, quos Deus vocavit, praecelse adiuvat, ut sive prece, sive etiam actuosa opera, vitam Salvatoris, perenniter in Ecclesia praesentis, in se clarius exprimant. Cum enim a Dei dilectione defluat ipse proximi amor, a professione sanctitatem sectandi derivat officium, cum ea intime connexum, pro viribus scilicet prece actuosaque opera laborandi ad regnum Christi in animis radicandum et roborandum, illudque ad omnes plagas dilatandum.

Textus emendatus [156]

44. (olim n. 33). [*De natura et momento status religiosi in Ecclesia*] (A). *Per vota, quibus religiosus ad tria praedicta consilia evangelica se obligat* (B), *Deo summe dilecto totaliter mancipatur, ita ut ipse omniaque sua ad Dei servitium Eiusque honorem novo et peculiari titulo referantur. Per baptismum quidem mortuus est peccato, et Deo sacratus; ut autem gratiae baptismalis uberiorem fructum percipere queat, votis liberari intendit ab impedimentis, quae ipsum a caritatis fervore et divini cultus perfectione retrahere possent, et iisdem votis divino obsequio intimius consecratur. Tanto autem perfectior erit consecratio, quo per firmiora et stabiliora vota magis repraesentatur Christus cum sponsa Ecclesia indissolubili vinculo coniunctus.*

Cum vero evangelica consilia (C) suos asseclas, per caritatem ad quam ducunt (3), Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniungant, spiritualis horum vita bono quoque totius Ecclesiae devoveatur oportet. Inde oritur officium pro viribus *et secundum formam propriae vocationis,* sive oratione, sive actuosa quoque opera, laborandi ad Regnum Christi in animis radicandum et roborandum, illudque ad omnes plagas dilatandum. *Unde et Ecclesia propriam indolem variorum Institutorum religiosorum tuetur et fovet.*

Evangelicorum proinde consiliorum professio (D) *tamquam signum apparet, quod omnia Ecclesiae membra ad officia vocationis christianae impigre adimplenda efficaciter attrahere potest ac debet. Cum enim Populus Dei hic manentem civitatem non habeat, sed futuram inquirat, status religiosus, qui suos asseclas a curis terrenis magis liberat, magis etiam tum bona coelestia iam in hoc saeculo praesentia omnibus credentibus manifestat, tum vitam novam*

[156] *Textus prior* — *Textus emendatus*

et aeternam redemptione Christi acquisitam testificat, tum resurrectionem futuram et gloriam Regni coelestis praenuntiat. Formam quoque vitae, quam Filius Dei accepit, mundum ingressus ut faceret voluntatem Patris, quamque discipulis Ipsum sequentibus proposuit, idem status pressius imitatur atque in Ecclesia perpetuo repraesentat. Regni Dei denique super omnia terrestria elevationem eiusque summas necessitudines patefacit; supereminentem quoque magnitudinem virtutis Christi regnantis atque infinitam Spiritus Sancti potentiam, in Ecclesia mirabiliter operantem, cunctis hominibus demonstrat.

[157] *Status ergo religiosus* (E), *licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem inconcusse pertinet.*

Textus prior

34. [*Sub auctoritate Ecclesiae*]. Cum ecclesiasticae auctoritatis munus sit populum Dei pascere et ad pascua uberrima ducere (cf. *Ez.* 34, 14), ad ipsam pertinet evangelica consilia, quibus perfectio caritatis erga Deum et proximum singulariter fovetur, fideliter explicare, eorumque publicam professionem legibus suis sapienter moderari, sicut inde ab antiquitate pro coenobiis et monasteriis provide fecit. Quare Ecclesia, Spiritus Sancti impulsus docilis sequens, Regulas a praeclaris viris et mulieribus propositas cum laude recepit, et ulterius ordinatas authentice adprobavit; necnon Institutis ad perfectionem prosequendam passim erectis, ut omni modo crescant atque floreant, auctoritate sua invigilante et protegente, semper et ubique adfuit.

Quo autem melius necessitatibus totius dominici gregis provideatur, Romanus Pontifex, ratione sui in universam Ecclesiam primatus, quodcumque perfectionis Institutum ac

Textus emendatus

45. (olim n. 34). [*Sub auctoritate Ecclesiae*]. Cum ecclesiasticae Hierarchiae munus sit (A) Populum Dei pascere et ad pascua uberrima ducere (cf. *Ezech.* 34, 14), ad ipsam spectat evangelica consilia, quibus perfectio caritatis erga Deum et proximum singulariter fovetur, eorumque professionem, *etiam votis firmatam,* legibus suis sapienter moderari (4). Ipsa etiam, Spiritus Sancti impulsus dociliter sequens, regulas a praeclaris viris et mulieribus propositas recipit et ulterius ordinatas authentice adprobat, necnon Institutis *ad aedificationem Corporis Christi* passim erectis, ut omni modo crescant atque floreant, auctoritate sua invigilante et protegente adest.

Quo autem melius (B) necessitatibus totius dominici gregis provideatur, quodcumque perfectionis Institutum ac sodales singuli a *Summo* Pontifice, ratione sui in universam Ecclesiam primatus, intuitu utilitatis communis, ab Ordinariorum loci iurisdictione eximi et ei soli

Textus prior

sodales singulos, intuitu utilitatis communis, sibi soli subiicere atque ab Ordinarii loci iurisdictione eximere potest. Quod attinet ad ipsos sodales, iidem in officio erga Ecclesiam ex peculiari suae vitae forma adimplendo, reverentiam et oboedientiam, iuxta canonicas leges, praestare debent Episcopis, ob eorum in Ecclesiis particularibus auctoritatem pastoralem et ob necessariam in labore apostolico unitatem et concordiam. Peculiari enim vocatione sua constituti sunt validi et propinqui Sacrae Hierarchiae ac ministrorum cooperatores necnon fidelium adiutores in Regno Christi provehendo et stabiliendo. Exemplis autem et laboribus suis omnia Ecclesiae membra ad legem caritatis impigre sectandam efficaciter attrahere possunt ac debent.

Textus emendatus [157]

subiici possunt (5). *Similiter possunt propriis auctoritatibus patriarchalibus relinqui aut committi.* Ipsi sodales, in officio erga Ecclesiam ex peculiari suae vitae forma adimplendo, reverentiam et oboedientiam secundum canonicas leges praestare debent Episcopis, ob eorum in Ecclesiis particularibus auctoritatem pastoralem [158] et ob necessariam in labore apostolico unitatem et concordiam (6).

Ecclesia autem professionem religiosam (C) *non tantum sua sanctione ad status canonici dignitatem erigit, sed eam ut statum Deo consecratum etiam actione sua liturgica exhibet. Ipsa enim Ecclesia, auctoritate sibi a Deo commissa, profitentium vota suscipit, prece sua publica eis auxilia et gratiam a Deo impetrat, eos Deo commendat eisque spiritualem benedictionem impertitur, oblationem eorum sacrificio eucharistico adsocians.*

Textus prior

35. [*Aestimanda est consecratio consiliorum evangelicorum*]. Eo pluris evangelicorum consiliorum professio per se aestimanda est, quo intimior atque firmior fit Deo consecratio. In singulis autem huius consecrationis meritum a caritate qua imperatur maxime pendet. Professio vero publica, in suis elementis constitutivis coram Deo et Ecclesia considerata, melior est cum ligamine perpetuo quam cum vinculo temporaneo suscepta. Dispari enim illa firmitate diverso etiam gradu quis vivendi formam Christi et Sanctae Ecclesiae, cum Sponso suo indissolubiliter unitate, in oboedientia, paupertate et sacra virginitate imitatur.

Omnes tandem christifideles perspectum habeant, consiliorum evangelicorum praxim, quamvis renuntiationem secum ferat quorumdam bonorum certo laudabilium, vero profectui personae humanae tamen non obstare sed

Textus emendatus

46. (olim n. 36, §§ 1-2 et n. 35). [*Aestimanda est* consecratio per *consilia evangelica*]. (A) *Sollicite attendant religiosi* (B), ut per ipsos Ecclesia revera Christum in dies, *sive fidelibus sive infidelibus,* melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel turbis *Regnum Dei annuntiantem,* vel aegrotos et saucios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem, vel pueris benedicentem, et omnibus benefacientem, *semper autem voluntati Patris qui Eum misit oboedientem* (7).

Omnes tandem perspectum habeant (C), consiliorum evangelicorum professionem, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae indubie *magni aestimanda veniunt,* tamen personae humanae vero profectui non obstare, sed *natura sua ei* summopere prodesse. Consilia enim, secundum cuiusquam personalem vocationem *voluntarie* suscepta, ad *cordis*

[158]

Textus prior

summopere prodesse. Consilia enim, in caritate et secundum cuiusque personalem vocationem suscepta, ad affectuum humanorum purificationem et spiritualem libertatem non parum conferunt, fervorem caritatis iugiter excitant, variis modis humanae societati promovendae prosunt, et praesertim ad vitae genus, quod pro se elegit Christus Dominus, quodque Mater Eius virgo subsecuta est, hominem christianum magis conformant.

[159]

36. [*Conclusio*]. Idcirco Sacra Synodus in nomine Domini confirmat ac laudat innumeros viros ac mulieres, Fratres ac Sorores, qui fideli et humili praxi praedictae consecrationis Sponsam Christi condecorant omnibusque hominibus generosa atque diversissima servitia praestant.

Meminerint ergo omnes peculiariter vocati, suum esse commune in caritate officium ut per ipsos Ecclesia revera Christum in dies melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel ad turbas concionantem, vel aegrotos et saucios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem, vel pueris benedicentem, vel denique omnibus benefacientem.

Quoniam vero omnes fideles ad sanctitatem spiritu evangelico prosequendam tenentur, unusquisque sedulo curet, ut in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat atque magis excellat, ad maiorem gloriam Christi, qui omnis sanctitatis est origo et exemplar, et ad uberiorem Ecclesiae sanctitatem.

Textus emendatus

purificationem et spiritualem libertatem non parum conferunt, fervorem caritatis iugiter excitant et praesertim ad *genus vitae virginalis ac pauperis,* quod sibi elegit Christus Dominus, quodque Mater Eius Virgo amplexa est, hominem christianum magis conformare *valent,* ut exemplo tot sanctorum fundatorum comprobatur. Nec quisquam aestimet religiosos consecratione sua aut ab hominibus alienos aut inutiles in civitate terrestri fieri (D). Nam etsi quandoque coaetaneis suis non directe adsistunt, profundiore tamen modo eos in visceribus Christi praesentes habent atque cum eis spiritualiter cooperantur, ut aedificatio terrenae civitatis semper in Domino fundetur ad Ipsumque dirigatur, ne forte in vanum laboraverint qui aedificant eam (8).

Idcirco denique Sacra Synodus confirmat et laudat (E) viros ac mulieres, Fratres ac Sorores, qui *in monasteriis, vel in scholis et nosocomiis, vel in missionibus,* fideli et humili praedictae consecrationis praxi Sponsam Christi condecorant, omnibusque hominibus generosa ac diversissima servitia praestant.

47. (olim n. 36, § 3). [*Conclusio*]. (A) Unusquisque ergo fidelis sedulo curet, ut in quamcumque vocationem a Deo vocatus est, in ea permaneat atque magis excellat, ad uberiorem Ecclesiae sanctitatem, ad maiorem gloriam unius et indivisae Trinitatis, quae in Christo et per Christum est omnis sanctitatis fons et origo.

NOTAE [160]

Caput VI (sive: cap. V, sectio B) - *De Religiosis*

Ad n. 43.

(1) Cf. ROSWEYDUS, *Vitae Patrum,* Antwerpiae, 1628. *Apophtegmata Patrum, PG* 65. PALLADIUS, *Historia Lausiaca*: *PG* 34, 991 ss.; ed. C. BUTLER, Cambridge 1898 (1904). PIUS XI, Const. Apost. *Umbratilem,* 8 iul. 1924: *A.A.S.,* 16 (1924), pp. 386-387. PIUS XII, Alloc. *Nous sommes heureux,* 11 apr. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 283.

(2) Cf. *Cod. Iur. Can.,* cann. 487 et 488, 4°. PIUS XII, Alloc. *Annus sacer,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 27 s. PIUS XII, Const. *Provida Mater,* 2 febr. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 120 ss.

Ad n. 44.

(3) Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* II-II, q. 184, a. 3 et q. 188, a. 2. S. BONAVENTURA, Opusc. XI, *Apologia Pauperum,* c. 3, 3: ed. Opera, Quaracchi, t. 8, 1898, p. 245 a.

Ad n. 45.

(4) Cf. CONC. VAT. I, Schema *De Ecclesia Christi,* cap. XV, et Adnot. 48: MANSI 51, 549 s. et 619 s. LEO XIII, Epist. *Au milieu des consolations,* 23 dec. 1900: *A.S.S.,* 33 (1900-01), p. 361. PIUS XII, Const. Apost. *Provida Mater,* l. c. p. 114 s.

(5) Cf. LEO XIII, Const. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881: *A.S.S.* 13 (1880-81), p. 483. PIUS XII, Alloc. *Annus sacer,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 28 s.

(6) Cf. PIUS XII, Alloc. *Annus sacer,* l. c. p. 28. PIUS XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 355.

Ad n. 46.

(7) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 214 s.

(8) Cf. PIUS XII, Alloc. *Annus sacer,* l. c. p. 30. Alloc. *Sous la maternelle protection,* 9 dec. 1957: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 39 s.

[161]

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

RELATIO DE N. 43, OLIM N. 32

Cum isto numero incipit Caput vel pars distincta, reservata *Religiosis*.

(A) *Prima periodus*: « Consilia evangelica... formas constituere », dat principium fundamentale *originis divinae consiliorum* evangelicorum. Voluntate et gratia sua Christus illa consilia donavit et conservat in Ecclesia, ut sub magisterio et auctoritate ipsius Ecclesiae, eadem consilia etiam per formas *stabiles* observarentur et ordinarentur. Sic respondetur postulato 679 Patrum de affirmanda origine divina consiliorum evangelicorum, a religiosis observandorum in statu ab Ecclesia sancito. Non adhibetur appellatio « status perfectionis acquirendae », qua technica expressione neque Commissio pro Religiosis utitur. Cf. E/1145, 1289, 1465. Neque placuit stricte dictam « definitionem » Religiosi proponere.

(B) *Secunda periodus*: « Quo factum est... progrediantur », connectitur intime cum praecedenti et asseritur revera *factum* variarum formarum vitae religiosorum, quae in Ecclesia ex germine illo divinitus dato exortae sunt. Prima et secunda periodus quaedam sumunt quae leguntur in textu priori, n. 32, alin. 1. Memoratur autem *vita solitaria,* quae praesertim prioribus saeculis late in Ecclesia floruit. Enumerantur deinde *praecipua beneficia,* quae ex natura vitae religiosae profluunt; cf. v. g. E/1196, 1258. De *primitivo monachismo,* de quo E/1168 quaedam desiderat, et de vita *contemplativa,* de qua loquitur i. a. E/1274, notentur sequentia. Antiqui ascetae, anachoretae, continentes, virgines, viduae consilia evangelica profitentur, quin proprie dictum Institutum erigant; remanent tamen sub vigilantia et protectione Ecclesiae. Documenta reperiuntur apud R. DRAGUET, *Les Pères du Désert,* Paris 1949; P. DE MEESTER, *De monachico statu iuxta disciplinam byzantinam,* Romae 1942, pp. 70-76 et 312 s. Cf. *ibid.* p. 70 s.: « Hesychasta est qui solus soli adloquitur Deo et continuo Eum exorat ». CLEMENS ALEX., *Stromata,* III, 1: *PG* 8, 110 AB. ORIGENES, *In Ier.* Hom. 19, 7: *PG* 13, 517. S. CYPRIANUS, *Hab. Virg.* 4: *PL* 4, 455 s. Textus PII XII, Alloc. *Nous sommes heureux, l. c.,* exscribitur in textu priori, ed. 1963, sub nota 14, p. 27.

(C) *Tertia periodus* seu § 2: « Status huiusmodi... prosint », reassumit textum priorem (n. 32, l. 26 ss.) aliquibus additis et aliquibus (praesertim lin. 27 s.) mutatis. Nam in principio periodi adiungitur *hie-*

rarchicae, ut melius determinetur aspectus specificus; et in fine adiungitur: « et *suo quisque modo eiusdem missioni salvificae prosint* », ut ita, iam in principio, appareat momentum status religiosi pro vita et missione Ecclesiae in mundo. Sive laici sive clerici pariter *Institutis Saecularibus* affiliari possunt, ut statuit PIUS XII, in *Provida Mater, l. c.* Cf. *ibid.,* lex peculiaris, art. 1. In quaestiones tamen iuridicas aut controversas textus non intrat. [162]

RELATIO DE N. 44, OLIM N. 33

(A) Discussione facta in Commissione plenaria, non placuit invertere ordinem inter nn. 44 et 45, sed servare ordinem priorem. Ut patet, mutatus est titulus textus prioris, ut appareat in primis quod agitur de *natura* status religiosi, ex qua consequitur eius *momentum.* Insuper loco « statum perfectionis acquirendae » ad vitandas difficultates a pluribus propositas, ponitur « status religiosi ». Nam hoc correspondet voto totius Subcommissionis, ut sermo fiat simpliciter « de religiosis » vel « de statu religioso ».

(B) *Prima periodus* seu § 1: « Per vota... coniunctus », est *nova* respectu textus prioris, et addita est, ut ipsa natura status religiosi statim respectu ad Deum et consecratione per vota indicetur. Cf. E/1326, necnon 1220, 1228, 1236, 1258, 1380. Evidens enim est, quod religiosus in hoc proprie in primis differt ab aliorum *statu,* quia ipse *se obligat,* etiam per vota, ad observanda illa consilia evangelica, quae ita efficiunt religiosum *totaliter Deo mancipatum.* Scribit enim S. Thomas, *De perfectione vitae spiritualis,* c. 15: « Si vero (aliquis) totam vitam suam voto Deo obligavit, ut in operibus perfectionis ei deserviat, iam simpliciter conditionem vel statum perfectionis assumpsit ». Hoc modo respondetur pluribus Patribus, qui de natura status religiosi et de eius consecratione, ut expressius et praecisius diceretur, postulaverunt.

Aspectus ille *theocentricus* fortiter a pluribus sublineatur. Vinculum *perpetuum* evidenter praecipuum est. Vinculum temporaneum suscipitur saepe per modum probationis, cum intentione perpetuae dedicationis, supposita Dei vocatione. Cum solis votis temporaneis sacrificium non est totale, quia « holocaustum est cum aliquis totum quod habet offert Deo », ut dicit S. THOMAS, *Summa Theol.* II-II, q. 186, a. 7, post S. GREGORIUM M., *In Ezech.* II, 8, 16: *PL* 76, 1037.

C) *Secunda periodus* seu § 2: « Cum vero evangelica... et fovet », substantialiter desumitur ex textu priori (n. 33, lin. 14 ss.), aliquibus additis vel mutatis. Agitur de aspectu *ecclesiologico* et *apostolico* status religiosi, in quem insistunt 679 Patres, agentes de eius « valore sancti-

[162] ficativo et redemptivo ». Cf. E/1251, necnon E/1244 (79 Epp.), 1258, 1270, 1323, 1230, etc. Tamen adiungitur quod hic finis apostolicus obtinendus est *secundum formam propriae vocationis.* Ideo etiam in
[163] fine Subcommissio adiunxit verba: « Unde et Ecclesia propriam indolem variorum institutorum religiosorum tuetur et fovet ». Haec omnia clarificata et addita sunt, ex desiderio Patrum, ne videatur quod finis apostolicus uno tantum modo obtineatur, et ne videantur despici religiosi vitae contemplativae et eremiticae. Antiqui et recentes ascetae vel contemplatione « soli Deo vacant », ut dicit S. GREGORIUS M., *Dial.* I, 8: *PL* 77, 185, vel insuper opera apostolica et caritativa suscipiunt, vel tamquam consiliarii in rebus spiritualibus fideles instruunt. Huius ultimi typi sunt, praesertim in oriente, *Patres spirituales,* de quibus cf. v. g. S. BASILIUS M., *Serm. de renunt. saeculi,* 2: *PG* 31, 632 B: « Magnopere cura et provide, ut virum tuae vitae tutissimum ducem reperias, probe edoctum conducere eos qui ad Deum pergunt ». Multum insistunt antiqui in oboedientiam erga hunc rectorem conscientiae, v. g. S. BASILIUS M., *Serm. asc.* 2, 2; col. 884 C. *Constit. monast.* 19: col. 1387-1390. S. IO. CLIMACUS, *Scala Parad.,* 4: *PG* 88, 706 BC. Secundum S. THOMAM, *3 Sent.,* Dist. 35, q. 1, a. 3, sol. 2, pro vita activa, praesertim ad exhortationem, praeexigitur cognitio contemplativa. Contemplatio enim vitam activam dirigere debet: *Summa Theol.* II-II, q. 182, a. 4, ad 2.

(D) *Tertia periodus* seu § 3: « Evangelicorum proinde consiliorum... demonstrat », sub hac forma *non habetur* in textu priori. Sed addita est, ut respondeatur votis Patrum, qui insistunt in elucidando aspectu *christologico* et *eschatologico* status religiosi. De illo aspectu christologico et eschatologico locuti sunt, praeter 679 Patres, etiam E/1053, 1108 (79 Epp.), 1170, 1228, 1233, 1261, 1382, etc. Conceptuum ordinatio sequenti modo habetur: status religiosus habet *etiam* (non exclusive igitur, post periodos antecedentes) naturam, valorem et momentum *signi* et *testimonii*: signum eschatologicum, signum terrestris vitae Christi, signum exigentiae Regni Dei iam in praesenti vita per imitationem virtutum Christi et Spiritus Sancti potentiam. Ex tota autem periodo elucet etiam aspectus *apologeticus* status religiosi: scilicet praecepta Dei non sunt in praxi impossibilia, si de facto adsunt qui, gratia Dei, non solum praecepta observant, sed etiam ad consilia se *obligant,* et quidem perpetuo et per vota.

(E) *Ultima periodus* seu § ult.: « Status ergo religiosus, licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem... pertinet »: non habetur in textu priori; sed correspondet desiderio plurium Patrum. Est velut conclusio naturae et momenti sta-

tus religiosi; nam ipse pertinet ad ipsam vitam « pneumaticam » et sanctitatem Ecclesiae. Cf. v. g. E/1189, 1229, 1326, 1328, 1387. Ergo status religiosus in omnia, quae pertinent ad vitam Ecclesiae, intrare potest et debet. De praestantia illa dixerunt i. a. E/1128, 1221, 1229, 1236, 1238, 1327, 1378, 1380, 1383, 1387 (26 Epp.), etc. **[163]**

RELATIO DE N. 45, OLIM N. 34 **[164]**

(A) *Prima periodus* seu § 1: « Cum ecclesiasticae... adest », substantialiter desumitur ex textu priori (n. 34, lin. 15 ss.), deleto tamen verbo *publicam* lin. 21, ne delimitetur campus, et pariter deletis verbis *fideliter explicare* lin. 20, quia hoc iam dictum est. Adduntur verba *etiam votis firmatam,* ut iam ex nunc nominentur vota religiosorum. Adsunt aliae emendationes minoris momenti.

De transitu vitae anachoreticae ad *coenobiticam,* cf. PIUS XII, Alloc. *Nous sommes heureux, l. c.*, p. 284 sq. Regulae monasteriorum in oriente et occidente a magnis fundatoribus, v. g. Pachomio, Basilio, Augustino, Benedicto propositae, ab Ecclesia approbatae et pedetentim ulterius determinatae sunt.

De laude vitae monasticae, praesertim coenobiticae, cf. S. GREGORIUS NAZIANZ., *Orat.* 6, 2: *PG* 35, 721 ss.; *ibid.* 21, 19: col. 1101 s.; *Orat.* 43, 62: *PG* 36, 576. S. IO. CHRYSOSTOMUS, *Adv. oppugn. vitam monast.,* 3, 11: *PG* 47, 366. S. NILUS, *Epist.* 3, 33: *PG* 79, 388 ss. S. HIERONYMUS, *Epist.* 125, 15: *PL* 22, 1080 s. THEODORETUS, *Religiosa Hist.* 5: *PG* 82, 1353. CASSIANUS, *Instit.* II, 5: *PL* 49, 84-88, et *Collat.* 18, 5: col. 1094 B - 1100 A, monachismum e communitate primitiva « apostolica » deducit, secundum EUSEBIUM CAES., *Eccl. Hist.* II, 17: *PG* 20, 173-184. Quae affirmatio, non secundum continuitatem historicam, sed secundum aliquam spiritualem filiationem admittitur.

(B) *Secunda periodus* seu § 2: « Quo autem melius... et concordiam », substantialiter desumitur ex textu priori (n. 34, lin. 32 ss.). Sed adsunt aliquae additiones, uti illa verba: *propriis patriarchalibus auctoritatibus relinqui aut committi.* Ista verba addita sunt, ut ratio habeatur de Ecclesia orientali et potestate Patriarcharum quoad religiosos. Cf. v. g. E/1238, 1378. Scriptum est de Summo Pontifice: « ratione sui *in universam Ecclesiam primatus* », et non « ratione plenae et supremae potestatis ». Haec enim ultima expressio etiam Concilio vel Corpori Episcoporum applicari potest, dum « primatus » de solo Pontifice valet. In hanc « disponibilitatem » erga Summum Pontificem insistunt 679 Patres; cf. etiam E/1253, 1265, 1273, 1386 (55 Epp.). Verba PII XII,

[164] Alloc. *Annus sacer, l. c.,* de *concordi cooperatione* religiosorum in apostolatu, exscribuntur in textu priori, ed. 1963, sub nota 20, p. 28.

(C) *Tertia periodus* seu § ult.: « Ecclesia autem... adsocians », est *nova,* ad satisfaciendum cuidam Patri, E/1177, qui postulavit, ut etiam *actio liturgica* respectu professionis religiosae indicaretur; ne videatur quod tota actio Ecclesiae circa statum religiosorum sub aspectu tantum iuridico exhauriatur.

[165] Relatio de n. 46, olim n. 36, §§ 1-2 et n. 35

(A) Redactio nove constructa est ex textu priori, n. 35-36, aliquibus mutatis vel omissis. In ipso titulo adhibetur locutio *consecratio* loco vocis *professio,* quia *consecratio* magis larga est et comprehendit etiam illos qui vota non habent. Insuper omittitur prima periodus textus prioris (n. 35, alin. 1ª), quia iam aliquo modo, et quidem concinnius, principium enuntiatum est in initio num. 43 (olim 32). Hic agitur *de affirmanda aestimatione* pro statu religioso, sive ex parte ipsorum religiosorum, sive ex parte aliorum. Unde:

(B) *Prima periodus* seu § 1: « Sollicite attendant religiosi... oboedientem », desumitur ex n. 36, alin. 2ªᵉ textus prioris, cum aliquibus immutationibus, i. a. post « melius » additur: *sive fidelibus sive infidelibus* ad sublineandum finem missionarium aliquorum institutorum religiosorum.

(C) *Secunda periodus* seu pars 1 § 2: « Omnes tandem... comprobatur », desumitur ex textu priori (n. 35, alin. 2ª), aliquibus emendatis: e. g. ante « summopere prodesse » adiungitur *natura sua,* ut indicetur, quod status religiosus ad hoc tendit per se, licet in aliquo singulo casu hoc forsan per accidens et ob varias circumstantias non eveniat. Item post « personalem vocationem » adiungitur *voluntarie,* ut ita exprimatur affirmatio personalitatis per *voluntarium* actum. Loco « ad affectuum humanorum purificationem » (textus prioris, n. 35, lin. 35) quae sapit « apatheian » stoicorum, ponitur: « ad *cordis* purificationem ». Loco « subsecuta », in fine, ponitur *amplexa,* ut magis propria; et post « conformare » additur *valent,* ut maneamus in aspectu et fine obiectivo potius quam in affirmatione facti, quod aliquando deesse contingit. Adduntur verba de sanctis *fundatoribus.* Deleta sunt autem verba « in caritate » (lin. 33 textus prioris) et « promovendae » (*ibid.* lin. 38), utpote non necessaria. Adsunt etiam aliae lectiones variantes minoris momenti.

(D) *Tertia periodus* seu pars 2 § 2: « Nec quisquam... aedificant eam ». Status religiosus *excolendae personalitati* prodest. Religiosus pro

se quidem bonis temporalibus, vitae familiali et propriae voluntati renun- [165]
tiat, sed nonnisi propter Deum, summum valorem, et Deo ipso invitante et animum addente. Huiusmodi alacri abnegatione removet impedimenta quae caritatem retardant, triplicem nempe concupiscentiam (cf. *1 Io.* 2, 16), et acquirit pretiosam libertatem ad servitium Dei et fratrum suorum.

Quam libertatem Patres exaltant, v. g. S. CYPRIANUS, *De Dom. Orat.* 20: *PL* 4, 551 B: « Eum dicit posse se sequi et gloriae dominicae passionis imitari, qui expeditus et succinctus, nullis laqueis rei familiaris involvitur, sed solutus ac liber facultates suas ad Deum ante praemissas ipse quoque comitatur ». S. HIERONYMUS, *loc. cit.* supra in Relatione ad n. 42 (D). S. NILUS, *De octo spir. mal.* 7: *PG* 79, 1152 B: « Mona-
chus, qui multa possidet, navigium est multis gravatum oneribus et in [166]
undarum tempestate facile submergitur; sicut enim navis, cuius exundat sentina, a quolibet perluitur fluctu, sic qui multa possidet, sollicitudinibus submergitur. Monachus absque possessione viator est expeditus inque omni loco diversorium invenit. Monachus qui nihil possidet, est aquila ad sublimia pervolans, qui tunc sese volatu ad alimentum demittit, quando necessitas coegerit ». Cf. S. THOMAS, *Contra Gentiles,* III, 130. *Summa Theol.,* I-II, q. 108, a. 4; II-II, q. 184, a. 3. *Contra retrah. a relig. ingressu,* cap. 6. *Quodl.* 4, a. 24, P. PHILIPPE, O. P., *Les fins de la vie religieuse selon S. Thomas,* Romae 1962, praesertim p. 32 ss.

PIUS XII, Alloc. *Annus sacer,* 8 doc. 1950, *l. c.,* p. 30, docet statum religiosum non esse salutis refugium timentibus et anxiis datum, sed magnum spiritum et se devovendi studium flagitare, ut historia luculenter demonstrat. Rursus, Alloc. *Sous la maternelle protection,* 9 dec. 1957, *l. c.,* p. 39 s., docet vitam religiosam non infantilismum inculcare, sed hominis adulti perfectionem et dignitatem personalem exercitio caritatis augere.

(E) *Ultima periodus* et §: « Idcirco denique... praestant », desumitur ex textu priori, num. 36, alin. 1ª, paucis deletis, i. a. « innumeros », additis vero verbis *in monasteriis, vel in scholis et nosocomiis, vel in missionibus,* ut scilicet laude honorentur simplices illi Fratres et Sorores, qui sine sacerdotii honore tantopere pro Christo et Ecclesia laborant.

RELATIO DE N. 47, OLIM N. 36, § 3, CONCLUSIO

(A) Sententia « Idcirco Sacra Synodus... praestant » ex num. 36 textus prioris (n. 36, lin. 8-14) paucis mutatis translata est ad num. praecedentem.

(B) *Periodus*: « Unusquisque... fons et origo », pariter desumitur

[166] ex textu priori (n. 36, lin. 23-29), omissis primis verbis: « Quoniam vero fideles ad sanctitatem spiritu evangelico prosequendam tenentur »: quia haec pertinent potius ad partem de sanctitate. In fine fons sanctitatis dicitur *SS. Trinitas,* utique per *Christum.*

[167] RELATIO GENERALIS

Haec Relatio generalis illam respicit constitutionis « de Ecclesia» materiam, quae post caput « de Laicis » in praesenti schemate sequitur; quaeque agit sive « de omnium vocatione ad sanctitatem » sive « de Religiosis ». Haec materia correspondet anterioris schematis indiviso capiti quarto, quod inscribebatur simpliciter « de universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ». Antequam de aliis referatur opportunum in primis est Patres certiores facere de ratione et modo, quo ad actualem redactionem perventum fuerit.

I - *Revisionis Ratio*

1. Plures fuerunt Patrum animadversiones in anterioris schematis caput quartum, oraliter vel scripto prolatae. Eaedem enim plus quam 500 folia occupant. Inter eas mentione dignae sunt propositio facta ab Em.mo Döpfner cum 74 Patribus, et praesertim Schema introductum a Rev.mo Butler cum Patribus O.S.B. Insuper ad Commissionem nostram doctrinalem etiam pervenerunt quaedam animadversiones in idem caput quartum a 679 Patribus subsignatae, quae ideo iam subito maximam imposuerunt attentionem et considerationem pro incipientibus revisionis laboribus.

2. Commissio theologica ad illam revisionem iuxta omnium Patrum vota conficiendam, subcommissionem quinque Patrum ex sinu suo primo delegit; cui decursu laborum inde a quarta sessione, habita die 28 ian. 1964, quinque Patres ex commissione conciliari « de Religiosis » adiuncti sunt. Consequenter de facto habita est aliqua subcommissio mixta sequentibus constans Patribus: ex commissione de Fide: BROWNE, CHARUE, ŠEPER, GUT, BUTLER, FERNANDEZ; ex commissione de Religiosis: COMPAGNONE, SIPOVIC, STEIN, KLEINER, SÉPINSKI. Em.mus Browne et Rev.mus Sépinski tantum in una coadunatione interesse potuerunt; alii vero ordinarie semper praesentes fuerunt. Ipsa subcommissio sequentes peritos habuit: ABELLAN, BENIAMINUS A SS. TRINITATE, BOYER, GAMBARI, GAGNEBET, LABOURDETTE, LIO (cui etiam munus secretarii et relatoris concreditum fuit), PHILIPON, RAHNER, TASCON, THILS, VERARDO. In aliquibus coadunationibus interfuerunt etiam

secretarii generales utriusque Commissionis, tum doctrinalis tum de [167]
Religiosis. Ordinarie maxima ex parte periti semper praesto fuerunt Patribus. Habitae sunt undecim coadunationes ad revisendum textum; et fine finaliter nova redactio proposita fuit, ita ut Praeses in fine potuit gratias agere omnibus « pro pacato, concordi et fructuoso labore huius [168]
subcommissionis », ut legitur in actis.

3. Obiectum laboris subcommissionis mixtae fuit totam materiam denuo perpendere: sive illam, quae se refert ad universalem vocationem ad sanctitatem; sive illam, quae se refert ad religiosos. Hac de causa labor fuit in primis omnia vota Patrum synthetice prae oculis habere. Quod quidem factum est per tres relationes confectas a peritis: in prima (confecta a P. Lio) agebatur de animadversionibus et quaestionibus generalibus propositis a Patribus; in secunda (confecta a Thils) colligebantur animadversiones specificae quoad partem, quae se refert ad universalem vocationem ad sanctitatem; in tertia (confecta a Philipon) quaestiones et animadversiones proponebantur, quae respectum specificum habebant ad religiosos.

4. Modus procedendi fuit sequens: cum innumerae essent animadversiones specificae et quidem inter se non raro discordes, magis graviores et fundamentales gaudebant praecedentia. Aliquando tamen via media ad conciliandas diversas animadversiones, quantum fieri potuit, salva puritate, integritate et securitate doctrinae, adhibita est. Hac de causa maximo adiumento fuerunt, ad praecavendas ulteriores difficultates, ipsi Patres Commissionis de Religiosis. Atque ita nova redactio unanimi voto subcommissionis mixtae approbata est.

5. Post subcommissionis laborem, textus, adhibitis etiam relationibus praedictis et una specifica de emendationibus (ab eodem perito relatore confecta), in consessu plenario commissionis « de Fide et de moribus », post novum examen et aliquas emendationes, unanimi pariter voto approbatus fuit. Suspensa tamen mansit et adhuc manet quaestio de dispositione materiae, de qua quaestione infra dicemus.

II - *De quaestionibus praeliminaribus*

Quaedam erant quaestiones praeliminares ex votis Patrum depromptae et perpendendae.

1. Ideo in primis habita est ratio de iudiciis genericis Patrum in totam materiam, in genere spectatam. Omnia ista iudicia generica synthetice collecta sunt in *Relatione* prima. Hic iuvat quam brevissime referre, quod multi Patres in genere approbaverunt materiam, salvis aliquibus punctis, alii autem maiore numero (inter quos illi 679) graves

[168] difficultates proposuerunt et quoad ipsam dispositionem materiae et quoad ipsam doctrinam. Difficile est bene et arytmetice omnes Patres enumerare. Tamen, omnibus simul consideratis, aliqua divergentia apparuit inter Patres sat notabilis etiam quantum attinet ad ipsa iudicia generica. Ex altera parte considerandum erat, quod Patres iam in genere approbaverant textum totius constitutionis de Ecclesia, ut basim discussionis et ulterioris admeliorationis. Insuper, quod multi Patres (immo
[169] maior pars) nihil dixerunt vel scripserunt. His omnibus perpensis aliqua via media in nova redactione adhibita est: non omnia ex textu priori reicere, non omnia retinere; non omnia immutata denuo Patribus proponere, non omnia noviter redigere. Ubi opus fuit textus prior retentus fuit, emendationibus et integrationibus adiunctis, aliquando neque parvi neque minoris momenti, ut apparet ex ipsa relatione de emendationibus.

2. Alia quaestio sat notabilis in Patrum animadversionibus erat sequens: Num caput IV antecedentis schematis remanere deberet quoad dispositionem materiae sicut erat; vel potius dividi deberet, et quidem remissis primis numeris (de universali vocatione) ad alium locum Constitutionis de Ecclesia, ita ut in uno capite distincto sermo fieret tantum de religiosis? Serio ponderatae fuerunt rationes, hinc et inde in oppositas vias prolatae. In genere potest hic dici non paucos Patres vel explicite vel implicite approbavisse ob varias rationes dispositionem materiae prout extaret, scil. coniunctive. Quorum nonnulli etiam aliorum nomine, suam thesim propugnarunt. Sed ex alia parte permulti Patres, ut illi 679, de quibus in principio sermo fuit, explicite et formaliter quaesierunt, ut caput reservatum pro religiosis haberetur, remissa materia de universali vocatione ad sanctitatem ad caput de populo Dei. Unde difficultas pro subcommissione. Evolutio autem huius quaestionis, prout ex actis eruitur, sequens est: post longam dissertationem quoad hanc quaestionem in subcommissione mixta, in qua omnes fere undecim Patres et omnes fere duodecim periti locuti sunt, Em.mus Card. Browne, qui et munere Praesidis tunc functus est, conclusiones fecit, asserendo omnes finaliter esse concordes: in primis quod saltem aliquid de sanctitate universali dicatur in capite ubi de populo Dei, per modum tamen praeannuntiationis ulterioris et diffusioris tractationis in alio loco. Insuper, quod etiam materialiter distinguenda esset pars, quae se refert ad vocationem universalem ad sanctitatem et pars, quae se refert ad religiosos.

Non autem Patres concordiam obtinere circa tertium punctum, num scil. duo haberentur *capita*: quorum unum reservatum solis religiosis, an potius haberetur unum caput cum duabus *sectionibus,* quarum una

reservata religiosis. Quare Em.mus Praeses quaesivit votationem Patrum. [169]
Quae votatio habuit sequentem exitum: QUATUOR PATRES (scil. Charue, Šeper, Stein, Butler) fuerunt pro *uno* capite, cum duabus *sectionibus,* quarum prima ageret de omnium vocatione ad sanctitatem; altera *sectio* ageret de religiosis. SEPTEM PATRES (scil. Browne, Compagnone, Sipovic, Gut, Kleiner, Fernandez, Sépinski) fuerunt in voto pro duobus *capitibus,* quorum unum reservatum religiosis. Uti patet ex actis eadem quaestio relata fuit etiam in aliqua parva subcommissione Commissionis doctrinalis (Charue, Garrone, Florit). Quae subcommissio, quamvis ex parte sua praeferret duas sectiones, decisionem tamen remisit ad commissionem doctrinalem plenariam. De facto in consessu [170]
plenario commissionis doctrinalis, mense martii habito, post approbationem textus, etiam praedicta quaestio erat definienda. Sed sive quia tempus iam non aderat, sive quia, ut notavit Em.mus Praeses, a nonnullis petitum erat, ut quaestio potius determinaretur in consessu plenario mixto, cum prima vice in subcommissione mixta res perpensa fuisset, ideo Em.mus Praeses ad subsequentis mensis iunii coadunationes solutionem remisit. Sed etiam mense iunio res determinata non fuit. De facto enim neque tunc adfuit commissio plenaria mixta.

3. Quoad quaestionem de titulo: unanimi consensu conventum fuit, ut in omni casu pars, quae reservatur profitentibus vota religiosa, inscriberetur simpliciter: « De religiosis ».

III - *De Patrum animadversionibus ad partem de universali vocatione ad sanctitatem.*

Hic tantum quaedam exponere convenit de Patrum animadversionibus quoad illam partem, quae tractat de universali vocatione ad sanctitatem. En principaliora puncta:

1. Omnes fere Patres approbaverunt, ut retineretur in schemate principium universalis vocationis ad sanctitatem. Ideo in revisione textus ista pars, quamvis per se magis pertinet ad ordinem moralem, quam ad ordinem onticum et constitutivum Ecclesiae, retenta fuit. Cautum tamen fuit, ut in ipso *Prooemio* quaedam de ipsa sanctitate Ecclesiae, ontologice considerata etiam in suo fundamento, adiungerentur, iuxta vota Patrum.

2. Plures Patres (in primis illi 679) postulaverunt, ut affirmata unitate sanctitatis, etiam diversitas secundum diversos gradus doceretur. In textu novo igitur remanet affirmatio *unius* sanctitatis; tamen non adiungitur, sicut in textu priori, quod etiam *eadem* sit sanctitas. Ita implicite recognoscitur in novo textu diversitas secundum diversos gradus et vo-

[170] cationes. Alia ex parte ipsa vocatio religiosa, ex tota parte reservata religiosis, in nova redactione magis distincta et propria apparet per descriptionem, quae datur num. 44 de natura et momento status religiosi in Ecclesia.

3. Plures Patres (fere 200) quaesierunt de notione et natura sanctitatis. Huic voto satisfactum fuit non per aliquam scholasticam sanctitatis descriptionem, sed per varia elementa, hinc inde adiuncta, relatis praesertim textibus S. Scripturae. Sic fit, ut eluceat ipsa natura sanctitatis, sive in suo aspectu ontico, sive in suo aspectu dynamico, sive in sua via et mediis.

4. Non pauci Patres (fere 100) quaesierunt de natura caritatis in relatione ad sanctitatem, vel de fide et de spe expresse commemoranda, vel de aliis omnibus praeceptis et virtutibus inculcandis. In nova reda-
[171] ctione de caritate duabus vicibus fit sermo, quamvis, uti liquet, non per modum dissertationis theologicae. Sed etiam fit sermo de fide et de spe.

Ita explicite in nova redactione legitur n. 41: « Unusquisque vero secundum propria dona et munera per viam *fidei vivae,* quae *spem* excitat et *per caritatem* operatur, incunctanter incedere debet ». Sic tota vis virtutum theologarum in exercitio sanctitatis explicite, iuxta vota Patrum, affirmatur. Quod ad alia praecepta et virtutes spectat, in textu iam dicitur n. 42 per modum principii generalis quod omnis fidelis, « ut... caritas tamquam bonum semen increscat et fructificet » sese debet etiam « *omnium virtutum* exercitationi constanter applicare ». Sic etiam vitatur excessus separandi caritatem ab exercitio omnium aliarum virtutum. Virtus habet necessario correlativa, nempe praecepta et consilia. Expresse autem hic inde commemorantur particulares virtutes morales: misericordia, benignitas, humilitas, modestia, patientia, fortitudo, iustitia, castitas, paupertas, oboedientia, abnegatio etc. Implicite igitur eruitur quod ipsa caritas et sanctitas exigit, ut omnia mandata serventur, ut monet *1 Io.* 5, 3: « Haec est enim caritas Dei, ut mandata Eius custodiamus » (cf. etiam *Io.* 14, 21; *2 Io.* 6). Expresse autem iam in ista parte (n. 42 § 3) fit quoque sermo etiam de consiliis evangelicis, quae ad perfectionem caritatis in unoquoque proprio statu consequendam, inserviunt. Et sic etiam cavetur a praeiudicio, quod ipsa perfectio et sanctitas veluti monopolium solorum religiosorum consideretur.

5. Aliqui Patres expresse quaesierunt, ut pro consequenda sanctitate in imitatione Christi, B. M. Virginis et Sanctorum insisteretur; immo ut inter alia media explicite Ss.ma Eucharistia proponeretur. His votis respondetur, quod iam in principio num. 40 Christus dicitur « Omnis perfectionis divinus Magister et *Exemplar* »; et in decursu

textus non una vice fit sermo de imitatione et de sequela Christi. Inter alia media in nova redactione expresse commemoratur Ss.ma Eucharistia. Fit etiam sermo de historia Sanctorum, immo pro sacerdotibus expresse aemulatio bonorum sacerdotum proponitur. De B. M. Virgine postea dicetur in capite separato Const. *De Ecclesia.* [171]

6. Quamplurimi Patres quaerunt, ut non tantum sermo fiat de sanctitate Ecclesiae generice, commemoratis etiam membrorum miseriis, sed etiam de sanctitate ad quam tendere debent varia Ecclesiae membra (Episcopi, sacerdotes, ministri, coniuges, operarii etc.) attenta etiam propria uniuscuiusque activitate professionali. His omnibus satisfactum fuit in nova redactione num. 41. Et quantum attinet ad peccata etiam membrorum Ecclesiae dictum est simpliciter (num. 40): « cum vero in multis offendimus omnes (cf. *Iac.* 3, 2) misericordiam Dei iugiter egemus atque orare quotidie debemus: " et dimitte nobis debita nostra " » (*Mt.* 6, 12).

7. Iuxta vota Patrum hic inde etiam cautum fuit in nova redactione, ut non solum illud « Haec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra » [172] tamquam fundamentale principium enuntiaretur (cf. Prooemium), sed etiam expresse nostra conformatio voluntati divinae pro sanctitate consequenda commemoraretur. Nam dicitur in nova redactione (num. 41, § ult.) « et *voluntati* divinae cooperantur »; et (num. 42, § 1) « Eiusque *voluntatem,* opitulante Eius gratia, opere complere ». Ipsa autem interioritas sanctitatis christianae ex toto textu et contextu hic inde elucet (cf. e. g. num. 40). Ita etiam affirmatur (n. 40, § 2), quod reapse fideles non tantum sunt vocati a Deo ad sanctitatem sed etiam « reapse sancti sunt effecti »; et quod hanc ob rem illam sanctitatem tenere et in ea crescere debent. Sic apparet quod sanctitas in Ecclesia non est tantum quoddam ideale et staticum, sed quaedam vera realitas mystica et dynamica in interioritate animarum permanens et crescens, adiuvante gratia Christi.

IV - *De Patrum animadversionibus quoad partem quae se refert ad « religiosos ».*

1. Uti dictum est, de consiliis evangelicis iam agitur in parte de universali vocatione ad sanctitatem; insuper ibidem iuxta vota Patrum expresse commemoratur pro omnibus valor et momentum martyrii (n. 42, § 2), status virginitatis Deo dicatae (*ibid.* § 3), qui status dicitur esse habitus « in honore praecipuo ab Ecclesia » (ut etiam 679 Patrum voto satisfiat), immo etiam valor et momentum paupertatis et oboedientiae in imitatione Christi (*ibid.* § 4). Attamen iam in initio n. 43, ubi

[172] sermo incipit de solis religiosis, affirmatur origo divina illorum consiliorum, quae modo peculiari et votis firmata profitentur a religiosis, ut statim appareat non tantum origo divina consiliorum, ut petebant illi 679 Patres, sed etiam ligamen ultimum status religiosi ad originem divinam sub auctoritate Ecclesiae. Nam consilia ipsa evangelica, ut dicitur in schemate « sunt donum divinum quod Ecclesia a Domino suo accepit et gratia Eius semper conservat. Ad ipsam quoque pertinet eorum *praxim* moderari et etiam *stabiles* inde vivendi formas constituere » (n. 43). Sic ipsa origo et evolutio status religiosi in Ecclesia in sua luce ponitur.

2. In nova autem redactione in principio num. 44 describitur ipsa *natura* status religiosi. Aliud enim est observare consilia evangelica ut consilia, sicut facere possunt omnes alii, et aliud est, substantialiter distinctum, se obligare per *vota* ad observanda illa consilia. Istis enim perpetuis, et quidem in statu ab Ecclesia sancito, fidelis « ipse omniaque sua ad Dei servitium Eiusque honorem novo et peculiari titulo » refertur; immo, ut dicitur expresse « Deo summe dilecto *totaliter* mancipatur ». Ita, uti reputatur, satisfactum est postulato plurimorum (etiam illorum 679 Patrum), quaerentium, ut ista perpetua, totalis et indivisa Deo religiosorum *consecratio* sublinearetur. Quod autem ex hoc prin-
[173] cipio etiam praestantia status religiosorum eluceat, apparet in consequenti; nam dicitur expresse in textu, quod religiosus « iisdem votis divino obsequio *intimius* consecratur ». Sic etiam aspectus essentialiter theologicus et theocentricus vitae religiosae asseritur.

3. *Aspectus autem christiformis* status religiosi variis locis apparet; sed praesertim in num. 46 elucet. Ita etiam quam plurium Patrum animadversionibus satisfactum est.

4. *Aspectus ecclesialis* status religiosi exhibetur iam in num. 43, sed magis exprimitur in num. 44 et 45. Ibi cautum fuit ob desiderium plurium Patrum (inter quos illi 679), ne totus aspectus ecclesialis in quodam exteriori apostolatu poneretur. Ideo expresse asseritur, quod Ecclesiae mysterio religiosi participant per *caritatem* ad quam ducunt consilia evangelica et quidem (ut adiunctum fuit n. 44, § 2) « secundum formam propriae vocationis » sive « *oratione* sive actuosa quoque opera »; immo ibidem in fine expresse adiectum est, quod « Ecclesia *propriam* indolem variorum Institutorum religiosorum tuetur et fovet ». Haec omnia sat clare ponunt et explicant aspectum ecclesialem et ipsam vitam contemplativam (de qua etiam in num. 46, § 1) quae magni aestimatur.

5. *Aspectus signi et testimonii,* quem aliqui Patres urgendum postulaverunt, retentus fuit; sed in nova prorsus redactione in num. 44. Ibi enim, inter alia, non amplius apparent illa verba anterioris schematis « in

primis valorem signi habere » de quibus verbis lamentati sunt illi 679 [173] Patres. Ex sua natura vita religiosorum testificare debet omnibus, quod praecepta Dei gratia quoque Dei observatu sunt possibilia. Si enim adsunt religiosi, qui revera per totam vitam, et quidem per vota, se obligant etiam ad observanda consilia, quae ideo pro ipsis transeunt in formam praecepti, eo magis apparet, quomodo vim hominis, gratia adiuti, non superent praecepta omnibus communia.

6. *Aspectus etiam eschatologicus* status religiosi in nova redactione, in num. 44, iuxta Patrum vota exhibetur. Quod quidem necessarium est nostris praesertim temporibus, in quibus magis homines praeoccupantur de bonis huius mundi, non autem de vita aeterna et de gloria Regni caelestis, quam ipse status religiosus testificat et praeannuntiat!

7. Alia vota Patrum uti circa auctoritatem Ecclesiae (e. g. ius Primatus Pontificis ad exemptionem religiosorum theologice fundandam; itidem actio liturgica Ecclesiae quoad statum religiosum) ex textu priori reviso et ampliato in num. 45 iam apparent.

8. Etiam revisio textus prioris num. 46 (olim n. 35) iuxta varias Patrum animadversiones facta fuit.

Quibus relatis, devotissime omnibus Patribus rependimus grates, ad gloriam et incrementum universalis sanctitatis et vitae religiosae in Ecclesia Christi.

RELATIO ADIUNCTA [174]

DE PROBLEMATE ORDINATIONIS MATERIAE

Praeter singula Patrum vota Concilio proposita, exstat *Documentum* a 679 Patribus subscriptum et a Summo Pontifice ad Commissionem Doctrinalem transmissum, ut « diligente examine expenderetur »; in quo Documento postulatur ut Caput V (olim IV) in duo dividatur, ita ut *de Religiosis speciale Caput* habeatur. Illis 679 Patribus quidam alii accesserunt.

Ex altera parte plures fuerunt, qui *unam continuam expositionem* de Sanctitate et de Religiosis praeferebant, sicut 254 Patres explicite enuntiaverunt, dum plures alii textum priorem, in Aula conciliari ut basim discussionis approbatum, in genere servare voluerunt. Numerus complexivus illorum probabiliter 500 superat.

Ad utilitatem Patrum summatim referimus *argumenta* pro utraque ordinatione materiae hinc inde invocata.

A) *Caput distinctum de Religiosis* in Documento 679 Patrum generali ratione postulatur: *a*) propter *locum specialem,* qui Religiosis in Eccle-

[174] sia ex eiusdem constitutione competit; *b*) ob maximum *momentum praesentiae* Religiosorum in Ecclesia et eorum typicam functionem in ipsa; *c*) quia in tali Capite *omnes aspectus* praesentiae in Ecclesia illorum, qui consilia evangelica effective profitentur, exponi possunt.

Praeterea sequentes *rationes particulares* afferuntur, quae non semel partim in idem redeunt.

Ratio 1: Expositio in uno Capite de Sanctitate speciali et sanctitate communi *promiscuam compositionem* prodit, quae fundari videtur in opinionibus recentioribus disputatis, nec certis nec claris; ita E/1327. Cf. E/1270.

Ordo logicus postulat, ut in primis de fine seu sanctitate Populi Dei agatur, et postea de particularibus, seu de diversis muneribus et statibus; ita E/1257. Etiam enim *de Laicis* sub speciali titulo agitur, et rationes historicae et oecumenicae idem pro Religiosis postulant, ita E/1181 (21 Patres). Dum *Laici* « consecrationem mundi » procurant per suam in eo praesentiam et activitatem christianam, *Religiosi,* per effectivam renuntiationem rerum mundanarum, publice et non tantum privatim manifestant Regnum Dei, quod non est de hoc mundo; ita E/1326. Realitas vitae religiosae claudi non potest sub unico aspectu vocationis ad sanctitatem, ne *vocationes* religiosae adhuc minuantur; ita E/1384 (6 Patres). Itaque *ad vitandam confusionem* separatim agatur, secundum traditionem, de vita consecrata; ita E/1255. Consilia evangelica non sunt tantum me-
[175] dia ad sanctitatem, sed *media ad Regnum coelorum* quocumque modo promovendum; qua consideratione non solum una dimensio sanctitatis indicatur, sed tota latitudo missionis Ecclesiae; ita E/1381.

Ratio 2: Per expositionem in uno Capite impressio daretur quasi Ecclesia hodierna vitam religiosam *iam non magni faceret,* ex quo orirentur magnum damnum pro Ecclesia et miratio pro fratribus seiunctis; ita E/1386. Idem dicit E/1328, qui et ipse timet *depressionem* status perfectionis et invocat magnam aestimationem Orientalium pro vita monachali. Ideo, ut addit E/1253, de Religiosis non est *in obliquo* et quasi obiter dicendum. Neque quasi *per transennam* in aliquo capite generali de sanctitate; ita E/1258. Contra ius Religiosorum in Ecclesia recognitum, non licet fovere *minorem aestimationem,* indifferentismum, laxismum et planificationem novatorum; sic E/1162. Nedum *obscuretur* thema de Religiosis, ut monet E/1203, extollenda est *excellentia* et momentum ipsius; ita E/1147. Modo igitur proprio, aperto et explicito loquendum est etiam *de activitate fructuosa* Religiosorum pro vita Ecclesiae, ut constat v. g. ex eorum ingentissimo numero; ita E/980. Itaque *praestantia* illius status ne minuatur; ita E/1223.

Ratio 3: Inde a saeculis constat quod Religiosi in Ecclesia « *statum* »

constituunt, qui quidem ad divinam institutionem eiusdem non pertinet, [175] sed tamen essentialiter ad vitam Ecclesiae pertinet, eiusque sanctitatis notae elementum constituit; sic E/1221. Inde agnoscenda est *duplex vocatio*; quod influit in bonum tum Religiosorum tum ipsius Ecclesiae; ita E/1290. Status Religiosorum *non est accidentalis* in Ecclesia, sed tamquam status laicis saecularibus opponitur; ita E/1291.

Ratio 4: Sanctitas communis et sanctitas statuum perfectionis, licet sit simpliciter eadem, *gradu* tamen differt; secus deesset *ratio amplectendi* et *commendandi* statum perfectionis; ita E/1334. Sub uno capite de perfectione in genere et de perfectione religiosa agere, *non est paedagogicum,* quia minimizat et obscurat statum Religiosorum, non efferendo notam specificam et theologicam illorum status; ita E/1234.

Ratio 5: Status perfectionis est *quoad substantiam institutionis divinae,* ex voluntate Christi non praecipiente, sed consulente. Est distinctio in Ecclesia, non ut societatis hierarchicae, sed ut societatis spiritualis, ad sanctitatem ordinatae. Germinaliter est in Evangelio et in praxi Ecclesiae primitivae, quamvis, sicut etiam Episcopatus et sacerdotium, aliquam organicam evolutionem ostendat. Est perfecta Christi imitatio, quae in Ecclesia deesse non potest. Sic E/1328. Praeter divisionem inter Hierarchiam et Laicos, datur etiam *ex voluntate Christi* duplex categoria: illorum qui ad praxim effectivam et totalem consiliorum vocantur, et aliorum; ita E/1176 (25 Patres).

Ad *locum* quod attinet, in quo pars de Sanctitate universali reponenda esset, Documentum 679 Patrum suggerit caput *de Populo Dei,* vel etiam *de Mysterio Ecclesiae*. Ex Patribus singulariter de hac re agentibus, plures praeferunt relocationem in capite *de Populo Dei*: E/522 (22 Pa- [176] tres), E/980, 1147, 1162, 1181 (21 Patres), 1214, 1253 (5 Patres), 1255, 1257, 1270, 1290, 1326, 1328, 1364 (11 Patres). Alii tamen praeferunt caput *de Mysterio Ecclesiae*: E/550, 1131, 1178, 1208, 1213, 1382.

B) *Pro continua expositione in uno capite,* in duas tamen sectiones dispertito, invocantur sequentes rationes:

Rationes E/1057 (58 Patres): Placet quod agatur de vita consiliorum in contextu ecclesiali, una cum universali vocatione ad sanctitatem: *a*) viget enim quandoque apud fideles persuasio *sanctitatem esse reservatam* solis Religiosis vel Sacerdotibus; quod quidem non est sine pravis consectariis pro vita christiana fidelium; *b*) sic vita consiliorum melius apparet ut charisma ad perhibendum *testimonium eschatologicum* pro communitate christiana; *c*) sic status religiosus non ostenditur ut quid iuridicum, sed potius ut *vita charismatica* semper in Ecclesia existens ac de eius essentia procedens. Ita etiam E/518 (30 Patres).

[176] *Rationes E/1058*: Prima est *theologica*: distinctio inter clericos et laicos ad structuram constitutivam Ecclesiae pertinet et est iuris stricte divini, dum Religiosi constituunt structuram in Ecclesia et non ipsius Ecclesiae. Secunda est *pastoralis*: oportet ut tollatur impressio, quod perfectio et sanctitas sit quasi monopolium Religiosis reservatum; unde multum iuvat vitam religiosam exponere in perspectiva vocationis universalis ad sanctitatem. Tertia est *oecumenica*: duces Reformationis protestanticae intendebant destruere murum, quem ab Ecclesia putabant exstructum inter fideles et Religiosos, quasi hi ultimi ad altiorem et proprie dictam sanctitatem vocarentur, dum alii ad salutem elementarem tantum vocarentur; haec erronea interpretatio per structuram huius capitis prudenter corrigenda est.

Rationes E/1108 (79 Patres): Placet quod consilia evangelica eorumque professio in contextu theologico de toto Populo considerantur. Agendo de vocatione omnium fidelium ad sanctitatem efficaciter refellitur falsa opinio illorum, qui Ecclesiae opprobrio vertunt, quod secundum eius doctrinam asceticam haberentur in eius sinu, ratione status in quo quis versatur, *duae classes christianorum* respectu maioris vel minoris perfectionis. Huic considerationi alii accedunt, arguendo quod Religiosi non habent velut monopolium perfectionis; ita E/1292. Neque quamdam aristocratiam constituunt, ita E/1245. Neque per suum « ideale » perfectionis a reliquis in Ecclesia disiungendi sunt; ita E/1053.

Rationes E/1055: *a*) Si haec materia ad Caput *de Populo Dei* transfertur, plura exinde *in confusionem* venirent; ita v. g. bis de consiliis agendum esset, nempe pro his qui privatim consilia exercent et pro illis qui publicam faciunt professionem. *b*) Oportet ut prosecutio sanctitatis appareat ut *culmen totius schematis*; unde postulatur, ut varii modi et variae viae ad sanctitatem exponantur in uno complexivo capite, quod
[177] de diversis coetibus et specialissimo titulo de Religiosis ageret. *c*) Si Religiosi in hac expositione a reliquis membris Ecclesiae separantur, significatio eorum in Ecclesia debito modo amplius non apparet; impressio fieret quasi ipsi speciem aliquam constituant non satis cum populo fideli coniunctam, et multum *minueretur manifestatio* institutionalis prosecutionis sanctitatis. Secus, scilicet si in contextu litterario et doctrinali totius Ecclesiae ponuntur, merito sperare possumus, ut et vocationum numerus et perseverantia candidatorum augeatur.

Rationes E/1170: Religiosis est munus *significandi* et *testificandi* Regnum Dei, novam vitam in Christo; qui sensus in schemate inculcandus est. Aptissime hoc fiet in capite de universali vocatione ad sanctitatem, non in detrimentum Religiosorum, sed *in eorum favorem*.

Patres illi, quibus, ut dictum est, plures alii accesserunt, proponunt

ut bipartita tractatio in *titulo* capitis enuntietur, fere hoc modo: « De [177] universali vocatione ad sanctitatem, et speciatim de Religiosis ». Aliqui, pro altera parte, potius loquuntur de « iis qui consilia evangelica profitentur », vel « de statibus perfectionis ».

Placuit tamen Subcommissioni et Commissioni plenariae loqui simpliciter « de Religiosis », ne in controversias theologicas de penitiore essentia status religiosi intraretur, ut postea fusius dicetur.

CONCLUSIO

Rebus sic stantibus, in Subcommissione *mixta,* die 28 ian. 1964, sequens proposita fuit *solutio intermedia,* quae in sessione plenaria Commissionis Doctrinalis mense martio approbata fuit.

1) In omni casu expositio de Sanctitate et de Religiosis *dividatur in duas partes,* quae inscribantur sive ut duo Capita (V et VI), sive ut duae sectiones unius Capitis (V. A et V. B). Solutio huius ultimae quaestionis ipsi Concilio relinquitur. Consultatione provisoria facta, apparuit quod maior pars Membrorum Subcommissionis mixtae ad duo Capita inclinabat, minor vero in duas sectiones unius Capitis (7 contra 4).

2) *Omnes* concorditer acceperunt, ut *ordo expositionis totius materiae non mutaretur,* notatim quia transpositio sectionis de Sanctitate ad Caput *de Populo Dei* non sine magno incommodo et ingente labore effici posset. Plures enim partes textus iam approbati, essent denuo redigendae secundum novam successionem idearum. Ideo praeplacuit quod in Capite V (vel V, A) ageretur de principio universalis vocationis ad sanctitatem, et in Capite VI (vel V, B) de speciali vocatione ad statum religiosum. In capite tamen *de Populo Dei, quaedam inserentur quasi praevie,* tum de vocatione fidelium cuiuscumque conditionis vel status ad perfectionem sanctitatis, — quod factum est in fine numeri 11, — tum de variis ordinibus in Ecclesia sive secundum diversitatem officiorum (clerici - laici), sive secundum diversitatem conditionis et vitae ordinationis [178] (religiosi - laici), quod factum est in numero 13, alinea 3.

3) Servato autem generali ordine materiae tractatae, *non exurgit disturbatio logicae expositionis.* Etenim, si generatim distinguuntur tres veluti status in Ecclesia, scilicet clericorum, religiosorum et laicorum, omnes norunt praedictam tripartitionem ex duplici distinctione exsurgere, quae in diversis veluti planis reponitur. Unde explicatur, quod sive clerici sive laici in statum religiosum intrare possunt.

Distinctio enim *inter Hierarchiam et Plebem* oritur ex institutione divina auctoritatis ecclesiasticae, et fundatur in eo, quod quidam prae-

[178] ter characterem baptismi insuper characterem Ordinis suscipiunt. Distinctio vero *inter religiosos et alios* exurgit ex diversitate inter vocationem universalem et vocationem particularem secundum viam, qua unusquisque iuxta donum suum sanctitatem prosequi debet. Vita effectivae professionis consiliorum pertinet ad finem et vitam Ecclesiae et praefigurat vitam Regni coelorum, ubi electi neque nubent neque nubentur (cf. *Mt.* 22, 30). Ita E/1326.

Unde sicut Capiti quod describit institutionem hierarchicam respondet Caput *de Laicis,* ita expositioni de universali vocatione ad sanctitatem respondet expositio de via speciali *status religiosi.*

Quae consideratio, iam in Ratione 3ª et 5ª prioris sententiae allata, *corroboratur* ex documentis pontificiis, quae in eodem voto E/1326 citantur, nempe:

Pius XII, Const. Apost. *Provida Mater,* 2 febr. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 116: « Dum alii duo canonicarum personarum ordines, scilicet clericorum et laicorum, divino iure, cui ecclesiastica adiungitur institutio (cc. 107, 108 § 3), ex Ecclesia petuntur quatenus ipsa est societas hierarchice constituta et ordinata, *haec media,* inter clericos et laicos, *religiosorum classis,* quae utrique clericis et laicis communis esse potest (c. 107), *ex arcta peculiarique relatione ad Ecclesiae finem, sanctificationem nempe,* efficaciter rationibusque adaequatis prosequendum, tota desumitur ».

Pius XII, Alloc. *Annus sacer,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 27-28: « Divino ipso iure statutum est ut clerici distinguantur a laicis. Inter duos hos gradus religiosae vitae status intericitur qui, *ecclesiastica origine defluens, ideo est atque ideo valet, quia arcte proprio Ecclesiae fini cohaeret,* qui eo spectat ut homines *ad sanctitatem* assequendam perducantur ».

Exinde sequeretur haec *Ordinatio totius schematis de Ecclesia.*

A) In Capite I, sub titulo *de Mysterio Ecclesiae,* describitur eius divina origo et intima natura. Cui accedit Caput II, sub titulo *de Populo Dei,* in quo pressius exponitur novi Populi his in terris peregrinatio, in exercitio sacerdotii communis, cum indicatione de sensu fidei ac charismatibus; atque effertur eius unitas catholica seu universalis, explanatis etiam
[179] relationibus cum diversis categoriis christianorum et hominum in genere.

B) Inde a Capite III *exponitur Constitutio hierarchica Ecclesiae,* in qua *Episcopi* in locum Apostolorum succedunt, sacramentali consecratione accepta; qui una cum Capite suo Summo Pontifice Corpus seu Ordinem constituunt, et diversa ministeria, scilicet docendi, sanctificandi et regendi exercent, adiuvantibus presbyteris et diaconis. In capite IV autem docetur quod *Laici* exinde non tantum in dignitate sua christiana

non minuuntur, sed in ea firmantur, ut ducente Hierarchia missioni sal- [179]
vificae Ecclesiae sub triplici aspectu cooperentur, in christiana oboedientia et fiduciosa concordia.

C) Ulterius post expositionem de « constitutione hierarchica », Schema animum diserte vertit ad « finem » ab Ecclesia intentum et in capite V tractat *de universorum vocatione ad sanctitatem* et perfectionem, sub variis formis et in diversis categoriis prosequendam, diversis etiam viis et mediis secundum cuiusque vocationem, non exclusis consiliis evangelicis. In capite VI vero (vel V, B) ex professo explanatur status illorum, qui consilia evangelica in praxim effectivam deducunt, sub auctoritate ecclesiastica, scilicet *de Religiosis,* quorum totalis ad Deum consecratio arctiorem et pressiorem imitationem Christi inducit. Huius vero status momentum ecclesiale et eschatologicum exhibetur, eius aestimatio inculcatur et foecunda operositas ostenditur.

D) Denique in capite VII (vel VI) ex professo agitur *de consummatione sanctitatis* in gloria Sanctorum in coelis et de nostra unione mutua cum illis. Ac tandem in capite VIII (vel VII) specialis consideratio tribuitur *B. Mariae Virgini,* tum in mysterio Christi, cuius ipsa est mater, tum in mysterio Ecclesiae, cuius ipsa est maternalis et virginalis typus. In quo finali capite, coronidis instar, tota expositio de mysterio Ecclesiae velut recapitulatur.

[181]

Caput VII

(vel cap. VI)

DE INDOLE ESCHATOLOGICA VOCATIONIS NOSTRAE AC DE NOSTRA UNIONE CUM ECCLESIA COELESTI (A)

Textus prior

54. [*De indole eschatologica vocationis nostrae in Ecclesia*]. Sanctitas ad quam omnes homines in Christo Iesu vocantur, non tamen in terris consummabitur. « Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino » (*1 Cor.* 5, 6) et expectamus « beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi » (*Tit.* 2, 13) qui veniet « glorificari in sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt » (*2 Thess.* 1, 10).

Iam ergo Christo in Ecclesia coniungimur et filii Dei nominamur et sumus (*1 Io.* 3, 1), sed nondum apparuimus cum Ipso in gloria (cf. *Col.* 3, 4), in qua similes ei erimus et videbimus eum sicuti est (cf. *1 Io.* 3, 2). Existimantes proinde quod « non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis » (*Rom.* 8, 18), cum Christo compati debemus ut et conglorificemur (*Rom.* 8, 17) et contendere, imo et currere ut incorruptam coronam accipiamus (cf. *1 Cor.* 9, 25). Cum autem nemo sciat diem neque horam (cf. *Mt.* 25, 13), monente Domino, vigilemus oportet, ut cum Ipso ad nuptias intrare possimus (cf. *Mt.* 25, 1-13). Antequam enim ad coenam nuptiarum Agni (cf. *Apoc.* 19, 9) admittemur et cum Christo glorioso regnabimus (*Apoc.* 22, 5), omnes nos manifestabimur ante tribunal Domini ut referat unusquisque proprium corpo-

Textus emendatus

48. (olim n. 54). [*De indole eschatologica vocationis nostrae in Ecclesia*]. (B) Non tamen in terris consummatur sanctitas ad quam in Christo Iesu vocamur omnes. Coniungimur quidem Christo in Ecclesia ac filii Dei nominamur et sumus (cf. *1 Io.* 3, 1), sed nondum apparuimus cum Ipso in gloria (cf. *Col.* 3, 4), in qua similes ei erimus; quoniam videbimus Deum sicuti est (cf. *1 Io.* 3, 2) (C). Itaque « dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino » (*2 Cor.* 5, 6) desiderium habentes esse cum Christo (cf. *Phil.* 1, 23); eadem autem caritate urgemur ut in aerumnis et tribulationibus magis vivamus Ei qui pro nobis mortuus est et resurrexit (cf. *2 Cor.* 5, 15): induimus ergo armaturam Dei, ut possimus stare adversus insidias diaboli et resistere in die malo (cf. *Eph.* 6, 11-13). Cum vero nesciamus diem neque horam, monente Domino, constanter vigilamus ut cum Ipso ad nuptias intrare (cf. *Mt.* 25, 1-13) et cum benedictis connumerari mereamur (cf. *Mt.* 25, 31-46) (D); etenim, antequam cum Christo glorioso regnemus, omnes nos manifestabimur « ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum » (*2 Cor.* 5, 10) (E). Existimantes proinde quod « non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis » (*Rom.* 8, 18; cf. *2 Tim.* 2,

Textus prior

ris, prout gessit, sive bonum sive malum (cf. *2 Cor.* 5, 10).

55. [*De Ecclesiae Triumphantis solidarietate cum Ecclesia Peregrinante*]. Donec autem Dominus venerit et gloriosa resurrectio mortuorum fiet, alii e christifidelibus in terris peregrinantur, alii purgantur, alii vero glorificantur, intuentes Deum, trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Omnes tamen qui Christi sunt, in Ipso intime cum invicem cohaerent ac coalescunt et unam Ecclesiam et unum eius Corpus constituunt. Equidem viatorum unio cum fratribus, qui in pace Christi e mundo exierunt, minime extenuatur aut intermittitur, quin potius secundum perennem Ecclesiae fidem, spiritualium bonorum communicatione evehitur ac roboratur. Caelites enim intimius cum Christo coniunguntur et ideo foecundius ad ampliorem usque aedificationem totius compaginis contribuunt ac ipsam multipliciter in sanctitate confirmant consolidantque. Nam quae in terris per unum Mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Iesum (cf. *1 Tim.* 2, 5) acquisiverunt bona, adimplentes ea quae desunt passionum Christi in carne sua pro Corpore eius, quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24), haec etiam in patriam recepti pro nobis offerre non desinunt, continua oratione apud Christum, et cum Ipso apud Patrem intercedendo. Quemadmodum enim Christus Iesus, qui mortuus est et resurrexit, ad dexteram Dei sedens semper in-

Textus emendatus

11-12), fortes in fide expectamus « beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi » (*Tit.* 2, 13), « qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae » (*Phil.* 3, 20-21) et qui veniet « glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt » (*2 Thess.* 1, 10) (F).

49. (olim n. 55). [*De communione Ecclesiae coelestis cum Ecclesia peregrinante*] (A). Donec vero Dominus venerit in maiestate sua et omnes Angeli cum eo (cf. *Mt.* 25, 31) et, destructa morte, Illi subiecta fuerint omnia (cf. *1 Cor.* 15, 26-27), alii e christifidelibus in terris peregrinantur, alii hac vita functi purificantur, alii vero glorificantur intuentes « clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est » (1) (B); omnes tamen in eadem Dei et proximi caritate communicamus et eundem hymnum gloriae Deo nostro canimus. Universi enim qui Christi sunt, in Ipso invicem cohaerent et in unam Ecclesiam coalescunt: ideoque viatorum unio cum fratribus qui in pace Christi dormierunt, minime extenuatur aut intermittitur, quin potius, secundum perennem Ecclesiae fidem, spiritualium bonorum communicatione roboratur (C). Ex eo enim quod coelites intimius cum Christo uniuntur, totam Ecclesiam in sanctitate firmius consolidant, divinum eius cultum nobilitant ac multipliciter ad ampliorem eius aedificationem contribuunt (2) (D). Nam bona quae illi in terris adquisiverunt per unum Mediatorem Dei et hominum, Christum Iesum (cf. *1 Tim.* 2, 5), adimplentes ea quae desunt passionum Christi in carne sua pro Corpore eius quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24) (3), haec etiam in patriam recepti offerre non desinunt, per Ipsum et cum Ipso et

[182] *Textus prior*

terpellat pro nobis (cf. *Rom.* 8, 34), ita et Caelites, cum Christo regnantes, non cessant pro fratribus, qui adhuc in carne peregrinan-
[183] tur, interpellare. Qui autem in terris profundius in caritate Christi radicati et fundati erant (cf. *Eph.* 3, 17) et nunc in caelis eminentiore gradu Dominicae gloriae participes sunt effecti, validiores patroni et advocati nostri exsistunt quorum sollerti fraternaque cura infirmitas nostra ad promerendum in sanctificatione salutem plurium iuvatur.

56, § 1. [*De Ecclesiae Peregrinantis conversatione cum Ecclesia Triumphante*]. Hanc solidarietatem totius Iesu Mystici Corporis apprime agnoscens, Ecclesia viatorum inde a primaevis christianae religionis temporibus, conscientiam nostrae unionis cum fratribus qui in caelis sunt semper promovere studuit ac eorundem cultum magna cum pietate exercuit commendavitque. Dum enim admirandam illorum conspicimus vitam qui, divina flagrante caritate, Christi vestigia fideliter sunt secuti, nos nullam hic habere manentem civitatem plenius agnoscimus, profundiore desiderio futurae inquirendae inflammamur (cf. *Hebr.* 13, 14), simulque tutissimam edocemur viam, qua unusquisque nostrum inter mundanas varietates, secundum statum ac conditionem sibi propriam ad perfectam cum Christo unionem seu sanctitatem pervenire poterit. Simul autem vitae eorum sanctitatem contemplantes in fide nostra roboramur: ipsi enim nonnihil conferunt ut Ecclesia veluti signum levatum in nationes (*Is.* 11, 12) ad se invitet qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat firmissimo niti fundamento fidem quam profitentur.

Textus emendatus

in Ipso pro nobis apud Patrem intercedendo (4) (E). Eorum proinde fraterna sollicitudine infirmitas nostra plurimum iuvatur.

50. (olim n. 56, § 1). [*De Ecclesiae peregrinantis conversatione cum Ecclesia coelesti*] (A). Hanc communionem totius Iesu Christi Mystici Corporis apprime agnoscens, Ecclesia viatorum inde a primaevis christianae religionis temporibus defunctorum memoriam magna cum pietate excoluit, sacrificia et preces pro illis offerendo atque vicissim se orationibus eorum sedulo commendando (5). Apostolos autem et martyres Christi, qui sui sanguinis effusione supremum fidei et caritatis testimonium dederant, in Christo arctius nobis coniunctos esse Ecclesia semper credidit eosque simul cum Beata Virgine Maria et sanctis Angelis peculiari affectu venerata est (6) (B); quibus mox adnumerati sunt illi quoque qui Christi virginitatem et paupertatem pressius erant imitati (7) (C) et tandem ceteri quos caritatis aliarumque virtutum praeclarum exercitium (8) (D) ac divina charismata piae fidelium devotioni et imitationi commendabant (9) (E).

Dum enim illorum conspicimus vitam qui Christum fideliter sunt secuti, nova ratione ad futuram Civitatem inquirendam (cf. *Hebr.* 13, 14 et 11, 10) incitamur simulque tutissimam edocemur viam qua inter mundanas varieta-

Textus prior

56, § 2. Nec tamen solius exempli vel fidei nostrae confirmationis titulo Sanctorum memoriam colimus, sed multo magis ut totius Ecclesiae unio roboretur per actuosum caritatis exercitium. Sicut enim mutua inter viatores bonorum communicatio profundius eos cum Christo coniungit ac eorundem caritatem erga Deum et proximos efficacius promovet, ita et multo magis nostra cum Sanctis conversatio. Summopere ergo decet ut hos Christi amicos et cohaeredes, fratres quoque nostros et benefactores eximios diligamus ipsisque debitas rependamus gratias, necnon ut eos suppliciter invocemus et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, ad eorum orationes, opes, auxiliumque confugiamus. Sacrae Tridentinae Synodi decretum de invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus proinde renovamus ac confirmamus et insuper in memoriam revocamus Sacrae Synodi Nicaenae II^{ae} declarationem de legitimo usu imaginum quia « qui has contemplantur alacrius eriguntur ad ipsorum sanctorum memoriam et desiderium ». Si autem hic illicve abusus vel excessus irrepserint omnes ad quos legitime spectat enixe hortamur, ut illos sedulo ac pro prudentia

Textus emendatus [183]

tes, secundum statum ac condicionem unicuique propriam, ad perfectam cum Christo unionem seu sanctitatem pervenire poterimus (10). (F) In vita eorum qui, humanitatis nostrae consortes, ad imaginem tamen Christi perfectius transformantur (cf. *2 Cor.* 3, 18), Deus praesentiam vultumque suum hominibus vi- [184]
vide manifestat. In eis Ipse nos alloquitur, signumque nobis praebet Regni sui (11), ad quod tantam habentes impositam nubem testium (cf. *Hebr.* 12, 1), talemque contestationem veritatis Evangelii, potenter attrahimur (G).

Nec tamen solius exempli titulo coelitum memoriam colimus, sed magis adhuc ut totius Ecclesiae unio roboretur per fraternae caritatis exercitium (cf. *Eph.* 4, 1-6). Nam sicut christiana inter viatores communio propinquius nos ad Christum adducit, ita et multo magis consortium cum Sanctis coniungit nos Christo, a quo tamquam a Fonte et Capite omnis gratia et ipsius Populi Dei vita promanat (12) (H). Summopere ergo decet ut hos Iesu Christi amicos et coheredes, fratres quoque nostros et benefactores eximios diligamus, debitas ipsis rependamus gratias atque « suppliciter eos invocemus et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugimus » (13). Quodcumque enim amoris testimonium coelitibus a nobis exhibetur, suapte natura tendit ac terminatur ad Christum qui est « corona Sanctorum omnium » (14) et per Ipsum ad Deum qui est mirabilis in Sanctis suis et in ipsis magnificatur (15).

Nobilissima vera ratione unio nostra cum Ecclesia coelesti actuatur, cum praesertim in sacra Liturgia divinae maiestatis laudem socia exsultatione concelebramus (16) (I), et uni-

[184] *Textus prior* — *Textus emendatus*

Textus prior

sua corrigere et arcere satagant. Sanctorum enim cultus ex tota indole sua ad laudem Christi et Dei apprime dirigitur.

Textus emendatus

versum genus humanum, sanguine Christi redemptum et in unam Ecclesiam congregatum, uno cantico laudis sanctissimam Trinitatem adorat et magnificat. Quam ob rem iam nascentis Ecclesiae filii, perpauci adhuc et dira ubique persecutione oppressi, Ecclesiae coelesti sese iungebant communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper Virginis Mariae, sed et beatorum Apostolorum et Martyrum et omnium Sanctorum (17) (K).

[185]

Textus prior

56, § 3. Quemadmodum autem fraternum viatorum consortium in communi Dei laude perficitur ac sublimatur, ita quoque Caelitum ac viatorum mutua conversatio plurimum contribuet ut cultus, quem Iesu Christo et per Ipsum aeterno Patri in Spiritu tribuimus, omni qua potest et decet integritate sit plenus: procul enim dubio ad Ecclesiae cultus integritatem pertinet ut totum humanum genus qua unum est uno cantico laudis Sanctissimam Trinitatem adoret et glorificet. Dum ergo omnes qui unum Iesu Christi Corpus et unum Populum Dei constituunt in unius Dei cultu iunguntur, intimae Ecclesiae vocationi correspondent et nobilissima ratione futuram eius consummationem praegustando participant.

57. [*Epilogus*]. Quando enim Ecclesia in gloria consummabitur, perficietur in « sanctam civitatem Hierusalem novam descendentem de coelo a Deo sicut sponsam ornatam viro suo » (*Apoc.* 21, 2). Claritas Dei illuminabit eam, et eius lucerna erit Agnus (cf. *Apoc.* 21, 23). Et erit « tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt et ipse Deus cum eis erit eorum Deus » (*Apoc.* 21, 3), « Alpha et Omega, initium et finis » (*Apoc.* 21, 6). Tunc tota Ecclesia Sanctorum in

Textus emendatus

51. (olim n. 56 §§ 2-3). [*Concilium statuit dispositiones pastorales*] (F). Quam venerabilem maiorum nostrorum fidem circa vitale consortium cum fratribus qui in coelis sunt magna cum pietate recipimus et decreta Sacrorum Conciliorum Nicaeni Secundi (18) (A) et Tridentini (19) (B) denuo confirmamus. Simul autem, pro pastorali sollicitudine nostra, omnes ad quos spectat hortamur, ut si qui abusus, excessus vel defectus hic illicve irrepserint, eos arcere aut corrigere satagant ac omnia ad pleniorem Christi et Dei laudem instaurent. Doceant ergo fideles authenticum sanctorum cultum non tam in actuum exteriorum multiplicitate quam potius in intensitate amoris nostri consistere, quo, ad maius nostrum ac totius Ecclesiae bonum, sanctorum quaerimus « et conversatione exemplum et communione consortium, et intercessione subsidium » (20). Ex altera vero parte fideles instruant nostram cum coelitibus conversationem, dummodo in pleniore fidei luce secundum genuinam naturam suam concipiatur, nequaquam extenuare, sed e converso impensius ditare latreuticum cultum quem Iesu Christo et Deo in Spiritu tribuimus (21) (C).

Nam omnes qui filii Dei sumus et unam familiam in Christo constituimus (cf. *Hebr.* 3,

Textus prior

summa caritatis beatitudine adorabit « Agnum qui occisus est » (*Apoc.* 5, 12) et Deum una voce proclamans: « Sedenti in throno et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum... Amen » (cf. *Apoc.* 5, 13-14).

Textus emendatus [185]

6), dum in mutua caritate et una sanctissimae Trinitatis laude invicem communicamus, intimae Ecclesiae vocationi correspondemus et consummatae gloriae liturgiam praegustando participamus (21). Quando enim Christus apparebit et gloriosa mortuorum resurrectio erit, claritas Dei illuminabit coelestem Civitatem et eius lucerna erit Agnus (cf. *Apoc.* 21, 24). Tunc tota Ecclesia sanctorum in summa caritatis beatitudine adorabit Deum et « Agnum qui occisus est » (*Apoc.* 5, 12), una voce proclamans: « Sedenti in throno, et Agno: bene- [186]
dictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum » (*Apoc.* 5, 13-14).

NOTAE

Caput VII (vel Cap. VI)

De indole eschatologica vocationis nostrae ac de nostra unione cum Ecclesia coelesti

Ad n. 49.

(1) CONC. FLORENTINUM, *Decretum pro Graecis*: DENZ. 693 (1304-1306).

(2) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 200.

(3) Cf. *ibid.*, p. 245.

(4) Cf., i. a., S. AUGUSTINUS, *Enarr. in Ps.* 85, 24: *PL* 37, 1099. S. HIERONYMUS, *Liber contra Vigilantium*, 6: *PL* 23, 344. S. THOMAS, *In 4^m^ Sent.*, d. 45, q. 3, a. 2. S. BONAVENTURA, *In 4^m^ Sent.*, d. 45, a. 3, q. 2; etc.

Ad n. 50.

(5) Cf. plurimae inscriptiones in Catacumbis romanis.

(6) Cf. GELASIUS I, Decretalis *De libris recipiendis*, 3: PL 59, 160, DENZ. 165 (353).

(7) Cf. S. METHODIUS, *Symposion*, VII, 3: *GCS* (BONWETSCH), p. 74.

(8) Cf. BENEDICTUS XV, *Decretum approbationis virtutum in Causa beatificationis et canonizationis Servi Dei Ioannis Nepomuceni Neumann*: *A.A.S.*, 14 (1922), p. 23; plures Allocutiones PII XI de Sanctis: *Inviti all'eroismo*. Discorsi ... t. I-III, Romae 1941-1942, passim; PIUS XII, *Discorsi e Radiomessaggi*, t. 10, 1949, pp. 37-43.

(9) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 581.

(10) Cf. PIUS XII, *ibid.*, pp. 582-583.

(11) Cf. CONC. VATICANUM I, Const. *De fide catholica*, cap. 3: DENZ. 1794 (3013).

[186] (12) Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 216.

(13) Conc. Tridentinum, Sess. 25, *De invocatione Sanctorum*: Denz. 984 (1821).

(14) Breviarium Romanum, *Invitatorium in festo Sanctorum Omnium.*

(15) Cf., v. g., *Ps.* 67, 36; *Ps.* 88, 8; 2 *Thess.* 1, 10.

(16) Cf. Conc. Vaticanum II, Const. *De Sacra Liturgia,* cap. 5, n. 104.

(17) *Canon* Missae Romanae.

Ad n. 51.

(18) Conc. Nicaenum II, Act. VII: Denz. 302 (600).

(19) Conc. Tridentinum, Sess. 25, *De invocatione Sanctorum*: Denz. 984 (1821).

(20) Ex *Praefatione,* aliquibus dioecesibus concessa.

(21) Cf. S. Petrus Canisius, *Catechismus Maior seu Summa Doctrinae christianae,* cap. III (ed. crit. F. Streicher), Pars I, pp. 15-16, n. 44 et pp. 100-101, n. 49.

(22) Cf. Conc. Vaticanum II, Const. *De Sacra Liturgia,* cap. 1, n. 8.

[187] RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

Relatio de n. 48, olim n. 54

(A) De titulo vide Relationem Generalem infra p. 195.

(B) In toto capite passim in memoriam revocatur doctrina *De Novissimis* seu *De Christo Consummatore*; cuius doctrinae praedicatio, propter rationes dogmaticas et pastorales, in mundo hodierno omnino urget.

(C) In hac paragrapho in primis agitur *de fine ultimo* beatitudinis Ecclesiae cum Christo in visione Dei. In textu indicatur itaque aspectus *christologicus* et *ecclesiologicus* huius tractationis.

(D) Insistitur in *vigilantia* christifidelium his in terris sub exspectatione eschatologica; quae vigilantia, durante probatione terrestri, in Novo Testamento vivide inculcatur.

(E) Ut doctrina de Novissimis seu de Christo Consummatore satis diserte appareat, in hac phrasi indicatur *iudicium* ante tribunal Christi.

(F) Propter eandem rationem in ultima sententia enuntiatur doctrina de *parousia Christi* ac *resurrectione carnis.*

Relatio de n. 49, olim n. 55

(A) Postulatum adest ut *fundamenta dogmatica* doctrinae disertius proponantur, ut facilius arceantur tendentiae, quae in hac materia sive per excessum sive per defectum peccant, utque simul intentioni oecu-

menicae aptius provideatur. Quo desiderio respondet textus huius paragraphi. [187]

(B) Rursus memorato ultimo iudicio et gloria Christi in resurrectione universali, indicatur unio inter Ecclesiam peregrinantem, animas in *purgatorio* et sanctos qui in coelo *visione intuitiva* iam fruuntur.

(C) Describitur *Communio Sanctorum* cum mutua communicatione bonorum in Christo. Suggerit autem aliquis Pater ut sententia paulo aliter redigatur, hoc scilicet modo: « ideoque unio fratrum qui in pace Christi dormierunt cum viatoribus minime extenuatur », quia etiam si quidam fideles de sanctis in coelo minus cogitant, ipsi tamen caritatem erga fideles nullo modo obliviscuntur.

(D) Sancti coelites, cum in superna Hierusalem Christo indefectibiliter incorporentur, omnibus quoque qui Eius sunt, nova ac profundiore ratione in eodem Christo Capite uniuntur ideoque ad totius Mystici Corporis consolidationem et aedificationem efficacius contribuunt secundum praeclarum principium: « Quemadmodum enim in mortali corpore singula membra non sibi unice vivunt sed aliis quoque opitulantur, ita et [188]
in Mystico Christi Corpore, quod est Ecclesia, omnia membra adiutricem sibi operam praestant, cum ad mutuam consolationem, tum ad ampliorem usque aedificationem totius Corporis »: Pius XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis, A.A.S.,* 35 (1943), p. 200.

(E) Cf. Concilium Tridentinum, Sessio XXII, cap. 3, *De Missis in honorem Sanctorum,* Denz. 941 (1744), et Can. 5, Denz. 952 (1755); Sessio XXV, *De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus,* Denz. 984 ss. (1821 ss.).

Inter Patres cf. e. g. S. Augustinus, *Enarratio in Psalmum* 85, 24: *PL* 37, 1099: « Dominus noster Iesus Christus adhuc interpellat pro nobis (*Rom.* 8, 34); omnes martyres qui cum illo sunt interpellant pro nobis », et passim. Origenes, *Peri Euches,* XI, *GCS,* t. 2 (ed. P. Koetschau), pp. 321 ss.; *PG* 11, 448 ss. S. Hieronymus, *Liber contra Vigilantium,* 6: *PL* 23, 359: « Dicis in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio; praesertim cum martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverint (*Apoc.* 6, 10). Si apostoli et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro caeteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quanto magis post coronas, victorias et triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam (*Exod.* 32, 30 ss.): et Stephanus imitator Domini sui, et primus martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur (*Act.* 7, 59); et postquam cum Christo esse coeperint, minus valebunt? Paulus apostolus ducentas septuaginta sex sibi

[188] dicit in navi animas condonatas; et postquam resolutus esse coeperit cum Christo, tunc ora clausurus est (*Act.* 27, 37), et pro his qui in toto orbe ad suum Evangelium crediderunt, mutire non poterit? Meliorque erit Vigilantius canis vivens, quam ille leo mortuus (*Eccles.* 9, 4). Recte hoc de Ecclesiaste proponerem, si Paulum in spiritu mortuum confiterer ».

De doctrina Patrum videantur inter alia: A. PIOLANTI, *La Comunione dei Santi e la vita eterna,* P. I, c. IV, Firenze 1957, pp. 111-164; G. JOUASSARD, *Le rôle des chrétiens comme intercesseurs auprès de Dieu dans la chrétienté lyonnaise au second siècle,* in: *Revue des Sciences Religieuses* 30 (1956), pp. 217-229; G. ZULLI, S.D.B., *S. Ambrogio e il culto dei Santi. Culto dei Martiri e delle loro reliquie,* Roma 1945.

Cf. S. THOMAS, *In IV[um] Sententiarum,* d. 45, q. 3, a. 2: « Sancti qui sunt in patria, magis sunt accepti Deo quam in statu viae. Sed sanctos qui sunt in via, constituere debemus interpellatores pro nobis ad Deum exemplo Apostoli; qui dicebat *Rom.* XV, 30: obsecro vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, et per caritatem Spiritus Sancti, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. Ergo et nos multo fortius petere debemus a sanctis qui sunt in patria, ut nos iuvent orationibus ad Deum ». S. BONAVENTURA, *in IV Sententiarum,*
[189] d. 45, a. 3, q. 2: « Sancti in via impetrant aliis gratiam, et multa bona; sed plus possunt apud Deum in patria, quam in via; ergo magis impetrant. Item Sancti impetrant pro vivis, quia sunt amici Dei: sed magis sunt amici Dei in patria, ergo efficacius impetrant. Videantur etiam S. ROBERTUS BELLARMINO, *De Ecclesia Triumphante sive de gloria et cultu Sanctorum,* lib. I, c. 10, Opera Omnia, t. II, Neapoli 1857, p. 439; F. SUÁREZ, S. I., *De virtute et statu religionis,* tract. 4, lib. I, c. 10, n. 17, Opera Omnia, ed. VIVÈS, t. XIV, Parisiis 1859, p. 41; ID., *De Incarnatione,* disp. 52, sect. 1, n. 2, ed. cit., t. XVIII, 1866, p. 565; ID., *Defensio fidei catholicae,* lib. II, c. 9, nn. 11-13, ed. cit., t. XXIV, 1859, p. 163; n. 15, p. 164.

Synthesim dogmaticam circa Sanctorum intercessionem praebet J. B. WALZ, O.P., *Die Fürbitte der Heiligen. Eine dogmatische Studie,* Freiburg i. Br., 1927.

Sanctorum intercessionem ex tota indole sua inniti in Christi ipsius intercessione, data opera enuntiatur, dum dicimus eos « per Ipsum, et cum Ipso et in Ipso pro nobis apud Patrem » intercedere. Hac de re cf. J. A. JUNGMANN, S. I., *Missarum Sollemnia. Eine genetische Erklärung der römischen Messe,* ed. 5[a], Wien 1962, t. II, pp. 329-330.

RELATIO DE N. 50, OLIM N. 56, §§ 1-2 [189]

(A) Petitum fuit in doctrina de unione cum Sanctis in coelo etiam in connexione *cum historia Ecclesiae,* praesertim primitivae, exponeretur. Quod factum est in hac paragrapho.

De oratione et sacrificiis pro defunctis et de oratione sanctorum pro vivis, cf.: CONCILIUM TRIDENTINUM, Sessio XXII, Cap. 2, *Sacrificium visibile esse propitiatorium pro vivis et defunctis,* DENZ. 940 (1743) et Can. 3, DENZ. 950 (1753); L. HERTLING, S.I.,-E. KIRSCHBAUM, S.I., *The Roman Catacombs and their Martyrs,* ed. 2ª, London 1960 [Translatio 2ᵃᵉ editionis germanicae (1954) cum permissu auctorum notabiliter aucta], spec. pp. 231-235; J. A. JUNGMANN, S.I., *Missarum Sollemnia: Eine genetische Erklärung der römischen Messe,* ed. 5ª Wien etc., 1962, t. II, pp. 295-308; C. VAGAGGINI, O.S.B., *Il senso teologico della Liturgia. Saggio di Liturgia teologica generale,* ed. 2ª, Roma 1958, pp. 257-260; M. RIGHETTI, *Manuale di Storia Liturgica,* ed. 2ª, t. III, Milano 1956, pp. 367-369.

(B) *De cultu Martyrum et Angelorum*: Quoad cultum Martyrum, cf. H. DELEHAYE, S.I., *Les origines du culte des Martyrs,* ed. 2ª, Bruxelles 1933; ID., *Sanctus: Essai sur le culte des Saints dans l'antiquité,* Bruxelles 1827; B. DE GAIFFIER, S.I., *Réflexions sur les origines du culte des Martyrs,* in: *La Maison-Dieu,* n. 52 (1957), pp. 19-43; J. A. JUNGMANN, S.I., *The early liturgy to the time of Gregory the Great,* University of Notre Dame Press, 1959, c. 14: The Veneration of the Martyrs, pp. 175-187; A. P. FRUTAZ, *Martyrer,* in: *Lexicon für Theo-* [190]
logie und Kirche, ed. 2ª, t. VII, 1962, cc. 127-132; ILDEFONSO CARDINALE SCHUSTER, O.S.B., *Liber Sacramentorum: Note storiche e liturgiche sul Messale Romano,* vol. IX, I Santi nel Mistero della Redenzione, c. 1, ed. 2ª, Torino-Roma 1932, pp. 1-37; P. SÉJOURNÉ, O.S.B., art. *Saints (Culte des),* in: *Dictionnaire de Théologie Catholique,* t. XIV, 1939, cc. 870-978.

Martyrium esse supremum caritatis testimonium est unanimis Patrum sententia in Sacra Scriptura apprime fundata. Cf. M. VILLER, S.I., *Martyre et perfection,* in: *Revue d'Ascétique et de Mystique* 6 (1925), pp. 3-25; ID., *Le martyre et l'ascèse, ibid.,* pp. 105-142; M. VILLER, S.I.,-K. RAHNER, S.I., *Aszese und Mystik in der Väterzeit: Ein Abriss,* Freiburg i. Br., 1939, pp. 29-40; L. BOUYER, *La spiritualité du Nouveau Testament et des Pères,* Histoire de la spiritualité chrétienne, 1, c. 8, Le martyre, Paris 1960, pp. 238-261; P. TH. CAMELOT, O.P., *L'engagement chrétien du baptême au martyre,* in: *Nova et Vetera* 24 (1949),

[190] pp. 236-348; M. PELLEGRINO, *L'imitation du Christ dans les Actes des Martyrs,* in: *La Vie Spirituelle* 98 (1958), pp. 773-824; ID., *Cristo e il Martire nel pensiero di Origene,* in: *Divinitas* 3 (1959), pp. 144-170; J. CAPMANY, « *Miles Christi* » *en la espiritualidad de San Cipriano,* Barcelona 1956, speciatim c. 2; El Miles-Christi ante la persecución, pp. 69-126.

Quoad partes quas *cultus Angelorum* inde ab initio in Ecclesia habuit cf. E. PETERSON, *Le livre des Anges,* Bruges-Paris 1954 [1ª edit., in lingua germanica conscripta: *Das Buch von den Engeln: Stellung und Bedeutung der heiligen Engel im Kultus,* Leipzig 1935]; J. DANIELOU, S.I., *Les Anges et leur mission d'après les Pères de l'Eglise,* Coll. Irénikon, N. S. 5, Chevetogne 1952. Ideo Angeli citantur tum in hac paragrapho, tum in paragrapho praecedente, n. 49 (olim 55) in initio.

(C) *De cultu Virginum*: cf. P. SÉJOURNÉ, O.S.B., art. *Saints* (*Culte des*), in: *Dictionnaire de Théologie Catholique,* t. XIV, 1939, speciatim cc. 906-939; H. DELEHAYE, S.I., *Sanctus: Essai sur le culte des Saints dans l'antiquité*: Subsidia Hagiographica, 17, Bruxelles 1927, speciatim pp. 109-121; M. VILLER, S.I., *La spiritualité des premiers siècles chrétiens,* Bibliothèque catholique des sciences religieuses, 35, Paris 1930, speciatim pp. 20-24, 25-36, 178-181; M. VILLER, S.I.,- K. RAHNER, S.I., *Aszese und Mystik in der Väterzeit: Ein Abriss,* Freiburg i. Br., 1939, speciatim pp. 38-40, 41-59, 307-313; F. DE B. VIZMANOS, S.I., *Las Vírgenes cristianas de la Iglesia primitiva. Estudio histórico-ideológico seguido de una Antología de tratados patrísticos sobre la virginidad,* Biblioteca de Autores Cristianos, 45, Madrid 1949, speciatim pp. 223-227.

(D) *De caritate heroica*: Sermo est de caritatis aliarumque virtutum heroico exercitio quod consistit in fideli, iugi et constanti proprii status
[191] munerum et officiorum perfunctione. Cf. BENEDICTUS XV, *Decretum approbationis virtutum in Causa beatificationis et canonizationis Servi Dei Joannis Nepomuceni Neumann, Episcopi Philadelphiensis, e Congregatione Sanctissimi Redemptoris, A.A.S.,* 14 (1922), p. 23; cf. *ibidem* referentias ad alia quoque eiusdem Summi Pontificis Acta; PIUS XI, *Allocutio habita occasione lecturae Decreti super virtutibus in Causa beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Fratris Benildis, e Congregatione Scholarum Christianarum,* in: *L'Osservatore Romano,* 7-8 gennaio 1928; *Inviti all'Eroismo. Discorsi di S. S. Pio XI nell'occasione della lettura dei Brevi per le Canonizzazioni, le Beatificazioni, le proclamazioni delle virtù dei Santi, Beati e Servi di Dio,* t. I-III, Roma 1941-1942, passim; PIUS XII, *Allocutio habita occasione beatificationis Fratris Benildis, e Congregatione Scholarum Christianarum,* in: *Discorsi e Radio-*

messaggi di Sua Santità Pio XII, t. X, Città del Vaticano 1949, pp. 37-43; [191]
alia Acta principaliora PII XII hac de re agentia collegit ac scite adnotavit L. CIAPPI, O.P., *Il concetto della santità in S. Tommaso d'Aquino e in Benedetto XIV,* in: *La figura e l'opera di Benedetto XIV,* Bologna 1959, pp. 54-56.

Caritatem theologicam in virtutum christianarum exercitio singulare prorsus et praeeminens habere momentum (ideoque circa ipsam in Causis beatificationis et canonizationis prae ceteris omnibus esse investigandum) egregie explicat PROSPER LAMBERTINI [BENEDICTUS XIV] qui a pluribus Summis Pontificibus « Magister » hac in re est appellatus, cf. *De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione,* Lib. III, cap. 23-24, ed. 3ª aucta et castigatior, Romae 1748, pp. 322-336, et passim.

(E) *De cultu erga Sanctos, praesertim canonizatos*: Textus refert ad illos coelites (utriusque sexus, cuiusvis stirpis et nationis, cuiusvis quoque status et condicionis in terris fuerint), quibus Magisterium Supremum, post diligentes investigationes (et si casus fert, etiam post accuratum mirabilium signorum examen) sollemni sententia publicam venerationem decernit ob ipsorum heroicum caritatis aliarumque virtutum exercitium.

Quamvis ea quae in textu sequuntur de nostris cum Ecclesia coelesti relationibus peculiari cum claritate eluceant in nostra conversatione cum Martyribus et aliis Sanctis canonizatis, minime tamen ad eam solam restringuntur.

Expositio systematica, in traditione et theologia moderna apprime fundata, circa totum problema nostrarum relationum cum Ecclesia coelesti praebetur a P. MOLINARI, S.I., *I Santi e il loro culto,* Collectanea Spiritualia 9, Roma 1962.

(F) In sequentibus successive agitur, in alinea 2, de *exemplo* Sanctorum; in alinea 3, de fraterno *caritatis* exercitio; in alinea 4, de *cultu liturgico laudis* Sanctorum.

De exemplo, cf.: PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei et hominum,* [192]
A.A.S., 39 (1947), pp. 581-582: « Per liturgici anni decursum non modo Iesu Christi mysteria, sed Sanctorum etiam caelitum festa celebrantur. Quibus in festis, etsi de inferiore ac subiecto ordine agitur, Ecclesia tamen semper eo contendit, ut nempe sanctitatis exempla christifidelibus proponat, quibus iidem permoti, Divini ipsius Redemptoris virtutibus se exornent. Etenim Sanctorum caelitum, in quorum virtutibus ipsa Iesu Christi virtus varia ratione resplendet, nos imitatores simus oportet, sicut eius ipsimet imitatores fuere. In aliis siquidem apostolatus studium refulsit, in aliis vero nostrorum heroum fortitudo ad sanguinis usque

[192] effusionem viguit; in aliis constans vigilantia enituit, qua divinum praestolabantur Redemptorem, in aliis autem virginalis splenduit animi candor ac modesta praestitit christianae humilitatis suavitas; in omnibus denique incensissima efferbuit erga Deum, erga proximos caritas. Quae omnia sanctitudinis decora sacra Liturgia nostros ante oculos ponit, ut eadem salutariter intueamur, et ut " quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis " (*Missale Rom.,* Collecta III Missae pro plur. Martyr. extra T. P.). Oportet igitur retinere " in simplicitate innocentiam, in caritate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adiuvandis laborantibus, misericordiam in fovendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinae severitate censuram, ne aliquid ad exemplum bonorum factorum desit in nobis. Haec sunt enim vestigia, quae nobis Sancti, revertentes in patriam, reliquerunt, ut illorum semitis inhaerentes, sequeremur et gaudia " (S. Beda Vener., Hom. subd. LXX in solemn. omnium Sanct.). Ut autem nostri quoque sensus salubriter excitentur, vult Ecclesia nostris in templis sanctorum caelitum imagines proponantur, semper tamen eadem ratione permota, ut nempe " quorum colimus imagines, virtutes imitemur " (*Missale Rom.,* Collecta Missae S. Ioan. Damascen.) ».

(G) *De valore « apologetico » vitae Sanctorum*: Sancti ergo plurimum conferunt ut Ecclesia ob « eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem... veluti signum levatum in nationes (*Is.* 11, 12), et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur ». CONCILIUM VATICANUM I, *Constitutio dogmatica de fide catholica,* cap. 3, DENZ. 1794 (3013).

(H) *De consortio caritatis cum Sanctis.* Cf. CONCILIUM TRIDENTINUM, Sessio VI, cap. 7, *Quid sit iustificatio impii, et quae eius causae,* DENZ. 799 ss. (1528); cap. 10, *De acceptae iustificationis incremento,* DENZ. 803 (1535); PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis, A.A.S., 35* (1943), p. 216: « Sanctitatis auctor est atque effector Christus. Nullus siquidem salutaris actus haberi potest, qui ex eo, tamquam e superno fonte, non profluat. " Sine me, inquit, nihil potestis facere " (cf. *Io.* 15, 5). Si, ob admissa perpetrata, animi dolore paenitentiaque move-
[193] mur, si filiorum timore ac spe ad Deum convertimur, ipsius semper virtute ducimur. Gratia et gloria ex inexhausta eius plenitudine oriuntur. Eminentiora praesertim mystici sui Corporis membra, consilii, fortitudinis, timoris pietatisque donis Servator noster continenter munerat, ut totum Corpus magis in dies magisque vitae sanctitate, integritate augeatur ».

Suggerit aliquis Pater ut loco « debitas ipsis rependamus gratias », [193]
dicatur: « debitas *pro* ipsis *Deo* rependamus gratias ».

(I) *De liturgica laude*: cf. formulas in Praefationibus adhiberi solitas. Eadem idea perpulchre exprimitur in Hymno quem Ecclesia canit in Officio Dedicationis Ecclesiae, Breviarium Romanum, Ad Laudes: « Omnis illa Deo Sacra - Et dilecta Civitas - Plena modulis in laude - Et canore iubilo - Trinum Deum unicumque - Cum fervore praedicat » (secundum textum antiquiorem octavi saeculi). Cf. etiam in eodem Officio Hymnum ad Vesperas et in Divina Liturgia Iohannis Chrysostomi Hymnum *Cherubicon*.

(K) *De Sanctis in liturgia Missae*: cf. Missale Romanum, *Canon Missae, Infra Actionem*. In s. Missa secundum Ritum Romanum celebrata commemorationes Sanctorum insuper fiunt in « *Confiteor* »; « *Oramus te Domine* »; « *Suscipe Sancta Trinitas* »; « *Nobis quoque peccatoribus* »; « *Libera nos* »; et in s. Missis quae in honorem Sanctorum celebrantur, etiam in « *Oratione* », « *Secreta* » et « *Postcommunione* ». De historia et significatione theologica harum commemorationum scite agit J. A. JUNGMANN, S.I., *Missarum Sollemnia. Eine genetische Erklärung der römischen Messe,* ed. 5ª, Wien 1962, t. I, pp. 390-392; 407; 481; t. II, pp. 62-63; 118; 314-320; 353-354; 526-527 (Quoad « *Communicantes* » cf. *ibid.*, t. II, pp. 214-225); videatur etiam C. VAGGINI, O.S.B., *Il senso teologico della liturgia. Saggio di Liturgia teologica generale,* ed. 2ª, Roma 1958, pp. 261-262.

S. Liturgia insuper in litaniis, hymnis aliisque orationibus persaepe laudem, gratiarum actionem et invocationem immediate ad ipsos Sanctos dirigit. Suadetur ab aliquo Patre ut addatur in textu, ubi de « Communicantes », explicita mentio: « praesertim in sacra Eucharistia ».

RELATIO DE N. 51, OLIM 56, §§ 2-3

(A) CONCILIUM NICAENUM II, Actio VII, *Definitio de sacris imaginibus et traditione,* DENZ. 302 (600): « ... Regiae quasi continuati semitae, sequentesque divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, et catholicae traditionem Ecclesiae (nam Spiritus Sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat), definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosae ac vivificae crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas tam quae de coloribus et tessellis, quam quae ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis,
et sacris vasis et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis: [194]
tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, quam intemeratae dominae nostrae sanctae Dei genitricis, honorabilium-

[194] que angelorum, et omnium sanctorum simul et almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto, qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium... ».

Ut notum est, Concilium Nicaenum II in suo scopo est christologicum; doctrina enim declarata circa imagines deducitur ex plena veritate mysterii Incarnationis et introducit in profundiorem fidem et amorem erga Sanctos, Beatam Mariam Virginem et Christum. De coetero Concilium istud, a Papa Hadriano approbatum (cf. M. G. H., *Epistolae,* t. V, p. 51 ss.), ultimum Concilium Oecumenicum antiquitatis christianae est in quo Oriens et Occidens pleno consensu convenerunt.

Cf. Concilium Vaticanum II, *Constitutio De Sacra Liturgia,* cap. 5, n. 111 et cap. 7, n. 125.

(B) Concilium Tridentinum, Sessio XXV, *De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus,* Denz. 984 (1821): « Mandat Sancta Synodus omnibus episcopis et ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut iuxta catholicae et apostolicae Ecclesiae usum, a primaevis christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem et sacrorum Conciliorum decreta: imprimis de Sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore, et legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse, suppliciter eos invocare et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes auxiliumque confugere... ».

(C) Necessitas pastoralis suadet ut insistatur in eo quod cultus in genere et cultus Sanctorum in specie promovendus est potius per *intensificationem* quam per meram materialem *extensionem.*

(D) Ob motiva oecumenica clare exprimitur quod cultus erga coelites *essentialiter differt* a cultu latreutico, soli Deo oblato. Veneratio et imitatio Sanctorum huic adorationi et supremo amori erga Deum non obstat, sed e contra eum fovet.

Veneratio enim quam sanctis coelitibus exhibemus, nequaquam hominibus quibuslibet tribuitur, qui propriis viribus innixi humanum quoddam opus perfecerint, sed eminentioribus Iesu Christi Mystici Corporis membris, quae ipse Deus — eorum libertatem praeveniendo, concomitando et coronando — super humanae naturae condicionem sublimare et ad intimius divinae naturae consortium (cf. *2 Pt.* 1, 4) elevare dignatus est.

RELATIO GENERALIS [195]

Hoc caput introductum est secundum voluntatem S. P. IOANNIS XXIII, qui Em.mo Card. LARRAONA commisit ut cum speciali Commissione textum praepararet.

S. P. PAULUS VI hoc intentum approbavit, et textum Card. Larraona ad Commissionem Doctrinalem transmisit. Commissio Doctrinalis in sessione mensis martii 1964 specialem Subcommissionem instituit, quae novum textum conderet magis correspondentem indoli generali Constitutionis *De Ecclesia.* Erant membra: Em.mi SANTOS et KÖNIG cum Exc.mo GARRONE, Periti vero: MOLINARI, LABOURDETTE, STANO. Textus ab ea propositus typis impressus est in fasciculo *De Ecclesia. Textus propositus post discussiones Mart. 1964,* pp. 59-62, et nunc exhibetur tamquam textus prior.

Textus ille, post observationes receptas, rursus emendatus est, praesertim discussione habita die 8 iunii 1964, de mandato Commissionis Doctrinalis, praeside Em. BROWNE, iuvantibus duobus secretariis ac peritis CONGAR, GAGNEBET, MOELLER, MOLINARI, RAHNER, SALAVERRI. De consensu unanimi Peritorum et Praesidis Caput praedictum ponitur in Constitutione *De Ecclesia* penultimo loco, scilicet ante Caput de B. V. Maria.

Quod ad titulum capitis attinet, notetur titulum priorem « De consummatione sanctitatis in gloria Sanctorum », mutatum esse in « De indole eschatologica vocationis nostrae ac de nostra unione cum Ecclesia coelesti ». Agit enim textus de hac unione potius quam directe tractet de cultu Sanctorum. Emphasis scilicet ponitur in glorificatione quam totum Corpus Mysticum, hoc est Ecclesia tam coelestis quam terrestris, Deo offert. Notetur tamen quod *de indole eschatologica* iam passim in praecedentibus capitibus *De Ecclesia* agitur.

Ut vero titulus accuratius novae redactioni respondeat, proponit aliquis Pater ut scribatur: « De consummatione sanctitatis in gloria Dei ac de nostra unione cum Sanctis in coelo ». Nisi simpliciter resumatur titulus prior...

Quia agitur de textu in aula conciliari nondum a Patribus discusso, in relationibus ad singula capita uberius illustratur auctoritatibus, argumentis, indicationibus bibliographicis.

Noviter ordinatus est totus numerus 48, et quidem ideo ut tendentia eschatologica vitae nostrae clarius et modo magis vivo enuntiaretur, hoc est continuitas vitae nostrae quae in terris incipit et in coelis perficitur. Viva conscientia huius veritatis logice ducit ad considerationem

[196] eorum qui iam in coelis sunt. Quae consideratio sua vice efficit ut Mysterium Ecclesiae plenius intelligamus. Sic enim communio *omnium* qui Christi sunt perspicitur et realitates coelestes modo magis vivo nobis praesentes fiunt.

Sicuti apparet ex ipso textu, expositio circa indolem eschatologicam vocationis nostrae, quae in textibus Scripturae Sacrae praesertim innititur, tali modo facta est ut fideles, vivida verba Domini et Apostolorum recolentes, profundius perspiciant intrinsecum nexum harum veritatum necnon earumdem momentum fundamentale pro vita nostra christiana.

Simul autem desiderio Summi Pontificis necnon et plurium Patrum satisfactum est: ut nempe ad principales veritates « de Novissimis » saltem alluderetur.

In numero 49 et in sequenti provisum est ut textus ostenderet ultimum fundamentum doctrinale totius Capitis, scilicet quod Ecclesia terrestris et coelestis *unum* Populum Dei et *unum* Iesu Christi Mysticum Corpus constituunt. Quae unio describitur ex multiplicibus relationibus vitalibus quae inter viatores et coelites exsistunt, quas inter prae aliis benefica sanctorum coelitum operositas erga totam Ecclesiam.

In numero 50 indicatur praesertim quibusnam modis viatores debeant actuare relationes suas cum sanctis coelitibus, ideoque primarie exponuntur motiva principaliora propter quae unio nostra cum Ecclesia coelesti fovenda est: quia videlicet sancti coelites praebent authentica vitae christianae exempla; quia conversatio cum ipsis arctius nos ducit ad Christum; ac maxime quia consociatio cum ipsis plenitudinem affert cultui christocentrico Ecclesiae.

Variis in locis, data opera, in eodem numero relatio fit ad historiam Ecclesiae, et quidem non tantum ut fundamenta theologica doctrinae propositae clarius pateant, sed etiam ut expositio magis viva sit et exigentiis pastoralibus plenius satisfaciat.

Instantibus multis Patribus conciliaribus in num. 51 expositioni doctrinali adduntur quaedam fundamentales dispositiones pastorales, quae modo utcumque positivo monent contra excessus et deficientias hic illicve deprehensos. Ab una ergo parte clare statuitur quod valor cultus Sanctorum haud consistit in multiplicitate actuum exteriorum sed in amoris nostri intensitate, dum ab altera parte eadem claritate enuntiatur quod Sanctorum cultus haud obstat amori Dei et latreutico cultui qui Ipsi soli debetur, idque ob rationes oecumenicas.

Hic numerus porro plura continet quae fovere possunt unionem cum fratribus separatis, praesertim orientalibus quibus haec fidei nostrae pars semper maximopere cordi fuit ita ut commune patrimonium fidei et pietatis nostrae constituat.

CAPUT VIII [197]

(VEL CAP. VII)

DE BEATA MARIA VIRGINE DEIPARA IN MYSTERIO CHRISTI ET ECCLESIAE

Textus prior

48. [PROOEMIUM]

[*De B. Virgine in mysterio Christi*]. Benignissimus et sapientissimus Deus, mundi redemptionem complere volens, « ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum, factum ex muliere, ... ut adoptionem filiorum reciperemus » (*Gal.* 4, 4). « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine ». Quod salutis divinum mysterium nobis revelatur et continuatur in Ecclesia, quam Dominus ut corpus suum constituit, et in quo fideles Christum Caput adorantes atque cum omnibus sanctis Eius communicantes, memoriam etiam venerentur oportet « in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis Dei et Domini nostri Iesu Christi ».

[*De B. Virgine et Ecclesia*]. Virgo enim Maria, quae Angelo nuntiante Verbum Dei corde et corpore suscepit et Vitam mundo protulit, ut vera Mater Dei ac Redemptoris agnoscitur et honoratur. A Filio suo sublimiore modo redempta Eique arcto et indissolubili vinculo unita, hac summa dignitate ditatur ut sit Genitrix Dei Filii, praedilecta filia Patris et sacrarium Spiritus Sancti, quo eximiae gratiae dono omnibus aliis creaturis, coelestibus

Textus emendatus

52. (olim n. 48). PROOEMIUM

[*De B. Virgine in mysterio Christi*] (A). Benignissimus et sapientissimus Deus, mundi redemptionem complere volens, « ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum, factum ex muliere, ... ut adoptionem filiorum reciperemus (*Gal.* 4, 4). « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine » (1). Quod salutis divinum mysterium nobis revelatur et continuatur in Ecclesia, quam Dominus ut corpus suum constituit, et in *qua* fideles *Christo Capiti adhaerentes* atque cum omnibus sanctis Eius communicantes, memoriam etiam venerentur oportet « in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis Dei et Domini nostri Iesu Christi » (2).

[*De B. Virgine et Ecclesia*] (B). Virgo enim Maria, quae Angelo nuntiante Verbum Dei corde et corpore suscepit et Vitam mundo protulit, ut vera Mater Dei ac Redemptoris agnoscitur et honoratur. A Filio suo sublimiore modo redempta Eique arcto et indissolubili vinculo unita, *hoc summo munere ac* dignitate ditatur ut sit Genitrix Dei Filii, *ideoque* praedilecta filia Patris *necnon* sacrarium Spiritus Sancti, quo eximiae gratiae dono omnibus aliis

[197] *Textus prior*

et terrestribus, longe antecellit. Simul autem cum omnibus hominibus salvandis in stirpe
[198] Adam invenitur coniuncta, immo « cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui huius Capitis membra sunt ». Quapropter etiam ut supereminens prorsusque singulare membrum Ecclesiae necnon eius in fide et caritate typus et exemplar spectatissimum salutatur eamque Catholica Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, filiali pietatis affectu prosequi semper professa est.

[*Intentum Concilii*]. Ideo Sacrosancta Generalis Synodus, doctrinam de Ecclesia, in qua divinus Redemptor salutem operatur, exponens, illustrare sedulo intendit tum munus Beatae Virginis in mysterio Incarnati Verbi et Corporis Mystici, tum hominum redemptorum officia erga Deiparam, matrem Christi et fidelium, quin tamen in animo habeat completam de Maria proponere doctrinam, neque quaestiones labore theologorum nondum ad plenam lucem perductas dirimere. Servantur itaque in suo iure sententiae, quae in scholis catholicis, *sub ductu Magisterii,* libere proponuntur de Illa, quae in Sancta Ecclesia locum occupat post Christum altissimum nobisque maxime propinquum.

49. [De munere B. Virginis in oeconomia salutis]

[*De Matre Messiae in Vetere Testamento*]. Sacrae Litterae Veteris Novique Testamenti et veneranda Traditio munus Matris Salvatoris in salutis oeconomia modo magis magisque dilucido describunt et veluti conspiciendum proponunt. Et quidem ab initio historiae salutis in libris Veteris Testamenti de-

Textus emendatus

creaturis, coelestibus et terrestribus, longe antecellit. Simul autem cum omnibus hominibus salvandis in stirpe Adam invenitur coniuncta, immo « cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui huius Capitis membra sunt » (3). Quapropter etiam ut supereminens prorsusque singulare membrum Ecclesiae necnon eius in fide et caritate typus et exemplar spectatissimum salutatur eamque Catholica Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, filiali pietatis affectu *se* prosequi semper professa est.

[*Intentum Concilii*] (C). Ideo Sacrosancta Generalis Synodus, doctrinam de Ecclesia, in qua divinus Redemptor salutem operatur, exponens, illustrare sedulo intendit tum munus Beatae Virginis in mysterio Incarnati Verbi et Corporis Mystici, tum hominum redemptorum officia erga Deiparam, matrem Christi et fidelium, quin tamen in animo habeat completam de Maria proponere doctrinam, neque quaestiones labore theologorum nondum ad plenam lucem perductas dirimere. Servantur itaque in suo iure sententiae, quae in scholis catholicis libere proponuntur de Illa, quae in Sancta Ecclesia locum occupat post Christum altissimum nobisque maxime propinquum (4).

53. (olim n. 49). De munere B. Virginis in oeconomia salutis (A)

[*De Matre Messiae in Vetere Testamento*] (B). Sacrae Litterae Veteris Novique Testamenti et veneranda Traditio munus Matris Salvatoris in salutis oeconomia modo magis magisque dilucido describunt et veluti conspiciendum proponunt. Et quidem ab initio historiae salutis in libris Veteris Testamenti descrip-

Textus prior

scriptae, qua Christi in mundum adventus lento gradu praeparatur, clarius pedetentim in apricum profertur figura Mulieris, matris Redemptoris, praesertim si primaeva documenta sub luce ulterioris et plenae revelationis considerantur, qualiter in Ecclesia leguntur. Ita iam prophetice praevidetur in promissione, lapsis in peccatum primis parentibus data, de victoria super serpentem (cf. *Gen.* 3, 15). Haec est Virgo quae concipiet et pariet Filium, cuius nomen vocabitur Emmanuel (*Is.* 7, 14; cf. *Mt.* 1, 22-23). *Haec est parturiens, quae pariet tempore quo ex Bethlehem egredietur qui sit dominator in Israël* (*Michea,* 5, 2-3). Ipsa praecellit inter humiles ac pauperes Domini, qui salutem cum fiducia ab Eo sperant et accipiunt. In Ipsa tandem, post diuturnam exspectationem promissionis, complentur tempora et nova instauratur Oeconomia, quando Filius Dei humanam naturam assumpsit, ut mysteriis carnis suae hominem a peccato liberaret.

[*De Maria in Annuntiatione*]. Incarnationem vero Filii sui, Pater non antea perfecit, quam praedestinatae eius matris acceptatio praecessisset, ut quemadmodum femina contulit ad mortem, ita etiam conferret ad vitam. Quoniam autem Beatissima Virgo haud minor poterat esse quam Dei Matrem decebat, mirum non est apud Sanctos Patres usum invaluisse quo Deiparam appellarunt totam sanctam et ab omni peccati naevo seu labe immunem, quasi a Spiritu Sancto plasmatam novamque creaturam formatam. Perfectissimae itaque sanctitatis splendoribus a primo instante suae conceptionis ditata, Nazarethana Virgo ab Angelo nuntiante, Dei mandato, ut « gratia plena » salutatur (cf. *Lc.* 1, 28), et coelesti nuntio

Textus emendatus [198]

tae, qua Christi in mundum adventus lento gradu praeparatur, clarius pedetentim in apricum profertur figura Mulieris, matris Redemptoris, si primaeva documenta, *ut oportet,* sub luce ulterioris et plenae revelationis considerantur, qualiter in Ecclesia leguntur. Ita iam [199] prophetice *adumbratur* in promissione, lapsis in peccatum primis parentibus data, de victoria super serpentem (cf. *Gen.* 3, 15). Haec est Virgo quae concipiet et pariet Filium, cuius nomen vocabitur Emmanuel (*Is.* 7, 14; *Mt.* 1, 22-23; cf. *Michea,* 5, 2-3). Ipsa praecellit inter humiles ac pauperes Domini, qui salutem cum fiducia ab Eo sperant et accipiunt. *Cum* Ipsa tandem, post diuturnam exspectationem promissionis, complentur tempora et nova instauratur Oeconomia, quando Filius Dei humanam naturam assumpsit, ut mysteriis carnis suae hominem a peccato liberaret.

[*De Maria in Annuntiatione*] (C). *Voluit autem misericordiarum Pater, ut acceptatio praedestinatae matris incarnationem praecederet, ut sic,* quemadmodum femina contulit ad mortem, ita etiam conferret ad vitam. Quoniam autem Beatissima Virgo haud minor poterat esse quam Dei Matrem decebat (5), mirum non est apud Sanctos Patres usum invaluisse quo Deiparam appellarunt totam sanctam et ab omni peccati naevo seu labe immunem, quasi a Spiritu Sancto plasmatam novamque creaturam formatam (6). *Singularis prorsus* sanctitatis splendoribus a primo instante suae conceptionis ditata, Nazarethana Virgo ab Angelo nuntiante, Dei mandato, ut « gratia plena » salutatur (cf. *Lc.* 1, 28), et coelesti nuntio ipsa

[199] *Textus prior*

ipsa respondet: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum » (*Lc.* 1, 38). Ita Maria, filia Adam, verbo divino consentiens, facta est mater Iesu, unici Mediatoris, ac salvificam voluntatem Dei, pleno corde et nullo retardata peccato, complectens, semetipsam ut Domini ancillam personae et operi Filii sui totaliter devovit, sub Ipso et cum Ipso, [200] omnipotentis Dei gratia, mysterio redemptionis inserviens. Merito igitur SS. Patres Mariam non mere passive a Deo adhibitam, sed libera fide et oboedientia humanae saluti cooperantem censebant. Ipsa enim, ut ait S. Irenaeus, « oboediens et sibi et universo generi humano causa facta est salutis ». Unde Patres antiqui in praedicatione sua asserere solebant: « Hevae inoboedientiae nodum solutionem accepisse per oboedientiam Mariae; quod alligavit virgo Heva per incredulitatem, hoc virginem Mariam solvisse per fidem »; « per virginem Hevam mortem, per Virginem vel de virgine Maria vitam apparuisse », et comparatione cum Heva instituta, Mariam « matrem viventium » appellare, et quasi in proverbium proferre: « mors per Hevam, vita per Mariam ».

[*De B. Virgine et Iesu infante*]. Haec autem Matris cum Filio in opere salutari coniunctio a tempore virginalis conceptionis Christi ad Eius usque mortem manifestatur; in primis quidem cum Maria, exsurgens cum festinatione ad visitandam Elisabeth, ab ea ob fidem suam in salutem promissam beata salutatur (cf. *Lc.* 1, 42); in nativitate vero, cum Deipara Filium suum primogenitum, qui virginalem eius integritatem non minuit sed sacravit, pastoribus et Magis laetabunda ostendit. Cum vero Eum in templo, dono pauperum oblato,

Textus emendatus

respondet: « Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum » (*Lc.* 1, 38). Ita Maria, filia Adam, verbo divino consentiens, facta est mater Iesu, unici Mediatoris, ac salvificam voluntatem Dei, pleno corde et nullo retardata peccato, complectens, semetipsam ut Domini ancillam personae et operi Filii sui totaliter devovit, sub Ipso et cum Ipso, omnipotentis Dei gratia, mysterio redemptionis inserviens. Merito igitur SS. Patres Mariam non mere passive a Deo adhibitam, sed libera fide et oboedientia humanae saluti cooperantem censebant. Ipsa enim, ut ait S. Irenaeus, « oboediens et sibi et universo generi humano causa facta est salutis » (7). Unde Patres antiqui in praedicatione sua asserere solebant: « Hevae inoboedientiae nodum solutionem accepisse per oboedientiam Mariae; quod alligavit virgo Heva per incredulitatem, hoc virginem Mariam solvisse per fidem » (8); « per virginem Hevam mortem, per Virginem vel de virgine Maria vitam apparuisse » (9), et comparatione cum Heva instituta, Mariam « matrem viventium » appellare (10), et quasi in proverbium proferre: « mors per Hevam, vita per Mariam » (11).

[*De B. Virgine et Iesu infante*] (D). Haec autem Matris cum Filio in opere salutari coniunctio a tempore virginalis conceptionis Christi ad Eius usque mortem manifestatur; in primis quidem cum Maria, exsurgens cum festinatione ad visitandam Elisabeth, ab ea ob fidem suam in salutem promissam beata salutatur *et praecursor in sinu matris sanctificatur* (cf. *Lc.* 1, 41-45); in nativitate vero, cum Deipara Filium suum primogenitum, qui virginalem eius integritatem non minuit sed sacravit (12), pastoribus et Magis laetabunda osten-

Textus prior

Domino praesentavit, audivit Simeonem simul praenuntiantem Filium futurum contradictionis signum et matris animam gladium pertransiturum, ut revelarentur ex multis cordibus cogitationes (cf. *Lc.* 2, 34-35).

Textus emendatus [200]

dit. Cum vero Eum in templo, dono pauperum oblato, Domino praesentavit, audivit Simeonem simul praenuntiantem Filium futurum contradictionis signum et matris animam gladium pertransiturum, ut revelarentur ex multis cordibus cogitationes (cf. *Lc.* 2, 34-35). *Puerum Iesum deperditum ac cum dolore quaesitum, parentes eius in templo invenerunt in his quae Patris Eius erant occupatum; verbaque Eius non intellexerunt, sed mater Eius omnia haec in corde suo meditabunda conservabat* (cf. *Lc.* 2, 41-51).

[*De B. Virgine in ministerio publico Iesu*]. Durante autem vita publica Iesu, signanter apparet, in initio quidem, cum ad nuptias in Cana Galilaeae, misericordia permota, primum signum effusionis gratiae messianicae intercessione sua induxit (cf. *Io.* 2, 1-11). In decursu praedicationis Eius accepit verba quibus Filius, Regnum ultra rationes et vincula carnis et sanguinis extollens, audientes et custodientes verbum Dei, sicut ipsa fideliter faciebat (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), beatos proclamavit (cf. *Mc.* 3, 35 par. *Lc.* 11, 27-28). Maxime vero Matris cum Filio indesinens unio tunc enituit, cum iuxta crucem non sine divino consilio stetit (cf. *Io.* 19, 25), vehementer cum Unigenito suo condoluit, Eius sacrificio materno animo se sociavit, victimam de se genitam cum Ipso et per Ipsum perlibenter offerens; cumque demum ab eodem Christo Iesu in cruce moriente uti mater discipulo, fidelium figurae, data est (cf. *Io.* 19, 26-27).

[*De B. Virgine in ministerio publico Iesu*] (E). Durante vita publica Iesu, Mater Eius signanter apparet, in initio quidem, cum ad nuptias in Cana Galilaeae, misericordia permota, primum signum effusionis gratiae messianicae intercessione sua induxit (cf. *Io.* 2, 1-11). In decursu praedicationis Eius accepit verba, quibus Filius, Regnum ultra rationes et vincula carnis et sanguinis extollens, audientes et custodientes verbum Dei, sicut ipsa fideliter faciebat (cf. *Lc.* 2, 19 et 51), beatos proclamavit (cf. *Mc.* 3, 35 par. *Lc.* 11, 27-28). Maxime vero Matris cum Filio indesinens unio tunc enituit, cum iuxta crucem non sine divino consilio stetit (cf. *Io.* 19, 25), vehementer cum Unigenito suo condoluit, sacrificio Eius se materno animo sociavit, victimae de se genitae immolationi amanter consentiens; cumque demum ab eodem Christo Iesu in cruce moriente uti mater discipulo, fidelium figurae, data est (cf. *Io.* 19, 26-27) (13). [201]

[*De B. Virgine post ascensionem Iesu*]. Quoniam vero humanae salutis sacramentum non ante perficeretur quam promissus a Christo Spiritus die Pentecostes effunderetur, Mariam inter mulieres, una cum Apostolis et fra-

[*De B. Virgine post Ascensionem Iesu*] (F). Cum vero *Deo placuerit* humanae salutis sacramentum non ante *manifestare* quam promissum a Christo Spiritum effunderet, *Apostolos videmus ante diem Pentecostes « perseve-*

[201] *Textus prior*

tribus Domini in oratione videmus perseverantem (cf. *Act.* 1, 14), suisque quoque precibus implorantem donum Spiritus, qui in Annuntiatione ipsam iam obumbraverat. Denique Immaculata Virgo, expleto terrestris vitae cursu, corpore et anima ad coelestem gloriam assumpta ac universorum Regina a Domino constituta est, ut plene conformaretur Filio suo, Domino dominantium ac peccati mortisque victori.

Textus emendatus

rantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Iesu et fratribus Eius » (*Act.* 1, 14), Mariam quoque precibus *suis* implorantem donum Spiritus, qui in Annuntiatione ipsam iam obumbraverat. Denique Immaculata Virgo, *ab omni originalis culpae labe praeservata immunis* (14), expleto terrestris vitae cursu, corpore et anima ad coelestem gloriam assumpta est (15), ac *tamquam universorum Regina a Domino exaltata,* ut plene conformaretur Filio suo, Domino dominantium (cf. *Apoc.* 19, 16) ac peccati mortisque victori (16).

[202] 50. [De B. Virgine et Ecclesia]

[*De Maria ut ancilla Domini Redemptoris*]. Cum itaque Beata Virgo, ab aeterno una cum divini Verbi incarnatione tamquam mater Dei et mater hominum praedestinata, divinae providentiae consilio, his in terris pro Christo Redemptore fuerit generosa et humilis « ancilla Domini » (vel: generosa socia), hanc ob causam mater gratiae nobis exstitit et a Filio suo ne in coelesti Ierusalem quidem divulsa est, quippe quae non desinit intercessione sua aeternae salutis dona nobis conciliare. Nam Virgo, regnum beatitudinis ingressa, munus suum in mysterio salutis hominum non deposuit. Sic eius in ordine gratiae cooperatio et mediatio (vel: in ordine gratiae maternitas) indesinenter perdurat, inde a consensu quem in initio divinae redemptionis consilio praebuit, quemque sub cruce incunctanter sustinuit usque ad perpetuam omnium electorum consummationem. Materna sua caritate de filiis suis adhuc peregrinantibus et contra peccatum luctantibus curat, donec ad felicem patriam perducantur.

54. (olim n. 50).
De Beata Virgine et Ecclesia

[*De Maria ut ancilla Domini Redemptoris*] (A). Unicus est Mediator noster secundum absolutam verborum Apostoli significationem: « Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (*1 Tim.* 2, 5-6). Mariae autem maternum munus hanc Christi unicam mediationem nullo modo obscurat nec minuit, sed extollit. Omnis enim salutaris Beatae Virginis influxus in homines non ex aliqua rei necessitate, sed ex beneplacito divino exoritur et ex superabundantia meritorum Christi profluit, Eius mediationi innititur, ab illa omnino dependet, ex eademque totam virtutem haurit; *directam vero unionem credentis cum Christo in uno corpore nullo modo impedit sed fovet.*

(B) Cum itaque Beata Virgo ab aeterno una cum divini Verbi incarnatione tamquam Mater Dei et Mater hominum praedestinata, divinae Providentiae consilio, his in terris pro Christo Redemptore fuerit humilis « ancilla Domini » *et singulariter prae aliis* generosa socia, hanc

Textus prior

Unicus sane est Mediator noster secundum absolutam verborum Apostoli significationem: « Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (*1 Tim.* 2, 5-6). At Mariae maternum munus hanc Christi unicam mediationem non obscurat vel minuit, sed in immensum extollit. Omnis enim salutaris beatae Virginis influxus in homines non ex aliqua rei necessitate, sed ex beneplacito divino exoritur et ex superabundantia meritorum Christi profluit, Eius mediationi innititur, ab illa omnino dependet, ex eademque totam virtutem haurit.

Ecclesia etenim nullam mediationem inter Deum et homines agnovit, quae non ab unico Mediatore Christo pendeat aut Eiusdem mediationi quidquam adiiciat.

[*De Maria, Ecclesiae typo ut Virgine et Matre*]. Beata autem Virgo divinae maternitatis dono et munere, quo cum Filio Redemptore unitur, suisque singularibus privilegiis, etiam cum Ecclesia intime coniungitur: Deipara, ut iam docebat S. Ambrosius, est Ecclesiae typus. In mysterio enim Ecclesiae, quae iure mater vocatur et virgo, Beata Virgo Maria praecessit, eminenter et singulariter tum virginis tum ma-

Textus emendatus [202]

ob causam mater nobis *in ordine* gratiae exstitit. *Christum concipiendo, generando, alendo, in templo Patri offerendo, Filioque suo in cruce morienti compatiendo, operi Salvatoris singulari prorsus modo cooperata est, oboedientia, fide et flagrante caritate, ad vitam animarum supernaturalem restaurandam.*

(C) Eius autem in gratiae *oeconomia maternitas* indesinenter perdurat, inde a consensu quem in Annuntiatione fideliter praebuit, quemque sub cruce incunctanter sustinuit, usque ad perpetuam omnium electorum consummationem. *In coelis enim assumpta salutiferum hoc munus non deposuit, sed multiplici intercessione sua mirum in modum pergit in aeternae salutis donis nobis conciliandis* (17). Materna sua caritate *de fratribus Filii* sui adhuc [203] peregrinantibus et contra peccatum luctantibus curat, donec ad felicem patriam perducantur. *Propterea B. Maria Virgo in Ecclesia, praeterquam aliis, etiam titulo Mediatricis condecorari consuevit.* Quod tamen ita intelligendum est, ut *dignitati et efficacitati Christi* unius Mediatoris nihil *deroget,* nihil *superaddat* (18).

(D) *Tale autem munus Mariae Ecclesia profiteri non dubitat, iugiter experitur et fidelium cordi commendat, ut hoc materno fulti praesidio Mediatori ac Salvatori intimius adhaereant.*

[*De Maria, Ecclesiae typo ut Virgine et Matre*] (E). Beata autem Virgo divinae maternitatis dono et munere, quo cum Filio Redemptore unitur, suisque singularibus *gratiis et muneribus,* etiam cum Ecclesia intime coniungitur: Deipara, ut iam docebat S. Ambrosius, est Ecclesiae typus *in ordine fidei, caritatis et perfectae cum Christo unionis* (19). In mysterio enim Ecclesiae, quae iure mater vocatur

[203]

Textus prior

tris exemplar praebens. Credens enim et oboediens, ipsum Filium Patris in terris genuit, et quidem viri nescia, Spiritu Sancto obumbrata, tamquam nova Heva, non serpenti antiquo, sed Dei nuntio praestans fidem, nullo dubio adulteratam. Filium autem peperit primogenitum in multis fratribus (*Rom.* 8, 29), fidelibus nempe, ad quos gignendos et educandos materno amore cooperatur.

Iamvero Ecclesia, eius arcanam sanctitatem contemplando et caritatem imitando, voluntatem Patris fideliter adimplendo, et ipsa fit mater: in baptismo enim filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat. Et ipsa est virgo, quae fidem Sponso datam integre et pure servat, et « imitans Domini sui matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen et mater est et virgo ».

Textus emendatus

et virgo, Beata Virgo Maria praecessit, eminenter et singulariter tum virginis tum matris exemplar praebens (20). Credens enim et oboediens, ipsum Filium Patris in terris genuit, et quidem viri nescia, Spiritu Santo obumbrata, tamquam nova Heva, non serpenti antiquo, sed Dei nuntio praestans fidem, nullo dubio adulteratam. Filium autem peperit, *quem Deus posuit* primogenitum in multis fratribus (*Rom.* 8, 29), fidelibus nempe, ad quos gignendos et educandos materno amore cooperatur.

Iamvero Ecclesia, eius arcanam sanctitatem contempl*ans* et caritatem imit*ans,* voluntatemque Patris fideliter adimpl*ens, per verbum Dei fideliter susceptum* et ipsa fit mater: *praedicatione enim ac* baptismo filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat. Et ipsa est virgo, quae fidem Sponso datam integre et pure servat, et « imitans Domini sui matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen et mater est et virgo » (21).

[204]

Textus prior

[*De Mariae virtutibus, ab Ecclesia imitandis*]. Dum autem Ecclesia in Beatissima Virgine ad perfectionem iam attingat, qua sine macula et ruga existit (cf. *Eph.* 5, 27), Christifideles nituntur ut devincentes peccatum in sanctitate crescant; ideoque oculos suos ad Mariam attollunt, quae toti electorum communitati tamquam exemplar virtutum praefulget. Ecclesia de Ea pie recogitans Eamque in lumine Verbi hominis facti contemplans, in summum incarnationis mysterium venerabunda penitius intrat, Sponsoque suo magis magisque conformatur. Maria enim, quae, in historiam salutis intrinsecus ingressa, maxima fidei placita in se quodammodo unit et reverberat, cum praedicatur, ad Filium suum Eiusque sa-

Textus emendatus

[*De Mariae virtutibus, ab Ecclesia imitandis*] (F). Dum autem Ecclesia in Beatissima Virgine ad perfectionem iam attingat, qua sine macula et ruga existit (cf. *Eph.* 5, 27), Christifideles nituntur, ut devincentes peccatum in sanctitate crescant; ideoque oculos suos ad Mariam attollunt, quae toti electorum communitati tamquam exemplar virtutum praefulget. Ecclesia de Ea pie recogitans Eamque in lumine Verbi hominis facti contemplans, in summum incarnationis mysterium venerabunda penitius intrat, Sponsoque suo magis magisque conformatur. Maria enim, quae, in historiam salutis intrinsecus ingressa, maxime fidei placita in se quodammodo unit et reverberat, cum praedicatur, ad Filium suum Eiusque sacrifi-

Textus prior

crificium atque ad amorem Patris credentes advocat. Ecclesia vero, gloriam Christi prosequens, praecelsae suae Figurae similior efficitur, continuo progrediens in fide, oboedientia, caritate, patientia, imprimis autem in divina voluntate exquirenda et obsequenda.

51. [De cultu Beatae Virginis in Ecclesia]

[*De natura et fundamento cultus*]. Maria, qua post Filium maior non est, utpote Dei Mater, quae mysteriis Christi non adfuit tantum, sed interfuit, speciali cultu ab Ecclesia merito honoratur. Et sane ab antiquissimis temporibus Beata Virgo sub titulo « Deiparae » colitur, sub cuius praesidium fideles in cunctis periculis suis deprecantes confugiunt. Inde praesertim ab Ephesina Synodo cultus populi Dei erga Mariam mirabiliter crebruit in veneratione et dilectione, in invocatione et imitatione, secundum ipsius verba prophetica: « Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est » (*Lc.* 1, 48). Qui quidem cultus, prout in Ecclesia semper exstitit, singularis omnino quamquam est, essentialiter differt a cultu adorationis, qui Verbo incarnato aeque ac Patri et Spiritui Sancto exhibetur, eidemque potissimum favet. Variae enim formae pietatis erga Dei Genitricem, quas Ecclesia intra limites sanae et orthodoxae doctrinae, pro temporum et locorum conditionibus et pro indole ingenioque fidelium approbavit, id efficiunt ut, dum Mater honoratur, Filius, propter quem omnia (*1 Cor.* 3, 23; *Col.* 1, 15-16; *Hebr.* 2, 10) et in quo aeterno Patri complacuit omnem plenitudinem inhabitare (*Col.* 1 19), rite noscatur, ametur, glorificetur, Eiusque mandata serventur. Et per Christum, qui « via

Textus emendatus [204]

cium atque ad amorem Patris credentes advocat. Ecclesia vero, gloriam Christi prosequens, praecelsae suae Figurae similior efficitur, continuo progrediens in fide, oboedientia, caritate, patientia, imprimis autem in divina voluntate exquirenda et obsequenda.

55. (olim n. 51). De cultu Beatae Virginis in Ecclesia

[*De natura et fundamento cultus*] (A). Maria, *per gratiam Dei* post Filium *prae omnibus angelis et hominibus exaltata,* utpote Dei Mater, quae mysteriis Christi non adfuit tantum, sed interfuit, speciali cultu ab Ecclesia merito honoratur. Et sane ab antiquissimis temporibus Beata Virgo sub titulo « Deiparae » colitur, sub cuius praesidium fideles in cunctis periculis suis deprecantes confugiunt (22). Inde praesertim ab Ephesina Synodo cultus populi Dei erga Mariam mirabiliter crebruit in veneratione et dilectione, in invocatione et imitatione, secundum ipsius verba prophetica: [205] « Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est » (*Lc.* 1, 48). Qui quidem cultus, prout in Ecclesia semper exstitit, singularis omnino quamquam est, essentialiter differt a cultu adorationis, qui Verbo incarnato aeque ac Patri et Spiritui Sancto exhibetur, eidemque potissimum favet. Variae enim formae pietatis erga Dei Genitricem, quas Ecclesia intra limites sanae et orthodoxae doctrinae, pro temporum et locorum conditionibus et pro indole ingenioque fidelium approbavit, id efficiunt ut, dum Mater honoratur, Filius, propter quem omnia (cf. *Col.* 1, 15-16) et in quo aeterno Patri complacuit omnem plenitudinem inhabitare (*Col.* 1, 19), rite noscatur, ametur, glorificetur, Eiusque mandata ser-

[205] *Textus prior*

et veritas et vita » est (*Io.* 14, 6), homines ad Dei Patris cognitionem supremamque adorationem perducuntur.

[*De spiritu praedicationis et cultus*]. Hanc catholicam doctrinam Sacrosancta Synodus consulto docet, simulque omnes Ecclesiae filios admonet ut praxes et exercitia pietatis erga Mariam saeculorum cursu a Magisterio commendata magni faciant et ea quae anteactis temporibus de cultu imaginum Christi, Beatae Virginis et Sanctorum decreta fuere, religiose servent. Theologos autem verbique divini praecones enixe exhortatur, ut ab omni falsa superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Deiparae dignitate consideranda sedulo abstineant. Studium Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum Ecclesiaeque Doctorum sub ductu Magisterii excolentes, recte illustrent munera et privilegia Beatae Virginis, quae semper Christum spectant, totius veritatis, sanctitatis et pietatis originem. In proponenda veritate talia adhibeant verba, quae Beatam Virginem nullatenus Filio suo aequa-
[206] lem, Ei tamen, Deo sic volente, Filio suo inter omnes Sanctos simillimam praedicent. Meminerint porro fideles veram devotionem neque in quodam momenti affectu, neque in vana quadam credulitate consistere, sed a vera fide procedere, qua ad Dei Genitricis excellentiam agnoscendam adducimur, et ad filialem erga Matrem nostram amorem eiusque virtutum imitationem excitamur.

Textus emendatus

ventur. Et per Christum, qui « via et veritas et vita » est (*Io.* 14, 6), homines ad Dei Patris cognitionem supremamque adorationem perducuntur.

[*De spiritu praedicationis et cultus*] (B). Hanc catholicam doctrinam Sacrosancta Synodus consulto docet, simulque omnes Ecclesiae filios admonet, ut *cultum catholicum, praesertim liturgicum, erga Beatam Virginem generose foveant,* praxes *autem* et exercitia pietatis erga Eam saeculorum cursu a Magisterio commendata magni faciant et ea quae anteactis temporibus de cultu imaginum Christi, Beatae Virginis et Sanctorum decreta fuere, religiose servent (23). Theologos autem verbique divini praecones enixe exhortatur, ut ab omni falsa superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Deiparae dignitate consideranda sedulo abstineant (24). Studium Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum Ecclesiaeque Doctorum sub ductu Magisterii excolentes, recte illustrent munera et privilegia Beatae Virginis, quae semper Christum spectant, totius veritatis, sanctitatis et pietatis originem. In proponenda veritate talia adhibeant verba, quae Beatam Virginem nullatenus Filio suo aequalem, *Eam* tamen, Deo sic volente, Filio suo inter omnes Sanctos simillimam praedicent. *Sedulo arceant quaecumque sive in dictis sive in factis fratres seiunctos in errorem circa veram Ecclesiae doctrinam inducere possent.* Meminerint porro fideles veram devotionem neque in *sterili et transitorio* affectu, neque in vana quadam credulitate consistere, sed a vera fide procedere, qua ad Dei Genitricis excellentiam agnoscendam adducimur, et ad filialem erga Matrem nostram amorem eiusque virtutum imitationem excitamur.

[206]

Textus prior

52. [De Beata Virgine et unitate]

Sacrosanctae huic Generali Synodo magnum affert gaudium et solatium, etiam inter fratres separatos non deesse, qui Matri Domini ac Salvatoris debitum afferunt honorem, speciatim apud Orientales, qui ad cultum Deiparae semper Virginis fervido impulsu ac devoto animo concurrunt. *Pie quidem credendum est Ipsam, quae in Calvariae loco fideles habuit materno suo cordi commendatos, cunctos homines diligere ac fovere, ut fructibus redemptionis abundantius utantur, illosque praecipue qui nomen Christi invocant, ut tandem in unum gregem sub uno Pastore conveniant. Quamobrem* universi christifideles supplicationes instantes ad Matrem Dei et Matrem hominum effundant, ut Ipsa, quae primitiis Ecclesiae precibus suis adstitit, nunc quoque in omnium Sanctorum Communione apud Filium suum intercedat, donec cunctae familiae populorum, sive christiano nomine decorantur, sive Salvatorem suum adhuc ignorant, cum pace et concordia in unum Populum Dei feliciter congregentur.

[207]

53. [Maria, signum certae spei et solatii peregrinanti populo Dei]

Interim autem Mater Iesu, quemadmodum in caelis corpore et anima iam glorificata, imago et initium est Ecclesiae in futuro saeculo consummandae, ita his in terris, quoadusque advenerit dies Domini (cf. *2 Pt.* 3, 10), tamquam signum certae spei et solatii peregrinanti populo Dei praelucet.

Virgo igitur *fidelis,* intercessione sua apud Filium augeat in nobis fidem et spem futuro-

Textus emendatus

56. (olim nn. 53-52). Maria, signum certae spei et solatii peregrinanti populo Dei

(A) Interim autem Mater Iesu, quemadmodum in caelis corpore et anima iam glorificata, imago et initium est Ecclesiae in futuro saeculo consummandae, ita his in terris, quoadusque advenerit dies Domini (cf. *2 Pt.* 3, 10), tamquam signum certae spei et solatii peregrinanti populo Dei praelucet.

(B) Sacrosanctae huic Generali Synodo magnum affert gaudium et solatium, etiam inter fratres separatos non deesse, qui Matri Domini ac Salvatoris debitum afferunt honorem, speciatim apud Orientales, qui ad cultum Deiparae semper Virginis fervido impulsu ac devoto animo concurrunt (25). Universi christifideles supplicationes instantes ad Matrem Dei et Matrem hominum effundant, ut Ipsa, quae primitiis Ecclesiae precibus suis adstitit, nunc quoque in omnium Sanctorum Communione apud Filium suum intercedat, donec cunctae familiae populorum, sive christiano nomine decorantur, sive Salvatorem suum adhuc ignorant, cum pace et concordia in unum Populum Dei feliciter congregentur.

Virgo igitur FIDELIS, intercessione sua apud Filium, augeat in nobis fidem et spem

[207]

Textus prior

rum bonorum exemploque suo nos erigat ad caelestia desideria, *quippe qui « non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus »* (*Hebr.* 13, 14). Virgo *potens,* quae « serpentis caput virgineo pede contrivit », obtineat nobis fortitudinem in bello contra antiquum serpentem. Virgo *prudens,* quae Domini in carnem adventus fuit testis et ministra, impetret nobis in huius mundi tenebris vigilantiam, dum adventum Christi exspectamus gloriosum. Virgo *clemens,* quae humilitatis servitio et caritatis communione Ecclesiae praeivit eique semper praefulget, suppliciter efflagitet, ut nos post Ipsam ardorem apostolicum pro gloria Filii sui et mundi vita incunctanter expleamus, donec Ecclesia, quae in umbra et tribulatione longe peregrinatur a Domino, demum ad nuptias Dei et Agni in luce et gaudio perveniat.

Textus emendatus

futurorum bonorum exemploque suo nos erigat ad caelestia desideria. Virgo POTENS, quae « serpentis caput virgineo pede contrivit » (26), obtineat nobis fortitudinem in bello contra antiquum serpentem. Virgo PRUDENS, quae Domini in carnem adventus fuit testis et ministra, impetret nobis in huius mundi tenebris vigilantiam, dum adventum Christi exspectamus gloriosum. Virgo CLEMENS, quae humilitatis servitio et caritatis communione Ecclesiae praeivit eique semper praefulget, suppliciter efflagitet, ut nos post Ipsam ardorem apostolicum pro gloria Filii sui et mundi vita incunctanter expleamus, donec Ecclesia, quae in umbra et tribulatione longe peregrinatur a Domino, demum ad nuptias Dei et Agni in luce et gaudio perveniat.

[208]

NOTAE

Caput VIII (vel Cap. VII)

De Beata Maria Virgine Deipara in Mysterio Christi et Ecclesiae

Ad n. 52.

(1) *Credo* in Missa Romana: Symbolum Constantinopolitanum: MANSI 3, 566. Cf. CONC. EPHESINUM, ibid. 4, 1130 (necnon ibid. 2, 665 et 4, 1071); CONC. CHALCEDONENSE, ibid. 7, 111-116; CONC. CONSTANTINOPOLITANUM II, ibid. 9, 375-396.

(2) *Canon* Missae Romanae.

(3) S. AUGUSTINUS, *De S. Virginitate,* 6: *PL* 40, 399.

(4) Cf. PAULUS PP. VI, *Allocutio in Concilio,* die 4 dec. 1963: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 37.

Ad n. 53.

(5) Cf. S. AMBROSIUS, *Epist.* 63, ad Vercell. Ecclesiam, n. 110: *PL* 16, 1218.

(6) Cf. S. GERMANUS CONST., *Hom. in Annunt. Deiparae*: *PG* 98, 328 A; *In Dorm.* 2: col. 357. ANASTASIUS ANTIOCH., *Serm. 2 de Annunt.,* 2: *PG* 89, 1377 AB; *Serm.* 3, 2: col. 1388 C. - S. ANDREAS CRET., *Can. in B. V. Nat.* 4: *PG*

97, 1321 B. *In B. V. Nat.,* 1: col. 812 A. *Hom. in dorm.* 1: col. 1068 C. **[208]**
S. SOPHRONIUS, *Or. 2 in Annunt.,* 18: *PG* 87 (3), 3237 BD.

(7) S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 22, 4: *PG* 7, 959 A.

(8) S. IRENAEUS, *ibid.*

(9) S. CYRILLUS HIEROS., *Catech.* 12, 15: *PG* 33, 741 AB.

(10) S. EPIPHANIUS, *Haer.* 78, 18: *PG* 42, 728 CD - 729 AB.

(11) S. HIERONYMUS, *Epist.* 22, 21: *PL* 22, 408. Cf. S. AUGUSTINUS, *Serm.* 51, 2, 3: *PL* 38, 335; *Serm.* 232, 2: col. 1108. S. IO. CHRYSOSTOMUS, *In Ps.* 44, 7: *PG* 55, 193. S. IO. DAMASCENUS, *Hom. 2 in dorm. B. M. V.,* 3: *PG* 96, 728.

(12) Cf. CONC. LATERANENSE anni 649: MANSI 10, 1151. S. LEO M., *Epist. ad Flav.*: *PL* 54, 759. CONC. CHALCEDONENSE: MANSI 7, 462. S. AMBROSIUS, *De instit. virg.*: *PL* 16, 320.

(13) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 247-248.

(14) Cf. PIUS IX, Bulla *Ineffabilis,* 8 dec. 1854: *Acta Pii IX,* 1, I, p. 616.

(15) Cf. PIUS XII, Const. Apost. *Munificentissimus,* 1 nov. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950). Cf. S. IO. DAMASCENUS, *Enc. in dorm. Dei genitricis,* Hom. 2 et 3: *PG* 96, 722-762, speciatim col. 728 B. - S. GERMANUS CONSTANTINOP., *In S. Dei gen. dorm.* Serm. 1: *PG* 98 (3), 340-348; Serm. 3: col. 362. - S. MODESTUS HIER., *In dorm. SS. Deiparae*: *PG* 86 (2); 3277-3311.

(16) Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Ad coeli Reginam,* 11 oct. 1954. *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 633-636. Cf. S. ANDREAS CRET., *Hom. 3 in dorm. SS. Deiparae*: *PG* 97, 1090-1109. - S. IO. DAMASCENUS, *De fide orth.,* IV, 14: *PG* 94, 1153-1168.

Ad n. 54.

(17) Cf. KLEUTGEN, textus reformatus *De mysterio Verbi incarnati,* cap. IV: MANSI 53, 290. Cf. S. ANDREAS CRET., *In nat. Mariae,* sermo 4: *PG* 97, 865 A. - S. GERMANUS CONSTANTINOP., *In ann. Deiparae*: *PG* 98, 322 BC. *In dorm. Deiparae,* III: col. 362 D. - S. IO. DAMASCENUS, *In dorm. B. V. Mariae,* Hom. 1: **[209]**
PG 96, 712 BC - 713 A.

(18) Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: *A.S.S.,* 15 (1895-96), p. 303. - S. PIUS X, Litt. Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: *Acta,* I, p. 154. - PIUS XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus,* 8 maii 1928: *A.A.S.,* 20 (1928), p. 178.

(19) S. AMBROSIUS, *Expos. Lc.* II 7: *PL* 15, 1555.

(20) Cf. Ps.-PETRUS DAM., *Serm.* 63: *PL* 144, 861 AB. - GODEFRIDUS A S. VICTORE, *In nat. B. M.,* Ms. Paris, Mazarine, 1002, fol. 109. - GERHOHUS REICH., *De gloria et honore Filii hominis,* 10: *PL* 194, 1105 AB.

(21) S. AMBROSIUS, *l. c.* et *Expos. Lc.* X, 24-25: *PL* 15, 1810. - S. AUGUSTINUS, *Serm.* 191, 2, 3: *PL* 38, 1010. Cf. *In Io.* Tr. 13, 12: *PL* 35, 1499; etc. Cf. etiam ISAAC DE STELLA, *Serm.* 31: *PL* 194, 1863 A.

Ad n. 55.

(22) « Sub tuum praesidium ».

(23) CONC. NICAENUM II, anno 787: MANSI 13, 378-379. CONC. TRIDENT., sess. 25: MANSI 33, 171-172.

[209] (24) Cf. Pius XII, *Nuntius radioph.*, 24 oct. 1954: *A.A.S.*, 46 (1954), p. 679. Litt. Encycl. *Ad coeli Reginam*, 11 oct. 1954: *A.A.S.*, 46 (1954), p. 637.

Ad n. 56.

(25) Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Ecclesiam Dei*, 12 nov. 1923: *A.A.S.*, 15 (1923), p. 581. - Pius XII, Litt. Encycl. *Fulgens corona*, 8 sept. 1953: *A.A.S.*, 45 (1953), pp. 590-591.

(26) *Versus* ad Vesperas et Laudes in festo B. V. Immaculatae Conceptionis.

[210]

RELATIONES DE SINGULIS NUMERIS

Relatio de n. 52, olim n. 48: Prooemium

(A) *De connexione cum Christo.* De hac agit prima alinea. Deus enim consilium suum de universali salute — quod consilium est inde a prima pagina *thema* totius Constitutionis —, exsecutioni mandavit mittens Filium suum « factum ex muliere », ut dicit Apostolus. Unde Symbola fidei expresse confitentur Filium Dei, qui « incarnatus est de Spiritu Sancto *ex Maria Virgine* ». Quod hic solemniter repetitur, ut appareat Ecclesiam, v. g. in supremo actu communitario Missae, iure memoriam venerari « in primis... Genitricis Dei et D.N.I.C. ». Totius itaque doctrinae fundamentum est incarnatio redemptiva, quacum B. Virgo intrinsecus connectitur.

(B) *De connexione cum Ecclesia.* Statim exprimitur personalis et *liber consensus,* quem B. Maria Verbo Dei in Annuntiatione praebuit, adhibitis verbis patristicis, nempe: « corde et corpore Eum concepit » et ita « Vitam mundo protulit ».

Maria dicitur a Filio suo *sublimiore modo redempta,* ne ipsa extra ordinem redemptionis censeatur, sed ut arcte cum Redemptore coniuncta appareat. Evidens est autem singularis dignitas Deiparae ex contactu suo cum ipsis Personis divinis.

Beata Virgo, ut ex genealogiis evangeliorum patet, simul unitur cum hominibus in stirpe Adae peccatoris, et quidem non tantum physice, sed etiam moraliter, in quantum *ex caritate cum Redemptore cooperatur,* ut fideles in Ecclesia nascantur. Haec idea verbis S. Augustini exprimitur: mater Capitis fit etiam mater membrorum unius Corporis. Ita ipsa est membrum Ecclesiae, sed supereminenter et per modum *typi,* secundum expressionem, quae inde a S. Ambrosio facta est velut classica.

(C) *Intentum Concilii* est dogmata praecipua de Beata in contextu mysterii Christi et Ecclesiae exponere, ut promoveatur intellectio profundior; *non* vero *modo velut extensivo* completam de B. M. Virgine

doctrinam explanare. Unde ulteriores quaestiones, quae adhuc a theologis investigantur et aliquando controvertuntur, hic non dirimuntur, sed suae legitimae libertati relinquuntur. Ultima huius paragraphi verba ex *Allocutione* PAULI PP. VI desumuntur, die 4 dec. 1963 ad Patres Conciliares habita. [210]

RELATIO DE N. 53, OLIM N. 49: DE MUNERE B. VIRGINIS IN OECONOMIA SALUTIS [211]

(A) Hic numerus, de munere B. M. Virginis in oeconomia salutis, *primam* partem principaliorem constituit expositionis, quae secundum ordinem S. Scripturae et Traditionis procedit. *Secunda* pars, nec minus principalis, scilicet de relatione B. Virginis ad Ecclesiam, sub n. 54 (olim n. 50), in medium profertur. *Tertia* agit de cultu.

(B) Ordo expositionis huius prioris partis sequitur *historiam salutis,* qualiter in S. Scriptura inde a Vetere Testamento narratur, *ne discrepantia appareat* inter mulierem, matrem Christi in Evangeliis, et figuram B. Virginis qualiter in tractatione theologica exhibetur vel a populo christiano colitur. Ex documentis biblicis illustratur progressus in revelatione de Maria; sed expresse notatur quod libri inspirati in Ecclesia Catholica, sicut oportet, sub lumine plenae revelationis leguntur et secundum mentem Traditionis intelleguntur.

Prima adumbratio in *Protoevangelio* invenitur; *oraculum* autem *Is.* 7, 14 sensu stricto, in *Mt.* 1, 22-23, B. Mariae applicatur. In fine praeparationis Veteris Testamenti Maria, filia Sion, inter « *pauperes Domini* » praecellit, et cum ea, in plenitudine temporum nova Oeconomia introducitur, in qua Christus mundum redemit « *mysteriis carnis suae* »; quae ultima indicatio insistere intendit super realismum incarnationis per Mariam.

(C) *De significatione Annuntiationis.* Reapse acceptatio B. Virginis incarnationem praecessit, ut secundum desiderium Commissionis nunc *modo positivo* edicitur. Mariam a Deo muneri suo esse praeparatam Patres orientales diserte enuntiant, verbis concretis doctrinam de Immaculata affirmantes. Cf. S. GERMANUS CONSTANTINOP., *In Annunt. SS. Deiparae*: *PG* 98, 328 AB: « Tota prorsus munda omnique carens reprehensione » (amemptos). IDEM, *In Dorm.* 2: col. 357: « Nova quippe innovatio (anaplasis) es, quod iis qui limo luti corrupti essent, domina facta es, ... o immaculatissima! ». ANASTASIUS ANTIOCH., *In Annunt.* intemeratissimae (panachrantou) Deique Genitricis Mariae: *PG* 89, 1376 C; cf. *ibid.* 1377 AB. S. ANDREAS CRET., *Can. in B. Mariae nativit.* 4: *PG* 97, 1321 B: « ... immaculatam tuam matrem... Inteme-

[211] rata est tua nativitas, virgo intemerata! ». IDEM, *Hom. in nat. B. M.* 1: col. 812 A: « Hodie naturae nostrae reformatio incipit, mundusque veteratus plane deiformem transformationem, secundae a Deo fictionis initia suscipit ». IDEM, *In nat. B. M.* IV: col. 865 A: « Reformationis nostrae primitiae ». S. SOPHRONIUS, *Orat. 2 in SS. Deiparae Annunt.* 18: *PG* 87 (3), 3237 CD: « Gaude, o virgo, ... quae prae omni creaturae enituisti puritate ».

Textus S. AMBROSII, sub nota 5 citatus, scil. *Epist. 63 ad Vercell. Eccl.* n. 110: *PL* 16, 1218, sic sonat: « Nec Maria minor quam matrem
[212] Christi decebat. Fugientibus Apostolis, ante crucem stabat et piis spectabat oculis Filii vulnera, qua exspectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem ».

Hoc privilegium, quo B. Virgo est « gratia plena » (kecharitômenè), induit significationem salutarem et valorem velut *functionalem* in ordine ad mysterium redemptionis. Quia enim Maria nullo retardatur peccato nec peccaminoso affectu, pleno corde munus suum « ancillae Domini » accipere et operi Filii sui inservire potuit. A. v. privilegium eius non est merum ornamentum. Maria personali ac libera fide et oboedientia consensit, et non ut instrumentum passivum adhibetur.

Inde orta est apud Patres *doctrina de Nova Heva,* cuius doctor praecipuus est S. IRENAEUS, verbis in textu citatis, *Adv. Haer.* III, 22, 4: *PG* 7, 959 A; HARVEY, 2, p. 123. Cf. *ibid.*: « Sic autem et Evae inoboedientiae nodus solutionem accepit per oboedientiam Mariae. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem ». Cf. iam S. IUSTINUS, *Dial.* 100: *PG* 6, 709: « Eva enim, cum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto, inoboedientiam et mortem peperit, Maria autem virgo, cum fidem et gaudium percepisset, ... respondit: Fiat mihi secundum verbum tuum ». TERTULLIANUS, *De carne Christi,* 17: *PL* 2, 782: « Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit ». S. CYRILLUS HIER., *Catech.* 12, 15: *PG* 33, 741 AB: « Per virginem Hevam mortem, per virginem vel de virgine Maria vitam apparuisse... ». S. EPIPHANIUS, *Haer.* 78, 18: *PG* 42, 728 CD - 729 AB; *CGS* 37, p. 468 s.: « A Maria virgine vita ipsa est in mundo introducta, ut Viventem pariat et viventium Maria sit mater... Eva generi hominum causam mortis attulit, per quam mors est in orbem terrarum invecta: Maria vitae causam praebuit, per quam Vita est nobis ipsa producta... ». S. HIERONYMUS, *Epist.* 22, 21: *PL* 22, 408: « Mors per Evam, vita per Mariam ». Cf. S. AMBROSIUS, loco supra citato. S. AUGUSTINUS, *Serm.* 51, 2, 3: *PL* 38, 355: « Decipiendo homini propinatum est venenum per feminam: reparando homini propinatur salus per feminam.

Compenset femina decepti per se hominis peccatum, generando Chri- [212]
stum ». IDEM, *Serm.* 232, 2, 2: col. 1108: « Per sexum femineum cecidit homo, per sexum femineum reparatus est homo; quia virgo Christum pepererat, femina resurrexisse nuntiabat: Per feminam mors, per feminam vita ». S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In Ps.* 44, 7: *PG* 55, 193 « Virgo nos paradiso expulit; per virginem vitam aeternam invenimus ». S. Io. DAMASCENUS, *Hom. 2 in Dom. B. M. V.*, 3: *PG* 96, 728 B: « Eva... moeroris et tristitiae sententiam retulit... (Maria) Dei Verbi personam, cuius omnia plena sunt, concepit ». Cf. etiam *Etudes Mariales, La Nouvelle Eve,* I, Paris 1954.

(D) *De B. Maria et Iesu infante.* Salutaris coniunctio B. Virginis cum Filio suo in variis episodiis infantiae Iesu apparet.

Imprimis in *Visitatione,* quando Maria ob fidem suam in promissa [213]
Domini ut beata salutatur, et praecursor in sinu matris suae exultat.

Deinde in *nativitate Iesu,* quando pastores et magi ex Oriente Puerum « cum matre eius » inveniunt. Partum autem Iesu fuisse virginalem verbis liturgicis et traditionalibus affirmatur. Quod Commissioni Doctrinali sufficiens et satis clarum videtur.

Ulterius memoratur *Praesentatio* in templo, cum prophetia Simeonis, quae tum Filium tum Matrem Eius attingit.

Denique sermo fit *de Puero Iesu deperdito* et de responsione eius ad parentes suos. Ex quo apparet mysterium divinum omnem intellectum creatum transcendere et nonnisi per fidem accipi posse. Cuius fidei Maria exstitit exemplum, omnia haec in corde suo conservans. Sententia de hoc episodio addita est, ne Concilium praeterire videretur illos textus, qui quibusdam difficultatem facere videntur.

(E) *De B. Maria in vita publica Iesu.* Imprimis invocatur narratio *de nuptiis in Cana,* ubi mater Iesu intercessione sua primum « signum » induxit, quo Iesus manifestavit gloriam suam, et crediderunt in Eum discipuli Eius.

Deinde citantur verba Domini, quibus *beatos* dixit illos, qui *verbum Dei audiunt* et custodiunt. Hoc modo significatur Regnum Dei vincula mere carnalia transcendere, quin ullum exinde vituperium exsurgat pro Matre, quae verbum illud fideliter servabat, ut bis affirmatur apud *Lc.*

Praesertim effertur *praesentia Mariae sub cruce,* quando cum Filio suo condolet, Eius sacrificio se consociat et immolationi amanter consentit, atque discipulo, fidelium figurae, a Christo moriente veluti mater datur.

(F) *De B. Virgine post Ascensionem Iesu.* Duo hic asseruntur: primo *oratio Mariae* ante diem Pentecostes, cum Apostolis, mulieribus et Fratribus Domini; quod exprimitur ad litteram secundum *Act.* 1, 14.

[213] Deinde affirmantur *duo dogmata* a Magisterio Ecclesiae proclamata, nempe Immaculatae Conceptionis, cum verbis Bullae *Ineffabilis,* et Assumptionis, cum verbis Constit. *Munificentissimus*; quae dogmata ad invicem referuntur. Exaltatio autem B. Virginis ut *Reginae* connectitur cum exaltatione Filii sui, cui conformatur.

Relatio de n. 54, olim n. 50: De Beata Virgine et Ecclesia

Hic incipit *secunda pars principalior* expositionis de Beata, scilicet de eius relatione ad Ecclesiam.

(A) Ordo expositionis, in priori redactione huius paragraphi adhibitus, invertitur, ita ut in initio ponatur principium S. Scripturae *de unico Mediatore,* per quem omnes omnino homines a Deo salvantur. Quaecumque igitur hominum cooperatio vel servitium nonnisi ab illo unico Mediatore profluere potest, ex Eoque totam suam virtutem haurit.
[214] Neque huiusmodi cooperatio seu mediatio unionem directam credentium cum Christo impedit, sed eam fovet. Quae omnia in specie valent de B. Virgine Maria.

(B) In secunda alinea: *Cum itaque* — cooperatio Deiparae cum Filio suo *his in terris* pressius consideratur. Fuit enim pro Christo redemptore humilis « ancilla Domini » et singulariter prae aliis socia Eius, ut ex variis eius terrestris vitae actibus, fide ac caritate animatis, commonstratur. Quapropter iure mater nostra in ordine gratiae vocatur.

(C) In tertia alinea: *Eius autem* — asseritur hoc munus maternum Mariae erga homines post eius assumptionem *perdurare,* quia perdurat eius caritas. Inde est multiplex intercessio, sive formalis sive aequivalens, B. Virginis in coelo pro fratribus Filii sui adhuc peregrinantibus. Recolantur verba Kleutgen in textu reformato pro Concilio Vaticano I, cap. IV, *De mysterio Verbi incarnati*: Mansi 53, 290: « Haec igitur Christum, Deum et Dominum nostrum, pariens, mater gratiae nobis exstitit, ... nec desinit potenti sua intercessione aeterna nobis salutis dona conciliare ».

Cf. expressiones a Patribus graecis adhibitas: S. Andreas Cret., *In nat. Mariae,* serm. 4: *PG* 97, 865 A: « Salve legis ac gratiae mediatrix (mesitis) ». S. Germanus Constantinop., *In annunt. SS. Deiparae*: *PG* 98, 322 BC: « Omnium peccatorum mediatrix vere bona (mesiteia) ». Idem, *In dorm. B. M.* III: col. 362 D: « Ego te mundi murum exaedificabo, eorum pontem qui fluctibus iactantur, eorum qui manu ducuntur baculum, peccatorum advocatam, scalam denique quae provehere in coelum mortales sufficiat ». S. Io. Damascenus, *In dorm. B. V. M.* hom. 1: *PG* 96, 712 B - 713 A: « Te olim arca figuravit, in

qua secundi mundi semen servatum fuit. Tu enim Christum mundi salutem peperisti, qui peccatum quidem submersit, eiusque fluctus sedavit... Sic tu quoque mediatricis munus obiens (mesiteusasa), effectaque Dei ad nos descendentis scala, ut debilem nostram naturam assumeret, sibique copularet et uniret, ... ea quae redempta erant collegisti ». [214]

Notat autem S. AMBROSIUS, *Epist.* 63: *PL* 16, 1218: « Iesus non egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adiutore servavit ». Cf. S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In Ps.* 44, 7: *PG* 193: « Suscepit (Iesus) quidem affectum parentis, sed non quaesivit alterius auxilium ».

Concluditur exinde quod B. Virgo iure titulo *Mediatricis* honoratur, ita tamen intellecto ut dignitati et muneri unici Mediatoris nihil detrahatur, nihil superaddatur. Ut patet, Concilium, secundum intentionem in initio capitis enuntiatam, in *quaestiones intricatiores* nullo modo intrat, neque verbum facit de cooperatione mediata vel immediata B. Virginis ad redemptionem obiectivam vel subiectivam, de gratia sacramentali, etc.; de quibus agunt theologi.

(D) Ultima alinea: *Tale autem* — per modum *conclusionis* principia exposita positive et pacifice commendat, ut fideles Christo Domino intimius adhaereant. [215]

(E) Maria est *typus Ecclesiae.* Appellatio ista, a S. Ambrosio proposita, evidenter intelligitur non in ordine institutionis hierarchicae aut signorum sacramentalium, sed sicut Commissio Doctrinalis explicite addidit, « in ordine fidei, caritatis et perfectae communionis cum Christo ».

Deinde Maria proponitur *ut virgo,* non tantum corpore sed etiam corde, scilicet fide et oboedientia, fidelitate et caritate. Est simul *mater,* scilicet Christi ipsius secundum carnem, at etiam mater fratrum Eius cooperatione sua spirituali. Est igitur ipsa typus Ecclesiae duplici titulo connexo. Quod doctores mediaevales hoc modo exprimunt: Ps.-PETRUS DAMIANI, *Serm.* 63: « Ex Maria videtur prodiisse Ecclesia ». GODEFRIDUS A S. VICTORE, *In Nat. B. Virg.*: « Quoniam prima nascitur Ecclesiae persona ».

Ecclesia autem et ipsa est *mater,* verbo et sacramento generans filios; *et virgo,* pure et integre servans fidem Sponso datam, id est doctrinam Eius et adhaesionem ad Eum.

Typologia illa in textu exprimitur verbis praesertim S. AMBROSII et S. AUGUSTINI. Vide apud AMBROSIUM, *l. c., Expos. Lc.* II, 7: *PL* 15, 1555: « Bene desponsata (Maria), sed virgo: quia est Ecclesiae typus, quae est immaculata, sed nupta »... *Expos. Lc.* 10, 24-25: col. 1810 BC, typologia omnibus fidelibus applicatur: « Fac voluntatem Patris, ut Christi mater sis... Qui parturit verbum, Christum parturit ».

[215] Verba S. AUGUSTINI citantur in textu. Cf. eius dicta de virginitate Ecclesiae, *In Io.* Tr. 13, 12: *PL* 35, 1499: « Omnis Ecclesia virgo appellata est... Quae est virginitas mentis? Integra fides, solida spes, sincera caritas ». Dicta Patrum colligit in una synthesi Ven. BEDA, *In Lc. expos.* I, cap. 2: *PL* 92, 330: « Usque hodie et usque ad consummationem saeculi, Dominus in Nazareth concipi, nasci in Bethleem non desinit, cum quilibet audientium, verbi flore suscepto, domum se aeterni panis efficit. Quotidie in utero virginali, hoc est in animo credentium per fidem concipitur, per baptisma gignitur. Quotidie Dei Genitrix Ecclesia, suum comitata doctorem, de rota mundanae conversationis, quod Galilaea sonat, in civitatem Iuda, confessionis videlicet et laudis, ascendens, censum suae devotionis aeterno regi persolvit. Quae in exemplum beatae semper virginis Mariae nupta simul et immaculata, concepit nos virgo de Spiritu, parit nos virgo sine gemitu, et quasi alii quidem desponsata, sed ab alio fecundata, per singulas sui partes quae unam catholicam faciunt, praeposito sibi Pontifici visibiliter iungitur, sed invisibili Spiritus Sancti virtute cumulatur... ».

Cf. S. TROMP, S. I., *Ecclesia sponsa, virgo mater,* in: *Gregorianum,* 18, 1937, pp. 3-29, ubi pp. 21-23 auctoritates Patrum de B. M. V. imagine Ecclesiae. H. COATHALEM, S. I., *Le parallélisme entre la S. Vierge*
[216] *et l'Eglise dans la tradition latine jusqu'à la fin du XIIe siècle,* Romae 1954. *Etudes Mariales, Marie et l'Eglise,* 3 vol., Paris 1954-56.

(F) In hac alinea: *Dum autem* — Maria proponitur ut *exemplum virtutum,* ab Ecclesia imitandum. Pia recogitatio de Maria fideles intimius introducit in mysterium incarnationis, cuius varii aspectus in Virgine Deipara velut reverberantur. Unde antiqua orta est invocatio Mariae, « Quae cunctas haereses interemit ». Sub exemplo Mariae Ecclesia continuo Christo similior efficitur.

RELATIO DE N. 55, OLIM N. 51: DE CULTU B. VIRGINIS

(A) Indicatur *natura et fundamentum* huius cultus in gratia et coniunctione cum mysteriis Christi, secundum traditionalem Ecclesiae doctrinam. Invocatio *Dei-genitricis* iam occurrit in antiquissima deprecatione « Sub tuum praesidium », et illius cultus diffusioni maxime contulit Concilium Ephesinum. Enumerantur autem praecipui actus cultuales: veneratio, dilectio, invocatio, imitatio. Ita implentur verba *Magnificat*: « Beatam me dicent omnes generationes... ». Cultus ille essentialiter differt a cultu adorationis, soli Deo debito. Formulae tamen *hyperduliae* et *latriae,* utpote technicae et in Oriente inusitatae, in textu non adhibentur.

De formis autem venerationis erga B. Virginem notat textus quod [216] secundum tempora, loca et indolem populorum variantur, Ecclesia semper vigilante ut sint orthodoxae et sanae, semperque adducant fideles ad glorificationem Christi et Patris.

(B) Concilium in connexione cum praecedentibus addit *praescriptiones pastorales,* tam pro cultu quam pro praedicatione. Commendat praesertim cultum *liturgicum,* sed etiam varias *praxes* et exercitia pietatis, dummodo conformes sint decretis anteriorum Conciliorum.

Pro *praedicatione* mediam viam designat inter falsam superlationem et nimiam mentis angustiam. Inculcat, mediante studio S. Scripturae, Traditionis et Magisterii, indolem « christocentricam » doctrinae de Maria exponendae. Praedicatores simul indicare debent inaequalitatem Mariae cum Christo et singularem cum Eo similitudinem, arcere autem omnem modum loquendi vel agendi, qui in errorem inducere posset.

De pietate denique notat quod, licet sit affectuosa, in sterili tamen affectu aut in vana credulitate non consistit, sed sinceram doctrinam, filialem amorem et genuinam imitationem promovere debet, non vero novitates quaerere.

Relatio de n. 56, olim nn. 53-52: De Maria ut signo certae spei

(A) In hac *parte conclusiva* textus emendatus in unum colligit illa quae in antiquis numeris 52 et 53 de « Maria et unitate » et de Maria « ut signo spei » dicebantur. In prima alinea effertur figura Deiparae, non tantum ut exemplar consummatae gloriae, sed etiam ut motivum [217] spei et solatii pro Populo peregrinante.

(B) In secunda alinea Concilium declarat se gaudere de fervore devotionis erga B. Virginem apud fratres seiunctos, *praesertim Orientales.* Cunctos autem fideles exhortatur ut, intercedente Maria in Communione Sanctorum apud Dominum, suppliciter orent pro unione omnium christianorum, immo omnium hominum in Christo. Ita tanguntur simul aspectus oecumenicus, qui in hac parte est valde sensibilis, et intentio missionaria.

(C) In ultima alinea, magis paraenetica, insistitur, relate ad B. Virginem, in *fidelitate* sub eschatologica exspectatione, in *fortitudine* durante pugna contra peccatum et daemonem, in *prudentia* et vigilantia donec Sponsus veniat, in servitio et « communione » caritatis et *clementiae,* et denique in *ardore apostolico,* cuius B. Virgo est singulare exemplum in vita quotidiana omnium fidelium. Ultimum praesertim elementum desiderio plurium Patrum respondere intendit.

[218]

RELATIO GENERALIS

Postquam Concilium, die 29 oct. 1963, cum parva maioritate statuit caput *de Beata Maria V.,* in Constitutione *De Ecclesia* incorporandum esse, Commissio Doctrinalis Subcommissionem erexit ad parandum textum, praedictae decisioni adaptatum. Subcommissio, composita ex membris Em.mis SANTOS et KÖNIG, Exc. DOUMITH et THEAS, opus huiusmodi redactionis concredidit duobus Peritis, qui utriusque « tendentiae » Patrum rationem servarent, ut quantum possibile esset, omnibus vel fere omnibus satisfactio praeberetur. Hi Periti non minus quam quinque successivas redactiones confecerunt ad finem praestitutum obtinendum. Ultima redactio typis impressa est in fasciculo *De Ecclesia. Textus propositus post discussiones mart. 1964,* p. 52 sqq. et nunc de novo proponitur ut *Textus prior.* Discussione facta et pluribus emendationibus admissis, hic textus denique, die 6 iunii 1964, a Commissione Doctrinali approbatus est, nunc Patribus Concilii submittitur sub titulo: *Textus emendatus.*

Commissio Doctrinalis unanimiter censuit hoc caput *De B. Virgine* in Constitutione *De Ecclesia* ultimo loco esse ponendum, quia amplam materiam, in Schemate expositam, summarie in mentem reducit.

Consequenter ad praedicta, titulus ita exprimitur: *De Beata Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae.* Dicitur scilicet *Deipara* seu *Theotokos,* quia dogma de divina maternitate omnino fundamentale est, et quia appellatio illa tum in Occidente tum in Oriente in maxima veneratione habetur.

Agitur itaque de mysterio *Christi,* Verbi incarnati, ad quod mysterium omnia quae ad Beatam Virginem spectant, fontaliter pertinent. Idem autem mysterium in *Ecclesia* continuatur, eiusque salutiferi effectus per eam credentibus applicantur. Quapropter in titulo vox *mysterium* consulto in numero singulari ponitur. Ita iustificatur factum, quoad tractatio de *B. Virgine* in Constitutione *De Ecclesia* collocatur, et quidem in fine, quasi coronidis instar, quia illa quae est Mater Dei et simul mater eorum qui « populum Dei » constituunt ac typus et exemplar Ecclesiae.

Ex collatione utriusque textus lectoribus oblati clare apparebit imprimis initium n. 54 ubi sermo est « de Maria ut ancilla Domini Redemptoris » Commissioni doctrinali ita cordi fuisse, ut in eo daretur *optima* illa, quam Paulus Pp. VI feliciter regnans in allocutione, die 4 dec. anni praeteriti ad Patres Concilii in aula Vaticana habita (cf. *A.A.S.,* 56, 1964, p. 37), sperabat *enodatio.*

Moderator: Em.mus ac rev.mus card. Michaël Browne velit legere relationem circa cap. VII: De indole eschatologica vocationis nostrae ac de nostra unione cum Ecclesia caelesti.

2 – Em.mus P. D. MICHAEL card. BROWNE

Relator

Venerabiles Patres,

Textus « De indole eschatologica vocationis nostrae ac de nostra unione cum Ecclesia coelesti » originem habet ex explicita voluntate Summi Pontificis Ioannis XXIII, cui persuasum erat doctrinam conciliarem de Ecclesia mancam et mutilam manere nisi ex professo fusius ageretur de illa parte Ecclesiae quae Christo iam indefectibiliter incorporata Ecclesiae quoque Peregrinanti intime unitur ac cum ipsa unam Iesu Christi Ecclesiam constituit.

Huiusmodi expositio etiam a perpluribus Patribus Concilii, immo ab aliquibus Conferentiis Episcoporum expostulata est, qui omnes desiderabant ut data opera amplius sermo esset non solum de tendentia eschatologica nostrae vocationis sed etiam de Ecclesia in Sanctis iam perfecta, quia — ut quidam Pater dixit — « fratres perfecti [Sancti] essentialiter ad mysterium Ecclesiae pertinent quae non solum in terris peregrinatur, sed in Sanctis iam gaudio Domini fruitur ».

Postquam decisum fuit textum De Beata Maria Virgine inserere in Constitutionem De Ecclesia, approbante Summo Pontifice Paulo VI etiam textus de nostra unione cum Ecclesia coelesti, qui interim iam de mandato Papae Ioannis XXIII exaratus erat, in hanc eandem Constitutionem de Ecclesia erat incorporandus. Ad hunc finem Commissio dogmatica specialem Sub-commissionem instituit, quae in adaptando textu simul rationem habuit omnium illorum votorum quae Patres Conciliares hac de re manifestaverant.

A) Ut vobis legentibus patet Caput VII habet quatuor paragraphos: De indole eschatologica nostrae vocationis in Ecclesia, De communione Ecclesiae coelestis cum Ecclesia peregrinante, De conversatione Ecclesiae peregrinantis cum Ecclesia coelesti, Quaedam dispositiones pastorales.

In prima paragrapho exponitur vocationem nostram in praesenti vita esse ut sanctificati per Christum peregrinemur cum Ipso ad consummationem nostrae sanctitatis in vita aeterna cum Deo viso sicuti est. Peregrinatio nostra exigit ut simus conscii habitudinis praesentis

vitae ad illam aeternam, ut fortes in fide Christi Salvatoris necnon in spe futurae gloriae, nescientes diem mortis sed scientes iudicium esse futurum, tribulationes huius vitae sustineamus et diabolo resistamus.

In secunda paragrapho edocemur Christifideles usque ad adventum Domini, alios in gloria, alios in purgatorio, alios adhuc in terra peregrinantes, omnes tamen ad invicem in Christo cohaerentes unam constituere Ecclesiam: coelites, intimius cum Christo unitos, alia membra plus quam unquam ex caritate adiuvare necnon ipsam Ecclesiam in terris consolidare et nobilitare.

In tertia paragrapho indicatur quomodo Ecclesia Peregrinans, conscia suae solidaritatis cum Ecclesia Coelesti, hanc unionem in praxim deducere debeat: Christifideles exempla Sanctorum respicientes, ad caelestia eriguntur; eos tamquam fratres in Christo amantes, in caritate Christi ipsius et totius ecclesiae profundius radicantur; communicantes vero cum ipsis, Christum et Deum plenius laudant ac magnificant.

Ex his principiis aliquae consequentiae pastorales profluunt quae in quarta paragrapho proponuntur. Ipsae eo spectant ut modo adhuc magis concreto et practico appareat quomodo conversatio nostra cum Coelitibus revera conferat ad maiorem Dei laudem, dummodo fiat secundum mentem et praxim Ecclesiae.

B) Sicut ex hoc brevi conspectu iam patet, Caput VII habet non solum magnum momentum dogmaticum, sed etiam pastorale, liturgicum et oecumenicum.

1) In textu redigendo specialis cura adhibita fuit, ut principaliores veritates « De Novissimis », modo synthetico enuntiarentur vel saltem adumbrarentur, sicut ab ipso Summo Pontifice Paulo VI et a multis Patribus Concilii desiderabatur. Qua in re ipsa verba Domini nostri et Apostolorum praesertim collegimus et ordinavimus.

2) Idea princeps expositionis ecclesiologicae in eo est, quod tota Ecclesia est Corpus unum, quod ut tale, per Christum, cum Ipso et in Ipso, unico cantico laudis Sanctissimam Trinitatem adorare et laudare debet.

Sicut autem christiana conversatio inter viatores non minuit sed auget christocentrismum et theocentrismum, ita etiam, immo fortiore ratione, authentica conversatio et communio inter viatores et coelites non modo non impedit sed potius promovet amorem et cultum Sanctissimae Trinitatis.

3) Omnia insuper ita elaborata sunt, ut hoc Caput unionem cum fratribus separatis efficaciter promovere valeat. Omnibus enim notum est, quantopere cultus Sanctorum in communitatibus Orientis Christiani

hodiedum a nobis separatis floruerit semper et floreat, ac quam magnum unionis subsidium in hoc communi pietatis patrimonio et coelestium patronorum communi invocatione inveniri possit ac debeat.

Sed spes etiam est fore, ut illi quoque, qui hanc partem integralem catholicae fidei et praxis minoris faciunt, eius divitias perspiciant et agnoscant.

4) Tandem opportune provisum est, ut hoc Caput ita in Constitutionem de Ecclesia insereretur, ut apte coniungeret partem de Ecclesia Peregrinante et Caput de Beata Maria Virgine, quod nunc organice toti Constitutioni inhaeret.

Caput VII proinde revera complet Constitutionem « de Ecclesia » eique confert profundiorem organicitatem et harmoniam.

3 – PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia,* cap. VII)

1

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI

Archiepiscopus Panormitanus

I. Cap. VII compositum est fere totum — ut omnes scitis — ex testimoniis S. Scripturae, quod quidem dum diligentem redactorum investigationem manifestant, doctrinae expositionem piissimam efficiunt.

Attamen non omnia quae ex S. Litteris hausta sunt cum codice inspirato plene congruunt. E. g.:

1. *Sub n. 49 ad finem pag. 182,* legimus: « Per ipsum et cum ipso et in ipso », quae verba evidenter deprompta sunt ex Epistula S. Pauli ad Romanos, cap. 11, v. 36; sed pro dictione tertia « in ipso » haec alia, ad fidem textus biblici primigenii, subicienda esset: « in ipsum » — εἰς αὐτόν — et ita optime exprimeretur finis in quem caelitum oblatio tendit.

2. ...[1], *in pag. 184, lin. 28 et 29* haec leguntur: « Per ipsum — nempe Christum — ad Deum qui est mirabilis in sanctis suis » etc. *Mirabilis in sanctis suis* est lectio ps. 67, v. 36, in versione quae Vulgata dicitur; sed vocabulo « sanctis » illo loco non significantur sancti seu caelites, de quibus in nostro capite agitur, sed *de Sanctuario Israelis.*[2] Et potius quam « mirabilis », Deus ibi exhibetur terribilis, ita ut versiculus sic sonet: « terribilis est Deus a sanctuario suo ».

Item in ps. 88, v. 8, qui ibidem laudatur in adnotatione 15, vox

« sancti » non significat quos nos sanctos appellamus, sed angelos, sicut angeli sunt qui in versiculo praecedenti filii Dei vocantur.

II. *Deinde,*[3] quae in capite tractantur non sunt, ut mihi videtur, in perfectum ordinem digesta et insuper aliqua repetuntur cum alia desint quae desiderantur...[4]

En repetitiones, etsi in diversis paragraphis:

1. *Sub n. 49, in pag. 182,* inde a lin. 22 et deinceps: scriptum invenimus: « viatorum unio cum fratribus qui in pace Christi dormierunt, minime extenuatur aut intermittitur, quin potius, secundum perennem Ecclesiae fidem, spiritualium bonorum communicatione roboratur etc. ... ». Subinde in linn. 28 ss.: « caelites... totam Ecclesiam in sanctitate firmius consolidant... bona quae illi in terris acquisiverunt... haec etiam in patriam recepti offerre non desinunt pro nobis apud Patrem intercedendo »

Sub n. autem 50, in pag. 184, linn. 7 ss., fere eadem declarantur in hunc modum: « Nec tamen solius exempli titulo caelitum memoriam colimus, sed magis adhuc ut totius Ecclesiae unio roboretur per fraternae caritatis exercitium... suppliciter eos invocemus et ob beneficia impetranda a Deo... ad eorum orationes, opem auxiliumque confugiamus ».

2. Similiter sub *n. 51,* in extrema parte pag. 185: ea plus minusve renovantur quae iam supra sub n. 48 initio pag. 182 didicimus.

Etenim primo loco, *nempe sub n. 48 initio pag. 182,*[5] scriptum invenimus: « Fortes in fide exspectamus beatam spem et adventum magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae et qui veniet glorificari *etc.*[6]... ».

Postea, nimirum *in fine pag. 185,* iterum celebrantur gloriosa mortuorum resurrectio, parousia et collustrans claritas Dei.

3. Praeterea *sub n. 50, linn. 17 ss.,* asseritur « Apostolos et martyres in Christo arctius nobis coniunctos esse Ecclesiam semper credidisse, eosque simul cum B. Virgine Maria peculiari affectu veneratam esse ».

Sed eam veritatem reperimus *in fine eiusdem n. 50,* in pag. 184, linn. 37 ss., ubi legimus: « nascentis Ecclesiae filii... Ecclesiae caelesti sese iungebant communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper Virginis Mariae, sed et beatorum apostolorum et martyrum et omnium sanctorum ».

III. Porro visio beatifica quam *sub n. 48, linn. 8 et 9,* nos consecuturos esse dicitur quando apparebimus cum Christo in gloria, scil. post finem mundi — quasi ea initium capiat a parousia! — rectius

paulo infra, *sub n. 49 in pag. 182, lin. 17,* affirmatur iustos clare intuituros esse « ipsum Deum, unum et trinum sicuti est », statim ac de vita terrestri decesserint.

IV. Demum sub eodem n. 49, in pag. 182, lin. 15 habetur significatio levissima, *levissima*[7] divini iudicii quod fit pro singulis hominibus, nulla interposita mora, post eorum mortem; ast ex hac nimia textus nostri brevitate duae exoriuntur dubitationes eaeque graves:

1. Cur dum recensentur in *linn. 13-17* omnes christifideles qui vita praesenti functi sunt, absoluto silentio praetereuntur qui in peccato mortali — proh dolor! — morientes, salutem aeternam non consequuntur?

2. Cur Purgatorii, cuius exsistentiam esse dogma fidei credimus, vix, *vix*[8] fit mentio?

In Ecclesia enim peregrinante iam dudum fiunt cotidie suffragia pro animabus in Purgatorio detentis!

Gravis haec praetermissio ingratam rerum discrepantiam atque confusionem parit.

Etenim in *pag. 183, initio n. 50,* ad demonstrandam Ecclesiae peregrinantis cum Ecclesia caelesti — *caelesti*[9] — conversationem affertur, tamquam firmum et efficax argumentum, « memoria defunctorum quam inde a primaevis christianae religionis temporibus magna cum pietate Ecclesia viatorum excoluit sacrificia et preces pro illis offerendo... ». *Num pro Sanctis qui sunt in caelo*[10]? Atqui Ecclesia peregrinans nunquam sacrificia et preces obtulit pro Ecclesia caelesti, sed semper, ubique et solum pro Ecclesia purgante.

Submissas animadversiones meas concludens, proponere audeo, *sincero quidem animo,*[11] ut schema cap. VII iterum retractetur.

In textu scripto tradito: [1] Deinde. [2] Sanctuarium Israelis. [3] deest. [4] E. g. [5] id. [6] in sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt ». [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest.

2

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. URBANI
Patriarcha Venetiarum

Venerabiles Patres,

Caput de indole eschatologica vocationis nostrae in Ecclesia et de nostra unione cum Ecclesia Caelesti placet et respondet, *mihi videtur,*[1] votis quae a prima die sessionis II expressa fuerunt ab em.mo card.

Frings, qui nomine etiam episcoporum linguae germanicae et scandinavae loquebatur, deinde vero a plurimis aliis Patribus...[2]

Redactores ...[3] tam opportune omnium votorum conciliarium rationem habuerunt et textum tam organice in totam constitutionem inseruerunt ut, *mihi videtur,*[4] nihil in hoc capite immutandum videatur, *nisi forsitan aliquas animadversiones quae nunc audivimus a card. Ruffini.*[5] Varii enim aspectus dogmatici, apologetici, pastorales ac oecumenici modo ita unitario et aequilibrato tractantur ut quaevis *substantialis*[6] mutatio perfectam harmoniam potius deleret vel ipsi saltem detrimentum afferret. Omnes autem qui hoc caput nostrae constitutionis perlegunt, nobis in hoc, ni fallimur, assentient, quod nempe constitutio *de Ecclesia* sine hoc capite integra non esset, sed, e contra, manca et mutila.

Peculiari vero ratione placet quod totum caput est eminenter christologicum et ecclesiologicum: omnia enim quae dicuntur logice profluunt ex fundamentali doctrina circa omnium baptizatorum unitatem et solidarietatem in Christo, qui eos vivificat et in Corpore suo quod est Ecclesia invicem coniungit, ut totum genus humanum Sanguine Suo redemptum tamquam novus Populus Dei Sanctissimam Trinitatem perfectius laudet et magnificet.

Ex hac conceptione in primis deducitur quod Sancti Caelites ideo sunt membra ceteris omnibus magis sancta, magis activa, magis apostolica quia Christo intimius uniuntur, immo in Ipso indefectibiliter radicantur. Praecise autem quia Christo tam intime uniuntur in Ipso pleniorem laudem Deo tribuunt et ergo ipsis uniamur oportet ut cultus noster liturgicus et privatus omni qua potest integritate sit plenus. Simul vero ex eodem principio fundamentali sequitur, quod Sancti Caelites sunt eximii benefactores nostri in Christo quibus amorem, reverentiam et gratitudinem debemus et quos tamquam amicos et intercessores nostros iugiter invocemus...[7]

Alterum punctum quod speciali commendatione dignum esse videtur respicit huius capitis valorem pastoralem. In praecedentibus partibus constitutionis sermo fit de omnium hominum vocatione ad sanctitatem. Iamvero, exempla sanctorum optime ad hanc sanctitatem nos conducunt et sursum corda nostra trahunt ad illam vitam futuram anhelandam in qua nos quoque cum Christo erimus in Ecclesia gloriae. Unusquisque enim sanctus fuit homo sicut nos, in nostris vixit, tentationes passus est, difficultates novit. Praecise in talibus circumstantiis gratiae Christi praevenienti et concomitanti totum se commisit et ideo sanctus factus est quia proprii status munera et officia fideliter, iugiter et constanter *modo heroico*[8] adimplevit per Christum et cum ipso et in ipso.

Sancti Caelites proinde non tantum nos docent quod in quolibet statu, ...[9] in quibusvis condicionibus vitae, ad perfectam unionem cum Christo pervenire possimus, sed simul etiam indicant viam qua nos quoque secundum propriam vivendi formam ad sanctitatem consummatam vocemur. Ergo etiam sub hoc aspectu pastorali caput de Ecclesia triumphante optime complet ea quae in capitibus antecedentibus huius constitutionis magis theoretice iam dicta sunt de omnium hominum vocatione ad sanctitatem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] necnon a nobis ipsis. [3] immo. [4] iam. [5] nihil ipsi addendum vel subtrahendum. [6] deest. [7] convenit. [8] deest. [9] ac.

3

EM.MUS P. D. RUFINUS CARD. SANTOS
Archiepiscopus Manilensis

Venerabiles Patres,

In voto earum observationum quae ab em.mo card. Ruffini factae sunt adiungo[1]: Caput *nostrum VII*[2] « De indole eschatologica vocationis nostrae ad sanctitatem et de nostris relationibus cum Ecclesia caelesti » magnopere placet et in sua actuali forma est retinendum. Omnia enim quae de hac re a Concilio dicenda sunt, modo ...[3] profundo et aequilibrato proponuntur.

Non solum sub aspectu dogmatico sed etiam sub aspectibus pastorali et oecumenico constitutio nostra exhinc notabiles progressus fecit; et revera ditata resultat: Non enim sufficit quod Ecclesiam terrestrem describamus, *verum*[4] etiam in specie agere debemus de Ecclesia sanctorum Caelitum, ad quam nos omnes in via sumus et quae est sensu utcumque magis pleno *Populus Dei, Regnum Dei,* et *Corpus Christi.*

Insuper ...[5] constitutio nostra ex additione huius capitis et ex loco quem actu occupat, maiore prorsus organicitate gaudet. Fuit enim magnum problema caput de B. Maria Virgine ita in hanc constitutionem aptare, ut illud non remaneret isolatum, et quasi ex abrupto, ab extrinseco superadditum.

Iamvero, tale problema censetur esse solutum ex eo, quod post descriptionem Ecclesiae peregrinantis et ante expositionem Mariologicam, nunc inveniatur caput de nostris cum Ecclesia caelesti relationibus.

Ita enim habemus quod ab una parte, amplius et profundius demonstrari possit, quibusnam arctissimis vinculis ad totam Ecclesiam trium-

phantem pertineamus, dum ab altera parte simul multo clarius patet singularis et omnino praeeminens positio B. Mariae Virginis, quae est Mater Domini Nostri Iesu Christi, et Mater totius Ecclesiae — peregrinantis, purgantis et triumphantis — Regina viatorum, Mediatrix omnium gratiarum, et Regina Sanctorum omnium. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] solido. [4] sed. [5] autem.

4

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaensis

Venerabiles Patres conciliares,

Cap. VII « De indole eschatologica vocationis nostrae ac de nostra unione cum Ecclesia caelesti » valde placet, cum totam constitutionem *de Ecclesia* modo profundo ac opportuno compleat.

Theologice loquendo, constitutio nostra sine hoc capite maneret revera manca et mutila. Adaequata enim Ecclesiae descriptio totum eius mysterium exhibere debet: quomodo ex parvo semine nascitur, sese in terris evolvit et expandit, et tandem crescit ad plenitudinem suam in caelis, ubi Christus est omnia in omnibus. Haec mirabunda Ecclesiae progressio ad gloriam caelestem in constitutione dogmatica *de Ecclesia* sine dubio erat exprimenda et in hoc capite nunc de facto invenit expressionem vere optimam.

Sed etiam sub variis aspectibus pastoralibus hoc caput omnino laudandum est et certo utile erit christianis novellis. Populi enim nostri praeclarum sensum realitatum spiritualium habent ac iam ab immemorabilibus temporibus defunctorum memoriam colunt.

Persuasum est ipsis, quod spiritus hominis post mortem corporalem vivus manet et contactum cum nostro mundo non amittit. Valde proinde convenit, ut doctrinam fidei nostrae hac de re explicemus et ipsis ostendamus quod animae defunctorum — et in primis Sanctorum Caelitum — propinquae nobis sunt in Christo, quod nos adiuvant orationibus ac intercessionibus suis, et quod nos ipsi, absque quovis sensu timoris, illos invocare possumus tamquam fratres nostros maiores in Domino.

Ob aliam quoque rationem hoc cap. VII indigentiis pastoralibus Ecclesiae bene satisfaciet. Novelli enim christiani — praesertim si adhuc pauci sunt numero et ubique dispersi — magnam consolationem et

fortitudinis argumentum ex eo capient, quod sese sciant unitos toti militiae Ecclesiae caelestis. Exhinc addiscent sensum communitarium et intelligent ecclesiam suam localem esse partem viventem non tantum magnae Ecclesiae quae in toto orbe terrarum diffusa est, sed imprimis etiam illius Ecclesiae gloriae, ad quam nos omnes in Christo tendimus.

Tandem cap. VII opportune exprimit quod omnes homines — cuiusvis sint stirpis ac nationis, ac in quibusvis vixerint conditionibus — ad sanctitatis plenitudinem pervenire possunt ac quod de facto multi ad ipsam pervenerunt. Ex corde optamus quod mox multi filii filiaeque ecclesiarum novellarum ad honorem altarium elevabuntur ac sic nobis praebebuntur exempla concreta, quomodo in ordinariis vitae nostrae adiunctis modo authentice christiano vivendum sit. In hoc contextu animadvertere liceat magnam hodie esse necessitatem studiorum scientificorum de moribus, de consuetudinibus et ritibus populorum Missionum, ut sic clarius pateat, quaenam ex illis pro re christiana et humana verum valorem habeant, et quaenam potius abolenda, si adsint, vel reformanda sint.

Cap. VII ergo placet et in omnibus substantialibus est retinendum, cum omnia optime ex principiis christologicis et ecclesiologicis explicentur et doctrina proposita necessaria sit ad finem theologicum et pastoralem huius constitutionis obtinendum. Certi etiam sumus hoc caput sano oecumenismo plane favere. Dixi.

5

BEAT.MUS P. D. ALBERTUS GORI

Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum

Venerabiles Fratres,

Opportune omnino extollitur indoles eschatologica vocationis humanae initio cap. VII schematis *de Ecclesia.* Sed expositio art. 48 manca et deficiens *mihi videtur.*[1] Dum enim ibi optime fit mentio Iudicii, quod omnem hominem exspectat, et Beatitudinis aperitur perspectiva, mirabiliter tacet textus de altera alternativa, nempe de *infelicitate aeterna quam*[2] revelatio et tota traditio proponit omni peccatori impaenitenti.

Omissio mentionis expressae infelicitatis aeternae, inadmissibilis mihi videtur ex parte Concilii Oecumenici cuius est integram doctrinam proponere, in re tanti momenti, omnibus hominibus, et praesertim catholicis.

Aeque ac exsistentia iudicii et beatitudinis, expresse etiam affirmanda est *certitudo infelicitatis aeternae,* pro illis qui amicitiam divinam despexerunt. Tres rationes mihi videntur hoc postulare:

Prima est quod exsistentia inferni est inconcussa veritas revelationis christianae. Ipse Salvator, qui certe prae omnibus sciebat meliorem methodum doctrinae suae proponendae, et qui simul ipsa bonitas infinita erat, tamen multoties, clare et emphatice, exsistentiam et aeternitatem inferni proclamavit.

In expositione liminaria istius capitis eschatologici, pariter cum existentia iudicii et beatitudinis aeternae, expresse revocanda est etiam veritas illa revelata correlativa, existentia nempe status infelicitatis aeternae...[3]

Secunda ratio mentionis expressae *huius veritatis*[4] est maximum momentum istius horrendae possibilitatis pro unoquoque homine. Homines enim, qui tam fortiter a concupiscentiis alliciuntur ad amicitiam divinam spernendam, certo indigent a peccato deterreri per timorem istius infelicitatis aeternae quae omnem peccatorem impaenitentem minatur.

Ut tota traditio christiana, ab ipso Christo et apostolis edocta, semper fecit, Concilium nostrum pariter, in expositione ista eschatologica, expresse revocare debet unicuique homini possibilitatem lugendam *huius veritatis.*[5]

Tertia ratio istius expressae mentionis est necessitas specialis tempori nostro, quae curae nostrae pastorali se imponere debet.

Tempore enim nostro praevalens ubique sollicitudo melioris vitae materialis et invadens ubique hedonismus graviter minuunt, oculis multorum hominum, pretium amicitiae divinae et sensum peccati destruunt. Unde venit quod existentia inferni, seu infelicitatis aeternae, aliena fit a mentibus, communiter expellitur ut inopportuna consideratio, imo magis ac magis impugnatur ut contraria mentalitati hodiernae.

Ut multi aegre animadvertunt, praedicatores hodierni non pauci hanc terribilem veritatem non amplius audent revocare et de ea tacent. Sed ex tali praedicatorum timiditate, timendum est ne praevaleat inter fideles convictio practica quod *haec poena*[6] est iam doctrina obsoleta, de cuius realitate iure dubitari potest.

Sicque favetur corruptioni mentium et morum.

Enixe ergo, Fratres venerabiles, postulo ut in textu proposito art. 48, breviter, biblice etiam, *sed expresse,* affirmetur, simul cum iudicio, alternativa omni homini proposita, felicitatis scil. sed etiam et infelicitatis aeternae.

Sed quidquid sit de meliori modo hanc veritatem proponendi (secundum sanam theologiam simul ac mentalitatem hodiernam), aestimo

officium grave esse Concilii Vaticani II hanc veritatem omnibus *expresse* revocare, in expositione nostra eschatologica. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] est. [2] inferno quem. [3] quem infernum vocamus. [4] inferni. [5] inferni. [6] infernum.

6

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine undecim episcoporum conferentiae episcopalis regionalis Apulae in Italia, quorum nomina *secretariae generali tradita sunt.*[1]

Schema huius cap. VII in genere placet, sive ob doctrinam, sive ob pastorales dispositiones. Videtur tamen maiori organicitate egere. Quae quidem in eo dicuntur non semper perfecto ordine proponuntur neque semper servatis inter partes proportionibus. Non adest, v. g., proportio inter primam partem capitis, quae in n. 48 coarctatur, et secundam partem, quae per duos sequentes longiores numeros diffunditur, quin dicam quod expositio primae partis clarior et ordinatior desideraretur cum accommodatiori textuum biblicorum citatione, uti v. g. textus ad Colossenses, 3, 4, in n. 48.

Ipse titulus capitis fortasse concisior fieri deberet. Quod si hoc possibile non erit, ita saltem titulus immutandus esset: « De indole eschatologica vocationis ad sanctitatem etc. ... », ut magis appareret nexus cum cap. III, de quo infra dicemus et cum quo in suo initio caput hoc unitum apparet, cum dicatur « Non *tamen* in terris etc. ... ».

Nec videtur hoc caput hic aptiorem locum habere in contextu totius schematis constitutionis *de Ecclesia.* Ad maiorem organicitatem, nostro humili iudicio, totius constitutionis obtinendam, proponitur igitur ut cap. VII quarto loco ponatur ita ut ordo capitum in tota constitutione sequens fiat:

I) De Ecclesiae mysterio; II) De populo Dei; III) De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia; IV) De indole eschatologica vocationis ad sanctitatem ac de nostra unione cum Ecclesia caelesti; V) De constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de episcopatu; VI) De Religiosis; VII) De laicis; VIII) De B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae.

Notamus denique. In relatione de n. 48 litt. B, legitur: « In toto capite passim in memoriam revocatur doctrina *De Novissimis* seu *De Christo Consummatore*; cuius doctrinae praedicatio, propter rationes dogmaticas et pastorales, in mundo hodierno omnino urget ». Hoc idem dictum est nuper ab em.mo relatore: « In textu redigendo — ipse dixit — specialis cura adhibita fuit, ut principaliores veritates *De Novissimis*, modo synthetico enuntiarentur vel saltem adumbrarentur ».

Optime quidem, et nos perfecte convenimus. Sed, sane propter rationes adductas *in prima relatione*,[2] saltem verbum aliquod inserendum est de inferno, *ut iam ab aliis dictum est ante me*,[3] quod est sanctio peccati, in quo *peccato*[4] habetur vocationis ad sanctitatem proditio; et aliquid explicitius dicatur de purgatorio. Ceterum, dici non posset totam doctrinam de novissimis hic passim revocari, si de inferno nihil omnino innueretur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in fine recensentur. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

Nomina episcoporum sunt: 1. Infrascriptus archiepiscopus; 2. Caietanus Pollio, arch. Hidruntinus; 3. Fr. Reginaldus Ioseph M. Addazi, O.P., arch. Tranensis, Barolensis et Nazarenus, adm. perp. Vigiliensis; 4. Achilles Salvucci, ep. Melphictensis, Iuvenacensis et Terlitiensis; 5. Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus-S. Mariae Leucadensis; 6. Aurelius Marena, ep. Rubensis et Bituntinus; 7. Albericus Semeraro, ep. Uritanus; 8. Paschalis Quaremba, ep. Gallipolitanus; 9. Nicolaus Riezzo, ep. Castellanetensis; 10. Ioseph Vairo, ep. Gravinensis et Montis Pelusii; 11. Antonius D'Erchia, ep. tit. Podaliensis, prael. null. Altamurensis et Aquavivensis, adm. ap. Conversanensis.

Secretarius generalis: Rogantur vehementer Patres, qui sunt extra sedes, ut suas sedes quam primum occupent.

7

Exc.mus P. D. IUSTINUS DARMAJUWANA
Archiepiscopus Semarangensis

Venerabiles Patres,

Ante omnia volo dicere, nos optare, ut constitutio *de Ecclesia*, immenso commissionis theologicae labore emendata, sine multa mora definitive approbari et promulgari possit. Quapropter, si ad capita adhuc discutienda observationes nonnullas facimus, nolumus tamen tales proponere emendationes, quae non sine multo ac diuturno labore possent introduci. Omnino tamen tacere nolumus de emendationibus, quae aut necessariae, aut saltem utiles nobis videntur.

In genere ad cap. VII dicere volumus, quod in eo plura habentur quae bene dicuntur. Tamen aliquo dubio tenemur, num forte totum hoc caput potius sit omittendum. Primo enim dicendum est, in hoc capite nihil fere haberi quod non sit omnibus notissimum, ita ut utilitas ac necessitas huius capitis dubia appareat. Secundo autem videtur hoc caput non omnino bene cohaerere cum iis quae in reliquis capitibus *de Ecclesia* docentur.

Ad quod adstruendum, incipiamus a titulo. De titulo ipsa commissio, teste relatione, quadam incertitudine laborat. Nos etiam prima facie titulum mirati sumus, quippe qui longior sit, et qui directe non loquatur de Ecclesia, qualis antea descripta est. Non enim sermo fit de indole eschatologica vocationis *Ecclesiae,* sed vocationis *nostrae,* scil. singulorum fidelium potius quam totius populi Dei. Mox autem perspeximus, titulum hunc satis accurate respondere contento. Re enim vera in n. 48 vix agitur de indole eschatologica totius existentiae christianae et ipsius Ecclesiae, scil. de vita eius quae decurrit a consummatione Christi per mortem et glorificationem, ad secundum eius adventum et consummationem Ecclesiae, scil. de illa populi Dei peregrinatione qua in hac vetere terra novam vitam aeternam prosequitur et praelibatur. Sed agitur tantum de individuali sanctitate singulorum christianorum, quae adhuc perficienda est et ante tribunal Christi probanda. Textus itaque huius numeri continuat doctrinam cap. V de singulorum ad sanctitatem vocatione. Sed non respondet desiderio illorum Patrum, qui postularunt ut in clariorem lucem poneretur indoles eschatologica ipsius Ecclesiae. Non enim de Ecclesia agit, sed de singulis fidelibus. Quapropter forte textus noster, qui in se bonus ac pulcher est, melius insereretur in cap. V. De indole eschatologica Ecclesiae qua talis in textu emendato sermo fit in quibusdam locis capp. I et II; sed n. 48 ad illam nonnisi indirecte spectat.

Quod autem pertinet ad ceteros huius capitis numeros, licet quaedam in iis emendanda videntur, in illis modo satis pulchro describitur communio inter caelites et nos in terra peregrinantes. Sed non continent nisi quae omnibus notissima sunt. Et modo laxo cum reliquis constitutionis partibus cohaerent, praecise quia indoles eschatologica Ecclesiae qua talis in lucem non ponitur.

His perpensis dubii haerimus, utrum caput hoc retinendum sit, an potius omittendum.

Emendationes singulas ad textum, quae nobis necessariae aut utiles videntur, scripto trademus. Unam tantum, propter eximium rei momentum nunc exponere volumus.

N. 50, pag. 183, reg. 39, infima pagina, legimus: « In vita eorum

qui, *humanitatis nostrae consortes,* ad imaginem *tamen* Christi perfectius transformantur, etc. ».

Haec autem formula nobis videtur valde infelix. Insinuatur enim quaedam oppositio inter sanctos, qui humanitatis nostrae perfecte consortes sunt, et Christum, qui huius humanitatis minus consors esset. Omnes novimus, devotionem erga sanctos quandoque tali argumento fulciri: Christus quidem est exemplar vitae christianae, sed quia Deus longe a nobis distat; sancti autem, quia puri homines sunt, nobis sunt propinquiores. Talis autem consideratio periculis plena est, quia ad aliquem monophysismum vix dissimulatum appropinquat, et quia doctrinam de Christo mediatore nostro propinquo obscurat. Etenim secundum doctrinam Scripturae a Concilio Chalcedonensi expositam, Filius Deus revera et plene factus est homo ex familia nostra adamitica, proximus frater noster, in omnibus, solo peccato excepto, assimilatus nobis...[1]

Iamvero verba illa textus nostri, quo dicuntur sancti *humanitatis nostrae* consortes, dum *tamen* imaginem Christi exhibent, possent tali falsae conceptioni favere.

Quapropter sententia omnino est corrigenda, ita ut tollantur vocabula *humanitatis nostrae consortes* et *tamen.* Posset aptius scribi: In vita *enim* eorum, qui ad imaginem Christi perfectius transformantur, *ipsa Iesu Christi virtus varia ratione resplendet, ...*[2] *signum nobis praebetur Regni Dei, et* Deus praesentiam etc.

Ceteras emendationes, ne vestra patientia abutar, in scriptis tradimus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. *Hebr.* 2, 10-18; 4, 15). [2] (Enc. *Mediator Dei*).

Animadversiones additae:

N. 49, pag. 182, linn. 16-17, scribatur: « alii vero glorificantur, *iam cum Christo in gaudium Patris recepti, claritatem videntes Filii, quam dedit ei Pater qui ante constitutionem mundi dilexit eum* (cf. *Io.* 14, 2-3; 17, 24) ».

Ratio est quod textus emendatus 1. adhibens solam vocem *intuentes,* beatitudinem modo nimis intellectualistico describit; 2. obiectum visionis beatae, scil. *Deum unum et trinum,* describitur modo nimis scholari.

N. 49, pag. 182, lin. 22, loco *in unam Ecclesiam coalescunt* scribatur *unum eius Corpus constituunt,* vel sicut in textu priore: *unam Ecclesiam et unum eius Corpus constituunt.* Ratio est, quod mire sonat fideles peregrinantes, purgantes et triumphantes coalescere in unam Ecclesiam. Vox enim Ecclesia, sicut in tota nostra constitutione adhibetur, potius significat populum peregrinantem.

N. 49, pag. 182, linn. 32-40. Verba illa qua dicitur quod sancti *bona quae in terris acquisiverunt offerre non desinunt* non placent. Evocant enim imaginem, quasi sancti in caelo Deo offerunt merita sua; quae imago certo inusitata et satis

inepta est. Si sancti quid offerunt, seipsos offerunt, non autem merita sua quasi bona quaedam a semetipsis distincta. Scribatur ergo potius cum textu priore: *Quemadmodum enim Christus Iesus qui mortuus est et resurrexit, ad dexteram Dei sedens semper interpellat pro nobis* (*Rom.* 8, 34), *ita et Caelites, cum Christo regnantes, non cessant pro fratribus in carne adhuc peregrinantibus* per ipsum et cum ipso et in ipso apud Patrem intercedere.

N. 50, pag. 183, lin. 22. Verba *et sanctis angelis* omittantur. Ratio est quod in hoc contextu, qui evolutionem historicam cultus sanctorum delineat, cultus angelorum non videtur tempori antiquissimo ascribendus.

N. 50, pag. 183, linn. 32-34. Verba *nova ratione* et *tutissimam* melius omittuntur, et sine ullo damno omitti possunt. Etenim:

1. Non clarum est, quae sit altera ratio, ad quam accedit nova ratio. Si autem altera ratio est vita et doctrina Christi, exemplum sanctorum minus recte dicitur nova ratio: exemplum enim sanctorum non est nisi explicitatio quaedam exempli Christi, sed nihil vere novum ei addit.

2. Similiter via tutissima nobis Christus est, nec nisi modo loquendi improprio potest dici quod via tutior redditur per sanctos.

N. 50, pag. 184, lin. 12. Verba *multo magis* aptius omittuntur. Comparationem enim urgent quae urgeri non potest. Etenim « inter viatores communio » nos ad Christum adducit, inquantum mutuo caritatis servitio in fratribus Christo servimus. Non autem eadem ratione consortium cum sanctis unionem nostram cum Christo roborat. Etenim non solemus « diligere » sanctos caelites, nisi B. M. V. vel unum alterumve sanctum erga quem speciali modo affecti sumus.

Quapropter melius esset, si in textu nostro omitterentur verba *diligamus* (lin. 18), *amoris* (lin. 24), et scribatur potius *colamus, devotionis* vel simile quid.

N. 49, pag. 182, linn. 22-24. Textus minus placet, et malumus ponere cum Patre citato in Relatione (pag. 187 C): Ideoque unio *fratrum* qui in pace Christi dormierunt cum *viatoribus* minime extenuatur etc. Ratio est:

1. Quod in contextu agitur potius de relatione a parte caelitum quam a parte peregrinantium.

2. Quod a parte nostra unio quidem quodammodo extenuatur, saltem psychologice.

Nomine 23 episcoporum Indonesiae.

8

EXC.MUS P. D. IGNATIUS ZIADÉ

Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Venerabiles Patres, carissimi Observatores ac Auditores,

Scopus notationis meae simplex est: quomodo possibile est loqui de indole eschatologica vocationis nostrae sine ulla mentione missionis Spiritus Sancti? Hoc cap. VII simile est, pro nobis orientalibus, sacrae Liturgiae sine epiclesi, vel anaphorae ubi sermo fieret praesertim de Filio, paululum de Patre ac nullo modo de actione Spiritus Sancti.

Nostra traditio orientalis sese agnoscere nequit in tali professione fidei tam deficiente.

Optamus ergo sive textum clariorem de munere eschatologico Spiritus Sancti in vocatione nostra, sive inspirationem generalem totius capitis magis pneumatologicam; *ob duas rationes* [1]:

a) *Ob rationem pastoralem,* ut omnes christifideles, quorum imprimis pastores, magis ac magis vivant mysterium Ecclesiae sub influxu Spiritus Sancti. Non est « aggiornamento » Ecclesiae nisi eschatologicum, i. e. pneumaticum.

b) *Ob rationem oecumenicam,* quia maxima difficultas theologica in pleniore communione fidei cum Ecclesiis orthodoxis ac reformatis ex hoc venit: ecclesiologia latina evoluta est in sua dimensione christica tantum, sed adhuc adolescens est in sua dimensione pneumatica.

Porro quaenam sunt novissima tempora in quibus vivimus nisi tempora in quibus Christus resuscitatus praesens est in mundo per Spiritum suum? Illa tempora incipiunt in Resurrectione Christi quando novus Adam fit « spiritus vivificans » ...[2]. Illa tempora sunt ultima, ontologice, quia omnia data sunt a Patre ac nihil substantiale expectandum est. Quamvis radicaliter, attamen realiter, Regnum Dei adest inter nos; ideo tempora sunt novissima quia iam advenit vera novitas, i. e. Spiritus Sanctus.

A. v., novissima tempora continent *iam ac nondum* Regnum Dei. Iam continent, quia iam filii Dei nominamur et sumus ...[3]; nondum vero quia gloria filiorum Dei nondum manifestata est...[4]. Porro illud est mysterium Spiritus Sancti. Ille est personaliter primitiae hereditatis nostrae ...[5] ac simul ille est qui ingemiscit in nobis et in creatione tota ut adimpleatur Adventus Domini ...[6] Spiritus Sanctus est Regnum Dei iam nobis datum ac simul expectatio Parousiae Domini. « Spiritus et Sponsa clamant: " Veni! " »[7]. Sic Ecclesia peregrinans est eschatologica quia Spiritus Sanctus vivificat eam. Vocatio nostra est eschatologica quia a Spiritu Sancto agimur et vivimus. Consequenter:

1. Tota *vita christiana* est illa novitas Spiritus Sancti ...[8]. Cum Spiritu Sancto messis iam incepta est; sine Spiritu Sancto in vetere testamento adhuc essemus. Illo absente, vita christiana non est nisi moralis; illo praesente, vita fit spiritualis, i. e. deificata seu theologalis.

2. Stupendum est quod in par. 48 agi potest de indole eschatologica vocationis nostrae sine ulla mentione *de caritate erga proximum.* Sed talis omissio sequitur omissionem Spiritus Sancti. Mandatum enim novum est novitas novitatum, radicaliter impossibilis sine energia Spiritus Sancti. Caritas nucleus est conditionis nostrae eschatologicae. Caritas numquam extitit. Dominus noster non dedit mandatum suum nisi

cum donatione Spiritus Sancti in quo adimpletur prophetia Ezechielis de corde novo ...[9]. Argumentum unicum ultimi iudicii in caritate pendet. Novitas eschatologica caritatis in hoc manet: omnis homo epiphania Christi est.

3. *Vita evangelica* secundum beatitudines, qua anticipatur vita aeterna opus est Spiritus Sancti. Obedientia, paupertas, castitas, caritatem exprimant ac novitatem Christi revelant. Missio Spiritus Sancti Christum est revelare.

4. Sublineare magis ac magis deberemus quod indoles eschatologica vocationis nostrae includit *vocationem missionis*. Proprium novissimorum temporum in hoc consistit: testimonium perhibere de Christo vivente. Mysterium missionis spirituale est, quia Spiritus Sanctus ipse est qui testificat. Novissima tempora tempora sunt Spiritus Sancti ac missionis.

5. Tandem *Sacra Liturgia* in illis temporibus sacramentalis est. Optamus quod notandum sit pag. 184 linn. 30 ss., quod liturgia sacramentalis energia est Spiritus Sancti per charismata sacerdotalia. Nexus nostrae liturgiae cum liturgia caelesti non est tantum moralis sed potius ontologicus.

Est actio Christi glorificati quam Spiritus Sancti repraesentat. Traditiones orientales sacram Liturgiam vivunt sub signo epiclesis, i. e. in fide quod Spiritus Sanctus in Oeconomia salutis Verbum incarnatum revelat ac repraesentat. Ideo sacramenta continent bona messianica in novissimis nostris temporibus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*1 Cor.* 15, 44 ss.). [3] (*1 Io.* 3, 1). [4] (*Rom.* 8, 19 ss.). [5] (*Eph.* 1, 14). [6] (*Rom.* 8, 18-25). [7] (*Ap.* 22, 17). [8] (*Act.* 2, 17). [9] (*Ez.* 36, 20 ss.).

9

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK

Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Venerabiles Patres,

Cap. VII schematis constitutionis de Ecclesia sub titulo: De indole eschatologica vocationis nostrae ac de nostra unione cum Ecclesia caelesti, nobis placet secundum modum. Caput nobis placet in primis propter hoc quia[1]:

1. Clare et modo scripturistico et methodo pastorali describit

indolem eschatologicam nostrae vitae, quae his in terris incipit et in caelis perficitur;

2. quia ibi omnino clare affirmatur Ecclesiam terrestrem et Ecclesiam caelestem esse *unum* populum Dei et unum Corpus mysticum Christi;

3. quia in capite hoc modo psychologico indicantur vera motiva propter quae unio nostra cum Ecclesia caelesti fovenda est, nempe: exemplum clarissimum sanctorum pro vita nostra christiana, arctior coniunctio nostra per ipsos cum Christo et clarior plenitudo cultus Christocentrici Ecclesiae per nostram coniunctionem cum illis.

Attamen,[2] in specie: in capite hoc dantur tamen *quaedam omissiones,* propter quas caput hoc *nobis*[3] minus placet et, humili *nostra*[4] sententia, necessarie emendari deberet.

Et quidem in n. 48, pagg. 181-182, ubi in memoriam revocatur doctrina de Novissimis seu de Christo Consummatore, in linn. 9-21 describitur *vigilantia* christifidelium his in terris sub *exspectatione eschatologica,* quae in *parousia* Christi ac resurrectione mortuorum culminatur.

Vigilantia haec tamen describitur hic sub *una tantum sua forma,* nempe forma *ascetica et individuali,* per referentiam ad Epistolas S. Pauli, ubi *proponitur exercitium virtutum quod debemus, e. g., nos in aerumnis, in tribulationibus magis vivere Christo, et sic porro.*[5] Sed ibi nihil *practice*[6] dicitur de alia forma vigilantiae christianae, nempe *forma Eucharistica et communitaria,* quae est maximi momenti pro vita ecclesiali communitatis christianae, quia in ea *anticipatur,* per *praesentiam sacramentalem Christi* inter suos fideles, praesertim *tempore sanctae communionis,* ultimus adventus Christi in sua *parousia.*

Duplex haec forma vigilantiae christianae probatur ex duplici eschatologia, *individuali* nempe, quae culminatur in morte et iudicio particulari uniuscuiusque personae humanae ...[7], et *universali,* quae identificatur cum fine mundi, resurrectione mortuorum, secundo adventu Christi et iudicio ultimo ...[8].

Ex traditione tamen scimus *eschatologiae individuali* correspondere *vigilantiam individualem,* quae fundata in ieiunio Christi in deserto et victoria eius super diabolum (*secundum varios textus Scripturae Sacrae*[9]), consistit imprimis in *exercitio ascetico* omnium virtutum christianarum et propterea *ascetica* vocari potest.

Non minus tamen clare apparet ex traditione christiana, praesertim ex Liturgia Eucharistica orientis christiani, *eschatologiae universali* correspondere *vigilantiam communitariam, eucharisticam,* quae fundata in verbis Christi ad Pharisaeos « Numquid possunt filii nuptiarum

cum [10] sponsus cum illis est, ieiunare? » ...[11], consistit: 1. in ieiunio eucharistico quod est essentialiter praeparatio ad unionem sacramentalem cum Christo; 2. in participatione actuosa oblationis sacri mysterii Missae, ubi (Christus) Dominus *sacramentaliter praesens* fit inter suos fideles, sicut in Parousia gloriose apparebit ante omnes gentes; et 3. in sacra communione, ubi consummatur unio sacramentalis animae cum Sponso caelesti...

Indoles vigilantiae eschatologicae communitariae in ieiunio eucharistico apparet omnino clare in *practica liturgica ritus byzantini,* ubi dies principales liturgiae Eucharisticae et communionis in anno liturgico, seu omnia sabbata et dies Dominicae, sunt dies laetitiae spiritualis et exempti sunt a ieiunio, etiam tempore ieiunii sexagesimae, quia his diebus praesentiae sacramentalis Domini inter suos *fideles,*[12] filii nuptiarum, seu fideles, uniti cum Sponso per praesentiam sacramentalem, non possunt ieiunare, quamdiu Sponsus cum illis est. Et hoc valet non tantum pro illis fidelibus, qui his diebus receperunt sanctam communionem, sed etiam pro illis qui eam non receperunt, quia ibi agitur de praeparatione ad unionem sacramentalem cum Christo communitatis christianae prout est Ecclesia, et non *tantum* [13] multitudo variarum personarum independentium.

Idem character vigilantiae eschatologicae communitariae omnino clare apparet in participatione actuosa populi christiani in *oblatione sacri sacrificii Missae in sacra Liturgia S. Ioannis Chrysostomi et S. Basilii Magni,* ubi, ad ingressum specierum ad altare, fideles congregati hoc modo exprimunt, per sic dictum « Hymnum Cherubicum », suam partem in hac oblatione: « Qui Cherubim mystice figuramus et vivificanti Trinitati ter sanctum hymnum canimus, omnem curam mundanam deponamus, tanquam suscepturi Regem omnium rerum, qui a choris angelorum invisibiliter comitatur, Alleluia ». Ibi, fideles congregati in Ecclesiam, ad instar Cherubim *sese praeparant obviam ire* Domino, qui, in anticipatione ultimi adventus in virtute et maiestati in parousia, nunc sacramentaliter *iam* [14] inter illos venturus est.

Haec pulcherrima idea adhuc clarius exprimitur in Liturgia S. Basilii Sabbati magni, ubi, loco « Hymni Cherubici » fideles cantant istum alium hymnum: « Obmutescat omnis caro mortalis, et stet cum timore et tremore et nihil terrenum in se ipsa cogitet. Rex enim regum, Christus Dominus noster, procedit, ut immoletur et detur in cibum fidelibus. Praecedunt autem chori angelorum cum omni dominatione, Cherubim cum multis oculis et Seraphim cum sex alis, faciem velantes suam et exclamantes illum hymnum: Alleluia ». Ibi denuo, fideles exhortantur, ut nihil terrenum in se ipsis cogitent, sed in timore et

tremore, sese praeparent obviam ire Regi regum, Christo Domino, qui procedit cum angelis, ut immoletur et in cibum illis detur.

Unio sacramentalis animae cum Sponso caelesti in sancta communione praebet eamdem indolem vigilantiae eschatologicae communitariae, ut patet clare in Liturgia S. Ioannis Chrysostomi et S. Basilii Magni, ubi omnes, in omni Missa, invitantur ad sanctam communionem, etsi nemo actualiter sit paratus ad illam recipiendam. Haec invitatio (Cum fide et timore, accedite) explicatur praecise eo tantum quod ipsa praesentia sacramentalis Christi in Sancta Missa est per se invitatio omnium christianorum (iustorum) ac in die iudicii, ad unionem cum illo...

Eadem veritas affirmatur, variis modis, etiam in aliis Liturgiis Eucharisticis orientalibus.

a) In Missa ritus malabari, *e. g.*,[15] sacerdos invitat fideles ad communionem his verbis: « Fratres mei, *Ecclesia vocat vos* accipere Corpus Christi... ».

b) In Missa armena, sacerdos, benedicens fideles consecratis speciebus ante communionem, sic orat: « Cum sanctitate accipiamus sanctissimum et pretiosissimum Corpus et Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, qui descendit de caelo ut nobis detur... ».

c) In Missa chaldaea, omnes fideles cantant hunc hymnum ...[16]: « Domine, dimitte peccata et transgressiones servorum tuorum; purificemus conscientiam nostram ab omni corruptione; accipiamus sanctam communionem et sanctificemus nosmetipsos in Spiritu Sancto... ».

Ex omnibus his textibus clare apparet, Liturgiam Eucharisticam esse perfectissimam formam vigilantiae eschatologicae communitariae, ubi modo sacramentali anticipatur secundus adventus Domini, in « nubibus caeli, cum virtute multa ...[17].

Moderator: Tempus transactum est, exc.me Domine.

In textu scripto tradito: [1] I. In genere: Caput hoc mihi placet quia. [2] II. [3] mihi. [4] mea. [5] Apostolus: loquitur de desiderio esse cum Christo (*2 Cor.* 5, 6); urget nos ut in aerumnis et tribulationibus magis vivamus ei qui pro nobis mortuus est et resurrexit (*2 Cor.* 5, 15) et hortatur ut induamus armamentum Dei, ut possimus stare adversus insidias diaboli et resistere in die malo (cf. *Eph.* 6, 11-13). [6] deest. [7] (*Si.* 7, 40). [8] (*2 Pt.* 3, 7; 3, 10-13; *Mt.* 24, 29,31; *Io.* 5, 28-29; 6, 39; *1 Thess.* 4, 15-18; *Mt.* 16, 27; *Mt.* 25, 31-46) ubi, ante Christum, in maiestate sua, circumdatum omnibus angelis suis, congregabuntur omnes gentes... [9] (*Mt.* 4, 1-11; *Mc.* 1, 12-13; *Lc.* 4, 1-13). [10] quamdiu. [11] Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: et tunc ieiunabunt in illis diebus » (*Mc.* 2, 19-20; *Lc.* 5, 33-35; *Mt.* 9, 14-16). [12] discipulos. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] (ante sanctam communionem). [17] et maiestate ». III. Votum: Quae cum ita sint, utilissimum, et

quidem necessarium est, mea humili sententia, pro hodiernis condicionibus vitae humanae, praesertim in connexione cum restauratione liturgica feliciter inaugurata hac Sacrosancta Synodo, introducere in hunc n. 48, forsitan lin. 22 pag. 181, post citationem *Mt.* 25, 31-46, claram et explicitam mentionem *vigilantiae eucharisticae communitariae,* e. g. his verbis: « Quod imprimis fit liturgica celebratione Ss.mae Eucharistiae, quae celebratio non est nisi sacramentalis participatio Parousiae Domini, venientis, per praesentiam suam eucharisticam, cum angelis et omnibus sanctis suis, ad fideles suos in Ecclesiam constitutos, et intrantis ad nuptias cum illis in sacra comunione... ». Talis conceptus *vigilantiae eschatologicae communitariae* potest multum conferre ad unionem fratrum nostrorum separatorum cum Ecclesia catholica...

Secretarius generalis:

Venerabiles Patres, commendo imprimis vestris precibus exc.mum Patrem Petrum Dib, ep. Cahirensem, qui Romam cum advenisset Concilii celebrandi causa, gravissimo ac prope letali morbo correptus est.

Quoad schema *de episcopis et regimine dioeceseon,* Patres qui volunt verba facere circa eam partem schematis quae adhuc discutienda est, scil. de cura animarum, summam sui sermonis tradant secretariae generali hodie et crastina.

Advertatis etiam, Patres venerabiles, terminum nostrarum congregationum generalium esse communiter hora 12.30.

Et nunc, ad quaesitum. Velitis prae manibus habere libellum seu fasciculum distributum.

QUAESITUM CIRCA MODUM SUFFRAGANDI SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

Hic fasciculus distributus est Patribus in octogesima congregatione generali, die 15 septembris 1964.

QUAERITUR [3]

AN PLACEAT VENERABILIBUS PATRIBUS, UT CIRCA SCHEMA CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA SUFFRAGATIO FIAT IUXTA RATIONEM QUAE SUBINDE PROPONITUR:

I. Caput primum: 1 suffragatio pro integro capite.

II. Caput secundum:

1ª suffragatio pro nn. 9-12;
2ª pro n. 13;
3ª pro nn. 14-16;
4ª pro n. 17; deinde suffragatio de integro capite.

[3] III. Caput tertium: 39 suffragationes iuxta divisiones definitas in adnexo exemplari; deinde suffragatio de integro capite.

IV. Caput quartum: 1 suffragatio pro integro capite.

V. Caput quintum: 1 suffragatio pro integro textu de vocatione ad sanctitatem.

VI. Caput sextum (vel quintum B): prima suffragatio « utrum instituendum sit caput speciale de Religiosis, an simpliciter sectio altera unius capitis de vocatione ad sanctitatem »; altera suffragatio erit pro integro textu de Religiosis.

VII. De duobus ultimis capitibus Schematis, discussione peracta, ab Em.mis Moderatoribus statuetur quomodo erit suffragandum.

N. B. Suffragationes fient per *placet, non placet, placet iuxta modum* cum caput integrum suffragandum erit. Pro suffragandis numeris vel partibus capitum suffragatio fiet tantum per *placet* vel *non placet.*

[5]

Caput III

DE CONSTITUTIONE HIERARCHICA ECCLESIAE ET IN SPECIE DE EPISCOPATU

TEXTUS EMENDATUS

Suffragatio 1a

18. (olim n. 11). [*Prooemium*]. Christus Dominus, ad Populum Dei *pascendum semperque augendum, in Ecclesia sua* varia *ministeria* instituit, quae ad bonum totius Corporis tendunt. *Ministri enim, qui sacra* potestate *pollent,* fratribus suis inserviunt, ut omnes qui de Populo Dei sunt, ideoque *vera* dignitate christiana gaudent, ad eumdem finem libere et ordinatim conspirantes, ad salutem perveniant.

Haec Sacrosancta Synodus, Concilii Vaticani primi vestigia premens, sollemniter cum eo docet Iesum Christum Pastorem aeternum sanctam aedificasse Ecclesiam, missis Apostolis sicut Ipse missus erat a Patre (cf. *Io.* 20, 21); quorum successores *Episcopos* in Eccle-

sia sua usque ad consummationem saeculi pastores [5] esse voluit. Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum *ac visibile* unitatis fidei et communionis principium et fundamentum. Quam doctrinam de institutione, perpetuitate, vi ac ratione sacri apostolici Primatus, necnon de Romani Pontificis infallibili Magisterio, *Sacra Synodus* suam facit, eamque cunctis fidelibus *firmiter* credendam rursus proponit, et in eodem incepto pergens, doctrinam de Episcopis, successoribus Apostolorum, qui cum successore Petri, Christi Vicario ac totius Ecclesiae *visibili* Capite, [6] domum Dei viventis regunt, coram omnibus profiteri et declarare constituit.

Suffr. 2a 19. (olim n. 12). [*De institutione duodecim Apostolorum*]. Dominus Iesus, precibus ad Patrem fusis, vocans ad Se quos voluit *Ipse,* duodecim constituit ut essent cum Illo et ut mitteret eos praedicare *Regnum Dei* (cf. *Mc.* 3, 13-19; *Mt.* 10, 1-42); quos Apostolos (cf. *Lc.* 6, 13) ad *modum collegii instituit,* cui ex iisdem electum Petrum praefecit (cf. *Io.* 21, 15-17). Eos ad filios Israel *primum et* ad omnes gentes misit (cf. *Rom.* 1, 16), ut suae participes potestatis, omnes populos discipulos Ipsius *facerent,* eosque sanctificarent et *gubernarent* (cf. *Mt.* 28, 16-20; *Mc.* 16, 15; *Lc.* 24, 45-48; *Io.* 20, 21-23), sicque Ecclesiam *propagarent,* eamque sub *ductu* Domini ministrando *pascerent,* omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (cf. *Mt.* 28, 20). *In qua missione die Pentecostes plene confirmati sunt* (cf. *Act.* 2, 1-26) *secundum promissum Domini*: « *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis Mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae* » (*Act.* 1, 8).

---

[6] Apostoli autem praedicando *ubique Evangelium* (cf. *Mc.* 16, 20), ab audientibus Spiritu Sancto operante *acceptum,* Ecclesiam *congregant* universalem, *quam Dominus in Apostolis condidit et* supra beatum Petrum, *eorum principem,* aedificavit, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (cf. *Apoc.* 21, 14; *Mt.* 16, 18; *Eph.* 2, 20). **Suffr. 3a**

20. (olim n. 13). [*De Episcopis successoribus Apostolorum*]. *Missio illa divina, a Christo Apostolis concredita, ad finem saeculi erit* [7] *duratura* (cf. *Mt.* 28, 20), *cum Evangelium, ab eis tradendum, sit in omne tempus pro Ecclesia totius vitae principium.* Quapropter Apostoli, in hac societate hierarchice ordinata, de instituendis successoribus curam egerunt.

Non solum enim varios adiutores in ministerio habuerunt, sed ut missio ipsis concredita post eorum mortem continuaretur, cooperatoribus suis immediatis, quasi per modum testamenti, demandaverunt munus perficiendi et confirmandi opus ab ipsis inceptum, commendantes illis ut attenderent universo gregi, in quo Spiritus Sanctus eos posuit pascere Ecclesiam Dei (cf. *Act.* 20, 28). *Constituerunt itaque huius modi viros ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent. Inter varia illa ministeria quae inde a primis temporibus in Ecclesia exercentur, teste traditione, praecipuum locum tenet munus illorum qui, in episcopatum constituti, per successionem ab initio decurrentem, apostolici seminis traduces habent. Ita, ut testatur S. Irenaeus, per eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi et successores eorum usque ad nos, traditio apostolica in toto mundo manifestatur et custoditur.*

Episcopi igitur communitatis ministerium cum adiutoribus presbyteris et diaconis susceperunt, loco Dei praesidentes gregi, cuius sunt

pastores, ut doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes, gubernationis ministri. [7]

Suffr. 4ª Sicut autem permanet munus a Domino singulariter Petro ut primo Apostolorum concessum et successoribus eius transmittendum, *ita permanet munus Apostolorum pascendi Ecclesiam, ab ordine sacrato Episcoporum iugiter exercendum.*

Suffr. 5ª *Proinde docet Sacra Synodus Episcopos ex divina institutione in locum Apostolorum successisse, tamquam Ecclesiae pastores,* quos qui audit, Christum audit, qui vero spernit, Christum spernit et Eum qui Christum misit (cf. *Lc.* 10, 16). [8]

Suffr. 6ª 21. (olim n. 14, § 2 et § 1!). [*De Episcopatu ut Sacramento*]. In Episcopis *igitur,* quibus presbyteri assistunt, *adest in medio credentium* Dominus *Iesus Christus, Pontifex Summus. Sedens enim ad dexteram Dei Patris, non deest a suorum congregatione pontificum,* sed imprimis per eorum eximium servitium verbum *Dei omnibus gentibus praedicat* et *credentibus* sacramenta fidei continuo administrat, eorum paterno munere (cf. *1 Cor.* 4, 15) nova membra Corpori *suo* regeneratione *superna* incorporat, eorum denique sapientia et prudentia Populum Novi Testamenti in sua ad aeternam beatitudinem peregrinatione dirigit et ordinat. Hi pastores ad pascendum dominicum gregem electi, ministri Christi *sunt* et dispensatores mysteriorum Dei (cf. *1 Cor.* 4, 1), quibus concredita est testificatio Evangelii gratiae Dei (cf. *Rom.* 15, 16; *Act.* 20, 24), atque ministratio Spiritus et iustitiae in gloria (cf. *2 Cor.* 3, 8-9).

---

[8] *Ad tanta munera explenda, Apostoli speciali effusione supervenientis Spiritus Sancti a Christo ditati sunt* (cf. *Act.* 1, 8; 2, 4; *Io.* 20, 22-23), *et ipsi adiutoribus suis per impositionem manuum donum spirituale tradiderunt* (cf. *1 Tim.* 4, 14; *2 Tim.* 1, 6-7), *quod usque ad nos in episcopali consecratione transmissum est. Docet autem Sancta Synodus episcopali consecratione plenitudinem conferri sacramenti Ordinis, quae nimirum et liturgica Ecclesiae* [9] *consuetudine et voce Sanctorum Patrum summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur.* **Suffr. 7[a]**

Episcopalis autem consecratio, cum munere sanctificandi, munera quoque confert docendi et regendi, quae tamen natura sua *nonnisi in communione cum Collegii Capite et membris exerceri possunt.* **Suffr. 8[a]**

Ex traditione enim, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum Orientis tum Occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis gratiam Spiritus Sancti ita conferri et sacrum characterem ita imprimi, ut Episcopi, eminenti ac adspectabili modo, ipsius Christi Magistri, Pastoris et Pontificis partes sustineant et in Eius persona agant. Quare soli Episcopi per Sacramentum Ordinis novos electos in corpus episcopale assumere possunt. **Suffr. 9[a]**

---

22. (olim n. 16). [*De Collegio Episcoporum eiusque Capite*]. Sicut statuente Domino, sanctus Petrus et *ceteri* Apostoli unum Collegium apostolicum constituunt, eadem ratione Romanus Pontifex, successor Petri, et Episcopi, successores Apostolorum, inter se coniunguntur. **Suffr. 10[a]**

Suffr. 11ª *Iam perantiqua disciplina, qua Episcopi in universo orbe constituti ad invicem et cum Romano Episcopo communicabant in vinculo unitatis, caritatis et pacis, itemque concilia* coadunata, *per quae et altiora quaeque in commune statuerentur, sententia multorum consilio ponderata, ordinis episcopalis indolem et rationem collegialem significant; quam manifeste comprobant Concilia* oecumenica *decursu saeculorum celebrata. Eandem vero iam innuit ipse usus, antiquitus inductus, plures advocandi Episcopos qui in novo electo ad summi sacerdotii ministerium elevando partem haberent. Membrum Corporis episcopalis aliquis constituitur vi sacramentalis consecrationis et communione cum Collegii Capite atque membris.* [9] [10]

Suffr. 12ª Collegium autem seu corpus Episcoporum auctoritatem non habet, nisi simul cum Pontifice Romano, successore Petri, ut capite eius intellegatur, *huiusque integre manente potestate Primatus in omnes sive Pastores sive fideles.* Romanus *enim* Pontifex habet in Ecclesi*am, vi muneris sui, Vicarii scilicet Christi et totius Ecclesiae Pastoris,* plenam, *supremam* et universalem potestatem, *quam semper libere exercere valet.*

Suffr. 13ª *Ordo* autem Episcoporum, qui collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, *una cum* Capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite, subiectum *quoque* supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam *exsistit, quae quidem potestas independenter a Romano Pontifice exerceri nequit.*

---

[10] Dominus *Simonem* ut petram *et clavigerum* Ecclesiae posuit (cf. *Mt.* 16, 18-19), eumque Pastorem totius sui gregis constituit (cf. *Io.* 21, 15 ss.); *illud autem ligandi ac solvendi munus, quod uni Petro datum est* (*Mt.* 16, 19), *collegio quoque Apostolorum, suo Capiti coniuncto, tributum esse constat* (*Mt.* 18, 18; 28, 16- 20). **Suffr. 14ª**

---

[11] Collegium hoc *quatenus* ex multis compositum, varietatem et *universalitatem* Populi Dei, *quatenus* vero sub uno capite collectum unitatem gregis Christi *exprimit.* In *ipso,* Episcopi, primatum et principatum Capitis sui fideliter servantes, propria potestate in bonum fidelium suorum, immo totius Ecclesiae funguntur, Spiritu Sancto organicam structuram eiusque concordiam continenter roborante. **Suffr. 15ª**

Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud Collegium pollet, sollemni modo in Concilio Oecumenico exercetur. Romani Pontificis praerogativa est Concilia Oecumenica convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare; nec Concilium Oecumenicum umquam datur, quod a successore Petri non sit ut tale confirmatum vel saltem receptum. **Suffr. 16ª**

Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab Episcopis in orbe terrarum degentibus, dummodo Caput collegii eos ad actionem collegialem *vocet,* vel saltem Episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur. **Suffr. 17ª**

---

23. (olim n. 17). [*De relationibus Episcoporum in Collegio*]. Collegialis unio etiam in mutuis relationibus singulorum Episcoporum **Suffr. 18ª**

cum particularibus Ecclesiis Ecclesiaque uni- [11]
versali apparet. Romanus Pontifex, ut succes-
sor Petri, est unitatis, tum Episcoporum tum
fidelium multitudinis, principium ac visibile
fundamentum, Episcopi autem singuli princi-
pium et centrum sunt unitatis in suis Ecclesiis
particularibus, ad imaginem Ecclesiae univer-
salis formatis, in quibus et ex quibus una et
unica Ecclesia catholica exsistit. Qua de causa
singuli Episcopi suam Ecclesiam, omnes autem [12]
simul cum Papa totam Ecclesiam repraesen-
tant in vinculo pacis, amoris *et unitatis*.

Suffr. 19a

Singuli Episcopi quando *particularibus Ecclesiis* praeficiuntur, regimen suum pastorale super portionem populi *Dei* sibi commissam, non super alias Ecclesias neque super Ecclesiam universalem *exercent*. Sed *qua* membra collegii *episcopalis et legitimi Apostolorum successores singuli* ea sollicitudine pro universa Ecclesia ex *Christi institutione et praecepto tenentur,* quae, licet *exercitium* iurisdictionis non sit, summopere tamen confert ad Ecclesiae universalis emolumentum. Debent enim omnes Episcopi promovere et tueri unitatem fidei et disciplinam cunctae Ecclesiae communem, fideles edocere ad amorem totius corporis mystici Christi, praesertim membrorum pauperum, dolentium et eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (cf. *Mt.* 5, 10), tandem promovere omnem actuositatem quae toti Ecclesiae communis est, praesertim ut fides incrementum capiat et lux plenae veritatis omnibus hominibus oriatur. Ceterum hoc sanctum est quod, bene regendo propriam Ecclesiam ut *portionem* Ecclesiae universalis, *ipsi* efficaciter conferunt ad bonum totius mystici Corporis, quod est etiam corpus Ecclesiarum.

---

[12] Cura Evangelium ubique terrarum annuntiandi ad corpus Pastorum pertinet, quibus omnibus in commune Christus mandatum dedit imponendo commune officium, ut iam Papa Coelestinus Patribus Ephesini Concilii commendavit. Unde *singuli* Episcopi, quantum *propria* eorum perfunctio muneris sinit, in laborum societatem venire *tenentur inter se et* cum *successore Petri, cui grande munus christiani nominis propagandi singulari modo demandatum est. Quare* missionibus *tum messis operarios,* tum etiam auxilia spiritualia et materialia, tam per se directe, quam suscitando fidelium ardentem cooperationem, suppeditare omnibus viribus debent. Episcopi denique, in universali caritatis societate, fraternum adiutorium aliis Ecclesiis, praesertim finitimis et egentioribus, secundum venerandum antiquitatis exemplum, libenter praebeant. **Suffr. 20a**

[13]

Divina autem Providentia factum est ut variae variis in locis ab Apostolis eorumque successoribus institutae Ecclesiae decursu temporum in plures coaluerint coetus, organice coniunctos, qui, salva fidei unitate, gaudent propria disciplina, proprio liturgico usu, theologico spiritualique patrimonio. Quaedam Ecclesiae, veluti matrices fidei, alias pepererunt quasi filias, quibuscum arctiore vinculo caritatis in vita sacramentali atque in mutua iurium et officiorum reverentia ad nostra usque tempora connectuntur. Quae Ecclesiarum localium in unum conspirans varietas indivisae Ecclesiae catholicitatem luculentius demonstrat. Simili ratione Coetus Episcopales *hodie* multiplicem atque fecundam opem conferre possunt, ut collegialis affectus ad concretam applicationem perducatur. **Suffr. 21a**

Suffr. 22a 24. (olim n. 18). [*De Episcoporum Ministerio*]. [13] Episcopi, *utpote Apostolorum successores,* a Domino, cui omnis potestas in caelo et in terra data est, missionem accipiunt docendi omnes gentes et praedicandi Evangelium omni creaturae, ut homines universi, per fidem, baptismum et adimpletionem mandatorum salutem consequantur (cf. *Mt.* 28, 18; *Mc.* 16, 15-16; *Act.* 26, 17 s.). *Ad hanc* missionem *implendam, Christus Dominus Spiritum promisit Apostolis et die Pentecostes e coelo misit,* [14] *cuius virtute testes Eidem essent usque ad ultimum terrae, coram* gentibus et populis et regionibus (cf. *Act.* 1, 8; 2, 1 ss.; *Apoc.* 10, 11). Munus autem illud, quod Dominus pastoribus populi sui commisit, verum est servitium quod in sacris Litteris « diakonia » seu ministerium *significanter* nuncupatur (cf. *Act.* 1, 17 et 25; 21, 19; *Rom.* 11, 13; *1 Tim.* 1, 12).

Suffr. 23a Episcoporum autem missio *canonica* fieri potest per legitimas consuetudines, a suprema et universali potestate Ecclesiae non revocatas, vel per leges ab eadem auctoritate latas aut agnitas, vel directe per ipsum successorem Petri; quo renuente *seu communionem Apostolicam denegante,* Episcopi in officium assumi nequeunt.

Suffr. 24a 25. (olim n. 19). [*De Episcoporum munere docendi*]. *Praecipuum Episcoporum munus est praedicare Evangelium.* Episcopi *enim* sunt fidei praecones, qui novos discipulos ad Christum adducunt, et doctores authentici seu auctoritate Christi praediti, qui populo *sibi* commisso fidem credendam et moribus applicandam praedicant, et sub lumine Sancti Spiritus illustrant, ex thesauro Revelationis nova et vetera proferentes (cf. *Mt.* 13, 52), eam

[14] fructificare faciunt erroresque gregi suo impendentes vigilanter arcent (cf. 2 *Tim.* 4, 1-4). *Episcopi in communione cum Romano Pontifice docentes ab omnibus tamquam divinae et catholicae veritatis testes venerandi sunt*; fideles *autem* in *sui* Episcopi sententiam *de huiusmodi rebus nomine* Christi prolatam concurrere, eique *religioso animi obsequio* adhaerere debent. *Hoc vero religiosum voluntatis et intellectus obsequium singulari ratione praestan-*
[15] *dum est Romani Pontificis authentico magisterio etiam cum non ex cathedra loquitur; ita* nempe ut magisterium eius supremum reverenter agnoscatur, et sententiis ab eo *prolatis* sincere adhaereatur, iuxta mentem et voluntatem manifestatam ipsius, quae se prodit praecipue *sive* indole documentorum, *sive* ex frequenti propositione eiusdem doctrinae, *sive* ex dicendi ratione.

Licet singuli praesules infallibilitatis prae- **Suffr. 25a**
rogativa non polleant, quando tamen, etiam per orbem dispersi, sed *communionis* nexum *inter se et cum Successore Petri* servantes, authentice *res fidei et morum* docentes in unam sententiam *tamquam definitive tenendam* conveniunt, doctrinam Christi infallibiliter enunciant. Quod adhuc manifestius habetur quando, in Concilio Oecumenico coadunati, pro universa Ecclesia fidei et morum doctores et iudices sunt, quorum definitionibus *fidei obsequio est adhaerendum.*

Haec autem infallibilitas, qua Divinus Re- **Suffr. 26a**
demptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide *vel* moribus instructam esse voluit, *tantum patet quantum divinae Revelationis patet depositum, sancte custodiendum et fideliter exponendum.*

Suffr. 27a Qua quidem infallibilitate Romanus Pontifex, [15] Collegii Episcoporum *Caput* vi muneris sui gaudet, quando, ut supremus *omnium christifidelium* pastor et doctor, qui fratres suos in fide confirmat (cf. *Lc.* 22, 32), doctrinam de fide vel moribus definitivo actu proclamat. *Quare definitiones eius ex sese, et non ex consensu Ecclesiae, irreformabiles merito dicuntur, quippe quae sub assistentia Spiritus Sancti, ipsi in beato Petro promissa, prolatae sint,* [16] *ideoque nulla indigeant aliorum approbatione, nec ullam ad aliud iudicium appellationem patiantur. Tunc* enim Romanus Pontifex non ut persona privata sententiam *profert,* sed ut universalis Ecclesiae *magister supremus, in quo charisma infallibilitatis ipsius Ecclesiae singulariter inest,* doctrinam fidei catholicae exponit vel tuetur.

Suffr. 28a *Infallibilitas Ecclesiae promissa in corpore Episcoporum quoque inest,* quando supremum magisterium cum *Petri successore* exercet. *Istis autem definitionibus assensus Ecclesiae numquam deesse potest propter actionem eiusdem Spiritus Sancti, qua universus Christi grex in unitate fidei servatur et proficit.*

Suffr. 29a Cum autem sive Romanus Pontifex sive Concilium sententiam definiunt, eam proferunt secundum ipsam Revelationem, cui omnes *stare et* conformari tenentur et quae scripta vel tradita per legitimam Episcoporum successionem et imprimis ipsius Romani Pontificis cura integre transmittitur, atque praelucente Spiritu veritatis in Ecclesia sancte servatur et fideliter exponitur. Ad quam rite indagandam et apte enunciandam, Romanus Pontifex et Episcopi, pro officio suo et rei gravitate, per media apta, sedulo *operam navant*; novam vero

[16] revelationem publicam tamquam ad divinum fidei depositum pertinentem non accipiunt.

---

26. (olim n. 20). [*De munere Episcoporum sanctificandi*]. Episcopus, plenitudine sacramenti Ordinis insignitus, est « oeconomus gratiae supremi sacerdotii », praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerri curat, et qua continuo vivit et crescit Ecclesia. *Haec* Suffr. 30a
[17] *Christi Ecclesia vere adest in omnibus legitimis fidelium congregationibus localibus, quae, pastoribus suis adhaerentes, et ipsae in Novo Testamento ecclesiae vocantur. Hae sunt enim loco suo Populus novus a Deo vocatus, in Spiritu Sancto et in plenitudine multa* (cf. 1 *Thess.* 1, 5). *In eis praedicatione Evangelii Christi congregantur fideles et celebratur mysterium Coenae Domini, « ut per escam et sanguinem Domini corporis fraternitas cuncta copuletur ». In quavis altaris communitate, sub Episcopi sacro ministerio, exhibetur symbolum illius caritatis et « unitatis Corporis mystici, sine qua non potest esse salus ». In his communitatibus, licet saepe exiguis et pauperibus, vel in dispersione degentibus, praesens est Christus, cuius virtute consociatur una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia. Etenim « non aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus transeamus ».*

Omnis autem legitima Eucharistiae celebratio dirigitur ab Episcopo, cui officium commissum est cultum christianae religionis Divinae Maiestati *deferendi* atque administrandi secundum praecepta Domini et Ecclesiae leges, eius particulari iudicio ulterius pro dioecesi determinatas.

Ita Episcopi, orando pro populo et laborando, de plenitudine sanctitatis Christi multiformiter et abundanter effundunt. Per mini-

sterium verbi virtutem Dei credentibus in salutem communicant (cf. *Rom.* 1, 16), *et per sacramenta, quorum regularem et fructuosam distributionem auctoritate sua ordinant, fideles sanctificant. Ipsi regunt collationem baptismi, quo regalis sacerdotii Christi participatio conceditur.* Ipsi sunt ministri *originarii* confirmationis, dispensatores sacrorum ordinum *et moderatores disciplinae poenitentialis,* atque populos suos, ut in liturgia et praesertim in sacro Missae sacrificio partes suas fide et reverentia impleant, *sollicite* exhortantur et instruunt. *Eis denique quibus praesunt exemplo conversationis suae proficere debent, mores suos ab omni malo temperantes et quantum poterint, Domino adiuvante, ad bonum commutando, ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniant sempiternam.* [17] [18]

Suffr. 31ª 27. (olim n. 21). [*De Episcoporum munere regendi*]. Episcopi Ecclesias sibi commissas ut vicarii et legati Christi regunt, consiliis, suasionibus, exemplis, *verum etiam auctoritate et* sacra potestate, qua *quidem* nonnisi ad gregem suum *in veritate et sanctitate* aedificandum *utuntur,* memores quod qui maior est fiat sicut minor et qui praecessor est sicut ministrator (cf. *Lc.* 22, 26-27). Haec potestas qua, nomine Christi personaliter funguntur, est propria, ordinaria et immediata, licet a suprema Ecclesiae *auctoritate* exercitium eiusdem *ultimatim* regatur et certis limitibus, intuitu utilitatis Ecclesiae vel fidelium, circumscribi possit. *Vi huius potestatis Episcopi sacrum ius et coram Domino officium habent in suos subditos leges ferendi, iudicium faciendi, atque omnia, quae ad cultus apostolatusque ordinem pertinent, moderandi.*

Ipsis munus pastorale *seu* habitualis et cotidiana cura ovium suarum plene committitur,

[18] neque vicarii Romanorum Pontificum putandi sunt, quia potestatem gerunt sibi propriam verissimeque populorum quos regunt, antistites dicuntur. Eorum itaque potestas a suprema et universali potestate non eliditur, sed e contra asseritur, roboratur et vindicatur, *Spiritu Sancto constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam indefectibiliter servante.*

---

[19] Episcopus, *missus a Patrefamilias ad gubernandam familiam suam,* ante oculos teneat exemplum Boni Pastoris, qui venit non ministrari sed ministrare (cf. *Mt.* 20, 28; *Mc.* 10, 45) et animam suam pro *ovibus* ponere (cf. *Io.* 10, 11). Assumptus ex hominibus et circumdatus infirmitate, condolere potest iis qui ignorant et errant (cf. *Hebr.* 5, 1-2). Subditos, *quos ut veros filios suos fovet et* ad alacriter secum cooperandum exhortatur, audire ne *renuat.* Pro animabus eorum rationem redditurus Deo (cf. *Hebr.* 13, 17) oratione, praedicatione *omnibusque operibus caritatis* curam habeat tum eorumdem, tum etiam illorum qui de uno *grege* (G) nondum sunt, quos in Domino commendatos sibi habeat. *Ipse, cum* sicut Paulus Apostolus *cunctis* debitor *sit, promptus sit* omnibus evangelizare (cf. *Rom.* 1. 14-15), fidelesque suos ad operositatem apostolicam et missionalem exhortari. Fideles autem Episcopo adhaerere debent sicut Ecclesia Iesu Christo, et sicut Iesus Christus Patri, ut omnia per unitatem consentiant, *et abundent in gloriam Dei* (cf. *2 Cor.* 4, 15). **Suffr. 32a**

---

28. (olim n. 15 A). [*De Presbyteris eorumque relatione ad Christum, ad Episcopos, ad presbyterium et ad populum Christianum*]. *Potestas sacra tum ordinis tum iurisdictionis, quae ex missione Christi in Episcopis residet,* **Suffr. 33a**

vario gradu variis subiectis in Ecclesia legitime [19] *demandatur. Sic ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exercetur ab illis qui iam ab antiquo Episcopi, Presbyteri, Diaconi vocantur.*

Quamvis presbyteri, pontificatus apicem non habeant *et in potestate sua ab Episcopis pendeant, tamen vi sacramenti Ordinis secundum imaginem Christi Summi atque Aeterni Sacerdotis* (*Hebr.* 5, 1-10; 7, 24; 9, 11-28) *ad divinum cultum consecrati et ad divinum ministerium ordinati, veri sunt sacer-* [20] *dotes Novi Testamenti. Quod munus sacrum maxime exercent in Eucharistico cultu, quo in persona Christi agentes Eiusque mysterium proclamantes, cum fidelibus, devotione et vita Capiti suo coniunctis, unicum sacrificium Novi Testamenti, Christi scilicet sese Patri immaculatam hostiam semel offerentis* (cf. *Hebr.* 9, 14-28) *in sacrificio Missae usque ad adventum Domini* (cf. *1 Cor.* 11, 26) *repraesentant et applicant. Muneris unici Mediatoris Christi* (*1 Tim.* 2, 5) *participes in suo gradu ministerii, fidelibus verbum divinum annuntiant, pro quibus peccantibus vel aegrotantibus ministerium reconciliationis et alleviationis summe funguntur. Necessitates ac preces populi fidelium ad Deum Patrem afferunt* (cf. *Hebr.* 5, 1-4), *Eumque in spiritu et veritate in medio gregis adorant* (cf. *Io.* 4, 24). *In verbo et doctrina laborant* (cf. *1 Tim.* 5, 17), *credentes quod in lege Domini meditantes legerint, docentes quod crediderint, imitantes quod docuerint. Munus Christi Pastoris et Capitis pro sua parte auctoritatis exercentes, familiam Dei ut fraternitatem in unum animatam colligunt et per Christum in Spiritu ad Deum Patrem adducunt.*

Presbyteri, ordinis Episcopalis providi cooperatores *eiusque complementum et organum, ad populo Dei inserviendum vocati, unum*

[20] *presbyterium constituunt, diversis quidem officiis mancipatum. In singulis localibus fidelium congregationibus Episcopum, quocum fidenti et magno animo consociantur, quodammodo praesentem reddunt eiusque munera et sollicitudinem pro parte suscipiunt et cura cotidiana exercent. Qui sub auctoritate Episcopi portionem gregis dominici sibi addictam sanctificant et regunt, Ecclesiam universalem in suo loco visibilem faciunt et in aedificando toto corpore Christi* (cf. *Eph.* 4, 12) *validam opem afferunt.*
[21] *Ad bonum autem filiorum Dei semper intenti operam suam ad opus pastorale totius dioeceseos, immo totius Ecclesiae conferre studeant. Propter hanc in sacerdotio et missione participationem Presbyteri Episcopos vere ut patres suos agnoscant illisque obediant. Episcopus vero Sacerdotes suos ut filios et amicos consideret, sicut Christus discipulos suos iam non servos, sed amicos vocat* (cf. *Io.* 15, 15). *Cum hoc corpore Episcoporum et Presbyterorum etiam Sacerdotes Religiosi ratione ordinis et ministerii coaptantur et bono totius Ecclesiae pro sua vocatione et gratia inserviunt.*

(Novae §§). Vi communis sacrae ordinationis et missionis Presbyteri omnes inter se intima fraternitate nectuntur, quae sponte ac libenter sese manifestet in mutuo auxilio, tam spirituali quam materiali, tam pastorali quam personali, in conventibus et communione vitae, laboris et caritatis. **Suffr. 34a**

Fidelium vero, quos spiritualiter baptismate et doctrina genuerunt (cf. *1 Cor.* 4, 15; *1 Pt.* 1, 23), curam tamquam patres in Christo agant. Forma facti gregis ex animo (*1 Pt.* 5, 3) suae communitati locali ita praesint et inserviant, ut ista digne vocari possit illo nomine, quo unus et totus populus Dei insignitur, Ecclesiae scilicet Dei (cf. *1 Cor.* 1, 2; *2 Cor.* 1, 1; et pas-

sim). Memores sint se sua cotidiana conversa- [21]
tione et sollicitudine fidelibus et infidelibus,
catholicis et non catholicis, faciem ministerii
ecclesiastici exhibere, omnibusque testimo-
nium veritatis et vitae reddere debere, et ut
boni pastores illos quoque quaerere (cf. *Lc.*
15, 4-7), qui baptizati quidem in Ecclesia ca-
tholica a praxi sacramentorum, vel imo a fide
defecerunt.

Quia genus humanum hodie magis magis-
que in unitatem civilem, oeconomicam et so-
cialem coalescit, eo magis oportet ut sacerdo-
tes, coniuncta cura et ope sub ministerio Epi- [22]
scoporum et Summi Pontificis, omnem ratio-
nem dispersionis elidant, ut in unitatem fami-
liae Dei totum gens humanum adducatur.

Suffr. 35ª 29. (olim n. 15 B). [*De Diaconis*]. In gradu inferiori hierarchiae sistunt Diaconi, *quibus « non ad sacerdotium, sed ad ministerium » manus imponuntur. Gratia etenim sacramentali roborati, in diaconia liturgiae, verbi et charitatis populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt. Diaconi est, prout ei a competenti auctoritate assignatum fuerit, solemniter baptismum administrare, Eucharistiam servare et distribuere, matrimonio Ecclesiae nomine adsistere et benedicere, Viaticum moribundis deferre, fidelibus sacram legere Scripturam, populum instruere et exhortari, fidelium cultui et orationi praesidere, sacramentalia ministrare, funeri ac sepulturae praeesse. Caritatis et administrationis officiis dediti, meminerint Diaconi moniti Beati Polycarpi: « Misericordes, seduli, incedentes iuxta veritatem Domini, qui omnium minister factus est ».*

Suffr. 36ª * *Cum vero haec munera, ad vitam Ecclesiae summopere necessaria, in disciplina Ecclesiae latinae hodie vigenti in pluribus regio-*

[22] *nibus adimpleri difficulter possint, Diaconatus in futurum tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae restitui poterit.*

Ad competentes autem varii generis territoriales Episcoporum coetus, approbante ipso Summo Pontifice, spectat decernere, utrum et ubinam pro cura animarum huiusmodi diaconos institui opportunum sit. **Suffr. 37ª**

---

[23] *Supremae Auctoritati competit decernere, utrum hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri possit* **Suffr. 38ª**

— a) *vel imo iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex coelibatus,* **Suffr. 39ª**

— b) *an e contra lex coelibatus etiam pro huiusmodi diaconis firma remanere debeat.*

* *Nota explicativa ad textum novum*:

Huic textui responderet triplex vel quadruplex suffragatio:

prima (= 36ª), de prima phrasi, in qua approbatur principium restaurati diaconatus;

secunda (= 37ª), de secunda phrasi, in qua determinatur auctoritas competens (quodsi textus reiicitur, sola auctoritas competens est Romanus Pontifex);

tertia (= 38ª), de primo membro tertiae phraseos: approbante Romano Pontifice, diaconatus conferri potest viris maturis uxoratis;

quarta (= 39ª), de altero membro tertiae phraseos: approbante Romano Pontifice diaconatus conferri potest etiam iuvenibus sine lege coelibatus.

Si autem tertia vel quarta propositio admittitur, ultima incisa evidenter cadit. Si tertia et quarta reiiciuntur statuitur ipso facto ultima incisa. Si exitus tertiae suffragationis est negativus, quarta suffragatio fit superflua et stat ultima incisa.

Uti videre potuistis, schema *de Ecclesia* fuit a commissione quasi refectum iuxta animadversiones Patrum sive in aula prolatas sive scriptas. Porro iam munus gravissimum erat videndi quomodo hoc schema iuxta Ordinem suffragationi subici posset. Moderatores, consentientibus quidem em.mis cardinalibus pertinentibus sive ad consilium praesidentiae, sive ad commissionem de coordinandis Concilii laboribus, moderatores, inquam, aliquam rationem nacti sunt seu invenerunt, ita ut libertas Patrum servaretur et celerius res expediri posset. Hic modus descriptus est in hoc fasciculo.

Attamen censuerunt moderatores ut prius interrogarentur Patres utrum hic modus seu ratio ipsis placeret; si suffragium erit positivum duarum tertiarum partium, tunc procedetur ad schematis suffragationem faciendam. Si forte erit negativum, alii rationi studebitur.

Quapropter quaeritur: An placeat venerabilibus Patribus ut circa schema constitutionis *de Ecclesia* suffragatio fiat iuxta rationem quae subinde proponitur.

Est mera propositio, ut videtis; haec propositio explicatur in sequenti. Et quaenam est ratio? Ratio est huiusmodi:

Quoad cap. I, una suffragatio facienda esset pro integro capite. Dico facienda *esset*: si placeat Patribus, nonne? si Patres approbabunt hanc rationem procedendi.

Quoad cap. II, erunt quattuor suffragationes: prima pro nn. 9-12; secunda pro n. 13; tertia pro nn. 14-16; et quarta pro n. 17. Factis his quattuor suffragationibus pro cap. II, fiet suffragatio de integro capite, prout praescribitur in *Ordine*.

Quoad cap. III, quod est summi momenti, ut potestis iam per vos comperire, habebuntur 39 suffragationes iuxta divisiones definitas in adnexo exemplari, et reapse in paginis sequentibus vos, venerabiles Patres, potestis videre. Typis impressimus tantum textum emendatum, non textum priorem qui invenitur in libro in quo continetur integrum schema. Et textus emendatus dividitur iuxta varias suffragationes faciendas; unde incipitur a suffragatione I, quae continet initium textus usque ad pag. 6 ad verba « et declarare constituit »; deinde suffragatio II, quae incipit « Dominus Iesus... » et terminat ad « usque ad ultimum terrae », et ita porro. Postquam exactae sunt suffragationes circa hoc cap. III, fit suffragatio pro integro cap. III.

Quoad cap. V, fit una suffragatio pro integro textu de vocatione ad sanctitatem.

Quoad cap. VI, vel V B (vos potuistis videre sensum huius locutionis in textu schematis), fit prima suffragatio circa hoc punctum « utrum instituendum sit caput speciale de religiosis, an simpliciter sectio altera

unius capitis de vocatione ad sanctitatem »; cum hoc quaesitum sit disiunctivum, proponetur modo univoco, ut dicemus suo tempore. Altera suffragatio erit pro integro textu de religiosis.

Restant duo ultima capita de quibus nunc disceptatur. Porro exspectandum est ut disceptatio finiatur et deinde moderatores proponent quomodo suffragatio de his ultimis capitibus facienda sit.

Quomodo fit suffragatio, melius quomodo proponitur facienda suffragatio? Videatis « Nota bene »: « Suffragationes fient per *placet, non placet* et *placet iuxta modum* cum caput integrum suffragandum erit. Pro suffragandis numeris vel partibus capitum suffragatio fiet tantum per *placet* vel *non placet* ». Sed haec omnia postea repetentur, cum proponentur suffragationes.

Qui aliquam modificationem introducere volunt, possunt hoc significare quando suffragium dabunt pro integro capite. Et Patres certi esse possunt quod de his omnibus modis ratio habebitur, licet iuridice forsan ratio habenda non esset, si, v. g., iam textus acceptatus sit per duas tertias partes.

Quoad cap. III *de Ecclesia,* quod est summi momenti, statuentibus moderatoribus et annuente consilio praesidentiae et ipsa commissione de coordinandis Concilii laboribus, antequam suffragatio fiat, duae habebuntur relationes; alia quidem quae illustrat textum propositum, alia autem quae illustrat difficultates quae possunt obici textui proposito. Sed rogantur iam nunc Patres ut non studeant tantum textui proposito, verum etiam notis annexis quibus explicatur quomodo textus confectus sit et quaenam difficultates fuerint propositae et quomodo a commissione doctrinali solutae. Quapropter, licet notae non sint partes textus, sunt summi momenti pro intelligendo sensu textus, et pro suffragio dando iuxta conscientiam in re tanti momenti. Ut Patres in hoc studio adiuventur, distributum est eis, una cum fasciculo continenti quaesitum, votum Pontificiae Commissionis de re biblica circa numerum 22 schematis constitutionis *de Ecclesia*: * voluerunt enim quidam Patres ut hoc votum integrum cognosceretur.

Quapropter crastina die ex iussu moderatorum fiet haec suffragatio, ut ita dicam, praeliminaris: « An placeat venerabilibus Patribus ut circa schema constitutionis *de Ecclesia* suffragatio fiat iuxta rationem quae subinde proponitur ». Et ratio iam est exposita, et rationem ipse explicavi. Quapropter respondendum est ad hoc quaesitum per *placet* et *non placet* tantum.

---

* Cf. pag. 13.

Animadvertatis, Patres venerabiles: haec suffragatio non significat approbationem textus, significat tantum approbationem *modi procedendi* circa suffragationem textus. Hoc est summi momenti.

Quapropter crastina fiet haec suffragatio et si fuerit positiva, statim — vel crastina, vel post duos dies — procedetur ad singulas suffragationes. Dixi... clare, ut spero!

10

EXC.MUS P. D. IOSEPH PONT Y GOL

Episcopus Segobricensis-Castellionensis

Venerabiles Fratres,

Doctrina eschatologica capitis et eius inclusio in schemate de Ecclesia videntur omnino iustae. Ac praeterea homines nostri temporis specialem habent necessitatem audiendi ea quae pertinent ad spem vitae futurae.[1]

Mihi vero novum schema *de Ecclesia*[2] legenti et speciatim eius capita *nuper addita*[3] VI et VII, excitabatur in animo idea, quam amplius cohibere non potui, quamque vobis, fratres, aperio.

Per cap. VII: De indole eschatologica vocationis nostrae, schema *de Ecclesia* accipit colorationem, *ut ita dicam,*[4] specialiter « transcendentem ». Quo nomine intelligo illum Ecclesiae aspectum, propter quem ipsa in mundo existens non est de hoc mundo, sed vivit et mente et corde uni Deo adhaerens ac spectans totalem sui redemptionem et deificationem in gloria caelesti, in qua tandem Deus erit omnia in omnibus...[5]

Sed praeter hunc aspectum « transcendentem », Ecclesia Christi in terris habet quoque alium aspectum, aeque essentialem, *nempe aspectum*[6] praesentiae vel « immanentiae » in mundo, ut hoc Sacrosanctum Concilium optime exprimebat in prooemio ad constitutionem de sacra Liturgia: « (*natura Ecclesiae*[7]) cuius proprium est esse humanam simul et divinam, visibilem invisibilibus praeditam, actione ferventem et contemplationi vacantem, in mundo praesentem et tamen peregrinam »...[8]

Additione novi capitis VII « de indole eschatologica vocationis nostrae », doctrina schematis circa Ecclesiam, peregrinam in hoc mundo, supra modum augetur dum doctrina circa Ecclesiam praesentem in hoc mundo, in nostro documento fere exulat.[9]

Nec dicatur existere schema proprium circa praesentiam Ecclesiae in mundo. Sunt etiam schemata de episcopis, de sacerdotibus, de apo-

stolatu laicorum, de missionibus etc. ... et tamen eorum principia doctrinalia inveniuntur exposita in capitibus vel saltem in paragraphis *nostri* [10] schematis *de Ecclesia* apprime determinatis. Cur non etiam de aspectu immanenti Ecclesiae? Aestimatur forsitan minoris momenti?

Rationem ultimam ni fallor, talis defectus inveni sequentem. In paragrapho prima in prologo schematis promittitur tractatio et naturae et missionis Ecclesiae, sed neque in capite de populo Dei, neque a fortiori in reliquis invenitur tractatio organica circa missionem Ecclesiae.[11] Deficiente hac expositione organica, deest quoque proportio in tractatione diversorum aspectuum quae in Ecclesia inveniuntur. Ita explicatur quod aspectui transcendentiae donentur capita *illa* [12] duo integra (de religiosis et de indole eschatologica) *quibus noviter schema auctum est,*[13] aspectui autem immanentiae per se et data opera, *ne una quidem paragraphus. Bonum ergo sit caput nostrum septimum dummodo et alteri Ecclesiae aspectui suum tribuatur.*[14]

Schema *de Ecclesia* est documentum fundamentale Concilii nostri. Ne patiamur id nasci *aliquatenus* [15] deforme. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Et doctrina capitis et eius inclusio in schemate de Ecclesia, videntur iustae. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] Et haec quidem recte continentur in nostro schemate ac praeterea homines nostri temporis specialem habent necessitatem audiendi ea quae pertinent ad spem vitae futurae. [6] deest. [7] « Liturgia ... summe eo confert ut fideles vivendo exprimant et aliis manifestent ... genuinam verae Ecclesiae naturam ». [8] (n. 2). [9] Novo cap. VII de indole eschatologica vocationis nostrae, doctrina schematis circa Ecclesiam peregrinam in hoc mundo ad patriam, supra modum augetur, dum doctrina de altero aspectu non habet in documento, quod a nobis paratur, expositionem parallelam de fundamentis dogmaticis praesentiae Ecclesiae in mundo. Circa quae liceat recordari verba Summi Pontificis Pauli VI fel. reg., in suis litteris Enc. *Ecclesiam suam*: « Omni abiecta cunctatione vobis, venerabiles Fratres, significamus tribus praesertim animum nostrum commoveri consiliis » quorum « tertium ... eo spectat ut Ecclesia res rationesque cum hominum universa communitate, contrahat, quacum ipsa continetur, et in qua media vivit et suum obit opus ». Proculdubio consideratio circa principia doctrinalia, quibus inniti debet praesentia Ecclesiae in mundo, non tantam habet in schemate nostro partem, quantam consideratio eius transscendentiae peregrinantis assecutus est. [10] deest. [11] Ratio ultima, ni fallor, est: in capite de populo Dei — et a fortiori in reliquis — deest doctrina organica circa *missionem* Ecclesiae (quae missio distinguenda est a missionibus de quibus agit n. 17, nec potest confundi cum missione propria hierarchiae), etiamsi in prologo schematis (n. 1) promittatur tractatio de eius natura *et missione.* [12] deest. [13] deest. [14] tractando, ne unus quidem numerus. [15] deest.

11

Exc.mus P. D. LEO ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. Argentinensis

Venerabiles Patres, Fratres dilecti Observatores,

Cap. VII multa praebet pulchra et utilia. Attamen non plene satisfecit omnibus quae iure merito exspectamus, nec ipso capituli titulo. Est enim titulus « De indole eschatologica vocationis nostrae ». Textus autem tantum loquitur de vocatione *personali* et sub aspectu mere spirituali: quod certe consonat cum themate Communionis Sanctorum. Optandum tamen esset, praesertim in constitutione quae tractat *de Ecclesia* ut aliquod mysterium communionis universalis, *optandum esset,*[1] quod aliqua compendiose dicerentur *de aspectu collectivo,* immo cosmico et historico « vocationis nostrae » in relatione cum eschatologia. Iam initio electio divina non tantum in aliquas personas individuales immittitur sed ad populum quemdam qui praefigurat populum universalem, recapitulationem in Christo omnium hominum bonae voluntatis, et congregationem omnium filiorum Dei in unum...[2]

Et etiam bene noscamus omnes, homines huius temporis valde praeoccupatos esse de historia, et valde egere ut eis ostendamus quomodo non tantum omnes homines sed etiam mundus cosmicus et cursus eius, quomodo ingens opus hominis in isto mundo interim sensum habent relate ad consummationem omnium rerum eschatologicam in Regno Dei. Huic vero ingenti quaestioni, quam hodie ponunt, revelatio biblica et traditio christiana responsum afferunt, quam ibi delineare oportet. Tam Vetus Testamentum quam Novum, praecipue vero in Epistolis sic dictis Captivitatis et in Apocalypsi B. Ioannis, praeclaram, christologicam et ecclesiologicam doctrinam praebent de habitudine vitae humanae in societate, in historia, in toto mundo, ad eschatologiam.

Sed in proponenda doctrina eschatologica evidenter rectus modus loquendi requiritur. Homo hodiernus, scientiis naturalibus excultus, difficultates habet in intelligentia descriptionum finis huius mundi uti inveniuntur in Sacrae Scripturae libris. Hae difficultates, quoad descriptionem biblicam finis et termini Universi, sunt forte analogae illis quae multi homines hodierni sentiunt quoad descriptionem biblicam initii et originis Universi.

Praecise, si distinguimus inter genus litterarium alicuius textus eschatologici et *nucleum* doctrinale seu kerygmaticum textus, apparet non

tantum momentum consummationis finalis, sed apparet etiam momentum decisivum temporis praesentis qui iam est tempus eschatologicum; apparet momentum decisivum quod habet constructio communitatis humanae in mundo praesenti; apparet momentum quod habet hominum labor in finalitate non tantum morali sed vere eschatologica.

Tractatio haec magnae opportunitatis etiam videtur esse ut fundamentum doctrinale eorum quae dicenda sunt in schemate XIII *de praesentia et actione Ecclesiae in mundo huius temporis*.

Necesse ergo est ut aliqua paragraphus introducatur, quae tanto melius cum tota constitutione *de Ecclesia* bene consonaret, quanto tota haec pulchra constitutio nostra sub signo Propositi Dei evolvitur, ut notat ipsa relatio de hoc capite ad calcem capitis impressa (in pag. 187 sub B). Nec sufficere videtur ut aliqua ieiuna sententia addatur hic vel ibi, in tramite textus prout nunc iacet, quod insuper pulchro cursui eiusdem textus noceret, sed oportet ut aliqua nova, saltem brevis, paragraphus addatur ad calcem primi numeri capitis, i. e. post n. 48. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (cf. *Io.* 11, 52).

12

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Superior Generalis Congregationis Angliae O.S.B.

Venerabiles Patres,

Textus huius capitis, sicut iacet, in genere placet. Habet autem aliquos defectus, quae per emendationes sanandos duco, et emendationes secretariatui transmittam. Sed hic primum assentio his quae dicta sunt super defectu de Spiritu Sancto, in hoc capite.

Mentio fit de Spiritu Sancto, ni fallor, semel solum, et est in n. 51, pag. 185, in linn. 27 s., et haec mentio calamitosa est, quia illic legimus de latreutico cultu quem Iesu Christo et Deo in Spiritu tribuimus. Optime, sed possit videri quasi cultus latreuticus non tribuitur ipsi Spiritui Sancto et ideo suadeo ut haec locutio saltem mutetur et dicatur, e. g. « latreuticum cultum quem Deo Patri cum Filio eius et Spiritu Sancto tribuimus ».

Sunt aliae additiones et emendationes quas iam transeo, sed attentionem vellem applicare ad locutionem, ad usum conceptus mystici Corporis. Est in n. 50, ad initium, pag. 184. Illic legimus: « Hanc

communionem totius Iesu Christi mystici Corporis ». Iam hic significatur quod mysticum Corpus componitur ex membris Ecclesiae peregrinantis, Ecclesiae purificantis et Ecclesiae triumphantis. Sed hi tres ordines sunt non simpliciter connumerandi et sive in S. Paulo sive alibi in hoc schemate, conceptio vel notio mystici Corporis applicatur exclusive ad Ecclesiam peregrinantem; et identificatur cum Catholica Ecclesia Romana, quae est societas structurata. Et sancti in caelis non sunt membra huius Ecclesiae in eodem modo tamquam nos et ideo melius est ut hic dicamus non de mystico Corpore sed simpliciter de communione cum Ecclesia caelesti. Sed emendationes transmittam secretariatui. Dixi.

Textus scripto traditus:

In priore redactione huius schematis, Ecclesia peregrinans fere exclusive considerabatur. Cum vero determinatum esset quod caput adderemus de B. Maria Virgine in mysterio Ecclesiae, consequens erat ut mentio fieret etiam de aliis sanctis Dei iam glorificatis. Ideo placet quod hoc caput inseratur in contextu schematis, et caput sicut iacet in genere placet. Habet autem aliquos defectus quos per emendationes, ceterum non difficiles, sanandos duco.

Et primum mentio de Sancto Spiritu auctore omnis humanae sanctitatis prope omnino deficit. Cum autem in n. 51 fit mentio eius, locutio talis est quasi latria Deo quidem Patri et Filio tribuatur, non autem Spiritui Sancto. Ideo propono:

1. In hoc n. 51, pag. 185, linn. 27 s., pro « latreuticum cultum quem Iesu Christo et Deo in Spiritu tribuimus », dicatur: « latreuticum cultum quem Deo Patri cum Filio eius et Spiritu Sancto tribuimus ».

2. N. 48, pag. 181, lin. 6. Post « et sumus » addatur: « et Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae, signati sumus ».

3. N. 49, pag. 182, linn. 20 s., post « canimus » scribatur: « universi qui Christi sunt, Spiritum eius habentes » (cf. *Rom.* 8, 9).

4. N. 50, pag. 184, lin. 9. Post verba « totius Ecclesiae » addatur: « in Spiritu ».

Praeterea propono:

5. Ut n. 49, pag. 182, linn. 34-37 omittantur, ne textus Scripturae eo sensu citetur quem secundum complures exegetas non habet.

6. Eodem numero et pagina, linn. 29 s. omittantur « divinum eius cultum nobilitant », quia obscurum est et non necessarium.

7. N. 50, pag. 184, lin. 10. Omittatur citatio *Eph.* 4, quia non est ad rem.

8. Eadem pag., linn. 37 s. Pro « iam nascentis Ecclesiae filii » scribatur: « iam in Ecclesiae primordiis christifideles », ne quaestio fiat de tempore nativitatis Ecclesiae.

9. Eodem numero ad initium. Pro « Hanc communionem totius Iesu Christi mystici Corporis » scribatur: « Hanc communionem cum Ecclesia caelesti » — ne videamur conceptum Corporis Christi applicare in modo S. Paulo inusitato et cum cap. I, n. 7 huius schematis discrepante — quippe cum apud Paulum et in illo capite Corpus significat Ecclesiam *peregrinantem*.

Has emendationes submitto iudicio vestro, Patres venerabiles.

13

Exc.mus P. D. SECUNDUS GARCIA DE SIERRA Y MENDEZ
Archiepiscopus Burgensis

Em.mi Praesides ac Moderatores, venerabiles Patres,

Animo sincero laetamur eo quod Concilium, postquam diserte egerit de universorum vocatione ad sanctitatem, caput statuat de consummatione huius sanctitatis in gloria sanctorum. Animos enim erigere oportet, ut « ad superna semper intenti, facilius caelestia capiamus » et « ea quae sursum sunt, non quae super terram » ...[1] prae primis intendamus.

Dolendum enim est, nostris vel maxime temporibus, homines etiam christianos rebus materialibus nimium immergi et « inter mundanas varietates » volvi, ita ut « unum necessarium » ...[2] obliviscantur.

Ideo Concilium pro viribus conari debet ut hominum corda ibi fixa sint « ubi vera sunt gaudia », memor verborum Domini: « ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis huius vitae » ...[3]. Sublimem vocationem omnium filiorum Dei meminisse peropportunum est, ut omnes mentes erigant, angustiae expertes evadant, spem foveant, et, dum in labore manuum, in Deo cor reponere studeant.

Haec, inter cetera, iuxta mensuram qua a schemate videntur recte proposita, vel maxime veniunt laudanda.

...[4] Iam vero, adhuc textus emendatus huius capitis, in re pastorali tanti momenti, stylo nimis diffuso laborat, quin praebeat desideratam copiam doctrinae. Prolixa concatenatione textuum Sacrae Scripturae — *super quam pluviam non levem em.mus card. Ruffini spargere*[5] — piisque considerationibus ad modum homiliae cuiusdam, non sufficienti perspicuitate et profunditate gaudet. In professionibus fidei invenire licet paucis lineis contracta quae in hoc capite amplitudine pagellarum describuntur; nec ampla redactio sibi sociavit amplitudinem doctrinae, quae fere catechetica remansit et aptam dicerem ut in contione declametur. Proportionem servare debuisset cum ceteris capitibus schematis, quibus nequaquam aequari potest vigore et claritate. Plura inchoantur, quaedam alluduntur; ea tantum videntur explanari quae placibilia sonent. Laudanda est forma oecumenica textus, forma autem minime sufficit. *Liceat mihi, Fratres, pro conscientiae imperio, animadvertere humillime: catholicam oecumenicis, ut dicitur, lineis doctrinam obumbrare ac quoquomodo media in luce relinquere nec iustum nec dignum est.*[6]

...[7] Prae primis, titulus nimis longus videtur. Aptius fortasse intitularetur: *De Ecclesia peregrinante eiusque unione cum caelesti.* Duplici ratione: *a*) ita adhibetur formula biblica ...[8]; et *b*) vitatur redactio sub prima persona numeri pluralis, quae tantummodo in titulo huius capitis invenitur, quaeque determinat quasdam subsequentes confusiones.

Ita accidit in n. 48, linn. 22-27, ubi allusio ad iudicium « ante tribunal Christi » restringitur ad « omnes nos », i. e., ad membra Ecclesiae, attento contextu.

N. 50 (pag. 184, linn. 33-35) formula: « universum genus humanum, sanguine Christi redemptum et in unam Ecclesiam congregatum », non nisi in spe, et proinde de futuro, dici potest. Ideo, ut vitetur periculum aequandi genus humanum et actualis Ecclesia, convenienter supprimeretur.

...[9] In relatione generali huius capitis dicitur: « desiderio Summi Pontificis necnon et plurium Patrum satisfactum est: ut nempe ad principales veritates " de Novissimis " saltem alluderetur » ...[10]. Iam vero caput ample agit de communione Ecclesiae caelestis cum Ecclesia peregrinante et de conversatione Ecclesiae peregrinantis cum Ecclesia caelesti. Quid simile desideratur de mutua relatione Ecclesiae peregrinantis cum purgante, nam, licet doctrina de purgatorio prima facie minus oecumenica censeatur, eius locus proprius hic adesse videtur. Nec sufficientes reputari debent leves allusiones. Rationes pastorales ad luculentiorem doctrinam de purgatorio proponendam obviae sunt, vel maxime cum in hac re faciliori modo abusus irrepsere et deviationes.

Verum est quod dicitur in relatione de n. 48 (pag. 187): « cuius doctrinae praedicatio (de Novissimis), propter rationes dogmaticas et pastorales, in mundo hodierno omnino urget ». Homines enim hodierni, indefinito progressui in rebus technicis *fidem* praebentes, *spem* videntur illimitatam viribus naturae tribuere, et exinde *amorem* huius saeculi ferventissime manifestant. Quae non raro in naturalismum traducuntur, adeo ut vita humana in naturalibus claudatur. Cuius sequela necessaria est ut homo ne quidem ut homo sese gerat. Sibimet regula, sensus peccati pervertitur aut disparet. Ideo urget, re vera, homini nostri temporis etiam timorem Domini praedicare, iuxta verba Eccli. ...[11]: « Memorare novissima tua et in aeternum non peccabis ».

Proinde, si Concilium non data opera « de Novissimis » aget, oporteret in hoc capite non tantum leves et incompletas allusiones proponere; nam infernus ne quidem nominatur, cum adsit vera possibilitas ruinae et aeternae damnationis, siquidem etiam nostris temporibus, minae evangelicae sub alto silentio praetermitti nec possunt nec debent.

...[12] Inter dispositiones pastorales a schemate propositas relate ad cultum sanctorum haec habetur: « Doceant ergo fideles authenticum sanctorum cultum non tam in actuum exteriorum multiplicitate quam potius in intensitate amoris nostri consistere » ...[13]

Huiusmodi redactio, nisi compleatur, quaedam incommoda continere videtur: *a*) in praxi praeiudicare videtur quaestionem adhuc in scholis disputatam de valore actuum exteriorum superaddito valori actuum internorum. Nam, licet assertio in se vera sit, fatendum est, ut docet S. Thomas, 1-2, q. 101, a. 2, cultum exteriorem ordinari ad interiorem, eumdemque, attenta indole humana, quamplurimum fovere. Aliunde actus exteriores sunt signa dispositionis interioris (2-2, q. 168 ...[14]); ideoque non despiciendi sunt dummodo non mere exteriores sint. *Denique*[15] periculum *certissime*[16] imminet in praxi, sub praetextu amoris interni, suppressionis cultus externi in honorem sanctorum, quo devotio populi fructuose fovetur. Illustretur et apte dirigatur *quod ad pastores pertinet,*[17] ut abusus et deviationes vitentur, non vero parvipendatur. ...[18] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Col.* 3, 2). [2] (*Lc.* 10, 42). [3] (*Lc.* 21, 34). [4] 1. De redactione schematis nimis diffusa ac de tenuitate doctrinae. [5] deest. [6] deest. [7] 2. De his quae, in specie, minus clare aut minus apte videntur dicta. [8] (cf. *2 Cor.* 5, 6). [9] 3. De his quae desiderantur in allusionibus ad « novissima ». [10] (pag. 196). [11] 7, 40. [12] 4. De his quae, ratione pastorali, complenda sunt relate ad cultum sanctorum. [13] (pag. 185, linn. 15-18). [14] a. 1, ad 1 et ad 3). [15] b) [16] deest. [17] deest. [18] Pari ratione dispositiones pastorales desiderantur relate ad pietatem erga animas in purgatorio detentas, quae fidelium suffragiis potissimum vero acceptabili altaris sacrificio, iuvantur (D. 983/1820).

14

Exc.mus P. D. LUDOVICUS MATHIAS

Archiepiscopus Madrapolitanus et Meliaporensis

Venerabiles Fratres,

Loquor etiam nomine exc.mi arch. Perantoni et aliorum episcoporum.

Cap. VII constitutionem *de Ecclesia* sub pluribus aspectibus modo valde felici complet ideoque omnino retinendum est, immo in actuali sua forma, nobis videtur, ita aequilibratum et harmoniosum est ut nullae mutationes alicuius maioris momenti sint introducendae.

Puncta quaedam quae speciali laude digna videntur, sunt sequentia:

1. Totum munus pastorale Ecclesiae in eo est ut homines ad sanctitatem seu ad plenam unionem cum Christo adducat. Ad hoc instituta est et ad hoc tendunt omnes eius Institutiones et omnia eius media, in primis, uti patet, sacramenta.

Sed Ecclesia non solum habet finem et media sanctificationis, sed etiam actu homines sanctificat, i. e. illos revera ad sanctitatem adducit. Et hoc praecise quam clarissime patet in sanctis caelitibus et maxime in « Sanctis » Dei qui ut tales rite declarati sunt. Illi sunt testimonium vivum et utut convincens quod Ecclesia revera est domus Dei, populus Dei, familia Dei immo Corpus Domini nostri Iesu Christi.

2. Potissimum in sanctis modo concreto et vivido patet quod homines cuiusvis status, indolis, conditionis, stirpis, professionis ad plenam sanctitatem pervenire possunt.

In priore parte constitutionis nostrae docemus quod omnes homines ad sanctitatem vocantur; iamvero in sanctis admirabilem confirmationem huius doctrinae contemplamur, cum inter illos inveniantur homines omnis coloris et nationis, divites et pauperes, principes et opifices, sacerdotes, laici et religiosi.

Omnes ad sanctitatem pervenerunt, sed bene notetur, non omnes eadem via. Ineffabiles divitiae gratiae Christi et inexhausta fecunditas Matris Ecclesiae praesertim ex eo patet, quod unusquisque sua via ad plenam unionem cum Christo pervenire potest, dummodo officia suae vocationi et suo statui propria fideliter, constanter et alacriter perfungatur.

3. Viva conscientia nostrae unionis cum fratribus maioribus qui iam in gloria cum Christo Domino regnant, magnam consolationem affert et simul nos incitat ad arctam viam cum Christo ineundam.

Quot pauperes qui in hac terra nihil possiderunt nisi miseriam et curam panis cotidiani, *et ita*[1] elevantur ad altiora, si cogitant multos sanctos in extrema paupertate Christum invenisse et secutos esse.

Quot homines qui etiam hodie propter fidem Christi multipliciter patiuntur, spem erigunt, exemplo sanctorum permoti qui laeto animo pro Christo usque ad effusionem sanguinis passi sunt.

Quot neophyti qui in parvulo quodam angulo nostri mundi in mediis paganis et atheis fidem Christi profitentur animo crescunt scientes se multos fratres habere in Christo Domino et quidem in primis in innumerabilibus viris et mulieribus qui iam in gloriam ingressi fraternam curam et sollicitudinem illis exhibent.

4. Tandem, in hoc eodem contextu, recolendum est Ecclesiam gloriae constituere longe maiorem partem populi Dei, dum nos non su-

mus nisi fractio quaedam parvula numero et adhuc in via ad illam plenitudinem vitae in qua Christus erit omnia in omnibus.

Maximopere convenit proinde ut realitatem Ecclesiae triumphantis emphatice in hac constitutione *de Ecclesia* affirmemus et christifideles invitemus ut conscii suae ad sanctos caelites unionis, fraternam conversationem cum ipsis foveant, maxime in sacra Liturgia sed etiam in vita pietatis privatae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Moderator: Loquitur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Sinatis, Patres, ut unum parvum additamentum faciam his quae dixi. Quando fiet suffragatio in qua erit formula « placet iuxta modum », modi parandi sunt antea, ita ut tradantur cum schedula suffragationis, et optimum erit si unusquisque modus in distincto folio scribatur ita ut commissio faciliorem habeat suum laborem in examinandis modis. Gratias.

Moderator: Proxima congregatio generalis, crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXXXI

16 septembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS LXXXI

16 septembris 1964

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderatur octogesimam primam congregationem generalem em.mus ac rev.mus P. D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

In hac congregatione prosequitur disceptatio circa cap. VII schematis *de Ecclesia.* Sunt tres tantum Patres, qui volunt loqui. Deinde transitus fit ad cap. VIII schematis, scil. de Beata, post relationem factam ab exc.mo P. D. Roy, arch. Quebecensi.

Distribuitur imprimis in hac congregatione talis relatio. Aliae distributiones, si faciendae erunt, fient postea.

Audiant Patres! Qui volunt disceptationem facere circa duas declarationes schematis *de Oecumenismo*, scil. *de libertate religiosa,* et *de Iudaeis et non christianis,* iam nunc exhibeant summam suae interventionis.

Quoad schema *de episcopis et dioeceseon regimine* hodie est ultimus terminus praesentandi summam interventionis.

Pro declarationibus vero, terminus datur usque ad feriam VI sequentem, ultimam nempe congregationem huius hebdomadae.

Haec igitur sunt nomina Patrum, qui verbo uti petierunt circa cap. VII schematis *de Ecclesia*: em.mus P. D. card. Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; exc.mi Alfridus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia; Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Italia.

Quoad vero cap. VIII schematis *de Ecclesia,* scil. « De B. Maria Virgine », verbum facere postulaverunt: em.mi ac rev.mi PP. DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Stephanus Wyszyński, arch. Varsaviensis in Polonia; Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; Iulius Döpfner, arch. Monacensis in Germania; Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chilia; Augustinus Bea. Deinde exc.mi PP. DD. Hadrianus Djajasepoetra, arch. Djakartanus in Indonesia; Octavianus Marquez, arch. Angelorum in Mexico; Conradus Mingo, arch. Montis Regalis in Sicilia; Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus in Brasilia; Paulus Rusch, ep. Oenipontanus in Austria; Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia; Placidus Cambiaghi, ep. Novariensis in Italia; Ioannes Hervás, ep. Prior Cluniensis in Hispania; Ioannes Abasolo, ep. Vijayapuramensis in India; Eduardus

Neczey, adm. apost. Nitriensis in Cecoslovachia; Franciscus Rendeiro, ep. Algarbiensis in Lusitania; Andreas Šapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia; Petrus van Lierde, ep. vic. generalis pro Civitate Vaticana.

Durante hac congregatione, ut heri dictum est, fiet suffragatio circa rationem suffragandi schema *de Ecclesia*. Em.mus moderator, tempore quod sibi opportunum visum fuerit, proponet suffragationem, quam heri explicavi, et responsio erit tantum per *placet* et *non placet*. Gratias.

PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia,* cap. VII)

1

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS

Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Concilium nostrum, utpote pastorale, in suas partes etiam dogmaticas considerare debet influxum pastorale, quod etiam valet in praesenti capite ubi de Ecclesia caelesti.[1]

Ecclesia *hic in terris*[2] unum tantum intendit: sanctos generare. Ad suos filios vero in requirenda sanctitate stimulandos, Ecclesia interdum ad novas canonizationes procedit, *ut*[3] prae oculis totius populi Dei praebentur vitae authentice christianae exempla quae ad imitandum proponuntur. Quae exempla maximae efficacitatis erunt maximeque ad imitationem trahent si desumuntur ex omnibus categoriis fidelium, tam laicorum quam religiosorum, ex omnibus etiam nationibus, ex diversis vitae conditionibus, « *de tous les milieux de vie* ».[4] Si vero canonizationes *historice*[5] proclamatas inspicimus, *apparet disproportio maxima inter categorias et inter nationes*.[6] Sancti-non-martyres ...[7] inde ab initio saec. XVIII usque hodie pertinent ad mundum religiosorum *et religiosarum*[8] in proportione 85 per centum. Ex alia parte, ...[9] tres nationes *Europae*[10] simul sumptae habent 90 per centum canonizatorum.

Utique omnes toto corde gaudemus de praeclara supernaturali fecunditate ordinum religiosorum necnon de mirabili christiana vitalitate qua in tali vel tali natione sanctitatis flores tam abunde generantur. ...[11] Sed alia est quaestio nostra examinanda...[12] Ecclesiae...[13] est omnibus fidelibus — quicumque sint, ubicumque vivant — exempla proponere quae vere eos allicere possunt; quod evidenter requirit exempla illa desumi, in quantum fieri potest, ex diversis nationibus necnon ex variis vitae generibus.

Videtur nos talem vere pastoralem finem prosequi non posse nisi ...[14] emendando inquisitionis modum actualiter habitum ad canonizationes proclamandas.

Ut paucis dicamus, tria *animadvertimus*[15]: ille procedendi modus nimis lente progreditur; — nimis est onerosus; — tandem nimia centralizatione patitur...[16]

I. *Nimis lente* ...[17] Utique non desunt quaedam exceptiones. Attamen canonizatio generaliter locum non habet nisi valde post sancti mortem et propterea fructus ...[18] istius publicae declarationis magna pro parte minuuntur...[19]

II. *Nimis lente et nimis onerosae.*[20] Nemo hoc ignorat. Magnae expensae exiguntur ut fiant hodiernae inquisitiones. Quod nullomodo mirandum est. Quia processus terminum non obtinet nisi post quinquaginta, octoginta et saepius centum et amplius annos, fere semper necesse est quandam religiosam familiam onera assumere et continuatae sollicitudinis et impensarum quae exiguntur. Facile exinde intelligimus paucos laicos ad altarium honores elevari necnon minimum esse inter sanctos canonizatos numerum presbyterorum ad clerum dioecesanum pertinentium. Nonne dolendum esset si, *etiam pro minima parte,*[21] inopia pecuniae impedimentum ad canonizationem obtinendam constitueret?

III. *Tandem, nimia centralizatione patitur procedura* ...[22] Etenim, absoluto processu apostolico Ordinario loci commisso, vi regularum ...[23] omnes sequentes partes *Romae* habentur. Exinde sequuntur luctuosae illae dilationes et expensae *maiores,*[24] de quibus iam verbum fecimus.

Concludendo,[25] ad concretam quamdam propositionem deveniamus.

Possetne examen processuum ad beatificationem ducentium — exclusis ergo canonizationibus et semper, ut patet, supposita approbatione Summi Pontificis —, *possetne examen*[26] conferentiis episcopalibus, *v. g.*[27] committi? Quae conferentiae specialem commissionem instituerent, cuius membra ita eligerentur ut possint totum populum christianum, laicatum etiam, repraesentare.

Tali procedendi modo, a nimia centralizatione liberato, obtineremus laboris progressionem velociorem *et meliorem distributionem.*[28] Taliter etiam maioris ponderis fieret testimonium beatificatione praestitum quia indoli cuiusque populi magis proximum. In nostra propositione, canonizatio a Summo Pontifice reservaretur illis beatis quorum fama sanctitatis ...[29] fines suae patriae *transgrederetur,*[30] ita ut calendario Ecclesiae universalis ascribi possint. Beati vero in calendario *particulari*[31] talis vel talium nationum *inscriberentur.*[32]

Hoc vel simili modo, unio Ecclesiae terrestris cum Ecclesia caelesti,

de quo in capite nostro, iam visibiliter maxima apparebit in Ecclesia in sua vera catholicitate.[33] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Unanimo Patrum consensu intendit hodiernum Concilium pastorales aspectus evolvere in suis etiam dogmaticis partibus. Momentosum proinde videtur et caput « de sanctis » sub hoc pastorali respectu considerare. [2] deest. [3] Taliter. [4] deest. [5] de facto. [6] facile detegimus non negandam inaequalitatem admissam fuisse: quibusdam fidelium classibus manifeste favent, quibusdam etiam nationibus. [7] canonizati. [8] deest. [9] si inspicimus nationes. [10] deest. [11] Quis de hoc dubitare potest? [12] Oportet nos etiam consideremus innumerabilem illam *fidelium* multitudinem qui *in universo mundo* degunt et qui sanctificationem suam prosequi debent in suo proprio vitae medio. Et illi omnes ad summam sanctitatem vocantur. Nonnulli eorum ceteroquin ad admirabilem sanctitatem perveniunt. [13] proinde. [14] recognoscendo. [15] animadvertemus. [16] Quod breviter explicamus. [17] progediuntur canonizationes. [18] effectus. [19] Tali proclamatione movetur ipsa religiosa familia ad quam pertinebat novus sanctus, nova sancta. Plebs christiana vero ex tali eventu quasi nullam utilitatem, nullum fructum cepit, quia quocumque valore iam destituitur tam longinquum testimonium. Valde optandum est canonizationem tunc haberi, in quantum prudenter fieri potest, quando mirae illius vitae memoria adhuc clara, adhuc vivida servatur. [20] Nimis onerosae sunt canonizationes. [21] sola. [22] adhibenda. [23] de facto impositarum. [24] deest. [25] Quibus expositis. [26] deest. [27] deest. [28] expensaeque minores fierent. [29] et veneratio fidelium. [30] transgrederentur. [31] Ecclesiae particularis. [32] ponerentur. [33] deest.

2

EXC.MUS P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres,

Mihi omnino placet textus qualis proponitur. Unde nullam partem eius *reiiciam, sed iis quae heri tam praeclare iam dicta sunt alia quaedam addere volo, ne forte textus noster*[1] a quibusdam mancus iudicetur et quidem in re sat gravi.

Etenim indoles eschatologica vocationis nostrae non tantum manifestatur in pugna exercenda contra insidias diaboli, in sufferendis passionibus huius temporis, aut in vigilantia servanda ut in die mortis parati inveniamur, sed etiam, et quidem quotidie, in omnibus operibus nostris manifestari oportet, duplici praesertim modo.

Primo modo, fide, spe et caritate quasi premimur ad diligentiorem

activitatem. Labores enim et omnes activitates huius temporis non solum habent suum proprium valorem sub respectu humano et terrestri, sed etiam, dummodo sub influxu caritatis exerceantur, valorem aeternum prae se ferunt. Unde nullo modo religio tanquam « plebis opium », *ut aiunt,*[2] improbanda est, sed e contra maxime homines impellit, ut suas faciant omnes curas huius saeculi, et hoc quidem in omni campo activitatis humanae sive individualis et familiaris, sive socialis oeconomicae aut politicae.

Proinde qui, sub praetextu vitae aeternae adipiscendae, has curas terrenas negligeret, tanquam « servus piger et inutilis » a vita aeterna removeretur. Qui autem, sub influxu caritatis, se totum ad servitium fratrum suorum vitam suam dedicaverit, hanc laudem a Domino merebitur audire: « Quia in modico fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui ». Dixit etiam Apocalypsis: « Opera illorum sequuntur illos ».

Secundo modo, indoles eschatologica vocationis nostrae nobis purificationem et libertatem praebet in omni activitate terrestri. Non habentes hic manentem civitatem sed futuram inquirentes, ita nos operibus terrenis dedicamus ut nunquam istorum servi efficiamur. Ita, mihi videtur, interpretari debemus verba Pauli ad Corinthios scribentis: « Tempus breve est; reliquum est ut qui habent uxores tanquam non habentes sint... », et reliqua huius textus quem memoria tenetis. Tamen finem eiusdem recolam: « qui utuntur hoc mundo, ait apostolus, tanquam non utantur, praeterit etenim figura huius mundi »...[3]

Non ita loquitur Paulus ut hominibus suadeat negligentiam in amore uxoris suae, cum dixerit: « Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam », sed illum suadet amorem, qui filios Dei decet, in omni puritate et libertate. Beata mulier, quae ita a viro suo diligitur, atque beati homines, si omnes qui rebus socialibus, oeconomicis aut politicis praesunt, hanc indolem eschatologicam vocationis suae cognovissent.

Neque agitur hic de simplici exhortatione morali aut spirituali, sed de exigentia in ipsa doctrina fundata.

Unde mihi videretur necessarium introducere in nostrum textum aliqua, quae melius omnibus patefacerent plenitudinem indolis eschatologicae vocationis nostrae.

Emendationem autem secretariatui tradam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] reiicere volo, sed unice aliquam additionem proponam, ne forte. [2] ut quidam dixerunt. [3] (*1 Cor.* 7, 29-31).

Emendatio proposita:

N. 48, lin. 13: « Eadem autem caritate urgemur, ut nosmetipsos tradamus servitio fratrum nostrorum in omni campo activitatis humanae sive individualis aut familiaris sive socialis, oeconomicae aut politicae. Ita non tanquam pigri a Domino reiiciemur, sed potius tanquam servi fideles in gaudium eius admittemur. Rebus autem huius mundi intenti, puri et liberi manebimus, quia, non habentes hic manentem civitatem, sed futuram inquiramus, ita labori nostro dedicabimur, ut semper et in omnibus unice in caritate vivere poterimus. Sic armatura Dei induti, fortes stabimus adversus insidias diaboli et resistemus in die malo. Quinimmo et in aerumnis et tribulationibus semper magis vivemus ei qui pro nobis mortuus est et resurrexit (cf. *2 Cor.* 5, 15). Cum vero nesciamus ... (ut lin. 18 a).

3

EXC.MUS P. D. BLASIUS D'AGOSTINO

Episcopus Vallensis in Lucania

Venerabiles Patres,

Caput de quo discussio *per meam interventionem hodie concluditur,*[1] argumenta maximi momenti amplectitur et quae temporibus nostris valde commentanda sunt.

1. Nobis notum est quod naturalismum modernum Deum et spiritum *non agnoscens,*[2] vitam aeternam non tantum in dubio ponit, sed expresse *negat.*[3]

His laetalibus negationibus positis, quae procul dubio vitam bene ordinatam mortificant, oportet quod supremae fidei veritates modo claro ac inaequivocabili hodiernis hominibus proponantur et praesertim doctrina « de novissimis », in hodierna praedicatione fere omnino in oblivione posita.

Textus capitis de quo agitur, expressiones habet quae optime ad aedificationem spiritualem praestantur, speciatim propter pios fideles, sed solemnem declarationem circa supremas fidei veritates non affert, quibus aetas nostra maxime indiget ut ad integram vitam christianam agendam redire possit. Pastoralis Concilii indoles *utique*[4] veritatis vim mortificare non debet.

In cap. VII de indole eschatologica vocationis nostrae utique loquitur, sed hodierno mundo revocare oportet quod ad sanctificationem omnes tenentur quia per sanctificationem tantum ab omnibus vitae aeternae consecutio fit.

Hodie magna sollicitudo de temporalibus negotiationibus, fere nulla de thesauris caelestibus postulatio!...

Ergo, meo humillimo iudicio, sanctificationem nostram consumma-

turam esse in vita aeterna adfirmare non sufficit, sed proponere oportet quod sanctificatio personalis conditio est sine qua non ut ad vitam aeternam ab omnibus perveniatur.

2. In capite de quo agitur, qua ratione mentio non fit de cultu defunctorum et de purgatorio?... In n. 49, timida expressio adest, i. e.: « alii hac vita functi purificantur... ». Sed non sufficit. Omnino nota est quaenam sit doctrina aliquorum nostrorum fratrum separatorum circa hanc veritatem. Oportet ergo ut veritas nostra clare *adfirmetur.*[5]

3. Iuxta sensum Patrum qui hoc caput in commissione exaraverunt, doctrina de novissimis ad considerationem modernorum proponere optatur, sed ne verbum quidem de finali sanctione, i. e. de aeterna damnatione quae « inferno » expiatur.

In nostra aetate, quae quam pluribus delictis sive privatis sive publicis opprimitur, non tantum misericordiam Dei sed etiam Iudicis aeterni iustitia revocare valde salutare est. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] fit. [2] negans. [3] reiicit. [4] deest. [5] declaretur.

Moderator: Transitus fit ad disceptationem de cap. VIII, i. e. « De B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae ». Velit exc.mus D. Mauritius Roy legere relationem circa idem caput.

Exc.mus P. D. MAURITIUS ROY
Archiepiscopus Quebecensis

Relatio introductiva super cap. VIII schematis de Ecclesia de B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae

Venerabiles Patres,

1. Aliquid imprimis dicendum circa insertionem expositionis DE BEATA *in complexu Constitutionis* DE ECCLESIA.

Ratio fuit quod haec Constitutio est thema principale Concilii Vaticani II, et simul quod B. Virgo intrinsecus cum mysterio Ecclesiae connectitur.

Ex altera parte autem, ad hanc connexionem explicandam, necesse est ut ex professo consideretur munus Deiparae in ipso mysterio Verbi Incarnati. Sed sub hoc aspectu expositio mariologica tractationem de Ecclesia *excedit.* Quapropter nonnisi in fine schematis poni potuit et

simul ultra strictos eius limites extendi debuit, ut de B. Virgine conspectus generalis, sufficienter in fide fundatus, haberetur. Quapropter ut titulus signanter ponitur: De Virgine Deipara *in mysterio Christi* et Ecclesiae. Ita simul datur intelligere quod cum hac theologia mariali ad aliquod culmen pervenimus.

Exinde autem minime sequitur quod Concilium determinatam solutionem imponat controversiae inter sic dictas tendentias *Christotypicam* et *Ecclesiotypicam* de figura Mariae. Absoluto sensu typus omnis perfectionis est Christus, cui Maria singulari modo conformatur, ita ut ipsa, secundum iam antiquam traditionem, Typus Ecclesiae vocari potuerit. Christotypica et Ecclesiotypica interpretatio se invicem nullo modo excludunt, sed complent.

Concilium vero, secundum universalem suam methodum, in controversias inter catholicos theologos non intrat, sed ubique placita fundamentalia doctrinae catholicae fidelibus exponit, circa quam omnes omnino Patres concordant, ut exinde tum praedicatio pastoralis solide fulciatur, tum pietas populi christiani enixe foveatur.

Utrumque autem melius obtinebitur, si intelligentia fidei et devotio potius quaeruntur in profundiore penetratione altissimi mysterii, quam in mera superficiali extensione et multiplicatione variorum titulorum.

Concilium hoc suum intentum in *Prooemio* lucido modo exprimit, quando utens verbis S. P. PAULI VI declarat se loqui de « Illa quae in Sancta Ecclesia locum occupat post Christum altissimum nobisque maxime propinquum ».

2. *Prima Pars* expositionis agit de munere B. Virginis in oeconomia salutis secundum placita *S. Scripturae* et *Traditionis*. S. Pagina autem legitur, ut oportet et apud catholicos inconcussum est, sub lumine completae revelationis et expositionis Ss. Patrum et Magisterii ecclesiastici.

Traditio autem ordinem sequitur, qui in ipsis sacris libris observatur allatis verbis quae dignitatem Deiparae ostendunt, sed non negligendo illos textus qui, sicut plures non catholici putant, aliquam difficultatem prae se ferre videntur: ita sinceritas theologica ubique apparebit.

Post praeparationem Veteris Testamenti extollitur praesertim significatio annuntiationis angelicae, in qua Maria libero suo consensu in fide et actuosa caritate munus divinae maternitatis accepit, cuius beneficium super omnes homines redundabit. Hoc est absque dubio princeps fundamentum totius mariologiae, ut apud omnes, etiam apud Orientales, qui Theotokon maximo honore colunt, in confesso est.

In eodem contextu enuntiatur ad modum antiquorum Patrum quod B. Virgo in oeconomia salutis ut « nova Heva », « causa salutis » et « mater viventium » apparet.

In huius expositionis decursu inseruntur duo dogmata, a Romanis Pontificibus solemniter definita, scilicet Immaculata Conceptio et Assumptio. Utriusque autem privilegii ostenditur indoles salutifera pro omnibus christianis. Immaculata et pura inde a primo instante suae conceptionis, ex virtute Christi, omne peccatum devincit et in sua adhaesione ad divinum nuntium nullam omnino patitur retardationem. Similiter, expleto terrestris vitae cursu, corpore et anima ad coelestem gloriam assumpta et tanquam omnium Regina a Domino exaltata, spem christianorum ad beatam consummationem fortiter erigit. Veritates autem illae ipsis verbis in definitione pontificia adhibitis proclamantur.

Hoc generali modo procedendi ex ipsa Scriptura et antiqua Traditione praecavetur omnis instantia, quasi de inventis pure humanis ageretur, ut timent plures ex fratribus seiunctis, quibus potius praebemus claram singulorum dogmatum explanationem. Ita scilicet in textu loqui conamur, ut omnes intelligere valeant, et difficultatibus illusoriis a consensu non impediantur.

3. *Secunda Pars* capitis agit directe *de relatione B. Virginis ad Ecclesiam,* et imprimis insistit super *cooperationem* B. Virginis ad salutem universalem, in consensu initiali ad incarnationem Redemptoris, in oblatione sacrificii in cruce peracta, et in perpetua intercessione caelesti. In illo contextu citatur, praeter alios titulos, etiam appellatio *Mediatricis,* quod tamen pluribus membris Commissionis non placuit; ita autem explicatur ut exinde excellentia unici Mediatoris nullo modo officiatur.

Deinde explanatur quomodo Maria, Virgo et Mater, merito agnoscitur ut *typus Ecclesiae,* quae et ipsa virginaliter et maternaliter ad salutem omnium operatur. Hoc placitum certe speciale habet momentum, siquidem Concilium praecipue occupatur de variis et altissimis aspectibus mysterii de Ecclesia, mundo hodierno ad salutem et gaudium proponendi.

Inde B. Virgo, Mater omnium hominum, iure et exemplum omnium virtutum consideratur, non solum admirandum, sed a cunctis data opera imitandum.

4. *Tertia Pars* Decreti directe agit de applicatione practica doctrinae ad *cultum* et *praedicationem.* Hoc modo Concilium praeoccupationem suam pastoralem aperte manifestat, ut scilicet devotio erga B. Virginem neque haesitatione pusillanimi retardetur, neque in excessum imaginativum prorumpat, sed e contra magnopere iuvetur, ubi necesse fuerit purificetur, et semper et ubique intensificetur. Ad hunc finem obtinendum efficax adiumentum exspectamus ex parte concionatorum, quos ad praescriptiones Magisterii sedulo obsequendas exhortamur.

Clauditur denique expositio cum descriptione Mariae tanquam *signi*

certae spei et solatii pro Populo Dei inter diras tribulationes peregrinante.

Speramus autem ut, opitulante B. Virgine, omnes christiani, etiam non-catholici, ad optatam pacem in Christo perveniant. Immo liceat exprimere votum ut cuncti Patres atque theologi, circa laudes Virginis apto et alto modo celebrandas, ad « concordiam », id est ad unitatem mentis et cordis sine mora pertingant, ita ut a nostra unanimitate ad totum populum catholicum omnesque christianos redundet una intentio fidei ac devotionis; nosque duce B. Maria exemplum praebeamus humilis, generosae et totalis acceptationis erga mysterium Christi, qui per Virginem in Ecclesia ad nos condescendit. Consentientes in doctrina et caritate conglutinati, una voce beatam Eam dicamus cum omnibus generationibus, quia fecit ei magna Qui potens est.

Moderator: Gratias agimus exc.mo relatori. Nunc autem proceditur ad suffragationem de qua heri dictum est, nempe circa rationem procedendi in suffragatione schematis *de Ecclesia.*

Secretarius generalis: Quaestio haec est ... [*cf. pag. 395 usque ad N. B. inclusive*].

Iamvero, circa haec omnia quaeritur a Patribus an placeat ratio proposita. Responsio fit per *placet* et *non placet.*

Pro novis Patribus animadverto suffragationem esse faciendam per signum calami magnetici, nempe debet apponi aliquod signum: crux, linea, punctum sat grande, sed melius est crux, in loco designato, nempe in loco qui respondet sententiae selectae, scil. vel *placet* vel *non placet.* Et videant Patres ne signo magnetico praetergrediantur limites loci selecti.

Itaque dicant omnes Patres an placeat vel non placeat haec ratio proposita.

Moderator: Dum proceditur ad suffragationem, initiatur disceptatio de cap. VIII.

4

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Controversia utrum de B. Maria Virgine tractandum esset in peculiari singularique constitutione — quod pro mea parte maluissem — an in uno capite constitutionis *de Ecclesia* suffragiis plerorumque Pa-

trum iam dirempta est. Quapropter ea tantum nunc vobis reverenter subiicio quae ad tractationem de B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae perficiendam, utilitatem aliquam afferre possunt.

1. *Sub n. 52, pag. 197, linn. 22 ss.,* haec de Maria Sanctissima scripta invenimus: « A Filio suo sublimiore modo redempta eique arcto et indissolubili vinculo unita, hoc summo munere ac dignitate ditatur ut sit Genetrix Dei Filii etc. ... ».

Pluries conatus sum intelligere quid his verbis significetur, sed pervenire non valui ad claritatem. Nam supra optime asseritur Virginem Mariam veram Matrem Dei ac Redemptoris agnosci et honorari, quia Verbum Dei corde et opere suscepit et vitam mundo protulit.

Quanam ratione postquam dictum est: a Filio suo sublimiore modo redemptam eique arcto vinculo unitam esse, additur: « hoc summo munere ac dignitate *ditatur* ut sit Genetrix Dei Filii »? Quid est istud summum munus et quaenam ista dignitas quibus B. Maria Virgo *ditatur* ut sit — nempe ut fiat — Genetrix Dei Filii?

Profecto sermo est saltem perobscurus.

2. *In fine eiusdem paginae* et initio subsequentis, Maria dicitur: « simul cum omnibus salvandis in stirpe Adam inveniri coniuncta, immo etc. ... ».

Huiusmodi *coniunctio,* prouti exprimitur in textu, non est propria Mariae Virginis, cum tribui possit omnibus Adae filiis.

Nonne etiam nos coniungimur, quodammodo, cum omnibus salvandis in stirpe progenitoris?

3. *Sub n. 43, ...*[1] diligenter recensentur quae ad B. Mariam Virginem spectant *tum*[2] in vaticiniis *et figuris*[3] Veteris Testamenti tum in historia Novi Testamenti a Mariae Virginis Annuntiatione usque ad descensum Spiritus Sancti in coenaculo.

Consociatio vero Mariae, ex Dei voluntate, cum Iesu in generis humani redemptione, quae in schemate consociatio dicitur, nimis — *ut mihi videtur,*[4] extenuatur.

In ista sane consociatione Beatissimae Mariae pars prima et praecipua in textu tribuitur, sed id minime sufficit ad ipsius operam in humana Redemptione collustrandam. Etenim Deus potuisset genus humanum alia via, quam per Virginem Mariam, in gratiam suam restituere, sed admirabili Dei bonitati et infinitae eius sapientiae placuit ut aeternam salutem haberemus per Mariam; quae non solum sensit se Matrem esse divini Redemptoris, sed Verbi divini salutiferae incarnationi assensum suum, totius generis humani libere praebuit. Ne vos pigeat, venerabiles Patres, de hac iucunda veritate, maximi momenti, sapientissimum Leonem XIII parumper audire.

« Filius Dei aeternus — inquit — quum ad hominis redemptionem et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque se mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset connubium, non id ante perfecit quam liberrima consensio accessisset designatae Matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo *gerebat* [5] » ...[6]

Ex hoc perspicuo et gravi testimonio facile ac certe colligi potest quid ac quantum Maria Sanctissima in generis humani redemptionem per Iesum Christum, efficaciter contulerit.

4. Ratio potissima, ob quam ex animo vereque B. Virginem Mariam appellamus Matrem nostram, in textu nullo modo declarari mihi, et sine dubio multis aliis Patribus, displicet; propterea eam paucis nunc expono.

Maria genuit Iesum Christum, qui qua homo concretum corpus habuit ut ceteri homines: qua vero generis humani Salvator, nactus est spirituale quoddam corpus, seu mysticum quod est societas eorum qui in Christum credunt ...[7]. « Multi unum corpus sumus in Christo », *ut docet S. Paulus.*[8] Atqui B.ma Virgo, ut *affirmat* [9] S. Pius X, non concepit aeternum Dei Filium ideo tantum ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, fieret Redemptor noster.

Quamobrem Angelus pastoribus dixit: « Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus ».

Proinde habens Maria in utero Salvatorem, dici vere potest etiam illos omnes gessisse, quorum vita continebatur in vita Salvatoris.

Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique, ut ait apostolus ...[10], « membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius » de Mariae utero egressi sumus.

Unde spiritali quidem ratione ac mystica, eaque verissima, et Mariae filii nos dicimur et ipsa omnium nostrum vera mater est...[11]

5. *et ultimo.* Titulus autem *Mediatricis,* « quo B. Maria Virgo, praeterquam aliis — ut legimus initio pag. 203 — in Ecclesia condecorari consuevit », *ita* [12] summo gaudio animum meum et plurimorum Patrum replet.

Profecto hic titulus est quam maxime divulgatus inter catholicos et acceptissimus ubique terrarum. Propterea censeo rationem qua haec Mariae appellatio comprobatur et firmum fundamentum quo innititur explicanda esse, ne acatholici non pauci, praesertim Protestantes, nos reprobent quasi nihili faciamus monitum S. Pauli « unum esse Mediatorem Dei et hominum hominem Christum Iesum, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus »...[13]

Nihil enim prohibet — ait S. Thomas — aliquos alios secundum

quid mediatores esse inter Deum et homines, prout scil. cooperantur ad unionem hominis cum Deo dispositive et ministerialiter.

Maria igitur, utpote Mater Dei et mater nostra, dignissima est quae habeatur et vocetur *ad Mediatorem Mediatrix*: Christus est Mediator absolute necessarius, Maria est mediatrix dependenter a Christo, et id ex peculiari Dei voluntate.

Verba autem S. Pauli minime obstant. Nemo enim putaverit praeceptum dominicum: « unus est magister vester Christus », et laudem Ecclesiae ad Deum: « Tu solus sanctus », vetare quominus alii nominentur magistri (certo multo Christo inferiores) et alii appellentur sancti, quia a Deo per Christum sanctificati.

Interventum claudens, humiliter propono ut praesens schema emendetur, praesertim perficiatur et compleatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] satis. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] agebat. [6] LEO XIII, Enc. Litt. *Octobre mense adventante,* 22 sept. 1891: *A.S.S.,* 24, pp. 196 s. - Cf. etiam S. Thom. (III, q. 30, a. 1): « Per annuntiationem expetebatur consensus Virginis, loco totius humanae naturae ». [7] seu Ecclesia. [8] (*Rom.* 12, 5). [9] docet. [10] (*Eph.* 5, 30). [11] cf. S. PIUS X, Enc. Litt. *Ad diem illum,* 11 febr. 1904: *A.S.S.,* 36, pp. 452 s. [12] deest. [13] (*1 Tim.* 2, 5-6).

5

EM.MUS P. D. STEPHANUS CARD. WYSZYŃSKI

Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis

Nomine omnium 70 episcoporum Poloniae propono *vota,* quae attineant caput « De B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae ».

In Litteris Encyclicis *Ecclesiam Suam,* Summus Pontifex Paulus VI optime notat eximiam *missionem educativam,* quae competit B.mae Mariae Virgini. « Ad eandem supplices convertimus oculos tamquam ad amantissimam vivendi *Magistram* ». In eadem B.ma Virgine Summus Pontifex laudat « absolutissimum christianae perfectionis exemplum, germanarum virtutum speculum, humanae naturae prodigale specimen ».

Iuxta mentem supra nominatae epistulae encyclicae episcopi Poloniae Summo Pontifici supplices miserunt libellos, in quibus vota ac desideria Papae complentur, quia in hisce libellis nihil maius, nihil ardentius petitur, quam ut agnoscatur maternitas Mariae spiritualis relate ad genus humanum eiusque salutifera ac benefica cura in omnibus, quae respiciunt religionis cultum ac mores.

Nota maternitatis Mariae indicat eius eximium gradum dignitatis, tributum in sessione II Concilii Vaticani B.mae Virgini tamquam *Matri Ecclesiae*.

Non aliter Summus Pontifex in Allocutione Sua sub fine sessionis II ostendit, quaenam sint eius vota et desideria exoptata: « Speramus denique eandem Synodum quaestionem de schemate circa B. Mariam Virginem optimam, quae possit, habituram esse enodationem, ita scil., ut uno consensu et summa pietate agnoscatur locus longe praestantissimus — qui Matris Dei est proprius in Sancta Ecclesia..., locum dicimus post Christum altissimum nobisque maxime propinquum, ita ut nomine « Matris Ecclesiae » eam possimus ornare, idque in eius honorem cedat in nostrumque solacium »...[1]

Nota universalis maternitatis Mariae est *punctum saliens* totius doctrinae catholicae, egregie illustratae ac roboratae enuntiationibus Summorum Pontificum, qui supremi magisterii Ecclesiae sunt vindices authentici.

In memoriam revocamus pretiosa documenta recentium Romanorum Pontificum, qui maxima pietate erga Ss.mam Virginem inspirati, duce Leone XIII, usque in nostros dies, nos edocuerunt de authentica doctrina catholica, locis biblicis confirmata ac roborata necnon traditione fideliter custodita, quae indicat singularem B.mae Virginis dignitatem. Maxime cultui B. Mariae Virgini fovendo contribuerunt quoque textus liturgiae, ab antiquis traditae...[2]

Hisce et aliis documentis, ex doctrina Ecclesiae excerptis, nisi, implorare statuimus in Memoriali nostro, Summo Pontifici tradito, ut supradictae opinioni, tam universae, Mariam esse « Matrem Ecclesiae », dare velit sanctionem practicam et pastoralem, ita ut Ipse infallibili declaratione Sua traderet maternitati Mariae fideles universos seu Ecclesiam totumque humanum genus — sub eius praesidium.

Res esset de actu publico, quo — primum — omnes episcopi, uniti cum Capite Ecclesiae seu Supremo Pastore, in aula conciliari B. Mariae Virgini committerent Ecclesiam; deinde huiusmodi actus consecrationis repetendus esset in omnibus dioecesibus mundi...[3]

Finis huius consecrationis Ecclesiae et mundi universi maternae protectioni Mariae est:

a) professio fidei et intercessione singulari Mariae qua Matris Dei, atque

b) modus orationis qua impetrare ab ea volumus:

1. plenam integramque libertatem pro cultu religionis necnon pro defendendis moribus christianis; sarta tectaque volumus iura Ecclesiae Christi, inter quae respectu debito observentur omnes religionis

fovendae modi, neque despiciantur mores christiani iuxta dignitatem naturae humanae a Christo redemptae atque iure naturali custoditae;

2. auxilium in promovenda causa primi ordinis, quae est unitas totius humanitatis, quae se dicit et habet christianam, nempe ut fautores Christi constituant quamprimum « unum ovile sub uno Pastore »;

3. ut inter omnes huius terrae nationes regnet pax, ita ut gentes auferant quodcumque malum atque collaborent fovendae paci Dei.

Memoriale, quod episcopi Poloniae Summo Pontifici dederunt, non est singulare. Similia petunt episcopi Brasiliae et Belgii.

Memoriale ducitur a solidis principiis doctrinae necnon ab experientia cotidiana pastorali.

In componendo Memoriali statuere voluimus convictionem nostram atque spem fore, ut ope exoptatae consecrationis marianae obtineatur victoria, cooperante B.ma Virgine Maria, quae est Mater Christi et qua talis in opere Redemptionis generis humani quam maximam habet partem, id quod nos ...[4] in recitanda oratione secreta de B. Maria Virgine Częstochoviensi in S. Missae Sacrificio alte profitemur hisce verbis: « *hostias placationis* pro religionis christianae triumpho offerimus... quae ut nobis proficiant opem *Auxiliatrix Virgo* praestet, per quam talis perfecta est victoria ».

Memoriale nostrum innuit consecrationi generis humani Immaculato Cordi Mariae, quam peregit Papa Pius XII anno 1942 duabus alternantibus vicibus: primum in Allocutione, quam fecit ope radiophonicae transmissionis ad fideles Lusitaniae mense octobri istius anni et quam deinde complevit actu sollemni in Basilica S. Petri, quo totum genus humanum consecravit in ipsis sollemniis festo Immaculatae Conceptionis dicatis. Memoriale implorat a Summo Pontifice, ut laudatam consecrationem, quae a solo capite visibili Ecclesiae est peracta, repetere dignetur in aula Concilii in ordine collegiali et universali scil. una cum omnibus episcopis totius orbis terrarum.

B. Maria Virgo, decursu tot saeculorum, quo sortes Nationis nostrae volvebantur, ostendit ad evidentiam factorum, quanta sit vis intercessionis eius in fovendis et colendis virtutibus et donis Spiritus Sancti ad tuendam terram nostram potenti sua protectione. Ipsi scriptores annalium religionis in terra nostra notant, populum nostrum periculo sic dictae reformationis protestanticae restitisse propter profundum cultum erga Virginem Mariam; et coetus sociales superiores nostrae Nationis mox se convertisse ad antiquam, nativam fidem et reli-

gionem, quia perdere noluerunt cultum Mariae, tributum Matri Dei et Hominum.

Neque aliter cogitamus hisce *nostris temporibus,* immo, nisi cotidiano usu et experientia, firmam fovemus fidem, unicam defensionem nostrae unitatis et salvationis pignus esse profundum cultum erga Matrem Dei et Hominum, erga Matrem totius generis humani, modo autem speciali, erga Matrem Ecclesiae.

Propterea ferventer cupimus ac volumus, ut in constitutione *de Ecclesia* caput de B.ma Virgine obtineat locum *suum,* id est *secundum,* et non octavum, qui locus secundus optime ordinatur ad cap. I, in quo res est de Ecclesiae mysterio.

Id exigit dignitas singularis B. Virginis Mariae, quae eidem competit iuxta Decretum Divinum, immediate post cultum divinum Iesu Christo tributum in Ecclesia, cum B. Virgo Maria sit Mediatrix omnium gratiarum, cum ipsa intercedat pariter inter Deum et populum Dei, de quo sermo fiet in cap. III.

Ipse tandem ordo logicus, quo tota materia de Ecclesia componitur, exigit hanc dispositionem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*A.A.S.*, 56, 1964, p. 37). [2] Memoriale quod episcopi Poloni B.mo Patri miserunt, summa per capita exponit, quam auctoritatem theologi ac praesules in defendenda fide catholica necnon in moribus christianis custodiendis et denique in colenda virtute spei carpere potuerint, ex constanti et immutato cultu B. Mariae Virgini tributo in decursu saeculorum. Velim saltem indicare aliquos modos cultus Mariae, qui in sinu Ecclesiae nati sunt ad fovendam pietatem in populo Dei: ut adducam formam et titulum cultus a Societate Salesiana in Ecclesia instituti, qui laudat B. Mariam Virginem « Auxilium Christianorum ». Non possum omittere formam, quam Patres a Ss.mo Redemptore in exercitiis spiritualibus sequuntur, laudando in Maria Perpetuum eius Succursum. Neque oblivioni dare vellem illud servitium nobile, quo ii, qui sequuntur S. Grignon de Montfort, sese dant in servitutem Mariae, quam dicunt servitutem amoris. Veniam peto, nam honori mihi duco, non paucos viros egregios nationis meae in temporibus antiquissimis sese dedisse Mariae « in mancipium ». [3] denique in unaquaque paroecia catholica. [4] episcopi Poloniae.

Secretarius generalis: Patres, qui nondum schedas suffragationis dederunt, dent quam citissime assignatoribus locorum, ita ut possit cognosci exitus suffragationis.

6

Em.mus P. D. PAULUS AEMILIUS card. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Novum schema capitis de Deipara Virgine sine dubio praecellit illud ultimi anni elapsi. Saepe enim manifesto apparet cura sequendi Sacram Scripturam ad singularem dignitatem Mariae munusque eius in Oeconomia Salutis describenda. Saepe etiam eminet optima intentio munus illud exponendi intra mysterium Christi Ecclesiaeque eius.

Tamen quasdam emendationes proponere intendo quibus textus aptior fieret ad renovationem fovendam in hac materia. Mihi enim, sicut et pluribus, apparet necessitas renovationis doctrinae atque cultus marialis. Renovatio illa, iam incepta apud theologos, attingere debet pastores et fideles, et hoc ultimum caput constitutionis *de Ecclesia* optimam occasionem praebet illam promovendi.

In observationibus meis loquar de tribus aspectibus renovandis: 1. de stylo adhibendo quando de Maria loquitur; 2. de modo exprimendi relationem Mariae ad Ecclesiam et singulariter de titulo Mediatricis; 3. de cultu mariali.

1. *De stylo adhibito in schemate.* Quoad stylum, renovatio desideratur quae consistit in adhibendis verbis accuratis et perspicuis formulisque sobriis ad vocationem Mariae exprimendam.

Communiter enim vigent, in praedicatione mariali, superlationis inconsultus usus et quaedam incuria veri sensus verborum et formularum. Captiosum est putare hyperbolas adiuvare fideles nostri temporis ad Mariam melius precandam dignitatemque eius intelligendam; huiusmodi stylo multi potius avertuntur. Ipsa sobrietate verborum et sermonis, fideles hodie fructuosius attinguntur.

Schema nostrum interdum redolet styli inflationem et, sub illo respectu differt ab aliis partibus constitutionis. Quandoque immerito multiplicantur verba, ampliantur formulae et tunc textus formam habet panegyricam. Quaedam exempla istius sermonis vitii ad secretariatum trado in scriptis ...[1], et spero caput de Maria, ipso suo stylo, pastoribus et fidelibus exemplar esse poterit.

2. *De relationibus Mariae ad Ecclesiam et singulariter de titulo Mediatricis.*

Accuratior postulatur praecisio in modo exprimendi relationes inter Mariam et homines.[2]

Textus Concilii, qui est actus solemnis Magisterii, loqui debet perspicue et accurate secundum Scripturam et traditionem. *Vitare ergo debet expressiones quae huic exigentiae strictioris doctrinae non respondent, etiam si communiter in sermone populari libenter adhibentur.*[3]

Nunc si textum in schemate propositum inspicimus, vidimus, in art. 54, relationes Mariae in Ecclesia variis vocabulis exprimi. Virgo Maria dicitur « Mater hominum »; « ancilla Domini Redemptoris », « generosa socia »; dicitur « operi Salvatoris cooperari »; et tandem dicitur « Mediatrix ». Omnes illas appellationes attente perpendere debemus, tum quoad eorum originem, tum quoad eorum sensum, et secundum meliora studia theologica, antequam illas in textu conciliari consecremus.

Mihi autem liceat significare particulares difficultates quas titulus « Mediatrix » secumfert. Usus enim eius peculiarem nostram curam postulat.

Primo dicam titulum illum difficilem esse interpretatione et de facto explicationes diversas secundum auctores recipere. *Paucius et rare solus apparet in documentis ecclesiasticis.*[4]

Praeterea appellatio « Mediatrix » a fronte obstat affirmationi biblicae in qua Christus dicitur « Unicus Mediator », et propterea impedimentum infert et recto intellectui fidelium et dialogo oecumenico. Verum est contextum art. 54 explanationes dare ut confusio vitetur. Illa autem necessitas explicandi confirmat difficultatem et periculum rei. In usu quotidiano vitae Ecclesiae, in praedicatione, in inscriptionibus, in vocabulario populari, quando profertur appellatio « Mediatrix », contextus non amplius habetur.

Itaque ut vitetur etiam quaevis species oppositionis textui S. Pauli et transcendentiae mediationis Christi, meo iudicio melius est titulum illum in schema non introducere.

Illo modo, in art. 54 Concilium exponeret singulare munus intercessionis Mariae eiusque eminentem communionem in gratia Christi, sed, ob theologicas et pastorales difficultates, praedictus titulus non adhiberetur.

3. *De cultu erga Deiparam Virginem.* Opinione mea, textus propositus ad cultum marialem renovandum vim non habebit contra omnes abusus quos schema reprimere intendit. Etenim art. 55, dum aperte refrenat abusus sterilis affectus et vanae credulitatis, tamen nil expresse dicit de necessitate cultum marialem recte ordinandi. Loquitur tanquam si cultus marialis ex sese fideles duceret ad cognitionem, amorem et glorificationem Christi. Sane, affirmationes schematis verae sunt;

utrum autem non oriuntur a rerum consideratione nimis theoretica? Saepe enim accidit, sicut iam notabat card. Newman, *de facto* cultum populi christiani erga Mariam non sufficienter ordinari ad Deum vel ad Christum. Quod autem, ut scimus, obstaculum et impedimentum infert pluribus christianis et peculiariter fratribus separatis.

Itaque oporteret pastores et fideles monere ut in ipso exercitio cultus erga Deiparam Virginem, debitam ordinationem huius cultus ad Deum et ad Christum servent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. Adnexum I). [2] Renovatio etiam desideratur de modo exprimendi relationes Mariae cum hominibus in Ecclesia. Opportunum et necessarium est caput de B. Virgine tractare de illis relationibus. Illa autem quaestio muneris Mariae in opere Redemptionis est difficillima conceptu et expressione. Omnes enim sciunt Scripturae textus qui illam Mariae associationem cum Redemptore fundant, pauciores esse et, eventa narrantes, munus Mariae non expresse qualificare. Ab omnibus etiam noscatur non esse, salvis rarioribus exceptionibus, vocabula firmiter in traditione recognita ad munus Mariae in Ecclesia exprimendum. Sane praedicatio communis et praesertim sermo popularis profuse et libenter adhibent varias locutiones. Attamen illae locutiones non proponuntur ut stricte doctrinales et diversiter interpretantur et accipiuntur in multis theologorum disputationibus. Quando ergo agitur de vocabulo adhibendo in constitutione doctrinali, difficultas in usu verborum apparet in tota sua complexitate et maxima prudentia requiritur. Etenim. [3] deest. [4] deest.

Adnexa I:

Pag. 197, lin. 28: « *longe* antecellit ».

Pag. 198, linn. 4-6: « ut *super*eminens *prorsus*que singulare ... et exemplar *spectatissimum* salutatur ... ». Lin. 13: « *sedulo* intendit ».

Pag. 199, lin. 29: « Singularis *prorsus* ».

Pag. 201, lin. 15: « *vehementer* condoluit ».

Pag. 202, lin. 23: « *singulariter* prae aliis ». Lin. 28: « singulari *prorsus* modo ». Lin. 34: « sub cruce *incunctanter* sustinuit ». Lin. 37: « *multiplici* intercessione ».

Pag. 204, lin. 13: « in *summum* incarnationis mysterium ». Linn. 36-37: « *mirabiliter* crebuit in veneratione et dilectione, in invocatione et imitatione ».

Pag. 205, lin. 5: « singularis *omnino* ».

Pag. 206, lin. 4: « simi*llimam* praedicant ».

II. *Animadversiones particulares*:

Pag. 197, linn. 9-17. A primis ad ultima verba illius sententiae, non habetur nexus logicus et verba Canonis Missae non videntur citari nisi ut introducatur ad sequentem paragraphum.

Pag. 198, linn. 6-7. Opportune hic vitatur expressio « mater Ecclesiae » quae multas difficultates praebet.

Pag. 198, lin. 15. Loco « Corporis mystici », dicatur « Ecclesiae », sicut factum est in titulo art. 54: « De B. Virgine et Ecclesia ».

Pag. 198, linn. 17-24. Propono ut deleantur lineae illae quae non sunt necessariae in textu constitutionis. Etenim verum et evidens est de omni textu conci-

liari Sacrosanctam Synodum « in animo non habere proponere completam doctrinam ». Talis affirmatio, si retinenda videatur, potius ponatur in relatione.

Pag. 199, linn. 9-14. Haec formulatio mihi non placet. Insolitum est dicere: « Cum Maria ... complentur tempora et nova instauratur Oeconomia ». Formula huiusmodi dici non deberet nisi de ipso Christo. Sua humili acceptatione, suaque eminente gratia et sanctitate, Maria Virgo potius apparet ut prima testis primaque redempta Novae Aetatis.

Pag. 199, lin. 20 et pag. 202, lin. 20. « Praedestinata » verbum scholae factum est et opportune omitti posset.

Pag. 200, linn. 5-18. Multiplicantur citationes Patrum de eadem re, quod videtur non convenire textui conciliari; potius ponantur in notis.

Pag. 201, lin. 36. Titulus reginae non videtur ita clarus ut obiectum esse possit declarationis conciliaris. Quonam enim sensu Virgo Maria dicitur « Regina universorum »? Haec expressio est valde analogica.

Pag. 202, lin. 1. Melius est vitare formulam « ancilla Domini *Redemptoris* » quae in titulo adhibetur. Etenim in verbis Mariae: « Ecce ancilla Domini », verbum « Domini » refert ad Deum qui angelum suum misit.

Pag. 202, linn. 2-3. Loco dicendi « secundum absolutam verborum Apostoli significationem », dicatur « secundum verba Apostoli ». Etenim formulatio schematis videtur minuere et lenire sensum verborum S. apostoli, quod non decet.

Pag. 204, linn. 16-21. Haec sententia est obscura.

Pag. 205, linn. 30-33. Ea quae hic dicuntur de imaginibus iam suo proprio loco dicta sunt pag. 185, linn. 8-9. Repetitio inutilis esset nam non habetur periculum generale in hac materia.

Pag. 205, lin. 34. Deleatur verbum « falsa »; quaecumque superlatio vitanda est et speciatim a theologis.

Pag. 206, linn. 22-28. Haec evocatio cultus Mariae apud fratres separatos et speciatim apud orientales sane a bona intentione provenit. Videri autem potest, et peculiariter ubi orientales ab aliis distinguuntur, sicuti iudicium negativum erga alios. Haec « distributio palmarum » etiam orientalibus odiosa esse potest. Merita fratrum separatorum modo subtiliori dicuntur in capite « de populo Dei », pp. 36-37.

Pag. 207. Paragraphus ultima capitis et ipsae constitutionis formulatur sicut preces. Quaestio poni potest: utrum hic est modus proprius terminandi constitutionem doctrinalem? Praeterea non facile apparet nexus inter « fidelitatem » et incrementum fidei et spei; item non patet nexus inter « prudentiam » et munus testis et ministrae adventus; item nexus inter « clementiam » et ardorem apostolicam.

Propono ut illa paragraphus deleatur.

7

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DOEPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Venerabiles Patres,

Approbantibus ...[1] 90 Patribus conciliaribus linguae germanicae, *et Scandiae,*[2] quorum nomina in folio ...[3] habentur, proponuntur hae animadversiones circa caput *nostrum.*[4]

I. Caput « De B. Maria Virgine Deipara ...[5] » in genere placet. Solidam et pacificam expositionem Mariologiae exhibet, quae ab omnibus tuto admitti potest. *Non* optatur, ut de mediatione B. Mariae Virginis insuper plura dicantur, quia secus quaestiones vere disputatae evitari iam nequeant, nisi forsan *haec terminologia totaliter omittatur, uti iam optaverunt aliqui Patres et certe optabunt alii.*[6] Sed desiderantur adhuc quaedam additiones et praecisiones.

II. Imprimis exoptantur, quae sequuntur:

1. *Ad pag. 197, lin. 23.* Loco verborum « sublimiore modo redempta », dicatur: « effectus redemptionis sublimiore modo particeps facta ». Nam non agitur de aliquo discrimine in activa causatione redemptionis qua tali, sed de discrimine in terminis et effectibus huius causationis...[7]

2. *Ad n. 53, par. 1, « De Matre Messiae in Vetere Testamento »* ...[8]: Fortasse haec paragraphus aliis quibusdam ideis, imprimis imagine biblica Virginis Israël, ditari potest. Si placuerit, scribatur loco pag. 199, linn. 7-9: « Haec praefiguratur in electis matribus antiqui populi Dei, imprimis in Sara et Anna misericordia divina matribus constitutis ...[9]. Haec etiam quaeritur a Deo in Virgine Israël, quam caritate perpetua dilexit ...[10]; haec apparet in humilibus electi populi, in quibus reliquiae illae manent, quas Deus sese salvaturum promisit ...[11]. Haec salutabatur in illa Iudith ...[12], in cuius infirmitate virtus ad salvandum populum Dei perficiebatur. Et sic in ea illustratur mysterium salutis divinae, quae non ex virtute hominum, sed ex superabundantia misericordiae divinae est, quae, praeveniente nos, " exaltavit humiles... et divites dimisit inanes " »...[13].

3. *Ad pag. 199, lin. 26.* Post verbum « Deiparam » inseratur sequens parenthesis: « ... Deiparam, *quamquam et ipsam credentem et peregrinantem,* appellarunt... ». Nam secus *contra Scripturae testimonium imago B. Mariae Virginis nobis daretur.*[14]

4. *Ad pag. 199, linn. 27-29.* Deleatur phrasis « quasi a Spiritu Sancto plasmatam novamque creaturam formatam », quia secus insinuari videri potest, B. Mariam Virginem et Christum non venisse in *nostra* carne.

5. *Ad n. 53, par. 4, « De B. Maria Virgine in ministerio publico Iesu »* ...[15] Quidam textus biblici, scil. *Io.* 2, 4; *Mc.* 3, 31-35; in Evangelio Lucae, 11, 27 s., adhuc explicitius respiciendi essent, ut praeoccupentur obiectiones a parte fratrum a nobis seiunctorum exspectandae. Quod fieri potest v. g. inserendo in pag. 201, lin. 12, verba haec: « Si vero B. Virgo in vita Christi terrestri aliquatenus a filio separata apparet ...[16], fideliter peregrinationem fidei ...[17] sustinuit usque ad horam Domini ...[18]. Et sic est vere Mater fidei omnium nostrum, quia et ipsa in illa fide praecessit nos, qua renascimur et sumus filii Dei ...[19] ».

6. *Ad n. 54, pag. 202: « De Beata Virgine et Ecclesia ...*[20] »: *Generale* fundamentum pro speciali functione B. Mariae Virginis, quod habetur in mutua relatione membrorum Corporis mystici, explicite breviter attingi deberet. Unde in ...[21] pag. 202, lin. 7, inserantur verba fere sequentia: « In Corpore Christi autem fideles Spiritu Dei ita ut membra consociantur, ut in opere salutis unusquisque ab omnibus dependeat et nullus sibi soli vivat, sed uniuscuiusque gratia divinitus data omnibus membris prosit et omnes sibi invicem serviant. Totus ergo Christus, caput et membra, est medium illud salutis, ex quo vita aeterna provenit hominibus. Inquantum ergo Christi sumus, comparticipes facti sumus eius virtutis eiusque servitii pro hominibus. Hoc in Maria, Matre fidelium, in qua totum Ecclesiae munus anticipatur et recapitulatur, singulari modo impletum est. Mariae igitur maternum munus... *et reliqua*[22] ».

Haec si dicerentur, non obscuraretur singularis functio, quae convenit B. Virgini et quae explicite asseritur, sed assignaretur generalis et ultima radix, ex qua veritas ista et consequitur et illustratur. Hinc esset spes fore ut etiam fratres a nobis seiuncti videant hanc doctrinam derivari a veritate Corporis mystici...[23]

Alias quoque emendationes minoris momenti sed notabiles tradentur in scriptis secretariatui.[24] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et iubentibus. [2] deest. [3] adnexo. [4] VII (vel VIII) schematis *de Ecclesia.* [5] in mysterio Christi et Ecclesiae. [6] hic titulus totaliter omittatur. [7] (in redemptione subiectiva). [8] (p. 198 s.). [9] (cf. *1 Sam.* 2, 1 ss.: *Lc.* 1, 46-48; *Gen.* 30, 13: *Lc.* 1, 48). [10] (cf. *Ier.* 31, 3). [11] (cf. *Is.* 6, 3; 4, 3; 11, 11; 28, 5 s.; 30, 17; *Mich.* 2, 12; *Soph.* 3, 12: *Lc.* 1, 48. 51 s.). [12] (*Iud.* 13, 23 s.: *Lc.* 1, 42). [13] (*Lc.* 1, 52 s.). [14] laus

Virginis fratribus a nobis seiunctis videbitur incredibilis et contra Scripturae testimonium. [15] (pag. 201, lin. 12). [16] (*Io.* 2, 4; *Mc.* 3, 31-35; *Lc.* 11, 27 s.). [17] (2 *Cor.* 3. 6). [18] (cf. *Io.* 2, 4; 12, 23; 12, 27; 16, 4. 21; 17, 1; 19, 27). [19] (cf. *Rom.* 4-5, 1). [20] (imprimis ad pag. 202, lin. 7). [21] n. 54. [22] (continuatur textus pag. 202, lin. 8). [23] quam et ipsi profitentur. [24] III. Praeterea desiderantur sequentes emendationes minores:

1. Ad pag. 197, lin. 10. Loco « continuatur » scribi poterit « *repraesentatur* ». Nam Ecclesia iuxta terminologiam traditionalem potius est repraesentatio quam continuatio mysterii salutis, quippe quod in Christo culmen suum ultimum iam obtinuerit.

2. Ad pag. 197, lin. 21. Loco « ut vera Mater » dicatur « vere ut Mater », quia non agitur de aliqua oppositione inter veram et falsam Matrem Christi.

3. Ad pag. 205, lin. 33. Perutile esset, si pag. 205, lin. 33 etiam aliquid de spiritu oecumenico, in quantum possibile est, servando in theologia, praedicatione, veneratione B. Virginis diceretur, imprimis ut respectus habeatur ad traditionem marianam orientalium, ne de improviso etiam in hoc campo separatio inter orientem et occidentem fiat. Tale periculum ex ultimis decenniis adest, quia theologia conceptualis et conclusionistica, quae apud nos etiam in Mariologia vigere coepit, apud orientales nullo modo comprehenditur. Posset inseri: « Tota theologia, praedicatio, cultus B. M. V. fiat semper in spiritu vere oecumenico, respectu habito imprimis etiam traditionum venerandarum Ecclesiarum Orientalium ».

4. Ad pag. 207, linn. 21-23. « ardorem ... incunctanter explere » vox inusitata et inepta esse videtur stilistice. Melius forte dicatur: « ardore ... iugiter urgeamur ».

[*Subscripserunt etiam*] exc.mi PP. DD. Amman, ep. tit. Petnellissensis, Arkfeld, vic. ap. Vevakensis, Aufderbeck, ep. aux. Fuldensis, Baaken, ep. aux. Monasteriensis, Bengsch, arch.-ep. Berolinensis, Biestl, sup. gen. M.S.F., Bolte, ep. Fuldensis, Brechter, praes. Congr. Ottiliensis O.S.B., Bühl, ep. tit. Methonensis, Buchholz, praef. ap. Shihtsienensis, Buchkremer, ep. aux. Aquisgranensis, Chang, ep. tit. Cianensis, Cleven, ep. aux. Coloniensis, Cobben, ep. Helsinkiensis, Döpfner, card. arch. Monacensis et Frisingensis, Duchack, vic. ap. Calapanensis, Emanuel, ep. Spirensis, Ferche, ep. aux. Coloniensis, Frings, card. arch. Coloniensis, Frotz, ep. aux. Coloniensis, Fürstenberg, ep. Abercornensis, Gnädinger, ep. aux. Friburgensis, Graber, ep. Ratisbonensis, Gran, ep. coad. Osloensis, Grimm, ep. Zinceuvensis, Hasler, ep. S. Galli, Hengsbach, ep. Essendiensis, Hiltl, ep. aux. Ratisbonensis, Hoeck, abb. praes. Congr. Bavaricae O.S.B., Höhne, vic. ap. Rabaulensis, Hofmann, ep. coad. Passaviensis, Jäger, arch. Paderbornensis, Janssen, ep. Hildesheiensis, Häring, ep. Scioceuvensis, Höffner, ep. Monasteriensis, Kampe, ep. aux. Limburgensis, Kempf, ep. Limburgensis, Kempf, ep. aux. Herbipolensis, Kaiser, prael. null. Caraveliensis, Kelleter, ep. Bethlehemensis, Köstner, ep. Gurcensis, Laszlo, ep. Sideropolitanus, Landersdorfer, ep. Passaviensis, Lenhardt, ep. aux. Bambergensis, Leiprecht, ep. Rottenburgensis, Lommel, ep. Luxemburgensis, Koberger, sup. gen. Congr. Lat. Austriae, Macheiner, ep. aux. Salisburgensis, Mangers, ep. Osloensis, Niederberger, abb. praes. Congr. Helveticae O.S.B., Pachowiak, ep. aux. Hildesheiensis, Pietsch, ep. aux. Secoviensis, Pietrulla, ep. Tabaraoensis, Pohlschneider, ep. Aquisgranensis, Pryzklenk, ep. Januariensis, Reetz, praes. Congr. Beuronensis O.S.B., Reuss, ep. aux. Moguntinus, Riha, abb. praes. Congr. Austriacae O.S.B., Rohracher, arch. Salisburgensis, Rosenhammer, ep. vic. ap. Chiquitosensis, Schaffran, ep. aux. Vratislaviensis, Schick, ep. aux. Fuldensis,

Schmidt, ep. aux. Trevirensis, Schräder, ep. aux. Osnabrugensis, Schröffer, ep. Eystettensis, Schoiswohl, ep. Secoviensis, Sedlmeier, ep. aux. Osnabrugensis, Simons, ep. Indorensis, Schneider, arch. Bambergensis, Schu, ep. Ienceuvensis, Stangl, ep. Herbipolensis, Stein, ep. aux. Trevirensis, Spülbeck, ep. Missnensis, von Streng, ep. Basileensis, Taylor, ep. Holmiae, Tenhumberg, ep. aux. Monasteriensis, Stimple, ep. Augustanus Vindelicorum, Volk, ep. Moguntinus, Wechner, ep. aux. Oenipontanus, Wehr, ep. Trevirensis, Weigl, ep. Ikelaensis, Westermann, ep. Sambalpurensis, Vonderach, ep. Curiensis, Verschuren, ep. coad. Helsinkiensis, Wittler, ep. Osnabrugensis, Wiesen, prael. null. SS. Incarnationis et Paranensis Superioris, Wember, vic. ap. Norvegiae Sept., Zauner, ep. Linciensis, Zimmermann, ep. aux. Augustanus Vindelicorum, Zak, ep. S. Hippolyti.

8

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Venerabiles Patres,

Loquor non tantum nomine meo, sed etiam nomine em.mi P. card. Humberti Quintero, arch. Caracensis in Venezuela, et *quadraginta trium* [1] aliorum Patrum ex America Latina.

Liceat nobis gratias agere omnibus membris commissionis conciliaris de doctrina fidei et morum, tum Patribus tum peritis, qui indefesso labore caput hoc de B. Maria Virgine aptaverunt ut insereretur constitutioni *de Ecclesia.*

Omnes novimus materiam huius capitis non paucis esse obnoxiam difficultatibus, ideoque fere impossibile esse ut omnibus et in omnibus placeat. Censemus tamen, re animo pacato considerata, textum Patribus oblatum servare aequilibrium et proinde nobis acceptabilis videtur, prae oculis habitis sequentibus rationibus:

1. Expositio doctrinae huius capitis sapienter intendit ea quae clare traditionalia sunt proponere, abstinens a novis definitionibus, quin ea quae ad catholicam doctrinam indubie pertinent ullo modo obscurentur vel minui videantur. Valde placet quod dicitur de valore sententiarum theologorum hucusque propositarum, quae manent in suo iure, quin Concilium intendat quaestiones disputatas dirimere. Cum vero expositio catholicae doctrinae formulas aliquantulum diversas induere possit, salva semper substantiali identitate, apud Ecclesias orientales et apud Ecclesiam latinam, videtur omnino necessarium ut in proponenda doctrina de B. Maria Virgine talibus utamur expressionibus quae possint ab omnibus tanquam propriae acceptari. Nostro humili iudicio textus oblatus satisfit in genere huic desiderio.

2. Divina maternitas B. Mariae Virginis sufficienter exhibetur tanquam fundamentum doctrinale totius capitis. Iam ab antiquissimis temporibus Patres B. Virginem titulo Dei Genitricis salutaverunt; haec appellatio, ut omnes norunt, in oriente usitata est iam a saec. IV. In genere nobis placet modus quo theologia de B. Maria Virgine in hoc capite proponitur, quia altissima dona a Deo Virgini concessa intuitu eius maternitatis elargita exhibentur.

3. Hoc caput utitur Sacris Scripturis ampliori modo ac prius schema. Attamen animadvertendum est textus sacer pluries citari non ad litteram, sed ad sensum, et haec est ratio cur allusiones fiant sub particula « confer ». Hoc autem non significat quod in dubium revocetur sensus litteralis omnium citationum. Sunt nihilominus casus in quibus sensus litteralis non satis constare videtur ...[2], saltem in contextu in quo adhibetur. Ad tollendam hanc ambiguitatem simulque ad textum conciliarem ditandum, desideratur ut loci qui in sensu litterali adhibentur, ad litteram citentur, omissa particula « confer », quae reservari posset pro iis textibus in quibus sensus aliquatenus ampliatur vel cum interpretatione additiva sacrae traditionis accipitur. Insuper exoptamus ut totum caput ad aliquam subcommissionem biblistarum tradatur ad melius illud perficiendum in usu Sacrae Scripturae.

4. Maxime placet quod apertis verbis dicatur unicam esse Christi mediationem, cui in ordine eidem proprio nulla alia addi potest. Haec enim declaratio necessaria videtur nam, etsi pertineat ad fidem et luculenter constet in Scripturis, interdum in devotione nonnullorum fidelium obscuratur. Accidit insuper ut non pauci praedicatores multa de mediatione B. Mariae Virginis loquentes, parum de Christi mediatione proferant. Sic deviatio gignitur pro fidelibus et scandalum pro aliquibus fratribus a nobis seiunctis, quod quidem tum ex amore veritatis tum ex officio caritatis removere debemus.

Quod autem dicitur in textu de directa unione christifidelium cum Domino, valde opportunum est, ne quis cogitet Christum esse veluti natura sua magis longinquum a nobis quam *Maria.*[3] Revera salutaris influxus Matris nostrae ita concipiendum est ut ipsa adiuvet intimiorem unionem nostram cum Christo.

5. Bene exponitur doctrina de influxu B. Mariae Virginis in omnium hominum salutem. Notum est non parvas differentias dari inter catholicos circa hunc influxum. Textus sobrie loquitur de mediatione Virginis; nam non videtur opportunum ut hoc Concilium nimis immoretur in extollenda ac definienda ista voce, quae abhinc aliquot annos una tantum erat inter alias uti « patrocinium », « advocata », « auxilium christianorum », « Mater misericordiae », etc.

6. Opportune loquitur de B. Maria Dei Genitrice tanquam de imagine eschatologica Ecclesiae; haec idea omnino congruit cum iis quae de Ecclesia caelesti in capite praecedenti dicta sunt. Mater Dei pertinet enim ad primitias et est validissimum signum victoriae Christi, quae gradatim manifestatur et nonnisi in Die Domini perfecta erit.

His positis, hoc est iudicium nostrum: caput in genere nobis placet. Tamen, nonnullae emendationes inducendae sunt, quas quidem pro singulis locis a nobis factas, scripto trademus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 38. [2] (e. g. pag. 200, lin. 24; pag. 201, lin. 21; pag. 204, lin. 7). [3] Mariam.

[*Subsignaverunt etiam*] *Ex Venezuela*: em.mus D. card. Humbertus Quintero, arch. Caracensis; *ex Argentina*: Antonius Aguirre, ep. S. Isidori; *ex Chilia*: Emmanuel Sanchez, arch. Ss.mae Conceptionis, Aemilius Tagle, arch. ep. Vallisparadisi, Emmanuel Larrain, ep. Talcensis, Ioannes Franciscus Fresno, ep. de Copiapó, Helladius Vicuña, ep. de Chillán, Ioseph Emmanuel Santos, ep. de Valdivia, Franciscus Valdés, ep. de Osorno, Alexander Duran, ep. S. Caroli de Ancud, Augustus Salinas, ep. Linarensis, Ioseph A. Castro, ep. S. Philippi de Aconcagua, Franciscus Valenzuela, ep. de Antofagasta, Radulfus Silva, ep. aux. Rancaguensis, Ioseph Valle, ep. tit. aux. de Iquique, Franciscus Gillmore, ep. tit. de Auzia, Aloisius Yáñez, ep. S. Mariae de los Angeles, Alexander Menchaca, ep. tit. de Pinara, Carolus G. Hartl, vic. apost. de Araucanía, Carolus Oviedo, ep. aux. Ssmae Conceptionis, Raimundus Salas, prael. null. de Arica; *ex Colombia*: Vincentius Roig V., ep. tit. de Arad; *ex Aequatoria*: Caesar A. Mosquera, arch. de Guayaquil, Leonidas Proaño, ep. de Riobamba, Sylvius Haro, ep. de Ibarra, Benignus Chiriboga, ep. de Latacunga, Victor Garaygordobil, ep. tit. de Pudentiana; *ex Paraguay*: Hannibal Mena Porta, arch. Assumptionis, Raimundus Bogarin, ep. S. Ioannis de las Misiones, Angelus Muzzolon, vic. ap. de Chaco (Paraguay), Aemilius Sosa, ep. tit. Sergentinus, Iulius Laschi, ep. Conceptionis; *ex Uruguay*: Alfredus Viola, ep. Saltensis, Aloysius Baccino, ep. S. Ioseph, Robertus Caceres, ep. de Melo, Carolus Partelli, ep. de Tacuarembó, Hannibal Maricevich, ep. coad. de Villarrica, Michael Balaguer, ep. tit. Castelli Minoris, Marcellus Mendiharat, ep. coad. Saltensis, Laurentius Cabrera, ep. de Mercedes.

9

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Em.mi et exc.mi Patres conciliares,

Antequam mentem meam de schemate hoc pressius exponam, duo praemittere liceat.

1. *Laete* [1] agnosco optimas qualitates schematis *reformati.*[2] Sicut ex relatione *proposita,*[3] ita etiam ex textu ipso ...[4] nobis proposito, luculenter apparet maximum adhibitum fuisse studium, ut amplissima

materia, quantum fieri potest, breviter perstringeretur et contextui, scil. constitutioni *de Ecclesia,* responderet. Nullum est dubium ita confectam esse summam mariologiae magni momenti...[5]

2. Liceat porro monere in iis, quae de schemate vel eiusdem singulis partibus exponam, non agi de devotione personali sive mea sive aliorum, sed potius et unice de quaestione, num schema tale sit, ut et fini a Concilio intento et bono Ecclesiae et animarum respondeat necne, i. e., num ea proponat quae hodie bonum Ecclesiae *et animarum* [6] exigit, et num hoc fiat *eo* [7] modo qui ab eodem bono exigitur, num omnia et singula ita matura et theologice sufficienter probata sint, ut a maxima auctoritate Ecclesiae, i. e. a Concilio Oecumenico, *rite proponi et exponi* [8] possint.

Addo exemplum: omnino admitto doctrinam de B. Virgine Mediatrice, prout ipsa in documentis Magisterii Ecclesiae inde a Leone XIII proponitur ...[9]. Sed omnino alia est quaestio utrum haec doctrina hucusque in Ecclesia, *uti postulatur,*[10] « ad plenam lucem perducta sit », i. e. utrum impleatur illa condicio, quae *adeo* [11] egregie in introductione schematis ponitur, ut ...[12] doctrina a Concilio proponi possit. Item alia est quaestio quo modo, quibus argumentis, e Sacra Scriptura, ex Patribus, haec doctrina fulciatur vel fulciri debeat, ut a Concilio digno modo proponi possit. Puto hanc distinctionem tum pro recta intellegentia eorum quae dicam, tum pro tota discussione huius capitis, *summi esse momenti.*[13]

His positis, de schemate haec animadvertenda censeo:

1. In pluribus punctis non observatur intentio, quae initio schematis exprimitur, scil. Concilium non habere in animo « quaestiones labore theologorum nondum ad plenam lucem perductas dirimere » ...[14]. En exempla: affirmatur B. Virginem prophetice adumbrari « in promissione, lapsis in peccatum primis parentibus data, de victoria super serpentem » *etc.*[15]... Iamvero quicumque rei profundius studuit, novit de hac re inter *ipsos* [16] catholicos etiam nunc sat acriter disputari eamque minime « ad plenam lucem » perductam esse.

Idem dicendum est de iis, quae dicuntur de S. Ioanne apostolo quatenus sub cruce fuit figura fidelium. *Etiam de hac re multum controvertitur.*[17] Idem, mea quidem *humili* [18] sententia, dicendum videtur, *ut iam innui,*[19] etiam de iis quae schema dicit de B. Maria Virgine « Mediatrice », non *quod* [20] doctrina non sit vera, sed quia ipsa quoque in Ecclesia nondum ad plenam lucem perducta *sit.*[21] ...[22] Nequaquam dubium est, quin B. Maria Virgo, utpote Mater nostra, paratior sit ad intercedendum pro *nobis* [23] filiis suis, *paratior quam omnes alii, et quod eiusdem* [24] intercessio, devote et cum fiducia invocata, efficacior sit omni

alia *intercessione*.[25] Tamen consultius videtur in documento conciliari omittere vocem « Mediatricis », quippe quae periculum creet ne ab ipsis fidelibus *catholicis*[26] non recte intelligatur et christianis a nobis seiunctis serias, *vere serias,*[27] difficultates paret. Haec salvo meliore iudicio.

2. Placet in schemate dari theologis et praedicatoribus admonitionem, *pag. 206*[28]: « Sedulo arceant quaecumque sive in dictis sive in factis fratres seiunctos in errorem circa veram Ecclesiae doctrinam inducere possent » ...[29]. Attamen, dixerim causam unitatis christianorum et amorem cum veritatis tum fratrum seiunctorum tanti esse momenti, ut sola aliqua negativa admonitio minime sufficiat. Revera contextus in quo habetur haec admonitio optimam praebet ansam aliquid magis positivum dicendi, scil.: ut praesertim doctrina de B. Maria Virgine eo modo proponatur, iis argumentis e Sacra Scriptura et *antiqua traditione*[30] fulciatur, ut hi fratres eius sensum eiusque fundamenta biblica et theologica facilius percipiant. Demum ubi est sermo de cultu B. Mariae Virgini praestando, utilissimum esset enixe commendare ut omnes studeant, ut devotio erga B. Virginem sit vere *christocentrica,* i. e., ut appareat eam eo tendere idque efficere, ut fideles — exemplo B. Virginis *ipsius*[31] eiusque ope — arctius Christo adhaereant ac in constabiliendo Regno Dei in terris et hominum in cordibus efficaciter cooperentur...[32]

Addam insuper ipsum hoc caput de B. Virgine hac in re suo exemplo praeire debere. En exempla: Schema optime quidem hoc modo processit in explicanda Annuntiatione ope testimoniorum e Ss. Irenaeo, Cyrillo ...[33], Epiphanio, Hieronymo. Similiter agit in explicanda doctrina de B. Virgine tamquam typo Ecclesiae. Sed in permultis aliis quaestionibus *quae proponuntur,*[34] iisque *interdum*[35] magni momenti, minime hoc praestitit. V. g., in explicanda participatione B. Virginis in Sacrificio Christi in Cruce ...[36]; item in explicanda significatione theologica et ecclesiologica textus de dictis Domini ad B. Virginem et S. Ioannem sub Cruce. Idem dicatur de pluribus aliis textibus, qui in schemate nulla addita probatione explicantur in determinato sensu ac si sint *ex solo textu* per se evidentes ...[37]. *Fortasse aliquis dicit*[38]: schema ...[39] debere esse breve, nec omnia *dici*[40] posse. Omnino *hoc concedo,*[41] et proinde dico: ne proponantur *multa particularia* quae probare opus sit, sed exponantur pauca principia *fundamentalia* in quibus tota doctrina innititur, quaeque omnia alia illuminent et declarent, eaque fulciantur sufficientibus argumentis, uti optime factum est in schemate relate ad munus B. Mariae Virginis in Annuntiatione.

3. In pluribus punctis doctrina *magis clare et praecise* exponenda videtur. Pono unum aliudve exemplum. Dicitur aliquo loco cultum

B. Virgini praestitum « essentialiter differre a cultu adorationis », qui Verbo incarnato et Ss.mae Trinitati praestatur ...[42]. Nonne hic abstractus modus loquendi, etsi theologice fortasse exactus *sit,*[43] facillime fratres seiunctos in errorem inducere potest? *Etiam animalia bruta habent animam quae essentialiter differt ab anima hominis. Sic possit dici schema concedere praestari cultum adorationis B. Mariae Virgini, sed essentialiter diversum, sicut anima bruti essentialiter est diversa ab anima hominis, sed est anima.*[44] Proinde potius loquendum esset de infinita distantia, qualis vere est, inter cultum B. Virgini praestitum...[45]

Moderator: Em.me Pater, tempus tuum actum est.

Orator: *Liceat tantum conclusionem proferre.*[46] 1. Quaero an non posset melius aptari suo fini et contextui, scil. constitutioni *de Ecclesia. Porro, puto caput satis*[47] profunde retractari debere, ut vere respondeat suo fini, ut res clare et praecise exponantur...[48] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Sincere et cum simplicitate. [2] deest. [3] annexa. [4] — immo e duplici textu — [5] Non addo plura in laudem, ne contra modestiam offendere videar, eo quod ego unus opus a tantis theologis et Patribus confectum laudibus cumulare audeam. [6] deest. [7] deest. [8] proponi. [9] (cf. schema nota n. 18). [10] deest. [11] deest. [12] aliqua. [13] maximi momenti esse, ne laudabiles affectus devotionis propriae serenitatem et claritatem discussionis in alterutram partem obscurent. [14] (pag. 198, lin. 18). [15] (cf. *Gen.* 3, 15) (pag. 199, lin. 2). [16] deest. [17] (p. 201, linn. 15 ss.). [18] deest. [19] deest. [20] quia. [21] est. [22] Brevitatis causa praetermitto alia similia exempla, quae scripto commissioni significavi. [23] deest. [24] eiusque. [25] deest. [26] deest. [27] deest. [28] deest. [29] (pag. 206, linn. 5 ss.). [30] traditione, inde ab antiquissima. [31] deest. [32] Nonne hoc amantissimae Matri omnium Christi fratrum egregie placebit? [33] Hierosolymitano. [34] deest. [35] deest. [36] (pag. 201, linn. 15 ss.). [37] Sic v. g. in iis quae dicuntur de sanctificatione S. Ioannis Baptistae in utero matris suae, de Virgine infantem divinum pastoribus et Magis ostendente (pag. 200, linn. 25 ss.). In hoc ultimo casu v. g. ex usu orientalium potius supponendum esset S. Ioseph tanquam familiae divinae caput cum personis extraneis egisse. Nonne hic modus agendi falsam ideam fratribus seiunctis praebere posset, scil. Ecclesiam catholicam doctrinam suam ingenua quadam exegesi, sine sufficiente sensu critico fulcire? [38] Dicet aliquis. [39] necessario. [40] argumenta proponi. [41] consentio. [42] (pag. 205, linn. 5 ss.). [43] esse possit. [44] Uti scitis, nos catholici identidem ab illis accusamur ac si B. Virgini cultum adorationis praestaremus. Schema autem concedere videtur ei *praestari* cultum adorationis, utique essentialiter diversum. [45] et adorationem Deo praestitam. Simile quid dicatur de admonitione, quae habetur in schemate scilicet Beatam Virginem nullatenus « ut aequalem Filio suo » proponendam esse (pag. 206, lin. 2). Etiam hic potius de infinita distantia loquendum esset.

In exponenda doctrina de B. Virgine typo Ecclesiae dicitur de Ecclesia: « et ipsa est et virgo, quae fidem Sponso datam integre et pure servat, et imitans

Domini sui Matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen et mater est virgo » (pag. 203, linn. 39 ss.). Hic textus saltem prima facie suggerere videtur Ecclesiam habendam esse ut virginem, quia fidem Sponso suo Christo servat. Iamvero hinc sequitur quidem ipsam esse sponsam eamque fidelem Christi, sed nihil sequitur de eius *virginitate*. Ergo deest in textu explicatio ideae principalis quod scil. Ecclesia sit virgo et proinde hac quoque in re antitypus B. Virginis. Forte responsum in eo quaerendum est, quod Ecclesia, cum generat filios suos, hoc facit, « neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri » sed — uti B. Virgo ipsa — e Spiritu Sancto.

4. *Ultimum punctum.* Candide fateor me expectavisse totum hoc caput agere *directe et formaliter* de B. Virgine in *sua relatione* ad Ecclesiam, prout postulatur etiam ab ipso capitis contextu scil. a constitutione *de Ecclesia.* Iamvero schema hoc thema non aggreditur nisi in secunda capitis parte (n. 54), post propositas quinque columnas quae de aliis quaestionibus agunt. Utique quae in hac prima parte capitis dicuntur minime superflua sunt, sed *sub aspectu hoc capiti proprio* tractari et exponi deberent. Quod, mea quidem sententia omnino possibile esset. Sicut Divinus Redemptor quaecumque agit inde a sua conceptione, ea agit tamquam Caput pro Ecclesia, eius Corpore mystico, ita etiam eius « alma socia » B. Virgo. Ecclesia enim secundum profundam doctrinam Novi Testamenti et Patrum praeparatur in Vetere Testamento et incipit formaliter cum conceptione sui Capitis. Doctrina enim S. Pauli de Christo tamquam Capite Corporis mystici non ita intellegenda est ac si Christus esset caput truncum sine membris sed est, « Caput *ex quo* totum corpus compactum ... augmentum sui facit in caritate » (*Eph.* 4, 16). Deus dedit Christum « caput super omnem Ecclesiam, quae est Corpus eius et plenitudo eius ... » (*Eph.* 1, 24). Praecise ex *hac* doctrina Patres et documenta Ecclesiae — maxime Encyclica « Corporis Mystici » — deducunt B. Virginem *quia est mater Christi Capitis Corporis mystici,* esse etiam matrem Corporis eiusque membrorum, et proinde matrem hominum in ordine gratiae, prout optime ostenditur in schemate in explicando munere B. Virginis in Annuntiatione. Quae ergo exponuntur in prima parte schematis de actione B. Virginis in Opere Redemptionis exponi deberent tamquam facta *circa Ecclesiam et pro Ecclesia.* Unde efficeretur ut ea quae in secunda parte exponuntur de B. Virgine matre hominum, et typo Ecclesiae, tamquam faciles sequelae apparerent ex iis, quae in prima parte exposita fuere. Liceat addere: hoc modo forte etiam non paucae repetitiones, quae in schemate habentur vitari possent. [46] Agnosco quidem optima quae in hoc capite habentur, sed. [47] Puto igitur omnino caput sat. [48] solidis argumentis fulciantur, quaestiones nondum ad plenam lucem perductae non diramantur, repetitiones vitentur et doctrina stylo magis simplici et sobrio exponatur.

Secretarius generalis: Communico venerabilibus Patribus exitum suffragationis peractae:

Inter	2.204	Patres,
dixerunt *placet*	2.170	
non placet	32	
Suffragia nulla	2	

Ergo ratio procedendi a congregatione generali approbata est.

Quae cum ita sint, statuit em.mus moderator procedendum esse ad suffragium cap. I schematis *de Ecclesia*. Quod fiet hora 11,45 post lectam per exc.mum D. Charue, ep. Namurcensem, relationem praescriptam.

Suffragatio, cum de integro capite sit, erit per *placet, non placet, placet iuxta modum*. Modi possunt proferri etiam crastina. Attamen, ut dixi heri, quilibet modus scribatur in distincto folio, ita ut labor commissionis facilior evadat.

Rogo ergo vos, venerabiles Fratres, ut hora 11,45 omnes vestris locis stetis. Gratias.

10

Exc.mus P. D. HADRIANUS DJAJASEPOETRA

Archiepiscopus Djakartanus

Venerabiles Patres, dilectissimi Observatores et ceteri Auditores,

Nobis placet hoc caput de B. Maria Virgine. Tamen, plura minoris momenti scriptis tantum tradens, duo nunc maioris momenti nomine 24 episcoporum Indonesiae proponimus.

1. *De Beata Virgine in ministerio publico Iesu...*[1] Textus dicit quod « durante vita publica Iesu, Mater eius signanter apparet ». Forte rectius diceretur: signanter *dis*paret.

Notum est, tria Evangelia synoptica una sola vice mentionem facere Matris Iesu in vita publica Iesu ...[2]. In his ergo Evangeliis, quae ad primitivam praedicationem apostolorum magis appropinquant, praesentia Matris in vita Iesu publica fere tacetur.

Solus Ioannes narrat miraculum Canae factum. Solus Ioannes dicit, quod sub cruce Iesu stabat Mater eius. Ceteri vero evangelistae ibi mentionem faciunt mulierum fidelium, sed Mariam non nominant. Non est dubium, quin Ioannes consulto narret praesentiam Mariae in Cana et sub cruce.

Sed tamen, si sincere volumus sequi veritatem evangelicam, dicere debemus, Mariam in vita publica Iesu fere disparere. Illa obscuritas Matris etiam pertinet ad doctrinam revelatam de Maria. Quapropter eam ne taceamus. Passus hic *sincerius* adhaereat Evangeliis.

2. *De B. Virgine Mediatrice*. Sunt ...[3] in hac aula qui vellent doctrinam de Maria Mediatrice expressius enuntiari et sanciri. Sunt alii qui mallent hanc vocem non adhiberi. Cum his ultimis sentimus.

Parcite nobis, fratres qui ex adverso estis. Speramus et nos B. Virginem tamquam Matrem Dei et Matrem nostram sincere colere, amare

et praedicare. Credimus et nos, B. Virginem partes activas habere, tum in opere redemptionis peragendo, tum in divina gratia nobis impertienda. Sed nobis vocabulum *Mediatrix* minus felix videtur:

1. quia B. Virgo non stricto et proprio sensu media est et agit inter Deum et nos, sicut Christus, qui simul verus Filius Dei et verus filius Adami est;

2. quia vocabulum hoc difficiliorem reddit praedicationem unius Mediatoris. Hoc, ut nobis videtur, valet pro tota Ecclesia et pro omnibus nobis. In praxi doctrina de Maria Mediatrice est vel potest esse impedimentum vel velamen pro recta et viva intelligentia fidei nostrae erga Christum ut unicum Mediatorem. Iterata affirmatio in textu capitis, quod Christus sit unicus Mediator, hanc difficultatem pastoralem minime aufert.

Nos, episcopi Indonesiae, volumus ex nostra situatione hanc gravem difficultatem premere. Laboramus in populo maxima ex parte islamitico et animistico. Inter centum milliones *populi,*[4] catholici nondum duae milliones numerantur. Pro gratia Dei nobis data conamur illis annuntiare Christum *unicum* Mediatorem. Praedicamus etiam Mariam matrem eius et nostram. Sed catholicis et acatholicis vix possumus explicare, quod Christus est Mediator *unicus,* et quod tamen Maria etiam est Mediatrix. Nos primam Evangelii annuntiationem proclamamus. Et ibi specialiter fides unius Mediatoris facile obscuratur, si alteram Mediatricem praedicamus. Quapropter mallemus doctrinam et vocabulum Mariae Mediatricis non a Concilio extolli vel sanciri.

Petimus ergo, ut titulus Mediatrix in constitutione non extollatur, sed, si titulus evitari non potest, simpliciter numeretur inter plures titulos, quibus pietas catholica Matrem suam honorat, et quorum plures multo magis sueti sunt. Scribatur: « Titulis mediatricis, advocatae, auxiliatricis, matris misericordiae condecorari consuevit ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (n. 53, pag. 201, linn. 1-24). [2] (*Mc.* 3, 31 par.). [3] inter. [4] deest.

11

EXC.MUS P. D. OCTAVIANUS MÁRQUEZ TÓRIZ
Archiepiscopus Angelorum

Venerabiles Patres, dilectissimi Fratres,

Caput hoc de B. Maria Virgine *in genere*[1] mihi valde laudandum videtur:

1. quia praeclare doctrinam catholicam de B. Virgine Maria ex-

ponit, sub relatione cum Christo Domino, et, noviter sane, cum Christi Ecclesia;

2. quia optime cum praecedentibus capitibus et tota doctrina de Ecclesia cohaeret;

3. quia non semel sermonem habet de veritate illa dulcissima, quam omnes nos in imo corde habemus, et in hodierna pastorali maximi momenti est, nempe de Maternitate spirituali B. Mariae Virginis erga homines in oeconomia gratiae.

Attamen, in praesentiarum adiunctis Ecclesiae et humanitatis; posita exspectatione orbis catholici relate ad Concilium Oecumenicum eiusdem fructus; attentis nobilissimis conaminibus unionis fratrum *seiunctorum*[2]; et praesertim inspecta Divina Voluntate circa Mariam in salute generis humani, prout in prioribus huius capitis numeris optime declaratur; inspectis innumerabilibus Sanctorum Patrum, Romanorum Pontificum et totius Ecclesiae traditionis documentis, necnon prae oculis habendo Ss.mi Patris Pauli Papae VI praeclaram orationem, die 11 mensis octobris elapsi anni prolatam in Basilica S. Mariae Maioris, et nobilissimam eius allocutionem in hac Vaticana Basilica, die 4 decembris ultimi habitam, sub fine alterius huius Concilii sessione: mihi opportunissimam et apprime convenientem videtur *proclamationem* aliquam (non definitionem, sed proclamationem specialem) Concilii nostri Oecumenici « de maternitate spirituali B. Mariae Virginis in oeconomia gratiae », faciendam esse.

Etenim, verum est in capite hoc de quo agimus doctrinam illam fructuosissimam diversis sub verbis plus quam semel exprimi, sed (reverenter omnino dico) videtur iam ex antea supponi *vel praesupponi,*[3] et currenti ut ita dicam calamo, in decursu sermonis repeti. Deest tamen explicita et specialis proclamatio.

Iamvero, quis non videt in hodierna pastorali, in vita christiana nostrorum temporum, quot ex tali speciali proclamatione Maternitatis spiritualis Mariae fructus uberrimos perventuros esse?

In sollemni Congressu Mariologico Internationali, anno 1958 Lapurdiae (Lourdes) habito, Patribus cardinalibus atque innumeris episcopis et theologis coadunatis, amplissime de Maria, Ecclesiae Matre, tractatum est. *Tunc em.mus card. Decanus, Summi Pontificis Legatus, praeclare ostendebat quomodo*[4] « Gradatim procedendo, spiritus christianus absque dubio perveniet ad reducendum in realitatem votum illud pro quo card. Mercier, sanctae memoriae, tantum adlaboravit ...[5] »: *circa doctrinam de Mediatione universali Mariae et de eius Spirituali Maternitate. Pariter in aliis internationalibus congressibus Marialibus, e. g. in Latino-Americanis, primo in Bonaërensi in Republica Argentina,*

secundo in Mexicano, amplissime de Maria hominum omnium Matre et Ecclesiae Matre tractatum est.[6]

Verum est etiam, venerabiles Patres, ut plurimi ex vobis norunt, integrum Mexicanum episcopatum Sanctissimo Patri Pio XII, felicis recordationis, necnon eius Successori Ioanni XXIII, veneratissimae memoriae, preces instanter obtulisse, multis argumentis fulcitas, ad *deveniendum ad definitionem, quando Sanctissimo placuerit, de Maternitate Spirituali Mariae, quibus precibus*[7] episcoporum centena ac centena diversis ex Nationibus toto corde adhaeserunt...[8]

Sed hic et nunc non agimus de definitione postulanda, sed *tantum*[9] de *proclamatione conciliari* proponenda.

Nec difficultas ulla ex carissimorum fratrum *seiunctorum*[10] consideratione exsurgit. Etenim, ut in novo n. 56 huius capitis ...[11] dicitur optime, « Maria est signum certae spei »; et « Sacrosanctae huic Generali Synodo magnum affert gaudium et solatium etiam inter fratres separatos non deesse qui Matri Domini ac Salvatoris debitum afferunt honorem ». Maria hic iterum exhibetur ut vera Fautrix unitatis.

Praeterea, experientia teste scimus Mariam suavissimum et efficacem exercere influxum in acatholicorum quamplurium animum...[12]

Ceteroquin, si Mariam continuo Matrem nostram vocamus, et Ecclesiae Magisterium ita eam vocat, cur eam sollemniter tali voce non proclamare?

In memoriam revocemus, venerabiles Patres, nobilissima verba Summi Pontificis Pauli Papae VI, in duabus supra memoratis occasionibus prolata: Et sinatis me illa litteraliter citare:

« O Maria, vedi la Chiesa, vedi i membri più responsabili del Corpo mistico di Cristo raccolti intorno a Te, per riconoscere Te e Te celebrare sua mistica Madre...

Fà, o Maria, che questa sua e tua Chiesa, nel definire se stessa, *riconosca Te per sua Madre...*

Monstra Te esse matrem. Fa a noi vedere che Tu ci sei Madre » ....[13].

« Speramus (sunt etiam verba Summi Pontificis, *iam citata ab em.mo card. Wyszyński*[14]) eamdem Synodum quaestionem de schemate circa B. Mariam Virginem optimam... habituram esse emendationem, ...[15] ita ut nomine "Matris Ecclesiae" eam possimus ornare, idque in Eius honorem cedat in nostrumque solacium » ...[16]

Igitur, summa qua par est reverentia et humilitate, propono ut in pag. 203, in textu emendato, post lin. 13, ad modum conclusionis illius paragraphi haec verba addantur: « Unde haec Sacrosancta Synodus, iuxta Sanctorum Patrum, Romanorum Pontificum et christianae traditionis documenta, filiali animo proclamat B.mam Virginem Mariam Dei Geni-

tricem, ex divina bonitate Matrem spiritualem datam esse hominibus in oeconomia gratiae, ideoque Corpori Christi mystico quod est Ecclesia ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] separatorum. [3] deest. [4] Liceat mihi verba em.mi card. Decani, tunc Legati Summi Pontificis, referre, in fine Congressus sollemniter prolata. [5] ut ad definitionem perveniatur mediationis universalis Mariae, vel eius *spiritualis maternitatis,* vel eius intimae cum Christo Redemptore consociationis » (In Memoria Congressus, pag. 22). [6] deest. [7] definitionem dogmaticam postulandam, quibus. [8] Omnibus praefatis episcopis veritas haec sane definibilis videtur. [9] hodiernis adiunctis inspectis. [10] separatorum. [11] pag. 206, linn. 22 ss. [12] Quot, inquam, conversiones sub invocatione Mariae habitae sunt. [13] (*A.A.S.,* 15 nov. 1963, LV, n. 15, pp. 872-874). [14] deest. [15] ita scil. ut uno consensu et summa pietate agnoscatur locus longe praestantissimus qui Matris Dei est proprius in sancta Ecclesia, locum dicimus, post Christum, altissimum nobisque maxime propinquum. [16] (*A.A.S.,* 31 ian. 1964, LVI, n. 1, p. 37).

12

EXC.MUS P. D. CONRADUS MINGO

Archiepiscopus Montis Regalis

Venerabiles Patres,

Concedite mihi aliquid dicere relate ad cap. VIII « De B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae ».

1. In aula conciliari post relationes em.morum cardd. Santos et König, post declarationem em.mi card. Agagianian, quaesitum « placet Patribus ut schema de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae, ita aptetur ut fiat cap. VI schematis de Ecclesia » ob pauca vota fuit acceptatum; sed alii Patres — quasi aequa pars — suffragium negativum dederunt. Novum vero schema non solum aptatur sed substantialiter mutatur. Hoc, puto, non satisfacere exspectationibus Patrum. Ipsi enim, quasi aequa pars, nolebant incorporationem schematis specialis de B. Maria Virgine in schemate *de Ecclesia,* quia « posset intelligi, dicebant, ut res minus honorifica erga B. Mariam Virginem ». Novum schema notabiliter immutatum et imminutum, nullo modo considerat mentem et voluntatem istorum Patrum qui suffragium negativum dederunt.

2. Catholica veritas de consociatione B. Mariae Virginis cum Iesu Christo Filio suo in opere humanae redemptionis claro modo ne verbis quidem generalibus exprimitur. Sed quomodo excludi potest in textu conciliari mariano doctrina haec, quae in revelatione fundatur, in tra-

ditione clara redditur, ab ordinario magisterio universae Ecclesiae confirmatur et in tota Ecclesia communiter docetur? Hoc mihi videtur argumentum eminens in doctrina mariana et illius silentium magnam lacunam constitueret.

3. In illustrandis relationibus inter B. Mariam Virginem et Ecclesiam, consulto mihi videtur, excluditur titulus Mater Ecclesiae, qui aptissimus est. Admitto rationes allatas contra hunc titulum non esse spernendas; sed, meo iudicio, minime iustificare illius omissionem, praesertim post allocutionem ipsius Pauli Papae VI in Concilio et postquam pluries ipse Ioannes Papa XXIII hunc titulum B. Virgini attribuit. Etiam in celebri quaesito conciliari diei 29 octobris 1963 ita dicitur: « ut schema de B. Virgine Matre Ecclesiae aptetur... ». In pag. 203, lin. 15, in capite dicitur: « de Maria, Ecclesiae typo ut Virgine et Matre ». Sed relationes inter B. Virginem et Ecclesiam non exhauriuntur in typologia: Maria est vera « Mater Ecclesiae ».

4. Relate ad textum hae observationes praesertim necessariae videntur:

a) *Pag. 201, lin. 15.* Participatio B. Mariae Virginis Iesu Christi passioni incompleta videtur et, meo iudicio, non exprimit fideliter Ecclesiae doctrinam. Nam ea dicitur verbis « condoluit » et « consentiens », est enim participatio affectuum et intentionis; in Encyclica *Mystici Corporis* dicitur: « arctissime semper cum Filio suo coniuncta, eundem in Golgotha... Aeterno Patri obtulit »; idem in Encyclica *Ad caeli Reginam*. Unde Magisterium pontificium indicat participationem magis intimam ex qua deducitur alius valor et alia efficacitas...[1]

c) *Pag. 203, lin. 35.* Loquitur de mediatione B. Virginis sed minime indicatur eius universalitas, nam Maria est Mediatrix omnium gratiarum et pro quolibet homine, ut docet Magisterium pontificium. Sic etiam via praecluditur, sine sufficienti ratione, sententiae plurimorum theologorum qui sequuntur doctrinam mediationis per causalitatem physicam dictam.

5. In pag. 198, lin. 10, schema intendit sedulo illustrare tum munus B. Mariae Virginis in mysterio Incarnati Verbi et Corporis mystici, tum hominum redemptorum officia erga Deiparam, sed non habet in animo completam de Maria proponere doctrinam. Sed ad hoc mihi necessarium videtur exponere doctrinam completam quam nostris temporibus proponit Magisterium Ecclesiae sive in documentis Summorum Pontificum sive in ordinaria Ecclesiae catechesi. Secus nostri fideles turbari possint et credere Ecclesiam mutasse suam doctrinam relate ad B. Mariam Virginem. Textus conciliaris adaequare debet statum theologicum hodiernum doctrinae marianae. Textus schematis praesen-

tati videtur valde deficiens; absonus a voce Ecclesiae et populi christiani.

Nec opportunum videtur propositum quod ex textu deducitur omittendi ea quae Magisterium universalis Ecclesiae praesertim docet. Nam, ut *affirmat* [2] Pius XII, pro theologis sicut pro mariologis, norma proxima et universalis in rebus fidei et morum est Ecclesiae Magisterium; depositum fidei concreditum est a Christo Ecclesiae: ea illud debet custodire et authentice interpretari.

Possumus parare schema conciliare marianum ignorando quae Summi Pontifices de B. Virgine solemniter docuerunt? Recordari debemus monitum Pii XII: « Vehementer a veritate deerrat, qui ex sacris Scripturis tantummodo B. Virginis dignitatem ac sublimitatem plene definire recteque explicare posse censet ... qui easdem sacras litteras apte explanari posse arbitratur, traditionis catholicae et Magisterii sacri non satis habita ratione; neque traditionis documenta investigare et explicare licet, sacro Magisterio et Ecclesiae vita et cultu prouti per saeculorum decursu manifestantur, neglectis vel parvi habitis ».

6. Ioannes XXIII, felicis recordationis, vocabat nostrum tempus « aetatem marianam » et intelligere volebat specialem B. Mariae Virginis praesentiam in Ecclesia.

Ex multis argumentis deducere licet hanc specialem praesentiam B. Mariae Virginis in Ecclesia tribuendam esse actioni Spiritus Sancti.

Merito em.mus card. Tisserant, in Congressu Internationali mariano Lourdes habito, affirmabat: « Causae huius progressus scientiae marianae ... naturali via et ratione explicari non possunt, ideoque in divina illa dispositione quae a Pio XII iure meritoque extollitur, requirendae sunt ».

Concludo. Ob istas rationes et ceteras validas quas exponere nequeo ob temporis penuriam, humiliter submitto iudicio Summi Pontificis et vestro, venerabiles Patres, renovationem consecrationis in conclusione huius Concilii Vaticani II, Ecclesiae et mundi et praesertim Russicae nationis, Cordi B. Virginis Immaculato. Hoc christifideles universi a nobis exspectant et certo Deiparae Virgini, omnium gratiarum mediatrici, gratissimum erit. Satis.

In textu scripto tradito: [1] *b*) pag. 202, titulus « de Maria ut ancilla Domini Redemptoris » non videtur idoneus: quia B. Mariae Virginis officium circumscribit; in textu enim ea vocatur « Mater Dei », « Mater hominum », « Generosa socia ».
[2] affirmabat.

Secretarius generalis: Velint Patres ad sua loca remeare!
[*Intervallum*].

Audiant Patres! Crastina fient suffragationes circa cap. II. Erunt quattuor de variis partibus capitis, et deinde, si tempus suppetet, fiet suffragatio etiam circa integrum caput.

Nunc proceditur ad suffragationem faciendam circa cap. I schematis *de Ecclesia,* quod inscribitur: « De Ecclesiae mysterio », et ita incipit (videatis partem dexteram): ... [*cf. pag. 158 ss.*].

Porro circa hoc caput quaeritur an placeat. Responsio erit per *placet, non placet, placet iuxta modum.* Modi possunt etiam deferri crastina.

Nunc antequam suffragatio fiat, exc.mus P. D. Charue, ep. Namurcensis, relationem leget. Deinde fit suffragatio.

Exc.mus P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis, Relator

Venerabiles Patres,

Relatio generalis de Capite primo iam mense novembris exeunte anni praeteriti scripta erat, eo nempe consilio ut ante secundae sessionis dimissionem Patribus suffraganda proponerentur Introductio atque Caput primum Constitutionis de Ecclesia. Hoc recolendum est cum revera textus Relationis in suo pristino statu remaneat. Ut legentibus patet, historica expositionis condicio ad annum praeteritum pertinet. De cetero, eadem remansit capitis doctrina ac proinde relatio, ut videtur, valorem suum substantialiter servat et ut talis iudicio vestro proponi potest.

Supervacaneum autem esset per longum et latum disserere de iis quae sub oculis habetis in relatione typis exscripta, nempe in paginis vigesima sexta et sequentibus voluminis quod Ss.mus Pater die III mensis iulii edere permisit. Solummodo quaedam generalia ac magis practica repetere iuvat.

Primo, ad summam textus quod attinet, lego paragraphos quartam, quintam et sextam, in pagina vigesima septima: « Post Introductionem abbreviatam, describitur quomodo Ecclesia orta sit ex consilio Dei Patris, qui per Filium suum incarnatum, in Spiritu Sancto, opus redemptionis universalis exsecutioni mandavit, ita ut Ecclesia revera appareat tamquam adunata de ipsa unitate trium Personarum.

In qua expositione disertis verbis extollitur primatus Christi Domini, qui Regnum caelorum in terras inducens, Ecclesiam fundavit; quam Sacrae Litterae diversis et profundis imaginibus describunt, et

cuius intimam et arcanam naturam praesertim per doctrinam de Corpore mystico, de solidaritate membrorum et de salutari influxu Christi Capitis, nostris oculis patefaciunt.

Mysterium Ecclesiae tamen non est figmentum idealisticum aut irreale, sed existit in ipsa societate concreta catholica, sub ductu Successoris Petri et Episcoporum in eius communione. Non duae Ecclesiae sunt, sed una tantum, quae caelestis simul et terrestris, aeternum Dei consilium revelat, assimilatione sua cum Domino suo, tum in exinanitione sua, tum in gloriosa sua victoria ».

Verbum etiam dicamus de labore Commissionis in emendando et componendo novo textu. Omnes et singulae propositiones Patrum, etiam minores, diligentissime examini subiectae sunt licet ad plures centenas ascenderent. Si autem nunc, labore peracto, textus recognitus inspicitur, absque dubio apparet lucidior, concinnior et magis organice ordinatus. De quo felici exitu gratias agimus omnibus Patribus, qui ad eum obtinendum contulerunt. Dicere possumus quod praecise propter communem conatum et omnium cooperationem, textus Commissionis doctrinalis vere « conciliaris » evasit.

Et propterea, quia textus qui vobis proponitur, Eminentissimi et Reverendissimi Patres, vere conciliaris est, audemus confidenter petere ut in suffragatione de Capite primo respondeatis simpliciter « Placet ». Statim explico: proponitur nempe ut extra casum profundi dissensus, dicatur Placet cum firma cautione — hoc attendere velitis — cum firma cautione quod Commissio de Fide rationem sedulo habebit animadversionum quae a Patribus in proximis hebdomadibus praesentarentur. Ita loquor, quia si nimis facile optaretur pro suffragio « Placet iuxta modum », in discrimen poni posset, contra multorum votantium intentionem, ipsa approbatio textus.

Quibus dictis, confidenter iam Patribus de eorum benevolentia gratias agimus.

Moderator: Prosequitur disceptatio. Loquatur exc.mus D. Paulus Rusch, ep. Oenipontanus in Austria, et accedat ad microphonium exc.mus D. Iosephus Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia.

[*Intervallum*].

Exc.mus D. Paulus Rusch, ep. Oenipontanus in Austria!

℟ Aegrotus est.

[*Intervallum*].

Loquatur exc.mus D. Iosephus Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia, et accedat ...

13

Exc.mus P. D. IOSEPH RUOTOLO

Episcopus Uxentinus - S. Mariae Leucadensis

Venerabiles Patres,

1. Placet novum schema de B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae: *a*) quia fit clara locutio de Maria Mediatrice gratiarum; *b*) quia omittuntur quaestiones, quae a theologis adhuc disputantur.

2. Meam humilem opinionem expono quoad n. 55:

a) Practica est monitio Synodus ut theologi et praecones verbi divini fideles removeant a cultus marialis defectibus;

b) attamen requiritur positiva significatio circa aliquam potiorem cultus manifestationem.

3. Paulus VI, feliciter regnans, in Encyclica *Ecclesiam suam* vocat Mariam Virginem « amantissimam vivendi magistram ». Puto quod devotio, quae talem eam demonstrat, sit *consecratio animi humani Cordi Immaculato B. Mariae Virginis* quae non consistit in aliqua invocatione affectiva, sed potissimum in « novitate vitae » instauranda. Cultus marialis namque idem est ac « vivere secundum Cor Iesu et Mariae » ...[1]. Opportunitas talis consecrationis clara est:

a) de hac consecratione Pius XII, piae recordationis, saepe locutus est: ipse in Constitutione Apostolica *Novissimo universarum* (diei 1 maii 1947) Cor Mariae Virginis magnificavit his verbis: « Immaculati Mariae Cordis pietas est propemodum infinita ex illa quadam infinitate, quam propter consanguinitatem cum Deo, Deiparae proprium esse Doctor dicit angelicus ».

b) Ipse genus humanum consecravit Cordi Immaculato B. Mariae Virginis die 31 octobris anni 1942 « bello atrocissimo per orbem fere totum ingravescente » ...[2]

c) Ipse demum festum instituit Cordis Immaculati B. Mariae Virginis pro die octavo sollemnitatis Assumptionis ...[3]

4. Haec devotio, exorta saec. XVII et saeculo sequenti a sancto Aloysio M. Grignon de Monfort tenaciter diffusa, considerari potest tamquam compendium cultus marialis et maxime idonea ad mala huius temporis in bono vincienda (Encyclica *Fulgens corona* Pii XII, diei 8 septembris anni 1953).

5. Propterea propono ad n. 55 addenda verba sequentia: « Ipsi (theologi et praecones verbi divini) fideles maxime hortentur ad animos

consecrandos Cordi Immaculato B. Mariae Virginis ita ut cor humanum — Maria Matre et Magistra — cum fiducia agat, a vitiis abstineat, odia inter familias et nationes repellat, gentes diversae progeniei in pari laude ponat, in laetitia et pace vivat, Deo humiliter serviendo et hominibus, praesertim infirmis et pauperibus, auxiliando ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (ex oratione festi). [2] (ex lectione Breviarii). [3] (4 maii 1944).

14

EXC.MUS P. D. PLACIDUS M. CAMBIAGHI

Episcopus Novariensis

Em.mi ac rev.mi Patres,

Cum vero quae a me principaliter dicenda erant ad perficiendum schema propositum de B. Maria Virgine, a quibusdam Patribus, maxime a cardd. Ruffini et Wyszyński et exc.mo Mingo, qui usquedum locuti sunt, clare, luculenter ac sapienter exposita essent, mihi opportunum videtur verba me non facere de hoc pergrato argumento, ne vos, venerabiles Fratres, taedio afficiam. Humiles meas animadversiones secretariae generali tradam. Dixi.

Textus scripto traditus:

I. *Animadversiones generales.*

1. Quamvis propositum schema non « in animo habeat completam de Maria proponere doctrinam » (cf. text. emend., pag. 198, linn. 17-18), tamen cum intendat illustrare sedulo ... munus B. Virginis in mysterio Incarnati Verbi et Corporis mystici » (*ibid.*, linn. 13 s.), debet doctrinam proponere non minus evolutam quam nostris temporibus proponatur a Magisterio authentico Ecclesiae sive in documentis SS. Pontificum; sive in ordinaria Ecclesiae catechesi.

Atqui in textu proposito quaedam insufficienti modo mihi proposita videntur; praesertim quae sequuntur:

A) Quod attinet ad munus B. Virginis in opere Redemptionis, exponendum est Mariam Christo Redemptori non solum sociatam fuisse animi affectu, amore ac dolore, nec tantum physica praesentia eius mysteriis, sed vere cooperatam esse, Deo sic volente, hominum Redemptioni, ut docet, e. g., referens doctrinam quam iam tradiderant SS. Pontifices a Pio IX,[1] PIUS XII, Enc. *Mystici Corporis* (*A.A.S.*, 35, 1943, pp. 247-248), et Enc. *Mediator Dei* (*A.A.S.*, 39, 1947, p. 582).

[1] Cf. PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus*; PIUS X, Enc. *Ad diem illum* (*Acta Pii X*, vol. I, pp. 153-154-155); LEO XIII, Enc. *Parta humani generis* (*Acta Leonis XIII*, XXI, p. 158); BENEDICTUS XV, Litt. Apost. *Inter sodalicia*: *A.A.S.*, 10, p. 181; PIUS XI, Enc. *Miserentissimus Redemptor*: *A.A.S.*, 20 pp. 169, 178).

B) Quod attinet ad Mediationem Mariae in gratia elargienda oportet profiteri eam mediationem esse universalem, scilicet pro omnibus hominibus, pro quolibet fructu Redemptionis animabus applicando, ut docet e. g., LEO XIII, Enc. *Octobri mense*: « Nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Deus, ... nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri ».

C) Quod attinet ad relationes inter Mariam et Ecclesiam, desideratur in textu constitutionis titulus « Matris Ecclesiae » atque doctrina quae hunc titulum exponat, cum talis doctrina iam inveniatur in quibusdam documentis SS. Pontificum, e. g., in Enc. *Quamquam pluries,* LEONIS XIII, ubi Maria vocatur « omnium Christianorum Mater »; in Enc. *Ad diem illum,* PII X, ubi Maria vocatur « Mater membrorum Christi »; (vide etiam Enc. *Mystici Corporis,* PII XII: *A.A.S.,* 35, 1943, p. 247); in nuntio radiophonico IOANNIS XXIII, ubi Maria vocatur « Mater Corporis Mystici » (*A.A.S.,* 51, 1959, p. 713).

2. Si hae doctrinae insufficienti et incompleto modo exponerentur in constitutione conciliari, christifideles turbari possent, quasi scil. Ecclesia mutaret vel corrigeret quod antea docuerat, vel quasi summo Magisterio fungens in Concilio, moveretur causis extraneis eius muneri depositariae et magistrae Revelationis. Quod si accideret, christifideles a devotione erga B. Virginem amoverentur. Quod maximum detrimentum afferret vitae christianae, atque contradiceret menti Ecclesiae quae asserit cultui B. M. V. ipsam « potissimum favere » (vide in hoc capite, art. 55, pag. 205, lin. 8).

II. *Animadversiones particulares.*

Pag. 197 textus emendati, art. 52, lin. 23: « arcto et indissolubili vinculo... ». In Bulla « Ineffabilis Deus » Pii IX dicitur « arctissimo et indissolubili... ». Superlativum « arctissimo » suo momento non caret. Oportet ergo illud servare etiam in textu conciliari.

Pag. 198, art. 52, lin. 6: « in fide et caritate typus ». Non solum, sed etiam in eius divina maternitate Ecclesia prototypum contemplatur suae missionis qua filios Dei regenerat. Praeterea Ecclesia consuevit Mariam « Matrem Ecclesiae », « Matrem Christianorum », « Matrem Corporis Mystici » nuncupari, ut dictum est in animadversionibus generalibus. Ipse textus schematis conciliaris, lin. 16, eam vocat « Matrem fidelium » ac pag. 203, lin. 24, docet: « Mater, exempla praebens ». Oportet ergo in textu conciliari haec duo exprimere: « Maria est prototypus spiritualis maternitatis Ecclesiae »; « Maria est mater Ecclesiae ».

Pag. 199, art. 53, lin. 2: « adumbratur ». Nimis parum est. PIUS IX dicit, Bulla *Ineffabilis Deus*: « Hoc divino oraculo, clare aperteque ... designatam B.mam eius matrem Virginem Mariam ». Non est attenuandum quod iam Ecclesia clare aperteque docuit.

Pag. 200, art. 53, lin. 4: « humanae saluti cooperantem... ». Agitur de facto historico; melius est dicere, tempore historico, « cooperatam esse ».

Pag. 200, lin. 20: Participatio Mariae passioni Filii sui exponitur modo incompleto; exprimitur enim participatio affectuum, « condoluit », « materno animo sociavit »; participatio intentionis, « consentiens ». Magisterium autem SS. Pontificum aliam intimiorem et efficaciorem participationem novit, qua Maria, Deo sic volente, vere cooperata est immediate hominum Redemptioni. Docet enim PIUS XII, Enc. *Mystici Corporis*: « Ipsa fuit quae ... arctissime semper cum Filio suo coniuncta, eundem in Golgotha, una cum maternorum iurium maternique

amoris sui holocausto, nova veluti Eva, pro omnibus Adae filiis ... Aeterno Patri obtulit » (*A.A.S.,* 35, 1943, pp. 247-248). Eadem doctrina proponitur Enc. *Ad Caeli Reginam*: « Maria, in spirituali procuranda salute, cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, ex Dei placito sociata fuit, et quidem simili quodam modo quo Heva fuit cum Adam, mortis principio, consociata, ... Asseverari itidem potest hanc gloriosissimam Dominam ideo fuisse Christi Matrem delectam " ut redimendi generis humani consors efficeretur " (PIUS XI, Ep. *Auspicatus profecto*). Nova veluti Heva cum novo Adam consociata » (*A.A.S.,* 46, 1954, pp. 634-635). Si talis respectus societatis Mariae cum Christo Redemptore omitteretur, non exponeretur integre et fideliter Magisterium Ecclesiae.

Pag. 201, lin. 36: « Ut plene conformaretur Filio suo ». Addendum est: « atque iugiter ei adsociaretur in opere humanae salutis » (cf. citationem Enc. *Ad Coeli Reginam* supra propositam).

Pag. 202, art. 54, lin. 1: « De Maria ut ancilla Domini Redemptoris ». Hic titulus nimis restrictivus est. In textu ipso qui sequitur Maria vocatur « Mater Dei et hominum ... generosa socia ».

Pag. 202, a lin. 35 ad pag. 203, lin. 13: In exponenda doctrina de munere mediatricis B. Mariae Virginis oportet profiteri, cum ordinario et universali Magisterio Ecclesiae, hoc munus esse universale; scilicet, Mariam esse Mediatricem omnium gratiarum, pro quolibet homine.

Pag. 202, art. 54, linn. 37-38: « ut hoc materno fulti praesidio ». Ut maiore perspicuitate exprimantur tum universalitas et efficacia mediationis Mariae, tum necessitas humanae cooperationis, dicatur: « ut eius materna opera suffulti eique ex corde cooperantes, Mediatori... ».

Pag. 203, lin. 17: « ... quo cum Filio Redemptori unitur ... ». Textus perficiendus est, addito « Eiusque operi societur ».

Pag. 203, lin. 23: « praecessit ». Melius « praecedit ».

Pag. 203, linn. 15 s.: Iam admonui, in animadversionibus generalibus, relationes inter Mariam et Ecclesiam non contineri tantum in typologia. Maria est « Mater Ecclesiae ». Positive deficeret textus Constitutionis conciliaris nisi hanc doctrinam profiteatur, de Maria, scil., Matre Ecclesiae, quia eam Ecclesia iam diu docet.

Hoc munus Matris Ecclesiae exprimi potest verbis quibus Pius XII docet Christum « Matris Suae sanctissimae munere et opere uti ad Redemptionis fructus nobis impertiendos. Maternum sane, ita Decessor noster im. mem. Pius IX, in nos gerens animum, nostraeque salutis negotia tractans, de universo humano genere est sollicita, caeli terraeque regina a Domino constituta. Adstans a dextris Filii sui D. N. Iesu Christi, maternis suis precibus validissime impetrat et quod quaerit invenit et frustrari non potest » (PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus*; PIUS XII, Enc. *Ad Caeli Reginam*: *A.A.S.*, 46, 1954, pp. 637-638).

Pag. 206, art. 55, lin. 3: « Filio suo simillimam... ». Textus perficiendus est, addito: « Eique inseparabiliter coniunctam... ».

Pag. 207, art. 56, lin. 10: « exemploque suo ». Addere oportet: « atque sua materna opera ».

15

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, Praelatus Cluniensis

Venerabiles Patres et Fratres omnes,

Ad titulum cap. VIII. Votum: Humiliter et enixe peto ut removeatur titulus propositus in praesenti schemate et reponatur titulus prioris schematis, i. e.: « De B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae ».

Rationes:

1. Sic titulus respondebit melius voto Patrum conciliarium, dato die 29 octobris anni 1963, qui postulabant ut schema « De B. Maria Virgine, *Matre Ecclesiae* » ita aptaretur ut fieret caput ultimum schematis *de Ecclesia.*

Commissio autem — cum reverentia dico — non proprie *aptavit,* sed *mutavit* penitus non solum titulum sed etiam ...[1] textum.

Ut redactores schematis muneri a Patribus commisso respondeant, deberent reponere titulum « De B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae ».

2. In supradicta congregatione, em.mus moderator affirmabat insertionem doctrinae de Virgine Maria schemati *de Ecclesia,* tamquam eiusdem finis et corona, nullo modo significare quod laudes et privilegia B. Mariae Virginis quodammodo imminuenda essent.

Sed si titulus « Matris Ecclesiae » non restituatur, *et aliquid in textu deradicatur,*[2] *nova redactio* textus certe laudes Mariae *minueret.*[3]

3. Titulus « Mater Ecclesiae » est omnium aptissimus, ut manifestet intentionem Concilii et causam qua Patres voluerunt ut doctrina de B. Maria Virgine non separatim tractaretur, sed quasi corona totius schematis *de Ecclesia.*

4. Credo, *humiliter credo,*[4] gravem esse necessitatem reponendi titulum « Matris Ecclesiae », cuius omissio in novo textu, quando expresse agitur de B. Maria Virgine et de eiusdem habitudine seu relatione cum mysterio Ecclesiae, significare videretur quasi tituli damnationem et censuram doctrinae quae sub tali titulo hucusque exposita est a Summis Pontificibus et theologis catholicis.

5. Titulus « Mater Ecclesiae », qui in nova textus redactione penitus omittitur, solido fundamento theologico nititur. *Omitto legere rationes, causa gravitatis.*[5]

6. Summus Pontifex Paulus VI hunc titulum Patribus conciliaribus bis proposuit:

Primo in Basilica S. Mariae Maioris ...[6], adprecans B. Mariam Virginem ut Ecclesia, quando semetipsam definiat, eam Matrem agnoscat.

Secundo, in Adlocutione pro Concilii sessione II finienda, ubi spem manifestabat quod Concilium resolvat quaestionem de schemate mariologico « ut — *expressis verbis utor*[7] — ut nomine Matris Ecclesiae eam possimus ornare ».

Tandem hoc titulo « Matris Ecclesiae » usus est Paulus VI in audientia generali diei 27 maii anni currentis, in qua allocutionem habuit, certe indolis doctrinalis, quae implicabat ratificationem huius tituli, qui a quibusdam temere impugnatus erat.

Conclusio. Si titulus « Mater Ecclesiae » ita ex usu Ecclesiae atque ex sana theologia probatur; si in altera sessione Summus Pontifex, si Patres conciliares *multi*[8] ita sentiebant, unde nunc haec tituli mutatio introducta est?

Ob rationes expositas, et amore veritatis ductus, humiliter et enixe peto ut restituatur titulus prioris schematis, nempe « De B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae ».

In textu scripto tradito: [1] totum. [2] non locus sed. [3] minuet. [4] deest. [5] *a*) ex usu Ecclesiae, a Summo Pontifice ad ultimum fidelium, cum omnes B. Mariam Virginem ut communem fidelium Matrem semper invocaverint. *b*) ex verbis Divini Redemptoris a cruce pendentis ad Ioannem apostolum, qui Ecclesiam repraesentabat, iuxta declarationem communiter receptam et Magisterio Ecclesiae admissam. *c*) ex ipso officio materno B. Mariae Virginis, quae dum Iesum concepit et in sinu gestavit, eum portabat tanquam Caput mystici Corporis membris unitum, prout docebat S. Pius X et antea S. Gregorius et S. Leo Magnus. *d*) Titulus « Mater Ecclesiae » usurpatus est a Summis Pontificibus Benedicto XIV, Leone XIII, Pio XI, et praesertim a Ioanne XXIII. Paulus VI quater in uno anno hoc titulo usus est. [6] (11 oct. 1963). [7] deest. [8] deest.

16

Exc.mus P. D. IOANNES AMBROSIUS ABASOLO Y LECUE
Episcopus Vijayapuramensis

Venia venerabilium Patrum conciliarium:

In hoc capite praecipui eventus vitae B. Mariae Virginis in memoriam revocantur. Attamen nulla mentio fit de connubio virgineo eiusdem cum S. Ioseph —, quod quidem non caret momento.

Opinor in textu aliquid circa illud utillime addi posse. Rationes pro additamento sunt sequentes:

1. Inter B. Virginem Mariam et S. Ioseph verum exstitisse matrimonium constat ex Scripturis, ubi S. Ioseph vocatur vir (maritus) Mariae, et haec coniux (uxor) Ioseph ...[1]. Ratione vinculi matrimonialis

intima coniunctio animorum existebat inter eos atque Deus eo usus est ut causa dispositiva introductionis Verbi Incarnati in mundum.

2. Matrimonium illud fuit exemplar sacri foederis amoris, et in Familia Nazarethana virtutes quae decorare deberent societatem domesticam miro modo eluxerunt. Ut notum est, hodie dignitas et sanctitas matrimonii a pluribus, etiam christianis, conculcantur. Igitur, coniuges exhortari possunt ut vitam familialem ad tam vividum exemplum, quoad fieri potest, componere satagant. De his egregie Leo Papa XIII, felicis recordationis, in sua Encyclica *Neminem fugit.*

3. Additamentum illud in schemate *de Ecclesia* dabit nobis occasionem idoneam honoribus honestandi S. Ioseph.

Certo certius inclytus Patriarcha bene meretur ut a Patribus Concilii eiusdem cultus publicus solemniter decernatur.

Est sponsus castissimus B.mae Virginis Mariae, Pater virgineus amantissimus Christi, Almae Familiae Praeses, ipse eminet inter caelites sanctitate, dignitate atque ministerio, Leone Papa XIII testante: « Quia intercessit Iosepho cum B.ma Virgine Maria maritale vinculum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin accesserit ipse, ut nemo magis »...[2]

Ipse *S. Ioseph,*[3] sicut in terris fuerat custos fidelis B.mae Virginis Mariae, Matris Ecclesiae, ac sedulus defensor Christi, fundatoris Ecclesiae, sic nunc in caelis eiusdem (Ecclesiae) tutor ac patronus validissimus existit.

His de causis, christifideles ubique terrarum, atque quasi divino instinctu moti, S. Ioseph honorant eiusque intercessionem continuo invocant, memores verborum S. Theresiae: « Aliis sanctis — ait magistra spiritualium — videtur Dominum contulisse potestatem succurrendi in una alterave necessitate; sed huic B. Patrono, prout experta sum egomet, concessit Deus ut in omnibus succurreret; et vult ostendere quod sicut in terris subiectus fuit ei (quia ferens nomen patris, cum esset custos, poterat et imperare), sic in caelo operatur quodcumque expostulat ipse »...[4]

Nec desunt rationes pastorales. S. Ioseph est dignus quem patres familiae, coniuges, virgines, divites, proletarii, opifices... imitentur.

Proinde consentaneum et opportunum est ut « vir iustus » magnis honoribus honestetur ab hoc Concilio. Dogma incarnationis et dogma maternitatis virginalis iam obstare nequeunt quominus S. Patriarcha in lucem plenam educatur. Ex alia parte, per insertionem sui nominis in canone Missae veneranda antiquorum rituum traditio immutata manet.

Propono igitur ut in hoc capite:

a) Aliquid de connubio virgineo B. Mariae Virginis cum S. Ioseph inseratur, et *b*) ut fiat declaratio solemnis praeclarae dignitatis inclyti Patriarchae.

Illud erit testimonium perenne admirationis, venerationis ac devotionis Patrum conciliarium erga Patronum huius Concilii Vaticani II. Ipse, ex sua parte, non desinet deprecari pro exitu laborum conciliarium.

In textu scripto tradito: [1] (*Mt.* 1, 16-20). [2] (*A.S.S.*, 22, 1889, p. 66). [3] deest. [4] (*Vita,* cap. VI).

17

EXC.MUS P. D. EDUARDUS NÉCSEY

Episcopus tit. Veliciensis, admin. apost. Nitriensis

Venerabiles Patres conciliares,

Scopus huius Sacrae Synodi est pastoralis et ideo habet pro fine internam renovationem Ecclesiae; sacrum conamen oecumenismi et dialogi cum toto mundo in spiritu caritatis Christi.

Vellem ut hic scopus Sacrae Synodi etiam in hoc capite appareat et eo magis quia Mater Iesu Christi est etiam Mater eius Ecclesiae. Ita censeo hunc scopum pastoralem apprime posse prosequi in n. 56 huius capitis. Sub littera (B) huius numeri, provocantur fideles ad supplicationes instantes ad Matrem Dei et Matrem hominum, ut Ipsa apud Filium suum intercedat donec praesertim populi, qui nomine christiano decorantur, in unum populum Dei congregentur. En finis secundarius Concilii sub luce cultus mariani ponitur, et recte, cum Mater Christi certo certius velit suum iuvamen praestare omnibus qui una cum eius Filio orant ut omnes unum sint.

Pari modo desideratur, ut sub littera (A) huius n. 56 inculcetur finis primarius Concilii, interna nempe renovatio Ecclesiae ope cultus mariani obtinendus. Quis dubitaret de momento quem habet cultus marianus, praesertim in conatibus in assequendo fine primario Concilii?

Interna renovatio Ecclesiae debet consistere in fide catholica profundiore, firmiore et viva reddenda, et ex tali fide promananti caritate, cuius ope populus Dei rectitudine morali resplendeat, et sponsa Christi, Ecclesia revera sancta, sine macula et ruga huic mundo appareat.

B.mus Pater, in suo sermone quo sessionem II Sacri Concilii inauguravit, inter cetera pronuntiavit fidem et caritatem esse principia Ec-

clesiae vitae, et ideo plane liquet nihil omittendum esse quod fidei laetam firmitatem novumque conferret alimentum. Iamvero, pro tali est habendus cultus erga B.mam Virginem, et hodie fides hoc adiutorio summe indiget. Materialismus tum practicus, tum theoreticus, fidei principia fundamentalia subvertere conatur. Et in pugna contra hunc periculosum errorem modernum, Ecclesia optimam habet fautricem in sua Matre, B.ma Virgine. Ipsa est exemplar fidei vere heroicae, et decursu saeculorum in magnis discriminibus religionis christianae ipsa erat eius fautrix, adiutrix et victrix. Etiam hodiernis in adiunctis religioni christianae tam infaustis, ipsa est spes nostra, et teste experientia constat, ubicumque devotio Mariana est viva et vera, ibi fides populi firmiter stat et omnia obstacula superat.

Pari modo cultus marianus etiam in vita morali fidelium renovanda et firmiore reddenda magnum habet momentum. Homo modernus, proh dolor!, sub influxu incrementi culturae sic dictae technicae indulget diversis vitae commodis, timet et abhorret omne sacrificium et sui abnegationem et levi animo praecepta Decalogi laedit. Praesertim unum gravissimum crimen vellem adducere, quod hodie valde grassatur et vitam moralem familiarum *etiam* [1] christianarum *multarum* [2] subvertit, et eas infelices reddit. Agitur hic de crimine nunc revera sociali, de quotidiana occisione ingentis multitudinis prolis non natae, quod hodie leges aliquorum Statuum permittunt et quod praesertim in regionibus magnae sic dictae civilisationis de die in diem crescit.

Contra tale crimen apponamus cultum marianum, ut saltem familiae christianae a tali peste morali immunes maneant.

Ideo, etiam nomine meorum confratrum, Patrum conciliarium e Cecoslovachia, reverenter propono ut, n. 56, sub littera (A), addantur haec verba « Mater Iesu peregrinanti populo Dei etiam ut signum vitae et gratiae praelucet, et ideo in luctu pro fide christiana ipsam habeamus et exemplar fidei vere heroicae et protectricem firmissimam. Item familiae christianae ad eam preces instantes effundant, ut ipsa sua potenti intercessione apud Filium suum gratiam eis imploret ad vitam vere moralem ducendam et ut prolem qua donum Altissimi omni caritate prosequantur et eius vitam naturalem et supernaturalem qua pupillum oculi proprii tueantur et servant ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit die crastina, feria quinta, hora nona.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. VII SCHEMATIS DE ECCLESIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD CAP. VII SCHEMATIS DE ECCLESIA

1

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Pag. 181, lin. 2. Sive hoc caput immediate sequatur caput « De universali vocatione ad sanctitatem » sive non, et etiam magis si *non* nectitur, caput ut novum caput incipere debet. Proinde loco « non tamen... » dicatur « Sanctitas ad quam in Christo Iesu omnes vocamur, non consummatur in terris... ».

Pag. 181, lin. 8. Quid est « similes erimus »? Melius ponitur virgula quam semicolon, ut sensus melius exprimatur. (Interpretatio Vulgatae antiquata est).

Pag. 181, lin. 22. Ut textus melius verbis S. Pauli respondeat, dicatur: « glorioso regnemus, omnes *nos manifestari oportet* etc. ... ».

Pag. 182, linn. 3-8. Fortasse melius primo ponitur factum generale gloriosae manifestationis Christi, de qua in linn. 1 ss. sermo est et dein huius effectus in singulis hominibus. In exponendo autem hoc sollemni adventu Domini etiam textus qui infra in hac eadem pagina linn. 11-14 habentur, adhiberi deberent. Non videtur enim conveniens ut initio novae paragraphi iterum reditus fiat ad ideam iam expositam. Proinde textus inde a lin. 3 sic sonare deberet: « ... Iesu Christi » (*Tit.* 2, 13), qui veniet in maiestate sua et omnes angeli cum eo (cf. *Mt.* 25, 31), « glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt » (*2 Thess.* 1, 10), « reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae » (*Phil.* 3, 20-21) ac destructa morte subiecta illi erunt omnia.

Novus autem numerus ita incipere deberet: « Antequam autem haec omnium rerum consummatio adveniat, alii e christifidelibus in terris... ».

Pag. 182, lin. 19. « Eundem hymnum ... canimus »: haec expressio fortasse melius omittitur: nam minus dogmatica est quam ea quae praecedunt, et praecise in Dei laude canenda terrestres inter et caelites differentia habetur. Loco huius incisi melius adderetur aliquid quod transitum ad ideam sequentem melius exprimat, ita fere: « omnes tamen in eadem Dei et proximi caritate communicant et intime cum invicem uniuntur » (melius adhibetur *tertia* persona, ut habetur in lineis praecedentibus, ut res magis obiective sonet; si enim adhibetur prima persona pluralis, indicatur subiectum quod in hoc schemate loquitur i. e. quodammodo Concilium ipsum ac proinde nos terrestres et non illi qui iam in caelo sunt).

Pag. 182, lin. 25. « Quin potius secundum perennem Ecclesiae fidem ... roboratur »: melius quam haec appellatio ad traditionem fortasse res probari potest ex idea immediate praecedenti. Nam difficultas psychologica hac in re maxime in eo sita esse videtur, quod nos terrestres putamus eos, qui feliciter iam in caelum pervenerunt, non iam curare de suis fratribus in terra, tum quia illi iam felices sunt tum quia terrestres plerumque nullum signum percipere videntur de caelestium cura. Unde videtur maximi esse momenti ut probetur unionem *ex parte caelestium* minime interrumpi. Iamvero hoc facile probari potest. Etiam ipsi certissime membra sunt Mystici Corporis Christi; et tota eorum felicitas habetur praecise per intimam unionem cum Christo. Iamvero secundum doctrinam S. Pauli amplissima solidaritas inter membra mystici Corporis Christi haberi debet et etiam maxime ex parte eorum, qui iam perfectionem attigerunt, habetur, secundum illud S. Pauli « et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra » (*1 Cor.* 12, 26). Nullum ergo dubium quin caelites maxime uniti maneant cum membris adhuc in terra peregrinantibus eosque omni modo quo possunt iuvent. Quae conclusio etiam ex eo patet quod item secundum doctrinam S. Pauli Corpus Christi mysticum « compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis » augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate praecise « *secundum operationem* in mensuram *uniuscuiusque membri* » (*Eph.* 4, 16). Doctrina S. Pauli omnino generalis est et proinde etiam de caelitibus valet. Ipsi ergo etiam *modo qui proprio statui respondet,* ad augmentum et aedificationem Corporis mystici contribuunt. Sicut autem Dominus Iesus ipse « semper vivit ad interpellandum pro nobis » (cf. *Hebr.* 7, 25), ita sine dubio etiam illa ipsius membra. Ipsi enim per baptismum « regale sacerdotium » effecti (*1 Pt.* 2, 9) modo generali etiam Sacerdotii Christi participes effecti sunt. Magni momenti esse videtur hanc doctrinam *solide ex Sacra Scriptura* probari, cum Protestantes de ea dubitent aut eam negent. Non sufficit recurrere ad « perennem Ecclesiae fidem » (linn. 25 s.). Sequuntur linn. 27 ss.

Pag. 183, lin. 11. Cum praecedenti numero magis de iis actum sit, quae caelites pro Ecclesia peregrinante faciunt, hic vero de iis quae peregrinantes pro iis qui in Christo dormierunt facere possunt et debent, fortasse hoc etiam stilistice per aliquam oppositionem indicandum esset, v. g. sic: Alia ex parte Ecclesia viatorum communionem totius mystici Corporis Christi apprime agnoscens, ipsa quoque inde a primaevis christianae religionis temporibus defunctorum memoriam... offerendo, hac in re sequens illa, quae iam in Vetere Testamento habentur v. g. exemplum Iudae Macchabaei, qui sacrificia pro illis offerre iussit, qui in bello ceciderunt (cf. *2 Macch.* 12, 43).

Pag. 183, lin. 30. Addatur fortasse testimonium Epist. ad Hebraeos: « Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem » (*Hebr.* 13, 7); cf. etiam in libris Sapientialibus « laudes Patrum et Patriarcharum populi »:

Eccli. 44-50. Eodem modo etiam in Epistula ad Hebraeos ponuntur exempla eorum, qui in historia Sacra exemplum fortitudinis in fide praebuerunt (cf. *Hebr.* 11, 3-40).

Pag. 184, lin. 29. Tota haec doctrina forte non solum ex recentissimis documentis Ecclesiae sed etiam, in quantum fieri potest, e *S. Scriptura et ex antiqua traditione* confirmari deberet, idque ob rationes oecumenicas. Notum est enim hic haberi unam ex differentiis, quae intercedunt nos inter et illos, qui e sic dicta « reformatione » proveniunt. Curandum est igitur ut eis fundamenta biblica vel saltem Patristica doctrinae ostendamus. Quod exigit caritas.

Pag. 184, lin. 28. « Mirabilis in Sanctis suis »: in nota omittantur citationes *Pss.* 67, 36; 88, 8; in his enim textibus versio Vulgatae non respondet textui originali ubi vox « Sanctis » refertur non ad personas sed ad « sanctuarium », id est templum, vel sensus alius est.

Pag. 185, lin. 22. Fortasse adhuc magis quam monitum immediate praecedens, urget hic admonitio, ut fideles doceantur Sanctos habere eo loco, qui eis in Regno Dei spectat; item edoceantur cultum, qui non obsit sincero cultui Christi Domini et S. Trinitatis. Assuescant proinde maxime *Christum et Deum trinum* laudare in Sanctis, eorum virtutes et merita gratiae Christi adscribere, eorum protectionem et auxilium adscribere soli eorum supplici ad Deum et unicum Mediatorem Christum intercessioni, non vero unquam singulari cuidam propriae sanctorum potentiae. Notum est enim fratres seiunctos protestantes proprie ob has rationes difficultatem in cultu Sanctorum admittendo pati, quia formae concretae, quas saepe in hoc cultu apud catholicos observant eis videntur officere infinitae dignitati Christi et cuiuscumque hominis, ergo etiam Sanctorum, et absolutae dependentiae a gratia Dei. De facto facillime evenit, ut hae rationes profundae dependentiae a Deo et a gratia Christi a fidelibus oblivioni dentur, nisi identidem eis inculcentur.

2

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER

Archiepiscopus Marianopolitanus

Observatio generalis. Secundum titulum eius, caput VII (vel caput VI) tractare de indole eschatologica vocationis christianae optime intendit. Attamen ea quae in schemate habentur de illa indole eschatologica nimis breviter dicuntur ita ut art. 48 figuram habet simplicis introductionis ad ea quae postea exponuntur in tribus prolixis articulis de relationibus peregrinantium christianorum cum Ecclesia caelesti.

Indoles eschatologica vocationis hominis momentum fundamentale habet pro temporis nostri hominibus qui spem deperdiderunt et insimul quaerunt. Ergo videtur peropportunum spem christianam eschatologicam firmi-

ter exprimere et mundum futurum fusius describere: nempe Dei visionem, carnis resurrectionem, universarum rerum transfigurationem.

Conveniret ut in praesenti capite fusius dicatur de eschatologica vocatione hominum et brevius de sanctis.

Observationes particulares. Pag. 184, linn. 18-19. Verbis « debitas ipsis rependamus gratias » substituatur formulatio proposita, pag. 193, nempe: « debitas pro ipsis Deo rependamus gratias ». Etenim expressionem « gratias agere » dicere decet solummodo de relationibus ad Deum ipsum.

Pag. 184, linn. 23-25. Deleantur verba « quocumque » et dicatur: « Etenim amoris testimonium caelitibus a nobis exhibitum, suapte... ». Ratio est quia ob verbum « quodcumque » immerito intelligi posset etiam testimonia quae ex abusu procedunt (cf. pag. 185, lin. 12) terminari ad Christum.

Pag. 185, lin. 12. Utrum in hac materia vere habetur abusus per defectus.

3

Em.mus P. D. RADULFUS card. SILVA HENRIQUEZ

Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Infrascriptus card. arch. S. Iacobi in Chilia et *triginta et unus* Patres quorum nomina inveniuntur in elencho annexo emendationibus pro capite de B. Maria Virgine, sequentem emendationem pro capite « De indole eschatologica vocationis nostrae ac de nostra unione cum Ecclesia caelesti » proponunt.

Ad n. 49 (pag. 182, lin. 34). Suadetur brevis additio in hunc modum: « Nam bona quae illi in terris acquisiverunt per unum Mediatorem Dei et hominum, Christum Iesum (cf. *1 Tim.* 2, 5), *gratias in omnibus agentes Deo Patri per Ipsum* (cf. *Col.* 3, 17) *et saepe* adimplentes ea quae... ».

Ratio huius additionis est ne documentum conciliare videatur innuere labores seu dolores unicam meritorum fontem constituere. Ait enim S. Thomas: « Omnis actus humanus qui subiicitur libero arbitrio, si sit relatus ad Deum, potest meritorius esse » (II-II, q. 2, a. 9, in c.; cf. etiam Q. Disp. *De Malo,* q. 4, a. 1, arg. 17 et responsum ad idem; *Suppl.* q. 41, a. 4). Agnitio significationis pro vita aeterna actuum omnium in caritate factorum momentum etiam habet pro spiritualitate christiana ut proponitur, e. g., in schemate « De Ecclesia in mundo huius temporis ».

4

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

In hoc capite dubium oritur solummodo de ipso titulo. Vox « eschatologica » a multis coaevis nostris vix intelligi potest. Ideoque spectato praesertim fine pastorali huius capitis, talis vox evitari debet. Praeferendum videtur ut vel titulus prior « De consummatione sanctitatis in gloria Sanctorum » resumatur vel simpliciter scribatur « De nostra unione cum Ecclesia Caelesti ».

5

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS BIANCHI
Episcopus Sciiamchiamensis

De indole eschatologica vocationis nostrae. Titulus optime redolet praesentem theologiam biblicam N. Testamenti; verum nescio utrum hic titulus praestet expressioni usitatiore: de Communione Sanctorum. Insuper aliquid clarius et abundantius, sane proportione servata, peterem circa doctrinam Ecclesiae purgantis: de qua etiam in n. 51, ubi statuuntur dispositiones pastorales, aliquid decerni potest.

6

EXC.MUS P. D. IOSEPH DESCUFFI
Archiepiscopus Smyrnensis

De Ecclesia, Cap. VII, n. 48, linn. 24-26, pag. 181.

Placet iuxta modum: Emendatio ad innuendam etiam damnationem aeternam erit post verba linn. 25-26 textus (*2 Cor.* 5, 10). Adiungatur sententia irrevocabilis Filii hominis, in suo finali iudicio (*Mt.* 25, 44): « Et ibunt hi (mali) ad supplicium aeternum; iusti autem in vitam aeternam ».

7

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JAEGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Nomine plus quam 70 Patrum conciliarium linguae germanicae.

N. 48, pag. 181 in hanc formam mutetur: (De indole eschatologica Ecclesiae ipsius). « Ecclesia ipsa iam nunc est indolis eschatologicae. Est enim Ecclesia ex una parte ad patriam peregrinans, portat " figuram huius saeculi ", quae praeterit (*1 Cor.* 7, 31) in suis institutionibus et sacramentis et cognoscit Dei veritatem in speculo et aenigmate (cf. *1 Cor.* 13, 12). Et

ipsa includitur ordine creaturae, quae ingemiscit et parturit usque adhuc et expectat revelationem filiorum Dei (cf. *Rom.* 8, 22 et 19). Tunc demum erunt caelum novum et nova terra (cf. *Apoc.* 21, 1). Nihilominus ex altera parte haec in terris Ecclesia est illa, ad quam fines saeculi iam pervenerunt (*1 Cor.* 10, 11). Est enim sacramentum *aeterni* testamenti, est Ecclesia Verbi incarnati, in cuius morte et resurrectione mundi creati deificatio iam irrevocabiliter constituta est. Fide et spe Ecclesiae mundi historia finem iam possidet, quo altior nec cogitari potest ».

Post haec verba textus schematis emendatus ita prosequatur: (De indole eschatologica vocationis nostrae in Ecclesia). « Non *igitur* in terris consummatur... » (48) (49).

8

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

Caput in genere laudandum est. Conceptus autem eschatologiae in hoc capite nimis individualisticus et abstractus, et non satis realisticus est. Sermo est nempe — non tantum in titulo, sed etiam in textu — de indole eschatologica vocationis nostrae et non de indole eschatologica Ecclesiae, praeterea textus non satis respicit Ecclesiam, i. e. populum Dei, quamvis eschatologicum, tamen peregrinantem cum omnibus consequentiis, i. e. etiam cum possibilitate peccandi remanere.

Propono ergo, ut textus n. 48 sub hoc respectu de novo exaretur aut saltem suppleatur.

Causas pro mea observatione iam in praecedenti Sessione declaravi. Ad cautelam tantum eas iterum ad deliberandum hisce porrigo.

De peccato in Ecclesia sancta Dei.

Iam saepius in hoc Concilio monebatur, ne in schemate *de Ecclesia* finalitas eschatologica negligeretur. Ecclesia nequit intellegi nisi ut populus Dei eschatologicus peregrinans per tempora, annuntians mortem et resurrectionem Domini, donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26). Quae peregrinatio autem eschatologica saepe intelligitur modo nimis abstracto. Locutio nempe fit fortasse de difficultatibus et caliginibus itineris in hoc saeculo. Sed si loquimur de Ecclesia peregrinante in sensu biblico plus intelligimus; Ecclesia vocatur peregrinans, quia populus in omnibus difficultatibus et miseriis huius vitae non est sine culpa, non est sine peccato.

Populus Dei novi Testamenti in hoc est continuatio populi veteris Testamenti. Saepe populus viam Domini sequi vult, sed proh dolor iterum atque iterum eam derelinquit; vult fidelis esse, sed iterum atque iterum infidelis invenitur; vult sancte et iuste sub Dei gratia vivere, sed iterum atque iterum peccatorem sub ira Dei se exhibet. Homines huius mundi saepe observant, Ecclesiam concretam valde diversam esse ab ea, quam theologi et praedicatores describunt. Theologia Ecclesiam sanctorum descri-

bere videtur, vita ipsa autem Ecclesiam peccatorum demonstrare videtur. Quid dicendum ad hanc quaestionem, quae christianis hodiernis saepissime ponitur et quae in schemate nostro omnino tractanda est?

Si responsum nostrum homines hodiernos convincere vult, non triumphalisticum et simulatum, sed realisticum et plene sincerum esse debet, i. e. nobis non licet hac in terra tantummodo Ecclesiologiam gloriae proclamare, quae ad consummationem saeculi pertinet. Quando de Ecclesia peregrinante loquimur, semper ab Ecclesiologia crucis incipere debemus. Quid hoc significat?

Credimus et profitemur Ecclesiam sanctam. Sed sanctitas haec non est sanctitas perfecta Dei, qui — ut oramus — est « solus sanctus ». Sanctitas Ecclesiae continuo periculo et tentationi obnoxia est. Pro Christo solo, non pro Ecclesia valet: « tentatum autem per omnia, pro similitudine absque peccato » (*Hebr.* 4, 15). Pro Ecclesia autem valet: « Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno » (*Hebr.* 4, 16). Ecclesia semper denuo indiget Dei misericordia, gratia, remissione peccatorum. Vult et debet esse et est secundum voluntatem Christi communio sanctorum, sed de facto in hoc statu viae invenitur per malitiam hominum semper etiam communio peccatorum et ita communio paenitentium. Ita peccata, quae fiunt in Ecclesia sancta Dei, sola remissione Dei gratia deleri possunt. Ecclesia est in mundo, sed etiam mundus est in Ecclesia, et locus pugnae inter gratiam et peccatum est cor hominis. « Aliud quippe volumus, quia sumus in Christo, et aliud volumus, quia adhuc sumus in hoc saeculo », ait sanctus Augustinus (*In Io. tract.* 81, 4: *PL* 35, 1842). Sanctitas praecise Ecclesiae urget eam, ut sit semper denuo Ecclesia paenitens, ut semper denuo remissionem peccatorum humillime a Deo imploret.

Hoc fit cotidie in liturgia Eucharistiae, quae incipit cum « Confiteor » omnium participantium sine exceptione. Hoc fit cotidie in oratione Dominica, quando Ecclesia orat: dimitte nobis debita nostra. Iam Concilium Carthaginense XVI, excludens omnem Ecclesiologiam novatianisticam, donatisticam, i. e. triumphalisticam et idealisticam, clarissime declarat, ipsos sanctos in Ecclesia debere se agnoscere peccatores et veraciter et non tantum humiliter debere semper orare: dimitte nobis debita nostra (cf. DENZ. 106-108).

Ex hoc sequitur: Si locutio fit de « Ecclesia sine macula et ruga » (*Eph.* 5, 27), hoc in sensu stricto et pleno de Ecclesia in statu finali et perfecto tantum intelligendum esse. Ut dicit S. Augustinus: « Ubicumque autem in his libris commemoravi " Ecclesiam non habentem maculam aut rugam ", non sic accipiendum est, quasi iam sit, sed quae praeparatur, ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias et infirmitates membrorum suorum, habet unde cotidie tota dicat: dimitte nobis debita nostra » (*Retr.* II, 18: *PL* 32, 637 s.). Confer ad eandem doctrinam etiam S. Thomam, *S. Th.* III, q. 8, a. 3, ad 2. Ita in liturgia Dominicae

quintae post Pentecostem oramus: « Ecclesiam tuam, Domine miseratio continuata mundet et muniat, et quia sine Te non potest salva consistere, tuo semper munere gubernetur ».

9

EXC.MUS P. D. MARCUS GREGORIUS McGRATH
Episcopus S. Iacobi Veraguensis

Puncta brevissima:

1. Caput placet ad complendam visionem non tantum Ecclesiae membrorum hic et nunc in communione activa gratiae, sed etiam ad clarius ostendendum obiectum ultimum totius nostri conatus in terris. Caput etiam optime inservit ad meliorem intelligentiam muneris B.mae Virginis Mariae in caelis, una cum omnibus sanctis, in opere nostrae salutis.

2. Timendum tamen est ne tendentia eorum qui adhuc in terra degimus nimis exclusive sub aspectu spirituali et supernaturali ostendatur.

3. Intima et dynamica connexio humani laboris in terris cum futura gloria in Ecclesia caelesti iam adumbratur passim in capite quarto ubi de laicis agitur. Potest explicitius paucis verbis affirmare in hoc capite quod ex professo de indole eschatologica vocationis nostrae agit, et speciatim in prima paragrapho, n. 48, quae rem directe tangit. Scriptis tradam textum unius vel duarum phrasium in hunc finem.

In futura constitutione de Ecclesia et mundo huius temporis verbum erit de serio conatu christianorum regni Christi iustitiae et caritatis instaurandi. Illic dicetur quod Ecclesia fovet omni veri nominis progressui scientifico et technico in quantum sit medium naturale ad altiorem vitae spiritualis formam pro hominibus in societate viventibus. Vita nostra in terris et generosus conatus christianorum collaborandi ad constructionem melioris civitatis terrestris non tantum accidentaliter connectitur futurae gloriae quam omnes ardenter expectamus; potius dicendum esset labor christianorum in favorem valorum temporalium huius terrestris vitae intime et providentia evidentissima divina debet intellegi ut campum normale, praesertim pro laicis, exercitii amoris sui proximi pro Dei amore, et aliqua praeparatio gaudii et amoris in civitate caelesti in Deo, per Christum, una cum omnibus sanctis.

10

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Placet iuxta modum. Opto enim ut introducantur *modi* qui sequuntur.

Pag. 181. Titulus capitis simplicior ponatur hic: *De unione Ecclesiae peregrinantis cum Ecclesia caelesti.*

Ratio mutationis. 1. Quia titulus schematis nimis longus est; 2. quia in

titulo quem propono bene et clarius exprimitur « ultimum fundamentum doctrinae totius capitis, scilicet quod Ecclesia terrestris et Ecclesia caelestis *unum* Populum Dei *unumque* Corpus Christi mysticum constituunt », prout bene adnotatur in Relatione Generali, pag. 196, linn. 11-13; 3. quia de *indole eschatologica* iam passim in praecedentibus capitibus *de Ecclesia* agitur », prout etiam animadvertitur in eadem Relatione Generali, pag. 195, linn. 26 s.; ideoque non est idea characteristica huius cap. VII: ceterum *indoles eschatologica* Ecclesiae iam sufficienter indicatur in titulo quem propono vocibus « *unione* cum Ecclesia caelesti ».

Pag. 182, linn. 15-16, legitur: « alii hac vita functi purificantur ».

Pag. 183, linn. 12-17, legitur: « Ecclesia viatorum inde a primaevis christianae religionis temporibus defunctorum memoriam magna cum pietate excoluit, sacrificia et preces pro illis offerendo atque vicissim se orationibus eorum sedulo commendando ».

Istae indicationes pulchrae quidem sunt, sed nimia brevitate mihi laborare videntur. Censeo enim non exiguos fructus tam pro Ecclesia purificationis quam pro Ecclesia peregrinanti sequi posse, si haec amplius et ex professo tractarentur.

Ideo proponere audeo ut post n. 48 et ante n. 49 aliqua paragraphus adderetur, in qua convenienter et breviter ageretur « *De communione Ecclesiae purgationis cum Ecclesia peregrinante* ». Atque consequenter postea in n. 51 addere oporteret brevem aliquam pastoralem exhortationem de hac eadem re.

Pag. 183, linn. 24-26, legitur: « quibus mox adnumerati sunt illi quoque qui Christi virginitatem et paupertatem pressius erant imitati ».

Opto ut perficiatur *hoc modo*: « quibus mox adnumerati sunt illi quoque, qui Christi virginitatem et paupertatem pressius erant imitati, *atque plenius sui ipsorum holocaustum humilitate et obedientia Deo pro nobis in cruce passo obtulerunt* (cf. *Lc.* 2, 51; *Phil.* 2, 8) ».

Ratio additionis omnino patet neque explicatione indiget.

11

Exc.mus P. D. PAULUS PHILIPPE
Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

N. 48, pag. 181, linn. 6-8. *Animadversio*: In textu citato S. Ioannis « similes *ei* erimus; quoniam videbimus Deum sicuti est » (*1 Io.* 3, 2), « ei » designat Deum. Sed in contextu schematis, « ei » refertur ad Christum (« Coniungimur quidem *Christo* in Ecclesia... sed nondum apparuimus *cum Ipso* in gloria [cf. *Col.* 3, 4], in qua similes *ei* erimus... »).

Oporteret restituere sensum exactum textus S. Ioannis.

Propono ergo ut dicatur: « ... sed nondum apparuimus cum Ipso in gloria (cf. *Col.* 3, 4), in qua similes *Deo* erimus; quoniam videbimus *eum* sicuti est (cf. *1 Io.* 3, 2) ».

12

REV.MUS P. D. IOANNES PROU

Superior generalis Congregationis Gallicae O.S.B.

1. Ad § 48, pag. 181, lin. 22, post verba « et cum benedictis connumerari mereamur (cf. *Mt.* 25, 31-46) » haec addentur: « *neque sicut servi inutiles, in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium* (*Mt.* 8, 12) *eiici valeamus* ».

Ratio additionis haec est: In relatione generali (pag. 196, lin. 10) sic legitur: « Simul autem desiderio Summi Pontificis, necnon et plurium Patrum satisfactum est: ut nempe ad principales veritates " de Novissimis " saltem alluderetur ».

Mirum omnino videtur inter « principales veritates de Novissimis » doctrinam catholicam, a Concilio Lugdunensi II definitam (DENZ. 464; cf. etiam 531, 693), de poenis Inferni et aeterna damnatione eorum qui in peccato mortali moriuntur nullum locum obtinuisse. Quae omissio in Conciliari Constitutione gravissimi momenti foret quia a nonnullis in exemplum adduceretur ne deinceps in praedicatione evangelica ullum verbum de tam gravi materia fiat. Quod iam apud non paucos verbi divini praecones in infaustam consuetudinem ita evenit ut doctrinae christianae elementum, cuius valor practicus ad salutem animarum procurandam neminem fugit, paulatim evacuetur. Haec recolo, non quod mysterium divinae iustitiae nimis protrahi in evangelica praedicatione oporteat, sed nemo est qui infitiatur illud haud reticendum esse et magnopere ad explanationem Verbi divini christifidelibus faciendam pertinere.

2. Ad § 50, pag. 183, lin. 16, verba « ... atque vicissim se orationibus eorum sedulo commendando » ita compleantur: « atque vicissim se orationibus eorum *qui pro Christo persecutionem passi sunt,* sedulo commendando ». Ratio additionis haec est: Certum est enim christianos primaevae aetatis orationibus sive Martyrum, sive fidei Confessorum, i. e., eorum qui pro Christo poenas corporales maximas subierunt, sese commendasse. At contra non videtur certum eamdem consuetudinem erga omnes christianos defunctos viguisse. Adhuc controvertitur inter theologos quaestio de intercessione animarum in Purgatorio degentium imploranda, et praxis liturgica est ab hac consuetudine omnino aliena. Melius est ergo Concilium talem controversiam non dirimere et solas fidei veritates inconcussas declarare.

3. Ad § 50, alin. 4, pag. 184, linn. 33-37, verba haec « ... et universum genus humanum, sanguine Christi redemptum et in unam Ecclesiam congregatum, uno cantico laudis sanctissimam Trinitatem adorat et magnificat », ita mutantur: « ... et universum *hominum coetus sanguine Christi* redempt*orum* *gratiaque divina* in unam Ecclesiam congregat*orum*, uno cantico laudis sanctissimam Trinitatem adorat et magnificat ». Ratio emendationis haec est: In textu schematis proposito, non tantum affirmatur « univer-

sum genus humanum sanguine Christi redemptum » esse, quod quidem verissimum est, etiamsi non omnes fructus huius redemptionis actualiter participent; sed etiam universum genus humanum dicitur « in una Ecclesia congregatum », quod veritatem excedit: nam omne genus humanum, ut tale, non est effective in una Ecclesia congregatum; soli tantum homines qui ad ipsam ecclesiam vinculo aliquo actuali adhaerent in ea congregari dicendi sunt.

13

Exc.mus P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

Observationes meae non sunt dignae quae ad instar modorum proponantur. Unde eas hac via magis familiari exhibeo.

1. Pag. 3, lin. 6. *Act.* 3, 21 allegantur. Nisi fallor, addendum est illud « cf. », cum non agatur de citatione proprie dicta.

2. Pag. 5, lin. 4 ss. In toto inciso, inde a pag. 4, prima persona pluralis adhibetur, etiam in priore partis huius de qua agitur propositione, quae incipit pag. 4, lin. 40: « Etenim... manifestabimur... ». Nec est difficultas admittendi tertiam personam singularis in propositione subordinata, pag. 5, linn. 1-3, scil. « ut referat unusquisque... ». At mihi haud elegans apparet, quod in altera parte propositionis principalis tertia persona pluralis adhibetur, nempe « et in fine mundi proced*ent*... ». Utique vera citatio est, sed quae cum ita sint, saltem praefero aliam constructionem propositionis. Forte dici potest: « *Etenim, antequam... sive malum* » (2 *Cor.* 5, 10). *Tandem in fine mundi « procedent qui ...* » (*Io.* 5, 29; cf. *Mt.* 25, 46).

Pag. 4, lin. 34, si libuerit, addatur quod in regionibus nostris contra spiritistas seu spiritas qui dicuntur, doctrinae catholicae emolumento erit, videlicet: « oportet ut, *cursu terrestris vitae semel consummato* (cf. *Hebr.*, 2 *Tim.* 4, 7), cum Ipso .... ». Utique sufficeret illud cf. quoad textum ex *Hebr.*: « Statutum est homini *semel* mori... ». Vel, ne difficultas oriatur propter doctrinam epistulae ad Tessalonicenses, omittatur quaelibet allusio ad S. Scripturam, cum textus supra « cursu terrestris vitae semel consummato » consulto ita efformatus sit, ut etiam applicari possit ad eos homines qui forte tantum transformandi sint. Sed unicitas vitae terrestris exprimatur.

14

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ
Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.

Quamquam ut videtur disceptatio de hoc capite ad finem sit perducta, attamen instante et approbante exc.mo D. Iosepho Schröffer, membro Commissionis Theologicae, unam tantam observationem addere mihi liceat,

quae pertinet ad indolem eschatologicam sacrae Liturgiae, quae praesertim tempore adventus hanc indolem prae se fert.

In n. 102 pulcherrimae constitutionis *de sacra Liturgia* legimus: « Totum vero Christi mysterium per anni circulum (pia mater Ecclesia) explicat, ab incarnatione et nativitate usque ad ascensionem, ad diem Pentecostes et ad exspectationem beatae spei et adventus Domini ». De liturgia adventus Domini quasi nihil in capite septimo invenimus. Quasi in omnibus liturgiis orientalibus in sic dicta anamnesi non tantum fit commemoratio nativitatis, passionis, mortis et resurrectionis, sed etiam adventus gloriosi Domini Iesu Christi in fine saeculorum, quod in liturgia latina proh dolor omittitur. In liturgia vero Mediolanensi seu Ambrosiana haec habentur post consecrationem calicis: « Haec mandans quoque, et dicens ad eos: haec quotiescumque feceritis, in meam commemorationem facietis: mortem meam praedicabitis, resurrectionem meam annunciabitis, adventum meum sperabitis, donec iterum de caelis veniam ad vos ».

In sacra Liturgia iuxta verba encyclicae *Mediator Dei* (*A.A.S.*, 39 [1947], p. 580), de mysteriis Christi in anno liturgico his verbis est sermo: « Quapropter liturgicus annus, quem Ecclesiae pietas alit ac comitatur, non frigida atque iners earum rerum repraesentatio est, quae ad praeterita tempora pertinent, vel simplex ac nuda superioris aetatis rerum recordatio. Sed potius est Christus ipse, qui in sua Ecclesia perseverat, quique immensae misericordiae suae iter pergit, quod quidem in hac mortali vita, cum pertransiit benefaciendo, ipse pientissimo eo consilio incepit, ut hominum animi mysteria sua attingerent ac per eadem quodammodo viverent; quae profecto mysteria, non incerto ac subobscuro eo modo quo recentiores quidam scriptores effutiunt, sed quo modo catholica doctrina nos docet, praesentia continenter adsunt atque operantur; quandoquidem, ex Ecclesiae Doctorum sententia, et eximia sunt christianae perfectionis exempla et divinae gratiae sunt fontes ob merita deprecationesque Christi, et effectu suo in nobis perdurant, cum singula secundum indolem cuiusque suam salutis nostrae causa suo modo exsistant ».

Adest igitur et operatur etiam mysterium Parusiae vel Epiphaniae vel adventus secundi Domini Iesu Christi praesertim durante tempore adventus quod luculenter ostenditur ex ipsis verbis sacrae liturgiae.

Tempore adventus usque ad Epiphaniam inclusive duo quasi flumina in sacra liturgia habentur quorum unum de incarnatione in Bethlehem loquitur et alterum de adventu Domini in fine mundi. Pauci tantum textus hic citentur:

1. Oratio in vigilia Nativitatis haec habet: « Praesta, ut Unigenitum tuum, quem Redemptorem laeti suscipimus, venientem quoque iudicem securi videamus, Dominum nostrum Iesum Christum », ubi aperte Incarnatio et consummatio mundi coniunguntur.

2. Epistola in sabbato Quatuor Temporum adventus sumpta est ex

epistola ad Thessalonicenses et loquitur de secundo adventu Domini Iesu Christi et de « illustratione adventus sui ».

In ipso divino officio semper coniunguntur adventus primus et secundus:

1. « Ecce Dominus veniet et omnes sancti eius cum eo et erit in die illa lux magna » (in vesperis Dominicae primae adventus).

2. « Te deprecamur hagie,
venture iudex saeculi... » (Hymnus in vesperis Adventus).

3. « Iudexque cum post aderis
Rimari facta pectoris » (Hymnus ad vigilias Adventus).

4. « Secundo ut cum fulserit
Mundumque horror cinxerit
Non pro reatu puniat
Sed nos pius tunc protegat » (Hymnus ad Laudes tempore Adventus).

5. « Aspiciebam in visu noctis et ecce in nubibus caeli filius hominis veniebat; et datum est ei regnum et honor: et omnis populus, tribus et linguae servient ei. Potestas eius potestas aeterna quae non auferetur et regnum eius non corrumpetur » (Responsorium secundum in vigiliis dominicae primae adventus).

6. « Ecce in nubibus caeli Dominus veniet cum potestate magna » (Antiphona prima in vesperis dominicae secundae adventus).

7. « Ecce apparebit Dominus super nubem candidam, et cum eo sanctorum millia: et habebit in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium. Apparebit in finem, et non mentietur; si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet » (Responsorium primum dominicae tertiae Adventus).

8. « Rex pacificus magnificatus est cuius vultum desiderat universa terra » (in primis vesperis Nativitatis, antiphona prima).

9. Introitus in die Epiphaniae Domini, die sexta ianuarii applicari potest et debet etiam ad Christum Dominum venientem in nubibus caeli. Introitus sic sonat: « Ecce advenit dominator dominus et regnum in manus eius et potestas et imperium ».

Ex praedictis concludo: ad n. 51 cap. VII addatur paragraphus quae commendat liturgiam adventus, quae non tantum respicit ad incarnationem Domini factam in Bethlehem Iudae, sed etiam ad diem futurum adventus Domini qui iudicaturus est vivos et mortuos, et cuius vultum desiderat tota creatura, universus orbis.

Iam pluribus annis abhinc praeclarissimus dominus Guardini proposuit, ut in mysteriis Rosarii B. M. V., post mysterium assumptionis B. M. V. non ponatur incoronatio, quae idem est ac assumptio, sed ponatur ibi ut ultimum mysterium adventus Domini eum in finem ut populus christianus semper prae oculis habeat consummationem totius universi et vitae uniuscuiusque fidelis.

15

Exc.mus P. D. AGNELLUS ROSSI
Archiepiscopus Rivi Nigri

Animadversiones in Caput VII const. dogm. « *De Ecclesia* ».

Laudatur insertio huius capitis in schemate *de Ecclesia* ut ita habeatur visio globalis totius mysterii Corporis Christi mystici.

Animadvertuntur sequentia: 1. deceret alium invenire titulum magis concinnum, quamvis concedatur hoc facile non esse; 2. loco indolis eschatologicae *vocationis nostrae* videtur melius poni *Ecclesiae,* nam de Ecclesia versatur constitutio; 3. textus uti iacet nimis pauca habet *de Ecclesia Purificante,* praesertim quod eius relationem attinet ad Ecclesiam Peregrinantem. Praeterea constitutio fere nihil dicit *de angelis.* In multis tamen regionibus devotio erga animas Purgatorii, etiam quatenus ex earum intercessione gratiae speciales sperantur, valde sparsa est. Oportet ut talis devotio bene dirigatur. Eodem quoque modo, si Concilium mentionem specialem faceret de devotione erga angelos, peculiari modo erga angelum custodem, hoc valde utile videretur pro iis regionibus in quibus tot spiritus maligni invocantur et falsus cultus erga mortuos diffunditur, ope sic dicti spiritismi, qui in America Latina profundas habet radices. Desideratur igitur maior distinctio et simultanea relatio inter Ecclesiam Peregrinantem et Ecclesiam Purificantem, inter Ecclesiam Peregrinantem et Ecclesiam Triumphantem, includendo etiam angelos modo magis explicito; 4. laudatur usus abundans textuum scripturisticorum, licet posset fieri modo magis sobrio. Stylus simplicior textui maiorem daret vigorem; 5. deceret in hoc capite ne obliviscatur visio cosmica in sensu epistolae *Rom.* 8, 19-22.

Nomine commissionis theologicae episcoporum Brasiliae.

[*Subscripserunt etiam*] Aloisius Lorscheider; Martinus Michler O.S.B.

16

Exc.mus P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

Opportunum ducimus circa cultum sanctorum Concilium hoc Vaticanum II normas aliquas statuere quibus excessus inter se contrarii arceantur et rectus cultus convenienter ordinetur ne in vacuum curramus. Simul etiam breviter sed clare et nervose, genuinam notionem cultus sanctorum tradere.

Oportet in primis paternaliter monere eos ad quos spectat, fideles non esse perturbandos in sua simplici pietate, ob cultum sanctorum et imaginum, qui sancte et religiose est servandus, utpote ab Ecclesia edoctus, sed

diligenter ipsos fideles esse illustrandos, ut abusus arceantur, defectus corrigantur, et fundamentum calumniandi fidelium pietatem procul abigatur.

Inde propono: ad pag. 185, n. 51, post lin. 9, addatur: « Concilium Vaticanum II graviter monet cultum sanctorum et imaginum esse sancte et religiose retinendum, neque illum contemni posse quin doctrina Ecclesiae pessumdetur ».

Neminem fugit nostris temporibus despectum huius cultus propagari. Silentio Concilii fautores in suo proposito videri possunt confirmati.

Loco illorum quae habentur in eodem paragrapho inde a lin. 15, post verbum « instaurent » usque ad lin. 22 ... « subsidium », putamus melius dicendum: « Doceant ergo fideles authenticum sanctorum cultum non tam in actuum exteriorum multiplicitate quam in *studio imitandi eorum virtutes esse collocandum, in fiducia suae efficacis intercessionis coram Deo, et in devota commendatione suis precibus, ut Christo manuducantur. Curent quoque Pastores animarum, ne praetextu vel occasione cultus sanctorum vel eorum festivitatum, immo eorum titulo, spectacula vel oblectamenta publica a fidelibus praeparentur, quae sensum paganum sapiunt, et quibus Deus offenditur* ».

17

EXC.MUS P. D. IOANNES VAN DODEWAARD
Episcopus Harlemensis

Nomine conferentiae episcoporum Neerlandicae relate ad *Caput VII* schematis *de Ecclesia* sequentia notare velim.

Proponitur ut n. 48 et n. 49, insimul cum ultima parte n. 51, scil. pag. 185, lin. 29 usque ad pag. 186, lin. 3, in unum conflentur, demptis nn. 50 et pro parte 51; insuper ut haec nova unitas non in separato capite ponatur sed, dempto cap. VII, ut *Prooemium* habeatur praesentis cap. VIII de B. Maria.

Rationes militantes pro hac propositione:

1. Redactio praesens cap. VII non bene assimilatur ceteris splendidis capitibus ecclesiologicis. Consistit enim pro magna parte in aliqua enumeratione plurium veritatum, quarum sensus ecclesiologicus non explanatur; hinc illinc deprompta mere conflantur in hoc capite sine interna connexione sensum ecclesiologicum explanante. Quam ob rem quaeri possit, cur haec omnia in hoc schemate assumentur. Valor totius constitutionis per hoc caput diminuitur.

2. Ex altera parte idea perpulchra et verissima de communione seu « Koinonia » Ecclesiae in terra cum Ecclesia caelesti in ipsa constitutione deesse nequit. Haec tamen idea iam in praecedentibus capitibus enunciata est, licet per transennam.

3. Quae cum ita sint nucleus cap. VII (consistens in idea istius communionis), qui in genere optime est enodatus in nn. 48, 49 et 51, secunda

parte (ut superius dictum), meliore modo transferri ad cap. VIII, ubi tamquam Prooemium de B. Virgine optimum suum locum obtinere potest.

4. Altera possibilis solutio, ut nempe idea praedicta de Communione sanctorum magis evolvatur in prioribus capitibus huius schematis, de se praeferenda est et fortasse afferri potest votando « iuxta modum ». Ex altera parte, cum praedicta capita substantialiter iam sint accepta, nova retractatione Concilium in infinitum posset protrahi. Quod propter periculum morae in tempore etiam valet de totali nova redactione cap. VII.

Conclusio. Propositio allata, visis omnibus, optima est, qua visio ecclesiologica totius huius schematis in suo vigore et splendore remaneat nec per aliquod caput minus harmonice et nervose redactum diminuatur.

18

Exc.mus P. D. IOANNES WOLFF

Archiepiscopus de Diego Suarez

N. 48, in fine, pag. 182, lin. 7. Proponitur additio textus *Rom.* 8, 20-21, in quo dicitur ipsam creaturam assumi in glorificationem filiorum Dei, ita ut ipsa opera eorum terrestria valorem contrahant ex ista ordinatione ad finem eschatologicum. Peropportunum videtur asserere explicite, contra falsam aestimationem, quod quanto magis ad gloriam caelestem tendimus, tanto amplius lucido et efficaci ardore in rebus terrenis moderandis fruimur. Haec est vera indoles eschatologica vocationis nostrae. Ita post linn. 6-7, addatur: « Imo expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertate gloriae filiorum Dei » (*Rom.* 8, 20-21), ita ut ordinatio mundi ipsaque populorum promotio efficaciter involvantur in spe resurrectionis et gloriae nostrae.

[*Subscripserunt etiam*] Michael Henricus Canonne, ep. Tulearensis, Iulius Puset, ep. Tamatavensis, Franciscus Vollaro, ep. Ambatondrazakaensis, Camillus Chilouet, ep. Farafanganensis, Alfonsus Fresnel, ep. Arcis Delphini, Ioannes David, ep. Maiungaensis, Gilbertus Ramanantoanina, arch. Fianarantsoaensis, Albertus Ioseph Tsiahoana, ep. tit. Abthugnitanus, Ioseph Zimmermann, ep. Morombensis, Leo Adolfus Messmer, ep. Ambaniaensis, Claudius Rolland, ep. Antsirabensis.

CONGREGATIO GENERALIS LXXXII
17 septembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS LXXXII

17 septembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Octogesimam secundam congregationem generalem moderatur em.mus ac rev.mus D. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Communico vobis, venerabiles Patres, exitum suffragationis heri peractae circa cap. I schematis *de Ecclesia*:

Inter Patres	. . . .	2.189
dederunt votum	*placet*	2.114
	non placet	11
	placet iuxta modum . . .	63
Suffragium nullum	. . . .	1

Ergo, ad normam *Ordinis,* cap. I est probatum. Attamen commissio videbit modos, si quae modificatio in melius fieri possit. Attamen iuridice textus est probatus. Nam Commissiones hoc munus habent examinandi modos propositos a congregatione generali (non aliud munus habent), examinandi et, si necesse est, proponendi modos iterum suffragandos, quod in casu non contingit, uti patet. Si vero necesse non est, videndi modos ita ut si quae melioratio, uti dicitur, fieri possit, et necesse sit facere, etiam iudicio moderatorum, introducatur in textum; qui ceterum iterum supponetur suffragationi, quando totum schema suffragationi dabitur. Sed in casu, ut repeto, expensio modorum est quasi ad abundantiam, ne pereat aliquid quod bonum videri possit. Iuridice probatus est textus.

Hodie in hac congregatione, post debitam relationem circa cap. II, factam ab exc.mo Garrone, fiet suffragatio circa cap. II (sunt quatuor suffragationes). Si tempus suppetet, fient omnes quatuor suffragationes; secus, continuabitur crastina.

Quoad cap. III, suffragatio incipiet feria II proximae hebdomadae. Attamen iam a crastina dabuntur Patribus relationes, sive relatio quae illustrat textum, quae est in tres partes dispertita secundum argumenta potiora eiusdem capitis, sive relatio quae proponit argumenta quae in contrarium opponi possent. Hae relationes distribuentur crastina, ita

ut omnes Patres possint eas commode examinare et inde a feria II proxima dare suum votum.

Crastina dabimus etiam Patribus aliquod calendarium, ut ita dicam, suffragationis, vel melius suffragationum faciendarum circa cap. III, ita ut unusquisque Pater possit cognoscere quibus diebus illae determinatae suffragationes fient.

Crastina autem, post exactam discussionem de capite circa B. Mariam Virginem, incipiet disceptatio circa ea puncta schematis *de episcopis et de dioecesium regimine* quae adhuc discussioni subicienda sunt. Haec puncta determinantur in folio, quod iam in distributione est, ni fallor, vel utcumque distribuetur mane. Nam, uti meministis, schema *de episcopis* partim est iam discussum — ideo tantum suffragatio fieri debet, iuxta modum qui indicabitur suo tempore —, partim est adhuc discutiendum, praesertim quod spectat curam animarum. Porro circa has partes, quae quasi interiectae sunt in toto textu, fiet discussio. Et ne confusio oriatur, hae partes in folio indicantur, relata etiam pagina ad quam in schemate fit relatio.

Moderatores autem statuerunt quod sequitur. Bene attendatis, Patres! Terminus pro exhibendis summariis circa schema *de divina revelatione,* de quo agetur post schema *de Oecumenismo,* est dies 25 huius mensis. Terminus pro exhibendis summariis circa schema *de apostolatu laicorum,* quod est adhuc discutiendum, ut nostis, est dies 28 huius mensis.

Pro aliis schematibus, et etiam pro schemate *de praesentia Ecclesiae in mundo hodierno,* ut exhibeantur scripto animadversiones, quas commissiones respectivae examinabunt, statutus est terminus dies 1 octobris. Quapropter circa schema *de praesentia Ecclesiae in mundo hodierno* et alia schemata, quae non citavi expresse, dari debent nunc animadversiones scriptae; et terminus exhibitionis est dies 1 octobris.

Pro illis duobus schematibus *de divina revelatione* et *de apostolatu laicorum* datur terminus, respective 25 et 28 dies septembris, pro exhibendis summariis interventionum.

Bene explicavi? Sed repeto; forsan melius est.

Pro exhibendis summariis interventionum in hac aula circa schema *de divina revelatione* statuitur terminus dies 25 septembris. Pro exhibendis summariis interventionum circa schema *de apostolatu laicorum* terminus statuitur 28 dies septembris. Pro aliis omnibus schematibus possunt exhiberi scripto animadversiones, singulis commissionibus, semper per secretariam generalem, non ultra diem 1 octobris.

Nunc verbum addo circa schema, ut dicitur, XIII, nempe *de praesentia Ecclesiae in hoc mundo hodierno.* Commissio competens iam de-

dit aliquas animadversiones Patribus de criteriis sequendis in revisendo textu. Si vos legistis, Patres venerabiles, relationem, quae est in textu iam distributo, iam misso per tabellarios, iam vidistis quod mens est commissionis revisendi textum iuxta animadversiones Patrum. In hoc folio quod hodie distribuitur, eadem fere repetuntur, ita ut Patres in animadversionibus faciendis probe noscant quid sit in mente commissionis, et ne cogantur repetere, quae iam commissio in animo habet facere. Est directiva, quam dat commissio in animadversionibus faciendis, sed Patres, uti patet, possunt etiam non approbare has directivas, hoc certum est. Hic est sensus huius folii, quod ceterum repetit quae iam sunt impressa in relatione adnexa schemati.

Nunc duo debeo rogare Patres. Aliqui Patres conquesti sunt quod sibi sedes propria non sit assignata. Sed capite nos, venerabiles Patres! In hac periodo praesertim concursus Patrum fuit longe varius; hoc sensu, quod quidam Patres dixerunt se venturos et non venerunt; aliqui dixerunt se non venturos et venerunt; aliqui retardarunt in dies varios suum adventum in Concilium. Rebus instantibus, hucusque nostri Officiales fecerunt quod potuerunt. Sed tamen vos certiores reddo feria II proxima omnia in pace compositum iri, ita ut unusquisque Pater, ut possibile est, suam debitam sedem habeat.

Hoc dixi, venerabiles Patres, quia sedes habet magnum momentum in Concilio, propter suffragationes faciendas, et si Patres mutant sedem ex arbitrio assignatores locorum debent multum fatigare ad quaeritandos Patres in diversis locis aulae. Quapropter rogo vos, Patres, ut stetis vestris locis, et feria II laeti erimus si omnia in pace componentur.

Aliud debeo rogare. Patres aliquando, etiam admirationis causa, conveniunt in tabernam mechanographicam. Et haec visitatio est pro nobis plena honoris et gaudii. Attamen, quando Officiales laborant non possunt duobus dominis servire. Dixit mihi aliquando aliquis venerabilis Pater quod in hoc Concilio nostri temporis technici et mechanici Spiritus Sanctus debet assistere non solum Patres, sed etiam machinas mechanographicas ne errores habeantur, praesertim in quibusdam suffragationibus. Quapropter conemur omnes ut labor expedite fiat. Quando non est labor, si quis vult invisere, hoc nobis maximi honoris erit.

Tandem lego nomina eorum qui verbum facere petierunt circa cap. VIII schematis *de Ecclesia,* nempe de Beata. Sunt em.mus ac rev.mus card. Leo Suenens, arch. Mechliniensis in Belgio; exc.mi DD. Franciscus Rendeiro, ep. Pharaonensis in Lusitania; Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia; Petrus van Lierde, ep. vic. gen. pro Civitate Vaticana; Ioseph Gawlina, arch. tit. Madytensis; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania; Alfridus Ancel, ep. aux.

Lugdunensis in Gallia; Gulielmus Kempf, ep. Limburgensis in Germania; Bonaventura de Uriarte, ep. vic. ap. S. Raymundi in Peruvia; rev.mus D. Anicetus Fernandez, mag. gen. Ord. Praedicatorum; exc.mus D. Primus Gasbarri, ep. adm. ap. Grossetanus in Italia; rev.mus D. P. Alfonsus Montà, sup. gen. Servorum B.M.V.; exc.mi DD. Raphaël Garcia, arch. Granatensis in Hispania; Aurelius Signora, arch. praelatus Pompeianus in Italia; Iulianus Le Couëdic, ep. Trecensis in Gallia; Sergius Mendez Arceo, ep. Cuernavacensis in Mexico.

Nunc, iubente moderatore, fit relatio circa cap. II, et continuo post legam primam suffragationem. Etiamsi assignatores tradunt schedulas ante meam lectionem, Patres rogantur ne suffragium apponant antequam ego legero suffragationem. Et, pro me, finis!

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

RELATIO
de populo Dei (cap. II *de Ecclesia*)

Exstat prae manibus Patrum, suffragiis propositum, Caput secundum schematis cui titulus: De Populo Dei. Commentaria et documenta annexa omnes iustificationes afferunt ita ut in hac relatione praevia brevitas expediat. Quaedam tantum:

De origine huius Capitis et rationibus allatis ut conficeretur.

Postularunt nonnulli Patres ut, circa thema de Populo Dei, latior fieret expositio, quin in contrarium quidquam dictum fuerit.

Commissio De Fide huiusmodi votis respondere contendit, diligenter colligens et ponderans rationes a Patribus allatas. Quas summatim hic revocare placet: sub hoc enim titulo Populi Dei, ex Scriptura desumpto:

1) Ecclesia ostenditur ut *inter tempora,* ad finem beatum progrediens, in statu nempe suo historico, qui aspectus multa propria exhibet.

2) Ecclesia *in sua totalitate* videtur, quoad ea quae cunctis fidelibus communia sunt. Quod fieri omnino oportet ut expresse appareat, pastores et fideles ad unum pertinere populum: licet Hierarchia vere sub uno aspectu fideles praecedat ut ad fidem generans. Ipse enim populus eiusque salus est, in consilio Dei, de ordine finis, dum Hierarchia est medium ad hunc finem ordinatum.

3) Inde etiam clarius patent tum munus pastorum qui fidelibus me-

dia salutis praestant, tum vocatio fidelium qui personaliter collaborare debent ad diffusionem et sanctificationem totius Ecclesiae. Hierarchia e populo assumpta, in bonum populi agere constat et sic melius elucet idea *servitii.*

4) Praeterea opportune clarescit *unitas Ecclesiae in catholica varietate* munerum, Ecclesiarum particularium, traditionum, culturarum..., quae unitatem Ecclesiae perficiunt, non tollunt.

5) Etiam, quod non parvi habendum est in hoc Concilio, rectior statuitur perspectiva *ad agendum de catholicis, christianis non catholicis et universis hominibus,* dum terminologia de « membris » multas difficultates affert.

6) Tandem melius videtur quomodo in tempore continuetur et crescat opus et vita Christi in mundo, ita *ut de Missionibus* doctrina evolvatur.

De materia huius Capitis.

Ad hoc Caput novum accipienda erant plura quae inter alia Capita sparsa inveniebantur: quaedam imprimis *ex primo Capite* ubi de Populo Dei quaestio erat: quaedam etiam *ex Capite De Laicis,* ubi non opportune collocabantur cum ad membra Populi Dei in genere pertinerent et non proprie ad laicos.

Plura etiam *integraliter nova* sunt.

De ordine rerum qualis ex scopo Capitis logice sequitur.

Ex rationibus ipsis ex quibus Caput istud ortum est, et ordo partium logice sequitur. De Ecclesia fit quaestio in quantum ipsa est « totum quid », Populus nempe Dei, in quo unusquisque vocationem accipit unam et eamdem, gaudens igitur dignitate radicaliter eadem; quid etiam in historia iter facit, a Spiritu Dei versus Regnum impulsus, mandato accepto omnes homines colligendi qui bonae voluntatis sunt et a gratia sollicitantur.

Ideo, facta introductione quadam praevia, Caput duabus partibus constat:

1) Ad modum *introductionis De Populo Dei in genere* agitur, altius repetendo ad eius anteriorem quasi historiam, in qua omnia in figura illi contingebant, et Novi Testamenti, a quo populus Dei fundamentum accipit, incomparabilia dona describendo.

2) *Pars prior Capitis* (N. sc. 10-11-12) *statum communem* definire intendit, fundamentaliter unum, uniuscuiusque christiani, gratuito a Deo electi ut partem accipiat in populo Dei et in Christo inveniatur,

quidquid ulterius sit de ministeriis et viis particularibus. Populo Dei apponitur et sacerdotio regali potitur de quo Petrus in prima Epistola. Descriptio inde habetur *aspectuum huius sacerdotii* quae de unoquoque homine in Christo valent et quae sive ad *cultum* (N. 10) — sive ad *Sacramenta* (N. 11) — sive ad *diffusionem nuntii* respiciunt (N. 12).

3) *Pars altera vocationem apostolicam* et *vere catholicam* considerat.

Nihil enim inter valores humanos extra voluntatem salvificam Dei aestimare licet, qualis populo suo a Deo concredita est ut ei inserviat (N. 13). Alii quidem *integre omnibus gaudent* quae Pater posuit, in misericordia et voluntate sua, ut omnibus pateant ad finem et vitam in populo suo servandas (N. 14). Alii vere quidem sed gradu diverso *ad haec partem habent quae Populum Dei constituunt*: fidem, Sacramenta, Scripturam, necnon et sacram Hierarchiam (N. 15). *Nec omnino licet illos ut pure alienos habere* a Populo Dei in quibus quaedam inveniuntur, quaecumque sit eorum confessio vel professio; de his quae populi Dei sunt, vel etiam illos quorum corda a gratia Dei secreto sollicitari credimus (N. 16).

Ex his concludendum est, ut ex toto Capite profluit, in Ecclesia semper et ubique impetum et aestum *a Spiritu moveri,* a quo nemo se abstrahere potest, et cuius *symbolum simul et medium in Missionibus* datur (N. 17).

De singulis paragraphis.

N. 9: *Novum foedus novusque populus.*

Duae priores alineae sunt novae, quae describunt praeparationem et institutionem novi populi, deinde autem eius qualificationes essentiales.

Tertia alinea vero reproducit cum parvis modificationibus ipsum textum priorem, sed in fine addit assertionem de modo procedendi Ecclesiae in historia et de continua eius renovatione.

N. 10: *De sacerdotio communi.*

Textus emendatus in alinea prima reproducit textum priorem, adiungendo indicationem de sacerdotio ipsius Christi et de oratione, et in altera alinea addit explicationem de relatione inter sacerdotium ministeriale et sacerdotium commune.

N. 11: *De exercitio sacerdotii communis in sacramentis.*

Evolvitur doctrina de SS. Eucharistia; additur expositio de sacramentis poenitentiae, unctionis infirmorum et Ordinis; et ubi de matrimonio, insistitur super educationem prolis.

In ultima alinea autem exprimitur vocatio omnium, cuiuscumque status, ad sanctitatem.

N. 12: *De sensu fidei et charismatibus in populo christiano.*

Manifeste agitur de duabus rebus distinctis. Prima est sensus fidei totius populi, qui sensus uberius et penitius explicatur.

Altera est diffusio donorum Spiritus Sancti, quae plenius et accuratius describuntur, indicatis eorum indole et fine positivo, indicato quoque munere Praepositorum Ecclesiae circa illa.

N. 13: *De universalitate seu catholicitate unius Populi Dei.*

Tria distincta occurrunt:

in prima alinea docetur *unitas* Ecclesiae universaliter diffundendae, ex unitate Christi et Spiritus;

in secunda alinea docetur hanc unitatem, catholicam seu *universalem,* supra omnia particularia transcendere et in eorum diversitate vere immanere;

in tertia alinea pressius docetur unitatem catholicam efficaciter servare tum *diversos ordines* in Ecclesia, tum diversas *Ecclesias particulares.* Notetur quod quarta alinea non est nisi transitio ad sequentia.

N. 14: *De fidelibus catholicis.*

Docetur imprimis Ecclesiam esse *necessariam* ad salutem, propter necessitatem Christi Mediatoris; quod ex necessitate baptismi confirmatur.

In secunda alinea determinatur *quinam plene* Ecclesiae societati incorporentur.

In tertia alinea agitur de *catechumenis,* dum ultima sententia textus prioris, quae de non-catholicis agit, ad numeros sequentes remittitur.

N. 15: *De nexibus Ecclesiae cum christianis non-catholicis.*

Textui priori quaedam elementa inseruntur, nempe de veneratione pro S. Scriptura, de fide in Deum Patrem, et Episcopatu et martyrio. Sermo autem fit de non-catholicorum « Ecclesiis » vel « Communitatibus ecclesiasticis ». Ceterae mutationes sunt redactionales.

N. 16: *De non-christianis.*

In initio statuitur principium generale. Deinde accuratius describitur conditio populi iudaici et allusio fit ad islamitas. Evolvitur autem, post mentionem hominum qui in Deum credunt, descriptio conditionis illorum qui Deum ignorant, et in fine inducitur necessitas fovendi missiones.

Hoc est igitur De Populo Dei Caput nostrum, quale a Commissione de Fide unanimiter Patribus proponitur. In materia tam complexa partim nova, saepe difficili, et ex elementis diversis exstructa, bene scit quidem Commissio opus se exegisse non omnino perfectum. Quale exstat, opus est bonae fidei, in quo asserere licet nihil nos intendisse nisi voto Patrum

satisfacere. Hoc opus suffragiis Patrum proponimus, humiliter sperantes ut, cum unanimitatem obtinuerit ab his qui ministri Concilii fideles esse voluerunt, et ab ipso Concilio, quem penes ius est loquendi, unanimiter placere valeat.

Secretarius generalis: Proponitur ergo prima suffragatio circa cap. II schematis *de Ecclesia,* quod inscribitur « De Populo Dei ». Textus incipit (videatis, Patres venerabiles, pag. 29): « In omni quidem tempore et in omni gente Deo acceptus est quicumque timet eum et operatur iustitiam... ». Et prosequitur in pagina sequenti ubi dicitur « textus emendatus » (nempe, in suffragatione prae oculis habendus est textus in parte dextera, quando sunt duo textus; si unus tantum est, ille intelligitur suffragandus esse); ergo prosequitur ita: « Sicut vero Israël secundum carnem, qui in deserto peregrinabatur, Dei Ecclesia aliquando appellatur, ita novus Israël qui in praesenti saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit, Ecclesia Christi nuncupatur... », usque ad pag. 34, in his verbis: « ... ad eos pertinet, qui in Ecclesia praesunt, et quibus speciatim competit, non Spiritum extinguere sed omnia probare et quod bonum est tenere » [*cf. pp. 181-186*].

Circa hunc textum, quem nuntiavi, prouti dictum est, suffragatio facienda est tantum per *placet* et *non placet.* Incipit igitur suffragatio.

PATRUM ORATIONES

(cap. VIII *de Ecclesia,* prosequitur)

1

Em.mus P. D. LEO IOSEPH card. SUENENS

Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio

Venerabiles Patres,

Caput « de Beata » placet, sed cum duplici emendatione. Textus, ut mihi videtur, deficit in duobus punctis.

1. Peccat quodam minimismo *in expositione* [1] doctrinali. *Vitare debemus duplex periculum. Ex una parte adest periculum exaggerationis marialis, praesertim ubi nimis innititur in revelationibus privatis. Sed ex alia parte, adest verum periculum minimizationis marialis, ubi sub praetextu et specie christocentrismi revera munus B. Mariae Virginis minuitur in vita practica fidelium.* [2]

Iamvero in textu [3] B. Virgo nimis ...[4] ostenditur ut figura temporis acti, quae olim officium suum exercuit sed praesentia et influxus eius actualis non satis indicatur. *Est quaestio proportionis et explicitationis.*[5]

Ne laedatur unica mediatio Christi ab omnibus admissa, non satis ostenditur, *ut mihi videtur,*[6] profunditas associationis Mariae in toto opere redemptionis in omni sua latitudine. *Implicite, utique, vel uno et alio verbo exprimitur, sed opportunum esset ut explicite et fusius dicatur propter bonum fidelium quia adest, ut dixi, periculum alicuius christocentrismi anti-marialis.*[7]

Maria non est Mater alicuius hominis qui per accidens factus est sacerdos, redemptor et salvator mundi.

Non est sicut mater alicuius ducis exercitus, quae mater nullomodo consociatur *intime* [8] victoriis filii sui.

Maria, ex voluntate gratuita Dei, plene modo suo subordinato associata est mysterio Christi in Ecclesia pergenti, cooperata est in Redemptione et in applicatione praesenti illius unicae redemptionis a Filio perfecte peractae.

Maria non est instrumentum quoddam derelinquendum postquam officium suum generationis peregit sed maternitas eius physica in maternitate spirituali protrahitur. *Maria exercet influxum verum, actionem inspiratricem et constantem in Corpore Christi Mystico.*[9]

Textus schematis iure merito abstrahit a controversiis theologicis quoad modalitates istius collaborationis *et actionis* [10] sed non satis *explicite* [11] assumit ea quae a Magisterio ordinario Ecclesiae de Maria proferuntur et a populo fideli creduntur. Ne timidi simus: gloria Mariae est gloria Filii sui...[12]

Liceat verbum scripturae hic iterum referre *in alio contextu*: [13] nolite timere accipere Mariam — in plenitudine actuali maternitatis suae — quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.

2. Pariter peccat schema in omissione quadam maximi momenti. Etenim nullibi apparet nexus inter maternitatem spiritualem Mariae et apostolatum evangelisationis. Maternitas B. Mariae Virginis est typus et exemplar maternitatis Ecclesiae, ideo intimus est nexus inter maternitatem Mariae et evangelisationem *mundi.*[14]

Theologis competit illam connexionem terminis adaequatis exprimere sed in luce ponatur oportet.

Concilium nostrum est Concilium pastorale.

Caput « de Beata » debet modo suo favere renovationi pastorali et apostolicae.

Non sufficit honorare Mariam quibusdam piis exercitiis. Sed *ipsa* [15] devotio marialis authentica requirit servitium quoddam activum. Termi-

nus enim « devotionis » — *cuius nota est « devotio » — terminus enim « devotionis »* [16] a termino « devovere » procedit quod indicat activam collaborationem. Pietas marialis nimis separatur a vita et ab actione *apostolica.*[17] Rogamus ergo ut nexus iste clare indicetur, ut Maria non tantummodo sit exemplum admirandum sed ut christifideles invitentur ut quodam modo associentur active in *praesenti* [18] maternitate eius spirituali, in servitio hominum, in mundo hodierno.

Si hoc omittitur timemus schema nostrum nullum *vel parum* [19] habere influxum practicum, vitale et pastorale, quod *nos* [20] omnes exoptamus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Nam. [4] ibi. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] et numquam laedere potest unico Redemptori. [13] deest. [14] praesentem. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] deest.

2

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS RENDEIRO
Episcopus Pharaonensis

Venerabiles Patres,

Schema *de Beata Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae* in genere mihi placet, et multum laudanda est commissio quae eum redegit. Specialiter laudanda est methodus in ipso schemate adhibita, nempe illa quae Mariam exhibet prout « in historiam salutis intrinsecus ingressa » est...[1]

Attamen aliquae observationes videntur faciendae ut textus perficiatur. Et specialiter circa quasdam formulas negativas quae manifestare videntur timorem nimiae superlationis B. Mariae Virginis. Pro aliquibus nova redactio propono, et sunt tantum tres ne patientia vestra abutar:

1. Pag. 202, lin. 7, ubi dicitur: « Mariae autem maternum munus hanc Christi unicam mediationem nullo modo obscurat nec minuit, sed extollit ».

Haec formula negativa exprimere videtur aliquem timorem circa possibilem exaggerationem conceptus Mediationis B.M.V.

Melior evadit expressio si formula positiva adhibeatur, *scil.*: « *Mariae autem maternum munus hanc Christi* [2] unicam mediationem illuminat atque extollit ».

2. Eadem pag. 202, lin. 36, ubi dicitur: « In caelis enim assumpta salutiferum hoc munus non deposuit, sed multiplici intercessione sua

mirum in modum pergit in aeternae salutis donis nobis conciliandis ». Verbum *intercessione* videtur dicere tantum illa forma mediationis quae per orationem exercetur. Sic dicimus in litaniis: « ora pro nobis, intercede pro nobis ». Mea humili sententia adhibendum esset vocabulum *actione,* vel potius *interventu,* ne videatur excludi alia forma mediationis magis activae quam simplex intercessio orationis.

3. Pag. 205, lin. 33, ubi dicitur: « Theologos autem verbique divini praecones enixe exhortantur, ut ab omni falsa superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia in singulari Deiparae dignitate consideranda sedulo abstineant ». Haec formula dicendi nimis sapit ad infelicem quaestionem de maximalistis et minimistis. Potius idem diceretur cum formula affirmativa, e. g.: « Theologos autem verbique divini praecones enixe exhortantur, ut cum magno veritatis amore, et sine mentis angustia, in singulari Deiparae dignitate consideranda, procedant ».

Et post has parvas observationes liceat mihi aliqua addere. Circa quaestionem de mediatione B.M.V. iam audivimus rationes in hac aula adductas contra eius inclusionem in textu. Certe aliae sunt rationes pro retinenda mentione mediationis B.M.V. Puto minimam rationem non esse admiratio populi christiani. In multis regionibus firmiter creditur omnes gratias nos habere per Mariam. Scandalum erit si fideles sciunt nos in Concilio Oecumenico disputationem instituere circa Mediationem, et si sciunt nos hunc vocabulum non recepisse. Et ideo nomine meo, et nomine plus quam 82 episcoporum quorum signationes secretariae mittam, peto ut ea quae in capite hoc, de Mediatione B. Mariae Virginis dicuntur integra maneant, saltem prout sunt.

Ultimo autem loco, liceat mihi votum exprimere episcoporum nationis meae, scil. Lusitaniae, quae sicut et multae aliae nationes titulo S. Mariae gloriatur. Gaudium magnum pro omnibus nobis fuit illa Consecratio Mundi ad Cor Mariae Immaculatum, anno 1942 a SS. Domino Pio Papa XII facta, quam heri em.mus card. Wyszynski memoravit. In imo corde habemus desiderium videndi renovationem huius consecrationis a SS. Domino Nostro Papa faciendam, comitantibus omnibus nobis.

Et quia scimus hunc votum iam praesentatum esse Summo Pontifici a multis episcopis Brasiliae et aliunde, laetanter eum audivimus heri ab em.mo card. Wyszynski, in hac aula formulatum, propterea magna cum fiducia eum denuo exprimimus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 204, lin. 16, et pag. 198, lin. 31). [2] deest.

[*Subscripserunt etiam*] Henricus Diaz Nogueira, ep. Cabralopolitanus; David de Souza, ep. Funchalensis; Ernestus Gonçalves da Costa, ep. Inhambanensis; Ioseph Ioachim Ribeiro, ep. tit. Aegeaensis; Moises, arch.; Antonius de Campos,

ep. tit. Febianensis; Franciscus Estevan Dias, ep. Lusitanianus; Emmanuel de Iesu Pereira, ep. tit. Prenetensis, aux. Conimbricensis; Ernestus Senna de Oliveira, arch. ep. Conimbricensis; Emmanuel D'Almeida Trindade, ep. Aveirensis; Antonius de Castro Xavier Monteiro, ep. tit. Ombitanus; Emmanuel Trindade Salgueiro, arch. Eborensis; Emmanuel de Medeiros Guerreiro, ep. Nampulensis; Franciscus Nunes Teixeira, ep. Quelimanensis; Paulus Taveres, ep. Macaonensis; Daniel Gomes Junqueira, ep. Novae Lisbonae; Ioannes Chrysostomus Gomes de Almeida, ep. tit. Ierafitanus; Emmanuel Antonius Pires, ep. Silva Portuensis; Ioannes Pereira Venâncio, ep. Leiriensis; Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis; Albertus Cosme do Amaral, ep. tit. Tagariensis; Vincentius de Araujo Matos, ep. Cratensis; Paulus Hippolytus de Souza Libório, ep. Parnaibensis; Ioseph Terceiro de Souza, ep. Penedensis; Marius de Miranda Vilas-Bôas, arch. Parahybensis; Raimundus de Castro e Silva, ep. tit. Uzalensis; Milton Corrêa Pereira, ep. aux. Belemensis de Parà; Ioseph Bezerra Coutinho, ep. Stantianus; Alexander Gonçalves do Amaral, arch. Uberabensis; Ioseph Petrus Costa, ep. Caetitensis; Ioseph Nicodemus Grossi, ep. Spelaeopolitanus a Bono Iesu; Caietanus Antonius Lima dos Santos, ep. Ilheosensis; Vincentius Marchetti Zioni, ep. Bauruensis; Petrus Paulus Koop, ep. el. Linensis; Ioseph de Aquino Pereira, ep. Prudentipolitanus; Ioseph Varani, ep. Jaboticaballensis; Ioseph de Medeiros Leite, ep. Oliveirensis; Ioseph Alves de Ss.ma Trindade, ep. Montisclarensis; Petrus Filipiak, ep. Jacarezinhoensis; Otho Motta, ep. Campaniensis in Brasilia; Jacson Berenguer Prado, ep. Fori S. Annae; Archangelus Cerque, ep. tit. Olbiatanus; Ruy Serra, ep. S. Caroli in Brasilia; Ferdinandus card. Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus; Ioseph Lecuona, ep. tit. Vagadensis; Angelus Temiño Saiz, ep. Auriensis; Secundus Garcia de Sierra y Mendez, arch. Burgensis; Gregorius Modrego y Casáus, arch. ep. Barcinonensis; Casimirus Morcillo Gonzalez, arch. Matritensis-Complutensis; Franciscus Peralta y Ballabriga, ep. Victoriensis; Demetrius Mansilla, ep. Civitatensis; Vincentius Enrique y Tarancón, arch. Ovetensis; Emmanuel Fernandez-Conde, ep. Cordubensis; Anastasius Granados Garcia, ep. aux. Toletanus; Antonius Añoveros Ataún, ep. Gadicensis-Septensis; Hyacinthus Argaya Goieoechea, ep. Mindoniensis-Ferrolensis; Laureanus Castán Lacoma, ep. Seguntinus-Guadalajarensis; Raphael Alvarez Lara, ep. Guadicensis; Raimundus Iglesias Navarri, ep. Urgellensis; Felix Romero Menjibar, ep. Giennensis; Abelius del Campo y de la Bárcena, ep. Calaguritanus-Logrognensis; Augustinus Ioachim Lopes de Moura, ep. Portalegrensis-Castri Albi; Vincentius M. Jacono, ep. tit. Patarensis; Vitus Chang; Vincentius Brizgys; Custodio Alvim Pereira, arch. de Lourenço Marques; Ioseph dos Santos Garcia, ep. Portus Ameliae; Franciscus M. Da Silva, arch. Bracharensis; Emmanuel Ferreira da Silva, arch. tit. Cyzicenus; Antonius Cardosa Cunha, ep. aux. Beiensis; Polycarpus da Costa Vaz, ep. de Guarda; Ioseph Vieira Alvernaz, patr. Indiarum Orientalium; Emmanuel Alfonsus de Carvalho, ep. Angrensis; Altinus Ribeiro de Santana, ep. Sadabandeiropolitanus; Ioseph Colaço, ep. S. Iacobi Capitis Viridis; Antonius Valente de Fonseca, ep. Villaregalensis; Ernestus de Paula, ep. tit. Hierocaesariensis; Ioseph Brandâo de Castro, ep. Propriensis; Felix Niza Ribeiro, ep. Tetiensis; Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus.

3

Exc.mus P. D. ANDREAS SAPELAK
Episcopus tit. Sebastopolitanus in Thracia

Venerabiles Patres,

Dum in cap. VIII schematis *de Ecclesia* sermo fit « de B. Maria Virgine Deipara in Mysterio Christi et Ecclesiae », ne quidem consideratur praecipuum munus B. Virginis relate ad Ecclesiam peregrinantem: eius nempe *patrocinium* ac *auxilium.*

Historia teste, B. Maria Virgo semper Ecclesiam Christi contra hostes protexit ac adiuvit, eique victorias tribuit.

Patres hoc praecipuum munus Deiparae Virginis in Ecclesia Christi praeclare extollunt.

S. Ephraem e. g. B. Virginem « omnium Christianorum firmum praesidium » vocat...[1] Itemque Deiparam « Salutem communem generis christianorum » proclamat...[2] Idem S. Ephraem haec de Maria Virgine dicit: « Te Christianorum coetus firmissimum murum possidet »...[3]

S. Germanus, patr. Constantinopolitanus, saepe in sermonibus suis *patrocinium sociale* Deiparae invocat: « ... acceptissimis tuis... precibus... ecclesiastici ordinis gubernacula fac dirigas, et ad portum tranquillum, a fluctibus scil. haereseos scandalorum securum perducas »...[4] Idem Germanus ita Mariam orat: « Memento servorum tuorum christianorum, ... universorum statue spem, fidem confirma, Ecclesias ad unitatem coge..., mundum pace compone... »...[5]

In doctrina istorum ac aliorum orientis Patrum: Maria Virgo salus populi christiani exstat, Ecclesias ad unitatem cogit, eas ab haeresi praeservat, fideles in recta fide confirmat, fidem inconcussam custodit.

Mariam ut Ecclesiae patrocinium ad auxilium *Liturgia* praesertim *Byzantina* innumeris laudibus honorat. Saepissime Liturgia Byzantina Deiparam Virginem « salutem populi christiani »...[6], « Auxiliatricem fidelium »...[7], « Christianorum spem ac interceditricem »...[8] in laudibus invocat. Item haec de Maria Virgine asserit: « A Deo recepisti donum regere et protegere populum christianum... »; ...[9] « ... Christus donavit Te populo christiano ut interceditricem ac potens patrocinium... »...[10]

Doctrina Patrum de patrocinio ac auxilio B. Mariae Virginis, monumenta liturgica, ac facta historica interventuum Deiparae Virginis in defensionem populi christiani causae fuerunt *institutionis festivitatis Patrocinii Deiparae Virginis* in variis Ecclesiis byzantini ritus, quae die prima octobris celebratur. Similis festivitas etiam in Ecclesia latina sub titulo « Auxilium Christianorum » habetur.

His argumentis brevissime expositis, *humiliter propono ut doctrina marialis de Patrocinio ac Auxilio Ecclesiae populique christiani ab hoc Sacrosancto Concilio speciali modo illustretur,* propter has rationes.

Haec doctrina specialissimam actualitatem nostris temporibus habet, quando — sicuti S.mus Papa Paulo VI in Encyclica *Ecclesiam Suam* scribit — Hominum opiniones... doctrinae philosophicae ac politicae « veluti maris fluctus Ecclesiam ipsam obvolvunt et commovent » ... « quod ipsam ecclesiasticae compaginis firmitatem in discrimen adducere possit ».

Quando Ecclesia Christi et populus christianus gravissimas persecutiones patitur; et quando atheismus militans possibilitate salutis aeternae integras nationes christianas violenter privat, ipsamque Ecclesiae existentiam in his nationibus quaestionem temporis considerat. Fideles episcopis ac sacerdotibus privati, solummodo in materno auxilio B. Virginis sperant.

Quando ex altera parte materialismus hedonisticus in corruptione morum studiose conscientiam christianam tamquam diluvio submergit, familiae compaginem destruendo et Ecclesiam debilitando.

Quando denique gravissima pericula belli toto generi humano imminent:

Sciat populus christianus se in his gravissimis adiunctis potentissimum *patrocinium ac auxilium* in B. Virgine Maria habere, per quam Spiritus Sanctus — anima, vita, robur Ecclesiae — omnipotentiam suam tamquam per instrumentum divinae actionis suae manifestat, ut Deipara Virgo *salus populi christiani,* denuo gloriose refulgeat.

Propositio. Practice proponere audeo ut in fine n. 56 loco invocationum litanicarum: Virgo fidelis, Virgo potens, Virgo prudens, Virgo clemens, doctrina *patrocinii ac auxilii* Deiparae Virginis, Patribus ac Liturgia praesertim byzantina corroborata, exponatur ad consolationem populi christiani, qui « Ecclesiam Silentii » constituit, et ad admonitionem omnium christifidelium, ut in Protectione, Patrocinio ac Auxilio Deiparae Virginis prosperitatem Ecclesiae ac salutem populi christiani sperent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Oratio ad SS. Dei Genitricem,* Assemani, III, 577 B). [2] (*Oratio ad Dei SS. Genitricem,* Assemani, III, 543 C). [3] (*Oratio ad Deiparam,* Assemani, III, 532 A). [4] (*Sermo in Praesentatione SS. Deiparae, MG* 98, col. 307 D). [5] (*Sermo in Dormitionem B. Mariae, MG* 98, col. 307 D). [6] (*Oratio ad B.mam Virginem ante Missae celebrationem*). [7] (*Ad Matutinum in festo B. M. V.* die 2 iulii). [8] (*in orationibus eiusdem festivitatis*). [9] (*Stichirion Festivitatis Patrocinii B. Virginis*). [10] (*Stichirion eiusdem Festivitatis*).

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis communicat exitum secundae suffragationis.

Secretarius generalis: Lego secundam suffragationem faciendam. Exitus proxime dabitur primae. Suffragationi Patrum subiicitur textus qui sequitur: pag. 34, n. 13 (qui est novus numerus, ut scriptum est): « Ad populum Dei cuncti vocantur homines. Quapropter hic populus, unus et unicus manens, ad universum mundum et per omnia saecula est dilatandus, ut propositum adimpleatur voluntatis Dei, qui naturam humanam in initio condidit unam, filiosque suos, qui erant dispersi, in unum tandem congregare statuit... ». Et reliqua usque ad pag. 35, ad verba: « Ad hanc igitur catholicam populi Dei unitatem, quae pacem universalem praesignat et promovet, omnes asciscuntur homines, ad eamque variis modis pertinent vel ordinatur sive fideles catholici, sive alii credentes in Christo, sive denique omnes universaliter homines, gratia Dei ad salutem vocati ».

Dicatis ergo, Patres, utrum placeat an non placeat hic textus.

Rogamini, Patres venerabiles, ne sedes vestras relinquatis, quia etiam aliae duae suffragationes incumbunt. Gratias.

4

Exc.mus P. D. PETRUS CANISIUS VAN LIERDE
Episcopus tit. Porphyriensis

Patres venerandi,
Auditores, Auditrices et Fratres separati,

Praetermissis textus valde boni elogiis, brevis interventus in duas dividitur partes. Prima pars versatur circa titulum huius praeclari capitis, altera vero circa nonnulla doctrinae complementa textui utiliter inserenda.

De titulo.[1] Praesens titulus genuina doctrinae puncta utique tradit, verumtamen nimis est longus et relationis cardinem Mariam inter et Ecclesiam non adsignat, mentes et corda non tangens neque apprehendens.

Unde duo alii tituli proponuntur quorum primus potius reassumptio est tituli Concilio propositi iam anno elapso « *De Maria Sanctissima Ecclesiae Matre* », alter vero titulus « *De Maria Sanctissima omnium credentium Matre* ».

Quantumvis Maria Virgo in Ecclesia exstet supereminens membrum primus titulus eligitur ac utitur hoc praeciso sensu: Ecclesia constat ex Capite et membris; B. Virgo Maria reapse est Mater Capitis et simul Mater membrorum, i. e., credentium in Christo.

Hic titulus praefato usitatus sensu proponitur ab rationes sequentes:

1. Ante Ecclesiam B. Maria Virgo creata est: *praecessit.*[2]

2. Ecclesiae praecessit B. Maria Virgo ceu Ecclesiae *typus* duplici quidem modo, ...[3] gratiis *et* muneribus Eidem a Deo concessis. *Gratiis* exstat typus Ecclesiae in ordine fidei, caritatis et perfectae cum Christo unionis, *muneribus* Maria Ecclesiae *ut*[4] *typus* exstat tum Virginis tum Matris exemplar praebens electissimum.

3. Maria a Deo electa reapse concurrit ad ipsius Ecclesiae nativitatem et quidem in tribus huius nativitatis momentis, videlicet, in Annunciatione, i. e., Incarnatione, in morte Christi crucifixi Novi Adami et in die Pentecostes.

4. B. Maria Virgo *membrum in Ecclesia supereminens simul tamen*[5] concurrit et cooperata est *et adhuc cooperatur*[6] ut fideles in Ecclesia nascerentur...[7]

5. B. Maria Virgo iam in caelis anima et corpore glorificata tandem *imago et initium* est Ecclesiae in futuro saeculo consummandae...[8]

6. Auctoritas Summi Pontificis Pauli VI, feliciter regnantis...[9]

Sin autem iste titulus minus placeret, altero modificetur titulo, videlicet: « *De Maria Sanctissima, omnium credentium Matre* ».

Alter hic titulus cuius sensus ipsis...[10] verbis luculenter adsignatur sequentibus fundatur rationibus:

1. B. Maria Virgo in praesenti capite...[11] passim introducitur ceu *fidelium* omnium matrem, i. e., genuina Mater fidei nostrae et ascensionis nostrae in Deum...[12]

2. Idem titulus Concilii adspectum *oecumenicum* plane fovet eo quod Maria etiam Mater exstat fidei fratrum separatorum.

3. Tandem idem titulus Concilii adspectum *missionarium* utique nutrit eo quod Maria in *Genesi* fidei *omnium* hominum nondum in Christo regeneratorum materno amore concurrit et cooperatur.

Pars altera: Doctrinae complementa...[13]

1. In textu, pag. 199 et 200, ubi agitur « de Maria in Annuntiatione » non adsignatur virginitatis *propositum* in Maria, certo iam existens ante Archangeli Gabrielis adventum seu nuncium. Schematis textus virginalem conceptionem B. Mariae Virginis *cognoscit*[14] sed valde commendanda *videtur*[15] heic insertio de Mariae virginitatis *proposito* ubi speciatim adspectus liberi ac personalis consensus Mariae adsignatur de quo Redemptoris et salutis adventus dependebat tamquam a conditione ut ait Ecclesiae Doctor S. Bernardus *Claravallensis.*[16]

2. Ubi textus loquitur de B. Maria Virgine et Iesu Infante, ...[17] sermo habetur de iis quae acta sunt usque ad eventum Iesu pueri in templo deperditi inclusive, ast nil edocemur de reali Mariae influxu materno in efformatione humana Christi Hominis neque de influxu Christi identidem reali in efformanda semper augendaque Matris suae sanctitate, eam pedetemptim a participatione Incarnationis mysterii ducens ad participationem mysterii redemptionis. Ad hanc Filium inter et Matrem duplicem efformationem — Iosepho *Sancto* [18] minime excluso — fere omnis Nazarethana periodus iuxta exegetas principes est dedicata...[19]

3. Nil etiam textus conciliaris edicit de magno, secreto, efficaci Virginis influxu in Ecclesiae primitiis nisi allusio brevis ad eius preces quibus Ecclesiae adstitit. Etiam heic concors doctorum opinio enunciat Mariam Ecclesiae primitias magnopere adiuvasse etiam integerrima sua vita quae fuit purissimum Evangelii speculum et suis consiliis sapientissimis...[20]

4. Schematis textus etiam fere silet de cooperatione Mariam inter et Spiritum Sanctum quae cooperatio non abrumpitur post Christi nativitatem simul exstans exemplar nostrae in Deum ascensionis nostrique ardoris apostolici. Unde humiliter propono hanc veritatem clare enunciare sub finem textus (pag. 207, linn. 21-23) ita ut non solum « post ipsam (*i. e. Mariam* [21]) ardorem apostolicum pro gloria Filii sui et mundi vita incunctanter expleamus », sed etiam ipsa in Spiritu Sancto auxiliante seu adiuvante.

Ultimo.[22] Plurima heri *ac mane* [23] de Mediatione B. Mariae Virginis audivimus. Theorico sermone praetermisso liceat saltem pastoralem animadversionem proferre ex sincera quantumvis humili experientia depromptam.

Quotiescumque Mediationis Christi et B. Mariae Virginis doctrina coniungebatur cum doctrina cooperationis inter Christum Novum Adamum, verum Deum et verum Hominem, et Mariam, Novam Hevam, veram creaturam a *Deo* electam, totiescumque expertus sum christifideles mediationis doctrinam plane intellegere absque ulla confusione fratresque separatos non fuisse offensos immo intimius penetrare in oeconomia salutis, a Iesu Salvatore iuxta psychologiae humanae leges perfecte ordinatae.

Spiritus Sancti gratia efficiat ut neque doctrina de Novo Adamo et Nova Heva neque doctrina de Mediatione ex conciliari textu expungatur sed potius ut ex utriusque comparatione assidua sola Dei veritas novis splendoribus christifideles illuminet sicut etiam in Christo dilectos separatos fratres. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Prima pars: cap. VIII titulus. [2] « in mysterio enim Ecclesiae... B. M. V. praecessit » (textus emendatus, pag. 203, linn. 21-23); « ex Maria videtur prodiisse Ecclesia (Ps. Damianus Petrus, *Sermo* 63, ibid. citatus pag. 215, linn. 12-13). [3] videlicet. [4] deest. [5] « supereminens prorsusque singulare membrum in Ecclesia » simul autem. [6] deest. [7] (Textus emendatus, pag. 198, linn. 2-3, citans S. AUGUSTINUS, *de S. Virginitate* 6, *PL* 40, 399). [8] (Textus emendatus pag. 206, linn. 16-18). [9] hoc titulo nonnullis in sermonibus utentis (die 11 oct. 1963; die 27 maii 1964), immo votum exprimentis S. Mariam praesentibus Concilii comitiis Ecclesiae Matrem proclamandam (die 4 dec. 1963). [10] tituli. [11] VIII. [12] (textus emendatus, pag. 198, linn. 16-17; pag. 202, linn. 6-7; pag. 202, linn. 24-25; 31-32; pag. 203, linn. 32-33) et quidem recte ut verbis S. Pii X mutuer: « in uno igitur eodemque alvo castissimae matris et carnem Christus assumpsit et spirituale simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum qui credituri erant in eum » (Litt. Enc. *Ad idem illum*, 2 febr. 1904). [13] textui utiliter inserenda. [14] aliunde proclamat (textus emendatus, pag. 200, linn. 21-22; pag. 203, linn. 27-28). [15] deest. [16] (*Homilia 4 super « Missus est »*). [17] (pag. 200, linn. 19-42). [18] deest. [19] (cf. LAGRANGE, *L'Evangile de Jésus-Christ*, Paris 1930, p. 49). Indeque subtitulus sic compleatur: De B. Virgine et Iesu infante et iuvene. [20] En actuositatis Matris Consilii radices in sacra revelatione fundatae: eius puritas immaculata qua singulari modo Deum videre potuit; Spiritus Sancti adumbratio Mariam claritate sua illuminans; Christi sapientiae increatae sed incarnatae perlunga instructio; Mariae cum Christo eximia compassio qua in reconditas divinae providentiae vias atque leges singulariter penetrare valuit; Sancti Spiritus pentecostalis descensus igneis linguis etiam Mariam uberrime illuminans et accendens; tandem Mariae longaevitas quae suam sapientiam summopere adauxit simulque in iuvenem Ecclesiam irradiabat. [21] deest. [22] 5. [23] deest.

5

EXC.MUS P. D. IOSEPH GAWLINA
Archiepiscopus tit. Madytensis

Venerabiles Patres, illustrissimi Hospites,

Honori mihi duco verba proferre nomine episcopatus Poloni et emigrationis Polonae.

Litterarum Encyclicarum *Ecclesiam suam* a Spiritu Sancto inspirata verba sancti Patris Pauli VI f. r. de B.ma Virgine Maria incitaverunt episcopos Polonos ad mentem iterum aperiendam eo vel magis quod praefatae laudationes Matris et Reginae nostrae aptissimae nobis videntur ad ostendendum, quod Deiparae privilegia et debitus cultus non modo non est obstaculum, sed potius efficax *medium* ad oecumenismum, i. e. ad christianorum unitatem reparandam.

Sequendo vestigia B.mi Patris dicentis quod in sanctissima Virgine

Maria, Christi Genitrice, atque adeo Dei hominumque Matre, absolutissimum christianae perfectionis exemplum, germanarum virtutum speculum, atque humanae naturae prodigiale specimen admiramur, liceat nobis humillime profiteri, quod B.ma Maria Virgo specimen et exemplar, idealis forma hominis perfecti ad mentem Dei Creatoris et Servatoris est et effigies hominis, uti eum Deus voluit et Sibi ab initio proposuit.

Cultum B.mae Mariae Virginis non esse impedimentum sed potius incitamentum, immo viam unitatis Sanctae Ecclesiae Dei cum fratribus separatis, et ideo pontem ad verum oecumenismum, ex eo patet, quod vera unitas et authenticus oecumenismus in *caritate* fundatur.

Docent enim Sancti Ecclesiae Doctores, ut Augustinus et Thomas Aquinas, unionem nihil aliud esse *nisi effectum amoris*.

Iam vero fons omnis amoris supernaturalis, seu caritatis est sine dubio ipse Salvator noster Iesus Christus, utpote Verbum Dei. Ipse enim pro nobis est « Via, Veritas et Vita ».

Cum vero Maria Mater Christi sit, nullum potest esse dubium, illam esse pontem et viam, per quam Christus in nostrum mundum ingressus est et per quam etiam omnes homines ad Christum redire oportet.

Per illam venit « Lumen, quod in tenebris lucet », lumen quod ardet caritate, illa, inquam caritate quae: « diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum Sanctum, qui datus est nobis ».

Iam durante sua terrestri vita caritas B.mae Mariae Virginis simul cum ipsius humilitate causa fuit, quod Verbum Dei « respexit humilitatem Ancillae suae » et incarnatum est.

Caritas Mariae erga proximos causa fuit, quod Christus primum miraculum operatus est. In cruce, consummando suam vitam terrestrem, dilectissimum discipulum suum, et per ipsum totam Ecclesiam B. Virgini commisit ut sit mater eiusdem Ecclesiae, « Ecce Mater Tua ».

Mater haec sanctissima non est igitur impedimentum sed potius pons et via ad verum oecumenismum.

Hoc insuper confirmatur facto, quod non solum fratres orientales (de quibus optime locutus est exc.mus Sapelak), et etiam separati Mariam maximo cum zelo colunt, sed etiam ipse fundator protestantismi plura de Maria magna cum devotione scripsit. « Creatura Maria non potest satis laudari », scripsit anno 1533.

In expositione sua de hymno « Magnificat », Martinus Lutherus asserens quod Maria nos omnes non ita ad se, sed ad Deum solum ducere vult, scripsit: « Quid enim Mariae gratius accidere potest quam ut hoc modo per *Eam* ad Deum veneris et ab Ea didiceris Deo credere et sperare — etiamsi contemneris et pro nihilo putaveris ... in vita aut morte ... Maria non vult, ut ad Eam, sed per Eam *ad Deum* venias ».

« Precemur igitur a Deo — concludit Lutherus suam expositionem — rectam comprehensionem hymni Magnificat, ut non solum luceat et loquatur sed etiam urat et vivat in corpore et anima, quod nobis concedat Christus per preces et voluntatem dilectissimae Matris suae Mariae »...[1]

Maria vult nos iuvare nobisque prodesse; unde eiusdem privilegia pro salute mundi. Ista est mater pulchrae dilectionis et sanctae spei, ideoque signum unitatis nostrae.

Liceat mihi argumentum ab actuali vita depromptum adiungere.

In Unione Sovietica commorantes valde admirati sumus Orthodoxorum erga B.mam Virginem tenerum amorem. Hic communis spiritus marianus splendidum praestitit pontem et vinculum fraternitatis indigenas orthodoxos inter et nos catholicos exsules. Orthodoxi a nostris sacerdotibus etiam Sacramenta expetierunt, quo modo iam tempore belli sanum oecumenismum practicavimus.

Neque omittendum censemus quod inimicos Iesu Christi in terris ab atheismo oppressis nuperrime contra manifestationes et peregrinationes marianas et *contra*[2] sanctuaria Deiparae saevientes videmus, quia devotio et cultus marianus principibus, potestatibus et rectoribus huius mundi omnino displicet. Cuius invidiae ratio est quod Maria homines ad Christum ducit ideo oecumenice agit.

Concludo votum meum verbis nuperrime ab eminente pastore lutherano Varsaviae prolatis, nempe: « Maria docebit nos et vos meliorem comprehensionem Iesu Christi ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (a. 1521). [2] deest.

Secretarius generalis: Communico exitum primae suffragationis circa cap. II:

Praesentes votantes	2.210
Dixerunt *placet*	2.173
non placet	30
placet iuxta modum	3

(Sed haec suffragia pro nunc sunt nulla; nam formula pro singulis partibus est tantum *placet* et *non placet;* tertia formula adhibebitur tantum cum caput integrum suffragationi subicietur).

Et suffragia nulla	4

Quapropter haec pars cap. II approbata est.

Et nunc lego suffragationem tertiam de cap. II. Videatis pag. 35,

n. 14, a latere dextero: « Ad fideles ergo catholicos imprimis Sancta Synodus animum vertit. Docet autem, Sacra Scriptura et Traditione innixa, Ecclesiam hanc peregrinantem necessariam esse ad salutem... ». Et reliqua, usque ad pag. 38, ad verba: « Quapropter ad gloriam Dei et salutem istorum omnium promovendam, Ecclesia, memor mandati Domini dicentis "Praedicate Evangelium omni creaturae", missiones fovere sedulo curat ».

Respondeatis ergo, quaeso, Patres: *placet* an *non placet.*

6

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JAEGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Em.mi et rev.mi Patres,

Caput in genere placet. Liceat mihi tamen quasdam emendationes proponere.

I. Breviter solummodo significatur relatio B. Virginis ad Spiritum Sanctum, quae in traditione tantopere exaltatur. Ideo propono textum de hac materia addendum, et quidem rationibus quae sequuntur:

1. Maria etiam ideo est typus Ecclesiae, quia est sacrarium Spiritus Sancti. Quodsi Spiritus Sanctus testante Scriptura iam omnibus vivis Ecclesiae membris quasi templis suis tam intime inhabitat ...[1], ut ipse in eis oret gemitibus inenarrabilibus ...[2], multo magis ipsa B. Virgo ut Ecclesiae nobilissimum membrum est templum animatum Spiritus Sancti. Quare Patres praesertim orientales magnopere in hac ratione insistunt, proclamantes B. Virginem novam arcam, super quam Spiritus Sanctus descendit et in qua inhabitat ...[3] vel Spiritus Sancti intimum cubiculum ...[4] vel altissimum singulareque eius templum. Quibus Patrum testimoniis sacra Liturgia concordat ...[5]. Et quia tam tota Ecclesia quam B. Virgo ut Ecclesiae typus animantur a Spiritu Sancto, ideo utraque vocatur « columba Dei », quod nomen ambae a Spiritu Sancto acceperunt.

2. Ecclesia accipit supernaturalem suam essentiam et subsistentiam a Spiritu Sancto tamquam a sua anima et ab increato unitatis suae principio. Cum autem Maria sit typus et exemplar Ecclesiae, exinde deducitur B. Virginem modo analogo coniunctam et unitam esse cum Spiritu Sancto. Haec coniunctio sequitur ex maternitate B. Virginis. Illa enim Spiritus Sancti operatio, qua Maria efficitur mater Filii Dei ...[6], implicat propriam relationem Virginis ad Spiritum Sanctum, qui ratione proces-

sionis suae ex Filio donatur speciali modo B. Virgini. Ita Mater Filii Dei singulariter fit res propria Spiritus Sancti, et haec personalis eius relatio significatur per voces « templum » vel « sacrarium Spiritus Sancti ». Et sicut Ecclesia animatur et vivificatur a Spiritu Sancto, ita etiam Maria est organum praedilectum Spiritus Sancti, a quo etiam nomen et notam personalem accepit...[7]

3. Relatio B. Virginis ad Spiritum Sanctum de novo demonstrat quomodo Maria ex una parte ut Mater Dei per Spiritum Christo est intime coniuncta et super omnes alios homines exaltata, ex alia autem parte cum ceteris fidelibus ex gratia Spiritus Sancti est apta et singulariter fidelis ancilla Domini...[8]

4. Ex dictis iam sequitur responsio ad obiectionem, quam plures fratres a nobis separati movent dicentes, doctrinam catholicam plane et penitus tribuere B. Virgini illum locum, quem sacra scriptura soli Spiritui Sancto attribuit. Secundum Scripturam enim neminem nisi per Spiritum Sanctum venire ad Christum, cum catholici nil communius haberent quam illud effatum: neminem nisi per Mariam venire ad Iesum...[9]

Respondemus dicendum: effatum illud « per Mariam ad Iesum » modo positivo et non exclusivo a catholicis exhiberi ...[10]. Deinde huius effati recta intelligentia iam in schemate declaratur, quae tamen intelligentia adhuc magis illustratur per relationem B. Mariae Virginis ad Spiritum Sanctum.

His rationibus permotus propono textum brevem inserendum ...[11] pag. 204, post lin. 3: « Maria insuper est typus Ecclesiae, inquantum animatur et vivificatur et dirigitur a Spiritu Sancto, qui Matrem Filii Dei speciali plane modo sicut templum altissimum vel sacrarium sibi dedicatum inhabitat. Idem enim Paraclitus Spiritus, qui Ecclesiae est anima et omnes Corporis ...[12] Christi partes cum excelso Capite Christo ineffabili modo coniungit, cum sit Spiritus Filii seu Spiritus Christi ...[13], Virginem Matrem singulariter cum Christo coniungit eamque hoc etiam modo exemplar Ecclesiae constituit ».

II. *Pag. 197, linn. 22-24* verba « et Filio suo sublimiore modo redempta » mutentur in hanc formam: « A Filio suo in unico salutis opere sublimiore modo redempta ». *Ratio*: iam indicatur in relatione pag. 210 sub littera B, ne ipsa extra ordinem redemptionis censeatur. Haec ratio adhuc clarius exprimi potest. Sensus est, ut B.M.V. sublimiore modo fructus vel effectus redemptionis particeps facta est, sicuti apparet praesertim in Immaculata Conceptione.

III. *Pag. 207, linn. 8-11* usque ad verba « desideria » mutentur in hanc formam: « Virgo igitur fidelis intercedat apud Filium suum, ut

ipsa per Spiritum Sanctum augeat in nobis fidem et spem futurorum bonorum. B. Virgo exemplo suo nos erigat ad caelestia desideria etc... ». *Ratio*: quod iam in textu schematis per verba « intercessione sua » significatur, per novam formulam propositam solummodo clarius illustratur, cum fides et spes sint virtutes theologicae, quas solus Deus gratia Christi per Spiritum Sanctum augere potest. Et hoc modo adhuc strictius respondemus obiectioni illae fratrum separatorum supra memoratae, nos tribuere B.mae Virgini locum, quem scriptura sacra Spiritui Sancto attribuit.

IV. *Pag. 206, lin. 7* ante verbum « Meminerint » inseratur textus: « Sacra de B. Virgine doctrinae expositio eiusque praedicatio ac Deiparae cultus spiritum oecumenicum ducant ...[14] et praesertim etiam vetustas orientalium Ecclesiarum traditiones arcessant ». *Ratio*: quae in schemate *de Oecumenismo* sub nn. 10 et 11 dicuntur hic non debent praetermitti, cum iam fundamentum aliquod praebeant eorum, quae in schemate nostro in n. 56 sub littera B dicuntur. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*1 Cor.* 6, 19). [2] (*Rom.* 8, 26). [3] (ANDREAS DE CRETA, *Oratio V in Deiparae Annuntiationem, MG* 97, 896). [4] (IOANNES DAMASCENUS, *Oratio I in Nativitatem B. M. V., MG* 96, 676). [5] (v. g. *Oratio in festo Imm. Cord. B. M. V.* die 22 aug. celebrando). [6] (*Lc.* 1, 35). [7] MATTHIAS IOSEPH SCHEEBEN, *Handbuch der katholischen Dogmatik*, 5. Buch, § 240 b, n. 771 und § 276, n. 1612; ed. Herder Freiburg 1925, Band III, S. 90-92 und S. 503-504. [8] Ita SCHEEBEN, *l. c.*, n. 1613, S. 504. Hic praeclarus theologus demonstrat B. Virginem recte vocari sponsam Filii, filiam Patris et templum Spiritus Sancti. [9] cf. G. EBELING, *Zur Frage nach dem Sinn des mariologischen Dogmas*, in *Zeitschrift für Theologie und Kirche*, Jg. 47 (1950), S. 387: « Aber doch: es bleibt die Hintereinanderschaltung dieser beiden Sätze: Niemand kommt zum Vater denn durch Christus. Niemand kommt zu Christus denn durch Maria. Erinnert man sich an entsprechende neutestamentliche Aussagen, so wird man feststellen müssen, dass hier Maria an die Stelle des Hl. Geistes gerückt ist ». [10] cf. *Ad diem illum*, PII Pp. X: *A.S.S.*, 36 (1904), pp. 451-452. [11] v. g. [12] mystici. [13] (cf. Enc. *Mystici Corporis*, ed. Herder Freiburgi Brisgoviae 1947, pp. 56-58). [14] (vel: sensum oecumenicum spirent).

7

EXC.MUS P. D. ALFREDUS ANCEL
Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres,

Scopus huius orationis est ut unanimia hoc caput a Concilio suffragia obtinere possit.

Etenim haec unanimitas maximi momenti est. Non ignoramus aliquos

affirmasse Patres Concilii non eamdem devotionem erga Virginem Mariam profiteri, quod evidenter non est veritati consentaneum. Sed tales affirmationes, etsi falsae, maximum detrimentum afferre possunt devotioni fidelium. Attamen non minus evidens est adesse aliquam diversitatem de modo quo prosequimur studium doctrinale necnon cultum Virginis Mariae.

Vellem ergo petere a Vobis, venerabiles Patres, ut attente notetis modum quo apparatus est textus huius capitis. Ita enim apparatus est ut communem doctrinam de Maria Virgine prae se ferat quin auxilium afferat determinatis opinionibus theologorum. Insuper apparatus est ut ianua non claudat ulteriori inquisitioni.

Unum exemplum afferam. Quando agitur in n. 54 de Maternitate Mariae in oeconomia gratiae affirmatur doctrina communis de munere eius in annuntiatione, sub cruce et in consummatione electorum, necnon de multiplici intercessione eius, et dicitur: « Propterea B. Maria Virgo in Ecclesia, praeter quam aliis, etiam titulo mediatricis condecorari consuevit ». Haec verba debent sensu stricto accipi; nullo modo constituunt approbationem huius tituli, neque reiciunt hunc titulum. Ianuam relinquunt apertam. Sed immediate additur: « Quod tamen ita intelligendum est, ut dignitati et efficacitati Christi unius Mediatoris nihil deroget, nihil superaddat ».

Fateor, Patres venerabiles, quod in hoc puncto mutavi sententiam meam. Quondam enim putavi hanc doctrinam posse ab Ecclesia doceri. Sed studio attentius peracto, mihi visum est hanc doctrinam adhuc nimis difficultatibus obnoxiam esse ut possit a Concilio doceri. Personaliter maluissem neque de hoc nomine agi et hoc propter rationes a pluribus et specialiter ab em.mo card. Bea propositas. Sed acquiesco nostro textui pro bono unitatis. Unice petam ut alii tituli explicite nominentur ne forte unica designatione, quasi canonizaretur hic titulus mediatricis, quod certe non conveniret. Etenim de facto quandoque ita affirmatur haec mediatio Mariae ut timorem verum nobis afferat cogitationis erroneae circa mediationem solius Mediatoris Christi. Certissime melius esset si aliud nomen magis aptum inveniri posset. Sed speramus ulteriores inquisitiones omnem speciem erroris excludere. Propterea puto textum nostrum ab omnibus approbari posse et vehementer exopto quod unanimi voto, unanimem nostram devotionem erga Virginem Mariam exprimamus. Dixi.

Textus scripto traditus:

Scopus huius orationis est ut *unanimiter* hoc caput a Concilio suffragia positiva obtineat.

Etenim haec unanimitas maximi momenti est. Non enim ignoramus aliquos

affirmasse Patres Concilii non eandem doctrinam neque eandem devotionem erga Virginem Mariam profiteri. Quod non est veritati consentaneum sed maximum detrimentum afferre potest devotioni fidelium.

Non tamen possumus negare aliquam exstare diversitatem inter nos, non quoad doctrinam aut quoad puncta essentialia cultus qui ei debetur, sed quoad modum proponendi doctrinam vel quoad puncta accidentalia huius cultus. Haec diversitas nullam debet excitare admirationem; nam certe servat unitatem in credendo et communem sensum devotionis erga B.mam Matrem Dei. Potius est signum tum diligentioris inquisitionis, tum accuratae vigilantiae. Attamen nullo modo Concilium assimilari debet scholae theologicae in qua libere discutiuntur opiniones neque auctoritatem suam praebere potest alicui opinioni potius quam alteri.

Quocirca textus noster mihi videtur vere conciliaris. Communem enim doctrinam praebet et communes progressus qui ab omnibus admittuntur, introducit. Ita tamen apparatus est ut orientationes quidem positivas ad ulteriorem inquisitionem prae se ferat, quin tamen portam claudat determinatae inquisitioni.

Certe potest ad meliorem redactionem adduci emendationum gratia; attamen mihi videretur omnino optandum ut textus nobis propositus unanimiter *admitteretur tanquam basis* disceptationis atque unanimiter probaretur quando denuo a commissione suffragationi praebebitur cum debitis emendationibus. Haec unanimitas enim et signum communionis nostrae in eadem doctrina et signum communis devotionis nostrae erga B.mam Virginem Mariam, Matrem Salvatoris nostri Dei atque Matrem nostram.

Unde mihi optimum videretur si diversae orationes modo vere positivo afferrentur ita ut meliorem textum redderent, tali tamen modo ut ab omnibus Patribus approbari possent.

8

Exc.mus P. D. VILLELMUS KEMPF

Episcopus Limburgensis

Caput de B. Virgine tum quoad contentum generalem tum quoad locum, quem in toto schemate obtinet, necnon quoad aspectum *christologicum* placet.

...[1] Eo autem, quod hoc caput finis sit et corona totius schematis *de Ecclesia,* aspectus *ecclesiologicus* intensius ac pressius *adlaboretur oportere videtur.*[2] Liceat ea de re proponere quae sequuntur:

1. *Quoad n. 52* ...[3] In isto prooemio, et quidem in paragrapho, *cui*[4] titulus est « De B. Virgine et Ecclesia », nexus inter B. Virginem et Ecclesiam pressius insinuetur, et quidem eo sensu, qui evolvitur in n. 54.

2. *Quoad n. 53.* Cooperatio B. Virginis in oeconomia salutis, quae in isto numero modo historico et quasi biographico describitur, indigere videtur ulteriore interpretatione theologica quoad indolem suam ecclesiologicam.

3. Quoad n. 54, paragraphum « *De Maria, Ecclesiae typo ut Virgine et Matre* ». In hac paragrapho exspectatur imprimis declaratio, *quonam sensu et ambitu B. Maria Virgo typum Ecclesiae exhibeat*: Utique eo tantum sensu, quo Ecclesia in sua unione inseparabili et mystica cum Christo nihilominus contradistinguitur Christo, qui est principium et ideo elementum principale Ecclesiae, dum *coetus fidelium fungitur elemento complementorio*: puta igitur eo sensu, quo membra corporis mystici contradistinguuntur capiti, quo palmites contradistinguuntur viti, quo lapides vivi contradistinguuntur lapidi angulari, quo Nova Heva contradistinguitur Novo Adam, quo sponsa contradistinguitur sponso; *uno verbo*: eo sensu, quo Ecclesia contradistinguitur Christo tamquam eius « pleroma » *secundum verba S. Pauli in Epistola ad Ephesios in capp. I et III.*[5]

In figura et persona B. Virginis Mariae modo admirabili fulgent omnia elementa Ecclesiae tamquam sponsae a Christo-Sponso redemptae et sanctificatae, et quidem *tum ea elementa, quibus indiget Ecclesia uti sponsa adhuc in terra peregrinans,* (puta eius fides ad salutem necessaria, eius spes viva, eius fervida caritas, eius erga Patrem caelestem filialis oboedientia et similia); *tum etiam dignitas et pulchritudo, quae manent Sponsae Ecclesiae in consummatione eschatologica*: Ecclesia caelestis erit enim reapse etiam Sponsa « sine ruga et macula », Sponsa sancta, Sponsa immaculata, Sponsa « gratia plena », sponsa participans victoriam et gloriam paschalem Sponsi, qui a mortuis resurrexit.

4. Quoad n. 56 ...[6] Quoad ultimam paragraphum huius capitis, quae totum schema *de Ecclesia concludit,* verba graviora et vere conclusiva *forsan*[7] desiderantur.

Commendandum esse videtur verbum facere de pericopa *in Apocalypsi S. Ioannis in cap. 12*[8] ubi describitur « *Signum Magnum* » in caelo apparens.

Haec pericopa, quamvis difficilis intellectu et interpretatione, tamen elementa quaedam aptissima continere videtur, quibus schema concludi et comprehendi posset: nempe elementum *christologico messianicum,* elementum *ecclesiologicum,* elementum *eschatologicum* necnon elementum *mariologicum.*

Quidquid sit de explicatione scientifica *istius*[9] textus ipse nexus inter mysterium *Ecclesiae Matris et Sponsae* et *B. Mariam Virginem Deiparam,* Sponsam Verbi, sine dubio haud obscure apparet, uti Patres testantur. Proinde, hac pericopa adhibita, Ecclesia *appareret atque fulgeret*[10] tamquam *Signum Magnum Salutis,* quae idea totum nostrum schema modo tam frugifero imbuit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ex. [2] elaboretur oportet. [3] (Prooemium). [4] cuius. [5] (cf. *Eph.* 1, 23; 3, 19). [6] (conclusionem). [7] deest. [8] *Apoc.* 12, 1 ss. [9] deest. [10] apparet atque fulget.

Moderator: Faveant Patres ad loca sua redire ut procedi possit ad quartam suffragationem.

9

EXC.MUS P. D. BONAVENTURA LEO DE URIARTE BENGOA

Episcopus tit. Madaurensis, vic. ap. S. Raimundi

Em.mi ac exc.mi Patres, dilecti Observatores et Auditores,

Quotidie ad incipiendam sessionem huius Sacrosancti Concilii reponitur cum magna sollemnitate in throno altaris « *Sanctum Evangelium* » ut ita ante oculos habeamus « *Verbum Dei* » quod est fons et origo, basis et fundamentum praecipuum, ideoque argumentum essentiale atque imprescindibile a quo non possumus deviare, omnium disceptationum nostrarum, atque ita simus authentici interpretes veritatis quam continet Verbum Dei, in quo est salus, vita et resurrectio nostra.

Propterea ad loquendum de S. Maria Virgine videtur mihi, debere inniti in argumento unico et essentiali dato a Spiritu Sancto, saepe saepius: *Maria Mater Iesu.* Ergo Maria Mater Iesu est Mater Messiae, Mater Verbi Incarnati, Mater Redemptoris, Mater Mediatoris, Mater Salvatoris, Mater Christi, Mater Dei. Quae omnia sunt de fide, non ita autem quod sit Mater Ecclesiae, neque Mater Hominum, neque Mater Mysterii Ecclesiae, neque Mater Mystici Corporis, quae quidem quamvis certissima sint sed quia prima est Maria: Mater Iesu.

Attamen in universo cap. VIII de B. Maria Virgine Deipara, bis tantum ni fallor, adducuntur haec verba Spiritus Sancti et non ut argumentum sed ut facta tantum. *Cum sit omnis honor, gloria ac fundamentum dicendorum de B. Maria Virgine dato a Spiritu Sancto.*[1]

Agitur *enim*[2] de Iesu historico qui natus est in Bethleem cuius Mater Maria de qua natus est Iesus, qui vixit in Nazareth cum Maria et Ioseph parentibus eius et erat subditus illis. Qui praedicavit Evangelium suum secutus ab apostolis quos elegit, et etiam a mulieribus quae secutae sunt eum a Galilaea usque ad Calvarium ubi stabat iuxta crucem Iesu Mater eius cum mulieribus. En norma vitae christifidelium: sequere Christum cum cruce usque ad Calvarium, i. e., cum sacrificio usque ad mortem.

Hic Iesus historicus quamvis mortuus est, resurrexit deditque disci-

pulis suis praesertim apostolis mandatum antequam ascenderet in Caelum, dicens: Docete omnes Gentes. Et ut scirent non esse mortuum sed in aeternum vivere, omnemque historiam amplectere et esse super historiam, subiunxit et ait: Ecce Ego vobiscum sum quotidie omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Ergo Iesus historicus adhuc vivit, vita vere historica et transcendentali in Caelo ad salvandas omnes gentes, pro quibus omnibus absque ulla exceptione venit in mundum et agit in mundo, nunc et semper, opus suum. Sic etiam Maria Mater Iesu, associata operi illius, sicuti quando erat vocatus Iesus, Filius Ioseph et Mariae. Hoc opus Iesu transcendens non desinit Maria neque in caelo, quia assumpta est in caelum, et Regnum Christi est etiam suum quia regnum sempiternum, et Maria semper et ubique est Mater Iesu, historici et viventis, sicuti etiam ipsa Maria est historica et vivens ad interpellandum semper pro nobis cum Christo Iesu.

Denique Maria Mater Iesu est nexus inter Vetus et Novum Testamentum, inter caelum et terram. Immo Maria Mater Iesu est filia dilectissima Patris aeterni, Mater amantissima Verbi Incarnati et sponsa dilecta Spiritus Sancti. Uno verbo: est sacrarium Ss.mae Trinitatis.[3]

Quando Deus *uno ac*[4] indivisibili Decreto praedestinavit Incarnationem *Filii sui Unigeniti*[5] propter nos homines et propter nostram salutem, decrevit etiam ut Maria esset cum suo libero consensu atque *Fiat,* Mater Iesu, i. e. Mater Verbi Dei Incarnati ac etiam Mater omnium hominum, i. e., mater vere et de facto oecumenica absque ulla exceptione, sed Maria constituta est etiam Mater praecipue Iudaeorum populi sui et praedilecti Dei, quia Ecclesia adhuc non erat fundata et quia cum Filio suo Iesu, ipsam postea fundavit. *Est ergo Maria Mater Ecclesiae sed non unice, quia est Maria*[6] Mater Iesu...[7] etiam Mater Orthodoxorum, Mater Protestantium immo Mater Mahometanorum et omnium hominum etiam non christianorum per omnia saecula quia Mater Iesu. Et sicut Iesus pro omnibus mortuus est ita Mater Iesu est omnium hominum Mater, sive fidelium sive infidelium.

Conclusio. Confiteri ergo cogimur omnes qui christiano nomine gloriamur, sive catholici, sive protestantes, sive orthodoxi sive omnes credentes in Verbo Dei quod saepe saepius nos docuit in sancto Evangelio, Spiritus Sanctus: Maria Mater Iesu. Ergo admittenda est de Maria Matre Iesu, ea omnia quae decent Deo, et reicienda ea tantum quae dedeceant Deo.

Ceterae conclusiones eruendae sunt ex hoc titulo fundamentali et unico dato Mariae Virgini ab ipso Spiritu Sancto: Maria Mater Iesu.

Forsan hic titulus posset esse huius cap. VIII de Maria Matre Iesu.[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] tamen. [3] deest. [4] aeterno et. [5] Verbi unigeniti Filii sui. [6] Sed. [7] est. [8] deest.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis secundae de cap. II schematis *de Ecclesia.*

Inter Patres votantes	2.202
Dixerunt *placet*	2.186
non placet	12
placet iuxta modum (suffragia nulla saltem pro hoc numero)	2
Et suffragia nulla simpliciter	2

Rogantur Patres suffragium exprimere per calamum magneticum nam si signum ponitur per alium calamum licet pretiosiorem, machina magnetica non operatur itaque labor gravior fit. Ergo, calamo magnetico qui praesto est in unaquaque sede. Et nunc lego quartam suffragationem faciendam.

Videatis pag. 38, n. 17: « Sicut enim Filius missus est a Patre, et Ipse Apostolos misit dicens: Euntes docete omnes gentes... Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi », et reliqua usque ad pag. 39, ad verba: « Ita autem simul orat et laborat Ecclesia, ut in Populum Dei, Corpus Domini et Templum Spiritus Sancti totius mundi transeat plenitudo, et in Christo, omnium Capite, reddatur universorum Creatori ac Patri omnis honor et gloria ».

Ergo *placet* an *non placet* hic textus? Suffragatio de integro capite, Patres venerabiles, fiet crastina.

10

Rev.mus P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O. P.

Venerabiles Patres,

Cum em.mo card. D. Radulfo Silva et pluribus aliis mihi placeret ut textus huius capitis de B. Virgine remaneat quoad substantiam prouti est, salvis quibusdam emendationibus, quae illud perficere possunt. Ratio est quia si fit aliqua additio vel omissio substantialis excitaret multo maiores difficultates quam illae quae ex textu praesenti oriri possunt.

Salva igitur huius textus substantia, vellem emendationem parvulam sed alicuius momenti proponere.

Secundum meum humile iudicium delenda est in n. 55 recommendatio facta praedicatoribus secundum quam [1] B. Virgo non est praedicanda aequalis Christo Filio suo quia haec recommendatio videtur inutilis, infundata et iniuriosa.

Mihi maxime placet quod Concilium hortetur « theologos verbique divini praecones, ut in singulari Deiparae dignitate consideranda sedulo abstineant ab omni falsa superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia », *sicut dicitur pag. 205.* [2]

Sed post hanc declarationem nemo non videt quod verba supra indicata sunt supervacanea, maxime si prae oculis habeatur universum hoc caput de B. Virgine indesinenter docere eamdem esse creaturam subditam Christo, a quo bona omnia, quae habet, accepit. Utquid igitur loqui iterum de hac re?

Insuper, verba illa non parum detrahunt existimationi, quae theologis verbique divini praeconibus debetur: schema enim eis directe alloquitur. Et nunc quaeritur: estne nunc aut fuit umquam theologus praecove divini verbi ullus, qui doceat aut docuerit B. Virginem esse Filio suo aequalem? Potestne rationabiliter timeri ne in futurum theologi aut verbi divini praecones audeant dicere rem adeo absurdam? Quare itaque eis commendatur ut recedant ab excessu, a quo iam ipsimet longissime absunt? Si autem Concilium velit monere de periculo ficto, id ipsum erit eidem dedecori. Immo haec agendi ratio aperto dissidet ab aliis verbis monitoriis eiusdem schematis. Nemo ignorat numerum imaginum esse alicubi reapse abusivum. Schema vero abusum eiusmodi tangit mitistimis verbis ...[3], quae nos ex corde laudamus. Quare ergo in hac re, multo graviori, adhibet verba quae necessario laedent quamplurimos filios Ecclesiae devotos?

Praeterea, expedit ut Concilium omnia mensuret et ponderet aequitate, ne Ecclesia universa detrimentum aliquod patiatur. Inde a pluribus saeculis nonnulli, ab Ecclesia catholica seiuncti, catholicos improbarunt, quia, ut illi dictitabant, B. Virginem facerent Christo aequalem. Ecclesia tamen non solum huiusmodi catholicos non corripuit, verum et eisdem animum addidit, ut melius in dies concinerent marianas laudes.

Nunc autem, quin evenerit quidquam novi, Concilium reassumit incriminationem illam et eo ipso fatetur eamdem niti veritate. Et sic demum non deerit qui ad extremam perveniat conclusionem, i. e., quod catholici plurimi a recta fide deviarunt per plura saecula, Ecclesia ipsa probante atque laudante deviationem illam, et quod solum nunc tandem in Concilio fit reditus ad genuinam fidei veritatem, quam retinuerunt illi christiani ab Ecclesia seiuncti. Si Concilium proclamat, ut aequum est laudeque dignum, nolle se theologorum dissidentes opiniones aut assu-

mere aut improbare ...[4], multo magis debet idem abstinere a qualibet specie consociationis cum illis criminatoribus theologorum, maxime cum ii parati sint ad sequendas sacri Magisterii normas...[5]

Memoria sunt digna ea quae olim scribebat S. Petrus Canisius: « quotusquisque tam tardus et crassus omnisque verae pietatis rudis et imperitus erit, qui ad precandam Virginem hoc animo accedat, ut Matrem Christo vel exaequet vel anteponat, neque plus fiduciae, dilectionis et reverentiae in Christo quam in sanctis omnibus collocandum putet? »...[6]

Haec ergo recommendatio non solum non favet oecumenismo sed nocet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In cap. VIII de B. Maria Virgine: *a*) delenda sunt ea quae dicuntur in n. 55, pag. 206, linn. 1-4, i. e. quod. [2] pag. 205, linn. 33-37. [3] (cf. cap. VII, n. 51, pag. 185, linn. 10-15). [4] (n. 52, pag. 198, linn. 17-22). [5] *b*) Propter easdem rationes delenda sunt verba quae theologos verbique divini praecones hortantur ut sedulo arceant quaecumque sive in dictis sive in factis fratres seiunctos in errorem circa veram Ecclesiae doctrinam inducere possent in re mariana (n. 55, pag. 206, linn. 5-7). Imprimis notum est omnibus fratres seiunctos orientales summo gaudio excipere quidquid in laudem B. Virginis fit, cum optime sciant illud fieri propter Filium suum atque in eundem redundare. Ergo fratres illi seiuncti, de quibus est sermo in schemate, non possunt esse nisi illi qui pertinent ad Ecclesias e sic dicta Reformatione ortas. Aliunde nemo ignorat quam arcte coniuncta sit cum protestantismo historia criminationis coaequandi B. Virginem cum Christo. Et ideo, in contextu, monitum hoc non offendendi fratres seiunctos in idem redit cum monito priore, de quo egimus. Quapropter eaedem rationes, quae allegatae fuerunt ad postulandam deletionem illius, ostendunt, quod oportet hoc alterum delere etiam. [6] (*De Maria Virgine incomparabili,* 5, 12, in Bourassé, *Summa aurea,* IX, 145-123).

Secretarius generalis: Communico exitum tertiae suffragationis circa cap. II.

Praesentes votantes	2.099
Dixerunt *placet*	2.048
non placet	48
placet iuxta modum	1
(votum nullum ut dictum est pluries).	
Suffragia nulla	2

Ergo etiam hic textus placuit.

11

EXC.MUS P. D. PRIMUS GASBARRI
Episcopus tit. Tennesiensis

Venerabiles Patres,

Quae praeclara ...[1] dicta audivimus a Patribus de Ecclesia Christi disceptantibus, manifesto enuntiant momentum ecclesiologicum, in hodierna Ecclesiae vita, B. Virgini tributum. Quocirca, dignum quod notetur, placitum est ipsum a Patribus expressum de schemate B. Virginis Ecclesiae Matris schemati Ecclesiae Christi, *intitulatione ipsa renuntiata,*[2] cooptando. Quod evenit. Verum si ecclesiologice B. Virgo consideretur dicenda est potius, utpote Ecclesiae membrum nobilissimum, filia Ecclesiae primogenita; christologice *solum*[3] considerata, ipsa, cum sit Christi physici et consequenter Christi mystici mater, mater dicenda est Ecclesiae. Nam maternitas Ecclesiae maternitatem Mariae appellat cum originem ex divina Verbi Incarnati maternitate *ultimo*[4] derivet. Quae ingeniose, saec. IX, forte primum, Paschasius Robertus expressit, affirmans Mariam esse « collum » mystici corporis ...[5]. Scil. persona et munus Deiparae nequeunt expediri si perpendantur *solum*[6] sub aspectu ecclesiologico, seu fundata mariologia appellat Christum totumque ordinem hypostaticum.

Eorum aliqui qui operam navant oecumenicam, sic dictum queruntur maximalismum in theologia mariali, quasi Maria ad omnium unionem cum Christo exstet murus seu obstaculum, praeferentes minimismum quemdam marialem ut cum fratribus variarum confessionum dialogus introducatur fructuosior et compositio partium tandem fiat in unum. His adducti oecumenicis rationibus inter ipsos catholicos non desunt qui de nonnullis capitibus Mariologiae non dogmatice definitis — puta B. Virginis mediationem eiusque in oeconomia salutis cooperationem — *velint silentium observare,*[7] obliviscentes motioni oecumenicae Mariam Ecclesiae Matrem numquam obfuisse sed profuisse semper. Iure igitur Ioannes XXIII fel. rec. in Constitutione Apostolica *Celebrandi Concilii Oecumenici* Mariam caelestem proclamans Concilii Patronam enixe *hortatur*[8] omnes ut fautricem christianae unitatis pro felici exitu Concilii precibus compellant.

His praemissis, quae sequuntur videntur dicenda.

1. Munus Ecclesiae praecipuum est integre fideliterque depositum fidei custodire et enuntiare. Quod, ne specie quidem, ordinem caritatis, quae dissentientibus debeatur, violare dici potest. Ad rei veritatem quod

attinet, historice demonstratur contrarium, nempe dogmaticis definitionibus marialibus, quae auspicatae cum Ecclesia unioni immerito adversae potuissent considerari, prolatis, motionis oecumenicae exsuscitatio subsequuta est, quia Mariae, orthodoxae fidei custodis et fautricis christianae unitatis, est omnium, quos materna genuit caritate, unionem perficere. Hoc evenisse profecto paucos post annos a dogmatica Immaculatae Conceptionis definitione et inde quasi immediate post in Caelum Assumptionem Mariae Virginis definitam, compertum est.

At, duabus doctrinis praedictis solemniter definitis, orta est in Ecclesia motio de universali gratiarum mediatione Mariae proclamanda. Tunc res per dispositum Pontificis considerata est, sed, propter dissensum inter commissiones theologorum, hinc hispanam et belgicam illinc romanam affirmantem certo probari non posse quae ab aliis de concursu immediato et directo Mariae ad opus redemptionis obiectivae et de sensu tribuendo propositioni asserenti dari nullum gratiae donum hominibus absque Virginis Mariae interventu directo vel indirecto, propter hunc dissensum, dico, res dilata est ad tempus opportunum.

Sed ...[9] nunc quaeri *posset* [10] an hoc tempus opportunum advenerit, quum, in documentis Concilio apparando editis, ad huius doctrinae proclamationem invocandam personet frequens *et quasi unanimis* [11] Episcoporum vox. Cui si aures praebeamus oportet, nemo, propter sibi propriam de oecumenismo opinionem, minus aequo motionem marialem plurimorum Ecclesiae Pastorum facere potest.

Quae proinde in pag. 202 s. schematis asseruntur, quasi tamen obiter et forte nimia quae exaggerata apparet circumspectione, de Maria Mediatrice, consensum nequeunt non obtinere. Immo motionem amplioris proclamationis tituli quo Maria dicitur condecorari haec suscitant.[12]

2. Doctrina mariana nunc suum obtinet locum in constitutione *de Ecclesia.* Id etiam confirmat quod dici consuevit *universam* [13] theologiam fieri ecclesialem, at forte imminet *ex hoc* [14] periculum in *alium conformandi tractatum de Ecclesia.*[15]

Suspicabar vero dici maiora dum, hinc inde in aula, doctrinalia argumenta, quae in specialibus tractationibus dogmaticis *offerendi mos est,*[16] quasi proponuntur pertinentia ad tractatum de Ecclesia. Qui tractatus si olim assumebatur sub aspectu dogmatico, ...[17] inde apologetico, ...[18] iterum nunc dogmatico et pastorali, non tamen area pro disputationibus de theologia *universa,*[19] ut apud reformatores accidit, considerandus est. Congruentem dogmatis propositionem *tandem hic modus offendet.*[20]

Quum de B. Virgine in schemate *de Ecclesia* tractare placuisset, exitus hic fuit: textus qui proponitur ut emendatus forte in meliorem non est mutatus, scil. *qui offert excursum biographicum* [21] B. Virginis, cui accedit

exhortatio paraenetica *et inde emphatica peroratio,*[22] devotioni marianae fovendae *utiles et indoli schematis adhaerentes, sed disputationi quae de quaestione Mariali a Concilio desiderabatur non omnino accommodatae.*[23]

Assumet forte quidam ipsius verba textus scil. « Concilium non in animo habet quaestiones adhuc disputatas dirimere ». Bene quidem. At non aequale criterium quaestionibus utique adhuc disputatis sed iamiam suffragandis reservatur quae in cap. III eiusdem schematis continentur.[24]

Praetereunda non fuisset occasio *Concilii*[25] ad inquirendum in quaestionem, quae dicitur, marialem, cum aetas nostra indubiis indiciis mariali indole esse videatur et mariologia catholica non — ut quidam audent affirmare — crisim in hodierna Ecclesiae vita constituat, sed potius, ipsorum iuxta reformatorum placita, synthesim a theologia ...[26] protestantium discriminum vel dissentionum, *et salutem populi periclitantibus afferat ut iam Innocentius Papa Hungariae fidelibus praenunciabat verbis illis acrosticis quae fuerunt famosa: « Budae Virgo dabit auxilium », et hesterna die audivimus non siccis oculis nec immotis visceribus a dignissimo Polonorum Primate.*

Hunc sermonem non producam sed nemini displiceat propositum de quo diudicaturi sint ipsi suo prudenti arbitrio Patres me carptim in dicendo protulisse.[27]

In textu scripto tradito: [1] anno superiore. [2] deest. [3] vero. [4] deest. [5] Et Richardus a S. Laurentio ita rem explicat: « Quia sicut collo mediante descendit in corpus quidquid sit ei necessarium medicinae, cibi et potus et huiusmodi, ita per Mariam descendit Filius Dei, qui vere est medicina, cuius caro et sanguis vere est cibus et potus, quia per Mariam panem angelorum manducavit homo in sacramento altaris ». [6] deest. [7] silentium observent. [8] adhortatur. [9] forte. [10] potest. [11] ne dicam assidua. [12] deest. [13] totam. [14] deest. [15] aliud fingendae de Ecclesia disputationis. [16] offeruntur. [17] et. [18] et. [19] in universum. [20] hic modus certo offenderet. [21] offertur excursus biographicus. [22] indubie. [23] utilis sed conciliari disputationi haud satis forte accommodata. [24] deest. [25] quae instat. [26] fratrum. [27] deest.

12

Rev.mus P. D. ALFONSUS M. MONTÀ

Superior generalis Ord. Servorum Mariae

Venerabiles Patres,

Concedatis mihi aliquas animadversiones in prooemium istius cap. VIII « De Beata »; solummodo aliquas, cetera secretariae consignavi.[1]

Prima animadversio. ...[2] In hoc ...[3] prooemio periodus adest ubi propositionum ordo et theologicarum rationum nexus sat obscurus dicendus est: periodus nempe quae pergit a lin. 22 (sic dicit: « A Filio suo sublimiore etc... ») usque ad lin. 29...[4]

Nec omittendum censeo circulum vitiosum quosdam lectores ibi advertere posse. Nam verba illa: « *hoc summo munere* ac dignitate ditatur » facile referri possent supradictae maternitati erga Deum ac Redemptorem ...[5]; ideoque ita, legendo, intellegere possent: « Hoc summo munere ac dignitate (i. e. divinae maternitatis) ditatur ut sit Genetrix Dei Filii »: quae profecto circulum vitiosum includunt...[6]

Quapropter consulens perspicuitati, proponerem textum:[7] « Singulari propterea omnipotentis Dei privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu sublimiore modo redempta fuit ac tantae gratiae plenitudine ditata, ut praedilecta sit eiusdem Patris Filia, dignissima Filii Dei Mater Eique arcto et indissolubili vinculo unita, necnon Sancti Spiritus sacrarium, ac proinde omnibus aliis creaturis, caelestibus et terrestribus, longe antecellit »...[8]

Animadversio secunda.[9] Relate ad eumdem n. 52, pag. 197, lin. 29 (verbis « Simul autem etc... ») ad pag. 198, lin. 9 (... prosequi semper etc... »)...[10]

1. Prorsus mirum est allatum S. Augustini locum (De Sancta virginitate, n. 6) suis primis momentosis et ad rem facientibus verbis mutilum esse ac si auctores textus emendati timerent asserere B. Mariam esse omnium « *membrorum matrem* », vel ipsius spiritualem maternitatem modo tantummodo vago adumbrare vellent.

Cum vero S. Augustinus aperte dicat (*lego verba* [11]): « (Maria) mater quidem *spiritu* non Capitis nostri..., sed plane mater membrorum eius, quod nos sumus, quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius Capitis membra sunt... », patet ipsius S. Doctoris mentem nedum restrictam sed forsan alteratam evasisse.

Unde concludimus locum S. Augustini aut prorsus auferendum aut integre apteque ponendum.

2. Ea quae de « *filiali* pietatis affectu » in fine dicuntur (cf. pag. 198, linn. 8-9) non possunt referri ad B. Virginem quatenus est « supereminens prorsusque singulare *membrum* Ecclesiae », sed ad eam quatenus est « membrorum *mater* ». *Filiatio connotat maternitatem.*[12] Haec igitur verba transferenda censeo ubi locus ponitur S. Augustini spiritualem maternitatem Mariae extollentis.

3. Praeterea, cur non dicitur B. Mariam Virginem esse Ecclesiae typum et exemplar *etiam qua spiritualis mater,* ut idem Augustinus in *Sermone 191,* et non tantum qua *supereminens membrum,* et ex tenore

textus emendati? Hac de causa, mea sententia, omnino adiungendum *esset:*[13] « *utroque sub respectu...* Ecclesiae typus et exemplar »...[14]

Denique formula « catholica Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta » in Conciliorum documentis valde solemnis est, ideoque rebus difficilioribus statuendis vel vindicandis reservata, ut e. g. ex Decretis Communionis sub unica specie ...[15], existentia Purgatorii (cf. DENZ.[16]) ...[17]

Ideoque praedictam formulam (« a Spiritu Sancto edocta ») transferendam puto ad locum ubi Concilium intentum suum *notis*[18] solemniter declarat. *Quapropter totus textus sic aptaretur*[19]: « Simul autem cum omnibus hominibus salvandis in stirpe Adam invenitur coniuncta, immo " *spiritu ... plane mater est membrorum Capitis, quod nos sumus,* quia cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae huius Capitis membra sunt "; *ideoque catholica Ecclesia eamdem B. Virginem* filiali pietatis affectu se prosequi semper professa est.

« *Maria autem ad ipsum Ecclesiae Corpus pertinet non solum ut spiritualis Mater sed etiam ut membrum,* supereminens *tamen* prorsusque singulare; et, utroque sub respectu, eiusdem Ecclesiae typus et exemplar spectatissimum salutatur.

« Ideo Sacrosancta Synodus etc. ... ».

Ultima animadversio indolis generalis.[20] Ad cetera autem quod attinet in toto cap. VIII contenta, ne vos, venerabiles Patres, taedio afficiam repetendo quae alii in hac aula iam dixerunt, sufficiat dicere me una cum omnibus Patribus Conciliaribus Ordinis Servorum B. Mariae Virginis, perfecte adhaerere omnibus observationibus ac propositionibus quae in hac aula sapientissime prolata sunt ab em.mis card. Ruffini, Wyszynski *et Suenens*[21] necnon ab exc.mis DD. Conrado Mingo *et Rendeiro.*[22]

Mea enim humili sententia, venerabiles Patres, *est*[23] inusitatum, ne dicam iniuriosum *fieri*[24] Ecclesiae Traditioni, Patres in Concilio Oecumenico adunatos parvi facere doctrinam a Summis Pontificibus tot authenticis documentis prolatam circa B.mam Virginem Mariam. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (n. 52, pag. 197, linn. 11-17). In textu priore clara et opportuna aderat distinctio inter *adorationem* Deo debitam et *venerationem* Virgini tribuendam; et in eodem textu iure ponebatur « etiam »: « ... Christum Caput... *adorantes...* memoriam *etiam venerentur* oportet " imprimis gloriosae semper Virginis Mariae " ». Hanc distinctionem resumendam esse censeo, ita tamen ut adoratio dirigatur ad Patrem, iuxta vulgatum usum sive biblicum sive liturgicum. Ad vitandum insuper omnem confusionis possibilitatem inter prooemii initium et locum meo iudicio emendandum, ubi dicitur « Ecclesia, quam Dominus ut corpus suum constituit... », addendum puto determinationem « Iesus » et ita dicerem: « Ecclesia, quam Dominus Iesus... ». Sub luce harum animadversionum textum isto vel aptiore modo emendandum censeo, scil. « ... Ecclesia, quam

Dominus *Iesus* ut corpus suum constituit, et in qua fideles *eidem* Christo Capiti adhaerentes atque cum omnibus sanctis eius communicantes *ac per ipsum, cum ipso et in ipso aeternum Patrem adorantes,* memoriam etiam venerentur oportet " imprimis gloriosae semper Virginis Mariae, Genetricis *eiusdem* Dei et Domini nostri Iesu Christi..." ». Animadversio secunda (n. 52, pag. 197, linn. 22-29). [3] ipso. [4] (« longe antecellit... »). [5] (cf. linn. 18-22). [6] Possibilitas igitur huius erroneae lectionis esset profecto semovenda. [7] Perspicuitati consulens, ita textum emendarem. [8] In hac emendatione, ut omnibus patet, fideliter propositus est nexus idearum Bullae dogmaticae *Ineffabilis Deus* et ordo trinitarius, ut ibi invenitur. [9] Animadversio tertia (n. 52, pag. 197, lin. 29 ad pag. 198, lin. 9). [10] non pauca advertenda videntur. [11] deest. [12] deest. [13] puto. [14] 4. Tandem virtutibus fidei et caritatis in quibus B. Virgo dicitur « typus et exemplar spectatissimum » (pag. 198, linn. 6-7) addenda saltem videtur virtus theologica spei; vel, quod mihi magis placet, omittatur hic mentio tum fidei tum caritatis, ita ut absolute dicatur Maria esse typus et exemplar spectatissimum Ecclesiae, nulla addita specificatione in prooemio. 5. [15] (DENZ. 1726 iuxta novissimam editionem). [16] (ibid. 1820). [17] apparet. [18] satis. [19] His omnibus praemissis, textum ita aptarem. [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] videretur.

Animadversiones additae:

Ad n. 53, pag. 198, linn. 35-37. In textu emendato deest nunc verbulum « praesertim », quod in textu priore advertebatur; introducta est autem formula « ut oportet ».

Nihil contra hanc suppressionem et additionem dicimus; advertimus tamen verbulum « praesertim » doctrinam quamdam intrinsecam secumferre, quae proinde cecidit; formulam vero « ut oportet » indolis esse posse tantummodo iuridicae seu meram iussionem *externam* significare. Doctrinam illam, quam diximus « intrinsecam », hanc esse putamus: primaeva documenta, *iam in seipsis inspecta,* proferre Redemptoris Matrem, *praesertim* autem « si *sub luce* ulterioris et plenae revelationis considerantur ».

Mea sententia textum ita aptarem: « ... praesertim si primaeva documenta, ut oportet, sub luce ulterioris et plenae revelationis considerantur, qualiter in Ecclesia leguntur ».

Ad n. 53, pag. 199, linn. 24-25. « Mirum non est apud Sanctos Patres usum invaluisse »: forsitan opportune addi posset: « aliosque venerabiles Ecclesiae scriptores », ut totius « venerandae traditionis » (pag. 198, lin. 28) conspectus significetur; atque hic etiam congruenter explicita mentio inseri possit privilegii Immaculatae Conceptionis, emendato, ut sequitur, textu, vel alio meliori modo: « ... mirum non est apud Sanctos Patres *aliosque venerabiles Ecclesiae scriptores* usum invaluisse quo Deiparam appellarunt totam sanctam et ab omni peccati (in textu legitur peccato, certe ob typographicam mendam) naevo, *immo et ab ipsa originali labe immunem...* ».

Ad n. 53, pag. 199, lin. 36. « Filia Adam »: melius accuratiusque dicendum « privilegiata filia Adam »; nam Maria, antequam Mater Iesu fieret, non erat simpliciter una e filiabus Adam, « cum fuisset — ut ipsis verbis textus emendati utar — a Spiritu Sancto plasmata ac nova creatura » (pag. 199, linn. 27-29).

Ad n. 53, pag. 200, linn. 30-31. « ... pastoribus et Magis laetabunda osten-

dit »: Ad iterum adumbrandum salutis munus cui B. Virgo cooperata est, congruenter introducerentur quaedam verba ex Evangelio deprompta, sicque textus aptari posset: « ... pastoribus et Magis, *qui divinum Infantem proni adoraverunt,* laetabunda ostendit » (*Mt.* 2, 11).

Ad n. 53, pag. 200, linn. 36-42. His alineis clauditur brevis periodus ubi quater vox « eius » recurrit et nonnulla alia advertuntur, non sine elegantiae iactura; ideoque textus ita fortasse aptari posset: « Puerum Iesum deperditum *et* cum dolore quaesitum, Eius parentes in templo invenerunt in his, quae *Dei* Patris erant, occupatum; *Filii* autem verba non intellexerunt, omnia vero haec mater in corde suo meditabunda conservabat ».

Ad n. 53, pag. 201, linn. 2-12. Nonnulla, hanc quoque circa periodum, advertenda videntur. Adverbium « Durante » in bonis latinitatis lexicis prorsus desideratur. Vox autem « signanter » non plane respondet evangelicae narrationi, in qua aliae personae signanter apparent, v. g., Petrus ceterique apostoli; non ita autem dicendum est de humillima Iesu Matre.

Verba tandem « misericordia permota » minus bene eliguntur, nam vox « misericordia » incongruenter adhibetur ubi non agitur de interventu erga spiritualiter miseros aut in materialibus indigentes; coniunctio autem verborum « misericordia permota », elegantia carere videtur.

His praemissis, hoc aliove meliori modo textum emendandum arbitror: « *Dum Iesus publicam vitam ageret,* Eius Mater *haud raro* apparet; in initio quidem, cum ad nuptias in Cana Galilaeae primum effusionis gratiae messianicae signum, suo induxit *materno interventu.* Dum vero, evangelicae praedicationis decursu, Regnum caelorum ultra carnis sanguinisque rationes et vincula *divinus Magister* extolleret, ac Dei verbum fideliter audientes et custodientes beatos diceret, *hos inter omnes, ipsius Genetrix principem procul dubio obtinuit locum* ».

Ad n. 53, pag. 201, linn. 12-18. Si comparetur doctrina harum alinearum textus emendati, ubi maxime agendum esset de munere B. Mariae Virginis in oeconomia salutis, cum ipso textu priori et signanter cum momentosis atque ad rem facientibus documentis pontificalibus, eorumque probatis fontibus, statim apparet inexplicabilis quaedam pauperies, regressio et decurtatio (numquid sufficit dicere « immolationi amanter consentiens »?); ideoque in hac mea emendatione, praeter quasdam mutationes elegantiae causa inductas, ad Pii XII Encyclicas Litteras *Mystici Corporis Christi* redeundum puto, depromptis ex eodem textu fere ad litteram verbis, quorum quaedam iam inveniebantur in priori Concilii textu: « Generosae autem Matris cum Filio Redemptore arctissima unio tunc maxime enituit, cum non sine divino consilio iuxta crucem stetit, ita Unigenito suo condolens ut Victimam de se genitam, una cum transfixi cordis sui holocausto, nova veluti Eva, per Ipsum, pro omnibus Adae filiis, miserando eius lapsu foedatis, Aeterno obtulerit Patri ».

Ad n. 53, pag. 201, linn. 18-21. « ... fidelium figurae » ita simpliciter in textu legitur, at iuxta nonnullorum Patrum ac Summorum Pontificum loquendi modum plenius veriusque dicendum videtur: « fidelium, *immo et omnium hominum figurae* ».

Sufficiat hic referre auctoritates Leonis XIII ac Pii XI: « In *Ioanne* autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus *personam humani generis,* eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent... » (Leo XIII, *Adiutricem populi*). « ... Maria, quae, cum *homines universos* in Calvaria habuerit materno animo suo

commendatos, non minus eos fovet ac diligit, qui se fuisse a Christo Iesu redemptos ignorant, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruuntur feliciter » (PIUS XI, *Rerum Ecclesiae*).

Ad n. 53, pag. 201, linn. 29-31. « ... donum Spiritus », plenius iuxta Evangelii (*Lc.* 1, 28) et Actuum textus (*Act.* 2, 1-4), dicendum videtur: « ... Mariam... implorantem Sancti Spiritus *adventum, quo erat plena quique* ipsam in Annuntiatione obumbraverat ».

Generalis animadversio in cap. VIII. Contra universum cap. VIII, de Deipara, ita obiici posset. Nemo asserere valet marialia Ecclesiae universim sumptae, et signanter Romanorum Pontificum, documenta minori gaudere auctoritate quam sacri huius Concilii mariologicum caput; asserendum econtra esset praesertim supremos Christi Vicarios ampliora et clariora tradidisse ac tradere quam Concilium Vaticanum II.

Qui ergo, in Ecclesia catholica vel extra ipsam positus, *plenam de Virgine* addiscere *doctrinam* cuperet, ipsi incessanter respondendum erit deprompto signanter ex Romanorum Antistitum documentis doctrinae marialis compendio.

Nec dicatur Petri successores fontibus uti minoris auctoritatis quam sacrosancta Vaticana Synodus, eo quod Vaticanum Concilium fere unice Bibliam antiquioresque Patres in re mariologica adhibeat, dum Romani Antistites etiam at praesertim, ut in re de Immaculata Conceptione et Assumptione liquido patet, ad Ecclesiae universalis consensum recurrunt, seu ad singularem catholicorum antistitum et fidelium conspirationem, ab antiquis temporibus ad nostra usque tempora Spiritu Sancto afflante in dies servatam ac progredientem, quam conspirationem praebere dicunt universalis ordinarii Ecclesiae Magisterii doctrinam concordemque christiani populi fidem, *per semetipsam* ac ratione omnino *certa,* ab omnibusque erroribus immuni, manifestantem aliquod doctrinae caput veritatem esse a Deo *revelatam* in eoque contentam Divino *Deposito* quod Christus tradidit Sponsae suae fideliter custodiendum et infallibiliter declarandum; quod profecto Ecclesiae Magisterium praesidio Spiritus veritatis, atque adeo sine ullo prorsus errore, revelatas adservat veritates omne per aevum puras et integras easque in dies penetrat et clarificat, atque pressius uberiusque proponit.

Cur ergo Concilium Vaticanum II, saltem hucusque, scilicet in praesenti capitis forma, salvo meliori iudicio, ad solos fere inspiratos libros atque antiquos Patres recurrit, fere nullo habito respectu ordinarii et universalis sanctae Dei Ecclesiae Magisterii? Etenim in priori textu nec habebatur explicita ipsius dogmatis de Immaculata Conceptione mentio; in textu autem emendato apparet quidem, at extra proprium locum; de Mediatione vero, deque cooperatione ad Redemptionem et Maternitate spirituali, modo adhuc satis vago sermo fit.

Ego Ordinis Servorum prior generalis et Facultatis Theologicae « Marianum » de Urbe magnus cancellarius, humiliter peto an in re theologica, et signanter mariologica, hisce novis methodologicis principiis et rationibus se gerendi utendum sit, relictis illis quae supra protulimus ex Constitutione dogmatica *Dei Filius* Concilii Vaticani I et ex Constitutione dogmatica Pii Papae XII *Munificentissimus Deus.*

Ut ergo huius Concilii doctrina marialis magis valeat quam Summorum Pontificum documenta, necesse esset quod dum Pontifices exponunt vel declarant, *Concilium Vaticanum II definiat,* vel saltem parvam veluti Fidei Professionem (ad

instar Symboli Apostolici vel Nic.-Constantinopolitani) conficiat circa Virginem Deiparam, explicite determinans huius Professionis valorem, asserens scilicet superiorem esse, quam auctoritatem expositionum aut declarationum hucusque latarum.

13

EXC.MUS P. D. RAPHAEL GARCIA Y GARCIA DE CASTRO
Archiepiscopus Granatensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine plus quam 80 episcoporum Hispaniae et aliarum nationum.

Laudanda videtur, in primis, expositio de B. Virgine Maria per commissionem conciliarem redacta, et in schemate *de Ecclesia* inserta. Notandum tamen est, textum priorem de B.ma Virgine Maria de novo confectum fuisse, et non mere aptatum, *ut iam dictum est in hoc amplissimo coetu.*[1]

Desideratur ergo[2] ut in schema titulus marianus « *Mater Ecclesiae* » clare inseratur. Videtur enim ille titulus a Concilio omitti non posse.

Titulus quidem « Mater Ecclesiae » a Summo Pontifice Paulo VI in primo anno pontificatus sui iam ter proclamatus est; quinquies vero a Ioanne XXIII *felicis recordationis*[3] in quinque annis sui pontificatus; et prius ab aliis Summis Pontificibus (ut Benedictus XIV, Leo XIII, S. Pius X, Benedictus XV) ...[4].

Ita, ut unum exemplum idque perspicuum adducam, audiamus Summum Pontificem Paulum VI in hac ipsa aula conciliari loquentem et cum expressa allusione ad nostrum schema firmiter dicentem: « Speramus Synodum quaestionem de schemate circa B. Virginem optimam, quae possit, habituram esse enodationem... ita ut nomine Matris Ecclesiae eam possimus ornare » ...[5]. His exsistentibus publicis invitationibus ac directionibus, nec obscuris nec dubiis nec levibus, populus christianus non potest non sperare Concilium reapse titulum illum admissurum.

Praeterea, cum talis titulus radices prorsus traditionales habeat et perspicua fundamenta theologica, omnino censemus relationem Mariae ad Ecclesiam non adaequate exprimi, si solum dicatur eam membrum « supereminens prorsusque singulare Ecclesiae » aut « typus et exemplar », esse, sed prorsus requiri eam Matrem Ecclesiae confiteri...[6]

Huius doctrinae altas et profundas radices considerare breviter volumus, *omni qua possim brevitate.*[7]

A. Et quidem primo in traditione antiquissima. S. Irenaeus docuit « recapitulationem », iuxta quam Maria uti Nova Heva cum Christo

Adam Secundo, sociata fuit; unde genus humanum quod « per virginem morti adstrictum est, per Virginem salvatur »...[8]

Augustinus dixerat, *ut nuper audistis,*[9] Mariam cooperatam fuisse ut fideles in Ecclesia nascerentur, i. e., ut nasceretur ipsa Ecclesia; quia fideles non separatim et disgregati regenerantur, sed ut corpus compactum et connexum Ecclesiae et Christo iungimur.

Itemque S. Leonis habemus nobile cogitatum: Natalis Capitis, natalis est Corporis Christi mystici.

Iure merito S. Pius X, omnes nos spiritualiter natos fuisse ex Maria docuerat, quando Christus, Caput nostrum, ex eo virginaliter est natus.

Certo certius: decretum *necessitudinis*[10] Verbi Incarnati cum hominibus seu nostram ad Christo incorporationem pendent a solo Deo. Decreti autem *effectio*[11] ad effectum non est perducta sine consensu et cooperatione Mariae. Si quis in mysterio incarnationis radicaliter videat mysterium Ecclesiae, sciat Ecclesiae initium a Maria pendere.

B. Si autem « mysticum Christi Corpus, *aiebat Pius XII,*[12] e scisso Corde Servatoris nostri natum », i. e., in Calvario consideremus, ibi etiam Maria « quae corpore erat nostri Capitis mater, spiritu facta est, ob novum doloris gloriaeque titulum, eius membrorum omnium mater »...[13]

Habemus igitur quod, novo titulo, Ecclesia vel in suo primo esse pendet a Maria...[14]

Neque ad haec obiiciatur Mariam non posse dici Ecclesiae Matrem eo quod non sit causa principii vitalis supernaturalis in Ecclesia, nempe gratiae sanctificantis. Nec principium vitale naturale creatur a patribus; nec gratia (principium *nempe*[15] vitae supernaturalis) fit a Maria. Voluit tamen Deus quod animae creatio penderet a patribus, in suo ordine et causalitate; voluit *pariter*[16] quod hominum regeneratio in spiritu per Christum, ab ipsa incarnatione, penderet a Maria. Misit enim filium suum factum ex muliere, a Maria nempe, uti venerabilis auctor noster mozarabicus dixit, « sciente, sentiente et consentiente ».

En ergo verissimae inter Mariam et Ecclesiam relationes: Maria redempta est a Christo, est excellentissimum Ecclesiae membrum, pertinet ad Ecclesiam. Sed praeter « immanentiam », agnoscimus item « transcendentiam »: Maria est supra Ecclesiam, uti Ecclesiae verissima Mater, Regina et Mediatrix, analogico modo ac dicimus de Christo qui ad Ecclesiam pertinet (sine Christo ne quidem concipi potest Ecclesia), sed est Ecclesiae auctor, Rex, Caput et Redemptor.

Omitto cetera et secretariae tradam. Et concludo.[17]

Omissio *ergo*[18] huius tituli *Matris Ecclesiae*[19] agendo de B. Virgine Maria *timeo ne fieri possit sine aliqua*[20] irreverentia in Pontifices Roma-

nos, nec sine vero detrimento devotionis, verissimae et solidae devotionis, apud fideles *in mundo hodierno*.[21]

Quando magisterium Pontificium ad actualem gradum pervenit, aut de B. Virgine Maria silendum est, aut de ea sicut Romani Pontifices loquuntur loquendum. *Praesertim post paginam ardore mariali plenam, nostri St.mi Pauli VI in litteris encyclicis Ecclesiam suam*.[22] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Propositum enim Patrum conciliarium ita explicite in suffragio conciliari diei 29 octobris 1963 ad litteram proponebat: « ut schema de B. M. V. Matre Ecclesiae *ita aptetur*, ut fiat cap. VI schematis *de Ecclesia*. Unde tantum mera adaptatio et minime nova confectio desiderabatur. [2] Valde desideratur insuper. [3] deest. [4] (PAULUS VI, cf. *A.A.S.*, 55, 1963, pp. 873, 1039; 56, 1964, p. 37; IOANNES XXIII, *A.A.S.*, 51, 1959, p. 731; 52, 1960, pp. 52 s, 280; 53, 1961, pp. 35, 505; BENEDICTUS XIV, Bulla *Gloriosae Dominae*, Bullarium Roman. 2, p. 428; LEO XIII, enc. *Adiutricem populi, Acta Leonis XIII*, 15, p. 308; S. PIUS X, ep. *Ex omnibus locis, A.A.S.*, 6, 1914, p. 376; BENEDICTUS XV, enc. *Fausto appetente die, A.A.S.*, 13, 1921, p. 334). [5] (PAULUS VI, cf. *A.A.S.*, 56, 1964, p. 37). [6] (*Boletin Oficial del Arzobispo de Granada*, 118, 1964, pp. 236-246). [7] deest. [8] (PIUS XII, *Ad caeli Reginam, Doc. Mar.*, p. 802). [9] deest. [10] solidarietatis. [11] realisatio. [12] deest. [13] (Enc. *Mystici Corporis, Doc. Mar.*, p. 562). [14] Non agimus de quaestionibus theologicis: indice signamus facta et veritates a Pontificibus edocta, quae sine scandalo fidelium negari non possunt. [15] deest. [16] etiam. [17] Ecclesia semper et inferior et a Maria, triplici ratione, pendens apparet:

a) Maria redempta est, sed ab uno Filio-Deo; non per operationem Ecclesiae, in quantum Ecclesia Christo contraponitur.

Ecclesia redempta est, non autem nisi cooperante Maria.

b) Maria plena est redundansque gratia; sed gratia eius non fluit ab Ecclesia; immo tota gratia ecclesialis non fuisset sufficiens ut aptaret Mariam dignam Dei Matrem.

Ecclesia est sancta; sed gratia Ecclesiae, (aliter et aliter) derivatur a Christo et Maria.

c) Una dignissima Virgo hyperduliae cultu honoratur ab Ecclesia.

Universitati sanctorum non nisi duliae cultus tribuitur.

B. Virgo est igitur supra Ecclesiam et ad Ecclesiam. Ecclesia autem universa sese filiam Virginis Eique devotam profitetur.

Scimus quidem difficultates contra titulum « Mater Ecclesiae » noviter obiectas, neque ignoramus obiectionum fundamenta et radices. Procedunt enim

a) ex non habita ratione magisterii (etiam iterati et constantis) Romanorum Pontificum, qua omissione maximo dolore afficimur;

b) ex privatione sensus vere theologici qui doctrinam catholicam exstruere vult non ad medullam revelationis attendendo, sed eius rodendo corticem, i. e., metaphoras, quibus divinum verbum declaratur. Qui enim sciat, Ecclesiae actionem instrumentalem non esse nisi continuationem influxus Christi Capitis, sicut et applicationem superioris maternitatis B. V. Mariae, ridiculam obiectionem quod Maria avia (avus Christus) dicendi essent, non proponeret. Indignum est dicere

Mariam esse aviam Ecclesiae, sicut indignum esset affirmare S. Annam esse socrum Spiritus Sancti ut negetur eam esse matrem B. Mariae Virginis aut Spiritus Sancti sponsam.

Nec attentiore dignum est auditu quod asseritur nempe, ex maternitate Mariae erga Ecclesiam, inferri eam esse matrem sui ipsius. Hoc verum esset si tantum immanentiam Mariae in Ecclesia affirmaremus; sed quia simul affirmamus eius transcendentiam, obiectio per seipsam ruit. In ipsa familia humana, mater familias etiam ad familiam pertinet, sed non ideo est nec dicitur sui ipsius mater, quamvis vere mater familias sit. Satis est. [18] deest. [19] deest. [20] non fiet sine. [21] deest. [22] Locus autem inserendo titulo inveniri potest vel in ipso epigrapho: deinde in n. 52, pag. 198, lin. 5, ita ut textus legatur: « ... singulare membrum. Eiusdemque Mater, in fide et caritate... ».

14

Exc.mus P. D. AURELIUS SIGNORA

Archiepiscopus tit. Nicosiensis, prael. null. Pompeianus

Venerabiles Patres,

Schema de B. Virgine Maria, quale nobis exhibetur post disputationes habitas et petitiones factas, placet, quamvis, ut quidam Patres conciliares animadverterunt, non item placeat locus ei tributus, melius enim, ut mihi quidem videtur, collocatus esset post cap. I, quin exinde ulla sequeretur ordinis turbatio, vel cuiuspiam offensio.

Deiparae Mariae Virginis cultus omnibus cordi est, ne fratribus quidem exceptis ab Ecclesiae communione seiunctis.

Liceat mihi, cuius unius episcopatus a templo Sacratissimi Rosarii titulum ducit, illud vobis, qui auditis, proponere, ut in par. 55 lin. 28 mentio iniciatur Sacratissimi Rosarii, quod haberi potest et tamquam Breviarium christifidelium, precationem Dominicam et salutationem angelicam continens et summa Christi Evangelii, et ad divina meditanda incitamentum.

Quae mentio ita exprimi potest: « Exercitia pietatis erga eam saeculorum cursu a Magisterio Ecclesiae commendata, praesertim Rosarium, quod vocant, magni faciant, etc. ».

Quod omnibus Patribus gratum fore recte puto. Dixi. Gratias.

15

Exc.mus P. D. IULIANUS LE COUËDIC

Episcopus Trecensis

Quod admirationem sane movet in nova redactione capituli B. Virgini dedicati, est maxima diligentia in evitandis illis vocabulis, quae per se

ansam praebere possent continuis ambiguitatibus; e contra textus noster exhibet in periphrasibus valde praegnantibus, et etiam eleganter expressis, totam doctrinam Patrum et ipsius Sacrae Scripturae, praesertim Evangelii secundum Lucam ...[1], ubi de Annuntiatione agitur.

Equidem, hoc modo evitatur usus quorumdam titulorum, v. g.: *Mediatricis, Coredemptricis,* qui in variis sensibus adhibiti sunt, quibus autem in praxi nemo uti potest, quin subito reviviscant acerrimae disputationes, ex opinionibus a priori derivantes; nunc autem, in periphrasibus supra notatis, eamdem doctrinam habemus quoad substantiam, sepositis omnibus vocabulis apparenter offensivis, illis solis retentis, quae innocua, et explicita et pacifica sunt.

Hoc exemplo Concilii suffultus, aliqua modo magis explicito exprimere vellem in hac quaestione.

Absque dubio videtur quod prima Actio catholica, ex Incarnatione derivata, non alia fuit quam Visitatio B. Mariae ad cognatam suam Elisabeth, et praesertim conclusio huius Visitationis, scil. sanctificatio Ioannis Baptistae in sinu Matris suae.

Non certe intendo novum titulum adiungere litaniis B. Mariae Virginis, nec ideo ad *subrisum* [2] promovere Patres conciliares in hac sacra aula, sed tantum aliquam definitionem proponere vellem pro Actione Catholica, saltem modo descriptivo, generico, et tamen quasi exhaustivo.

Quid enim in Visitatione factum est, nisi sanctificatio alicuius personae humanae per adventum et solum *contactum ipsius Sanctitatis,* scil. per contactum Verbi Incarnati, in sinu sanctissimae Matris reconditi?

Et haec sanctificatio facta est modo radicali, et totali, in silentio humanitatis ex utraque parte. Actio humanitatis reducta est ad simplicem contactum, pars autem divinitatis maximam habuit amplitudinem.

Haec autem, quae summatim dico, minime ad nihilum redigunt laborem praeparationis et investigationis Actionis Catholicae, sed tantum intendunt secretum huius Actionis indicare, in quantum in ipsa Maria Virgine fundatur et in ipsa reclinatur.

Proinde, si placet venerabilibus Patribus, haec adiungere vellem pag. 200, lin. 27, post « et Praecursor in sinu Matris sanctificatur... »: « B. Maria sic introducebat in hunc mundum, suaviter et sine strepitu verborum, actionem quandam supernaturalem, quae figura et exemplar exstitit omnium actionum catholicarum ». *Explicationem et progressum huius argumenti angelis tradam.*[3]

In textu scripto tradito: [1] cap. 1. [2] risum. [3] deest.

16

Exc.mus P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

...[1] Nomine *plus quam* [2] 40 episcoporum Americae Latinae, *et imprimis em.mi D. card. Silva Henriquez.*[3] Laudibus maximis cumulare commissionem theologicam *cupio* [4] propter viam mediam, quam in *adaptando* [5] schemate de B. Virgine tamquam capite ultimo *de Ecclesia* sequuta est.

Assentio *quidem* [6] quibusdam mutationibus hac in aula prolatis; sed schema in genere, quod est fructus humilis, patientis necnon fidelis laboris, servandum esse omnino putamus, ne iterum nos Patres Conciliares divisi coram universo Orbe adhuc videamur.

Ideo magni pretii mihi videtur quaedam dubia dissipare circa maternitatem spiritualem B. Mariae Virginis, etiam ...[7] recentissime hic in aula *exorta.*[8]

In primis, certum est in schemate pluries et sufficienter Maternitatem spiritualem extolli ...[9]. Haec quidem doctrina traditionalis prorsus est et a nemine in dubium vocatur, ideoque ab uno schemate in aliud servata est.

Quid vero dicendum de titulo « Matris Ecclesiae », *quem quidam Patres desiderant* [10]*?*

1. Quidem, verum est hanc denominationem certo quodam sensu et genere litterario admitti posse. In pag. 198, linn. 6-8, e. g., non immerito dicitur: « eamque (Virginem Mariam) catholica Ecclesia ... filiali pietatis affectu se prosequi semper professa est ». *Nos diceremus « prosequitur » tantum.*[11]

2. Sed si ...[12] pressius adhiberetur et intimius inquiritur, tunc aperte dicendum est: titulus « Maria, Mater Ecclesiae », titulus est nimis alienus a traditione orientali et nimis recentis usus ...[13] ut posset locum habere in constitutione *conciliari, quocumque modo dogmatica.*[14]

Berengarius ...[15] primus est qui Mariam vocat Matrem Ecclesiae, quia, notat, « eum peperit qui est caput Ecclesiae », sed subito addit quod « filia » sit Ecclesiae, quia « maximum membrum est Ecclesiae ». Idem affirmat initio saec. XIII Monachus quidam cisterciensis anglus, iisdem fere verbis. Et hi duo testes soli *usque nunc cogniti sunt eo tempore.*[16]

Inter Romanos vero Pontifices ...[17] primus revera est Leo XIII qui

in Encyclicis Litteris *Adiutricem populi* ...[18] scripsit: « Verissime quidem mater Ecclesiae atque magistra et regina apostolorum ». Quo genere litterario loquatur Summus Pontifex, facile eruitur ex eo quod simul dicat: « verissime ... magistra apostolorum ».

Pius X caute in *Ad diem illum* Mariam appellat Matrem membrorum Corporis mystici; dum Pius XII quid simile profert cum dicit: « Mysticum Christi corpus ... materna cura ... prosequuta est ».

Post Leonem ergo XIII, Ioannes XXIII ...[19] in tribus allocutionibus hunc titulum *sine dubio*[20] adhibuit.

Tandem Summus Pontifex ...[21], feliciter regnans, hoc titulo non semel usus est; sed praecipue in oratione qua conclusit anno elapso sessionem conciliarem ...[22] et in oratione habita in Sancta Maria Maiore die 11 octobris. Uti par est textus crisi subiciendi sunt, cuius summa haec est: Summus Pontifex ...[23] tria puncta principaliter Patribus et mundo *intendit*[24] inculcare: integrationem Mariae in Ecclesia; superioritatem Mariae supra cetera membra Ecclesiae; unanimitatem conciliarem in doctrina Mariali. Sed similiter desiderium manifestat « ita ut nomine " Matris Ecclesiae " eam possimus ornare (potremmo onorare) » et quod Maria ita faciat ut Ecclesia, cum se definiat, eam ut Matrem agnoscat. Conditionaliter erga loquitur Summus Pontifex.

3. Quaestio est nimis subtilis et non paucas difficultates praebet ...[25]

a) Si Maria esset Mater Ecclesiae, cum Ecclesia sit Mater nostra Maria ...[26] esset avia, i. e. *Grand-Mère,* sicut dixerat S. Franciscus Salesius...[27]

b) Si Maria Mater Ecclesiae, tunc et angelorum, quos S. Thomas membra Ecclesiae considerat.

c) Si Maria Mater Ecclesiae, certe non eo sensu quod esset Mater suipsius, nam ipsa membrum est insignissimum; sed

d) hoc innueret quod Maria ...[28] extra Ecclesiam ut Mater *extra* filiam *esset, et supra,*[29] cum vera relatio cum Ecclesia videatur esse Intra, sed Supra, quia in Maria Ecclesia acquirit privilegia quae nullo modo aliis suis membris conceduntur...[30]

4. Prae oculis habeamus praeterea sequentia:

a) Summus Pontifex in oratione episcopatui Italiae habita dixit se in quaestionibus in Concilio agitatis, nullo modo sententiam Concilii praevenire velle.

b) *Praeterea*[31] Moderator cum votum circa inclusionem schematis de B. Maria Virgine in schemate *de Ecclesia* declaravit, dixit diminutionem non intendi laudis B. Mariae Virgini debitae, sed commissionem debere quaerere viam ad insertionem procurandam.

c) Eliminatio alicuius privilegii vel doctrinae ab schemate nullo

modo damnationem significat; sed nondum maturam esse ideoque considerationi theologorum relinquendam esse.

5. *et ultimo.* Liceat mihi praecisionem afferre ...[32], nos, *nempe, episcopos Mexicanos,*[33] definitionem maternitatis spiritualis *postulasse*[34]; sed non maternitatis super Ecclesiam, quam neque affirmavimus neque negavimus illa occasione.

6. Commissio theologica optimo consilio hunc titulum vitavit, cuius historia in schemate haec *fuit*[35]: « De B. Virgine Maria, Matre Dei et Matre hominum » intitulabatur primitivum caput et ...[36] evolutum schema. Inter sessiones vero primam et secundam, reimpresso schemate, mutatus est titulus sine ulla interventione commissionis theologicae in « De B. Virgine Maria Matre Ecclesiae ». De hoc titulo numquam disputabatur nec pro nec contra; sed totum schema simpliciter traditum est commissioni ut meliori quo *poterit*[37] modo in caput converteret schematis Ecclesiae. Nullo modo igitur ad servandum titulum tenebatur, ...[38] nec plura alia.

Venerabiles Patres, iterum atque iterum in mentem revocemus monita sapientis consilii:

1. Non agitur nunc de nostra devotione personali erga B.mam Virginem Mariam; sed de perscrutando Evangelio Domini ut secundum hanc normam omnes generationes laudent eam.

2. Oecumenismus non movet nos ad occultationem veritatis; sed stimulus est ad profundiorem penetrationem in Evangelio Domini, hac fiducia moti Spiritum Veritatis nos in omnem veritatem ducere posse, si docibiles efficimur. Caveamus ne Mariam extollentes sine Scriptura, eam non signum unitatis sed divisionis confirmemus.

3. Vitemus apprime quaestiones de quibus concordes non sunt theologi catholici, quia nec nos Patres conciliares concordes erimus. Intelligentia fidei et devotio potius quaerantur in profundiore penetratione altissimi mysterii, quam in mera superficiali extensione et multiplicatione variorum titulorum, sicut monuerat exc.mus relator. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Loquor. [2] deest. [3] quorum praecipuus card. Radulfus Silva Henríquez, arch. S. Iacobi (Chile). [4] volumus: [5] apparando. [6] deest. [7] nunc. [8] deest. [9] pag. 201, linn. 19 ss.: « Maria... uti Mater discipulo, fidelium figurae, data est »; etsi iure card. Bea dubium excitaverit circa verum sensum textus. In pag. 202, lin. 7 Mariae « maternum munus » asseritur et explanatur. In ipsa pag. 202, lin. 20 « tanquam Mater Dei et hominum » dicitur « praedestinata »; et paulo infra additur: « Mater nobis in ordine gratiae exstitit ». Eius autem (*ibid.*, linn. 31 s.) in gratiae oeconomia maternitas indesinenter perdurat ». [10] deest. [11] (Quidam episcopi optaremus dicere « prosequitur »). [12] titulus. [13] quam. [14] dogmatica conciliari. [15] (1125). [16] nobis remanent illius temporis. [17] perperam videtur citari

Benedictus XIV. [18] (5 sept. 1895). [19] primus. [20] deest. [21] Paulus VI. [22] (die 4 decembris). [23] in illis adiunctis, cum de inserendo schema de B. M. V. in schemate *de Ecclesia* agebatur. [24] vult. [25] e. g. [26] dicenda. [27] a nemine secutus. [28] quidem supra Ecclesiam esset, sed. [29] est. [30] vel saltem non eo modo. [31] deest. [32] particularem. [33] episcopi mexicani. [34] aliquando postulavimus. [35] est. [36] etiam inde. [37] posset. [38] sicuti.

Moderator: Exhausto indice oratorum qui tempestive uti verbo petierunt, facultas loquendi de cap. VIII schematis *de Ecclesia* a moderatoribus conceditur Patribus illis, qui saltem aliorum 70 Patrum loqui nomine petant.

Nunc audiatur exc.mus D. Villot, pro-secretarius, qui rationem affert de ultima suffragatione.

Exc.mus P. D. IOANNES VILLOT, *arch. tit. Bosporanus, coad. c.i.s. Lugdunensis, subsecretarius*: Nomine exc.mi secretarii generalis, communico Patribus exitum quartae suffragationis de cap. II, i. e. suffragationis de n. 17:

Praesentes votantes	2.174
Dixerunt *placet*	2.106
non placet	67
Votum nullum	1

Suffragatio de integro cap. II fiet crastina die.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit die crastina, feria sexta, hora nona, et agetur de munere episcoporum.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

APPENDIX

APPENDIX

I

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA

POST PERIODUM II USQUE AD 10 IULII 1964

1

EM.MUS P. D. ANTONIUS M. CARD. BARBIERI
Archiepiscopus Montisvidei

Institución del Diaconado.

En cuanto a la creación del Diaconado en la Santa Iglesia, creo que esto viene a aportar una gran ayuda al Sacerdote en su labor apostólica.

En efecto: el Diácono supliría en muchos casos a los Sacerdotes en su ministerio.

Pero entiendo que la institución del Diaconado exige fundamentalmente tres cosas a saber: *a*) la debida preparación que requiere su ministerio; *b*) la observancia de la castidad; *c*) la solución del problema económico.

En cuanto a la preparación debe confeccionarse por la Santa Sede un programa universal que comprendería dos años de estudio.

En cuanto al problema de la castidad no debería admitirse sino que a los célibes o viudos.

En cuanto al problema económico lo resolvería el Ordinario en cada caso.

Estas tres condiciones darían al estado Diaconal su debido respeto y prestigio sobre todo por lo que se refiere a la castidad que trae consigo aparejados una serie de problemas de orden familiar; sería sin duda una cosa desdorosa a los ojos del pueblo que un Diàcono atendiera por ejemplo la distribución de los santos Sacramentos y luego se le viera buscando novia o prendido al balcón de su prometida o cosas por el estilo.

Entiendo que la solución de estos problemas corresponda a los Obispos Diocesanos; pero creo que la Santa Sede debe dar las líneas generales que darían la fisonomía de esta institución en el seno de la Iglesia.

2

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis

In art. 20, cap. II, pag. 30, linn. 30-33. Textus: « Episcopus... et crescit Ecclesia. Episcopis... » ita emendetur: « Episcopus, utpote praeprimis summus sacerdos et " oeconomus gratiae supremi sacerdotii ", ante omnia praecipuus minister est sacrarum liturgicarum celebrationum, quibus, praesertim in ministerio eucharistico quod ipse offert vel offerri curat, eo vel magis quod, quando cum plena et actuosa populi participatione celebratur, vita Ecclesiae, quasi in suo primario fonte atque culmine, maxime alitur, crescit et exprimitur. Quare Episcopis... ».

Rationes: 1. Necessitas bene observandi et exprimendi connexionem inter constitutionem *de Ecclesia* et constitutionem *de sacra Liturgia* iam a concilio approbatam et promulgatam.

Miro modo schema *de Ecclesia* in hodierna redactione, ad huiusmodi connexionem vix aut ne vix quidem attendit, sed ita conficitur ac si concilium in praedicta constitutione *de sacra Liturgia* plura et magni momenti puncta, quae ad Ecclesiam et episcopos spectant, iam non determinasset. Constitutio vero *de sacra Liturgia* iam determinavit in specie:

a) Diversa Ecclesiae ministeria atque opera — sanctificationis, doctrinae, regiminis, apostolatus, etc. — non se habere modo quodam ab invicem independenti et quasi parallelo (sicut e contra res proponitur in nn. 18, 21 schematis *de Ecclesia*) sed hierarchico, sub primatu qualitativo sacrae Liturgiae, sine uniuscuiusque detrimento. Quae ideo Liturgia dicitur praecipue in S. Eucharistia, « culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde eius virtus emanat » (art. 10).

b) « Praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare, cui praeest episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus » (Art. 41. Cf. S. IGNAT. ANTIOCH., *Ad Magn.* 7; *Ad Phil.* 4; *Ad Smyrn.* 8).

Maxime cavendum est ne in constitutionibus a Concilio promulgatis aut promulgandis ultimo desit necessaria omnino unitas doctrinae eiusdemque expressionis.

2. Necessitas extollendi naturam non unice, utique, sed praeprimis sacramentalem et sacralem officii episcopalis e qua alia munera ipsius ministerii non detrimentum capiant sed e contra supernaturalem virtutem, fundamentum et rectam ad invicem ordinationem inveniant. Si omnia munera omnesque episcopi potestates, in sacramentali ipsius ordinatione continentur ab eaque emanat — ut saepius et recte placuit concilio affirmare — liquet episcopum non solum esse, sed praeprimis esse summum sacerdotem et oeconomum gratiae supremi sacerdotii.

3. Momentum oecumenicum. Notum est enim in traditione orientali cum zelo recte servatum esse conceptum episcopi eiusque muneris in Ecclesia praeprimis sacralem et sacramentalem. In art. vero 19 et 20 satis superque cautum

est hoc esse non posse cum detrimento aliorum officiorum doctoris et pastoris. Aequum est ergo ut in art. 20 agnoscatur praeminentia qualitativa muneris directe sacri.

3

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART

Episcopus Insulensis

1. Schema *de Ecclesia,* prout proponitur, valde mihi placet. Ideo exopto ut Patrum examini vel suffragationi subiiciatur, ratione tamen habita de his quae dixit em.mus card. Confalonieri.

2. De ordine vero capitum suaderem ut ita se haberet:
cap. V. De omnium vocatione ad sanctitatem.
cap. VI. De religiosis.
cap. VII. De consummatione sanctitatis in gloria Sanctorum.
cap. VIII. De B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae. Non tamen ut merum appendix vel epilogus appareat, sed potius, uti vere esse debet, totius Decreti corona et perfectio.

3. Annotationes etiam quasdam propono:
Pag. 9, lin. 16: per sacramenta *potissime* arcano ac reali... cum sacramenta non unicum sint medium quo vita Christi communicetur.
Pag. 51, lin. 13: « generosa et humillima ancilla Domini » magis mihi placet quam « generosa socia ».
Pag. 51, lin. 19: « in ordine gratiae maternitatis » magis mihi placet quam « in ordine gratiae cooperatio et mediatio ».

4. Quaedam tandem emendationes necessariae videntur:
Pag. 45, lin. 22: consiliorum evangelicorum *professionem.*
Pag. 49, lin. 1: proponere doctrinam *neque* quaestiones.
Pag. 55, lin. 28: unam Ecclesiam et *unum* eius Corpus.

4

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI

Archiepiscopus Ianuensis

A proposito della « collegialità » dei vescovi.

Preliminare sui termini. Il termine « Collegio » viene usato da molto tempo e senza alcuna particolare o sottintesa intenzione per indicare il « complesso degli Apostoli ». Con molto minore frequenza e — almeno fino a due anni innanzi — senza particolari intenzioni, il termine « Collegio » viene usato anche per indicare il « complesso dei Vescovi ».

Il termine « collegialità », usato a proposito del complesso dei Vescovi, si comincia ad usare — almeno in forma apprezzabile — solo dopo il 1953 e questo ad opera soprattutto di un Teologo.

I due termini di « collegio » e di « collegialità », prima usati in modo lato e non definito, cominciano a prendere « significati intenzionali » solo nella atmosfera conciliare.

Agli effetti delle presenti note i due termini si possono considerare equivalenti, per quanto in verità non lo siano. Sarà dunque indifferente usare l'uno o l'altro.

Punctum quaestionis. Sta nel fatto che non si è affatto studiato e dato il concetto di Collegio e di Collegialità. Un em.mo Padre durante la discussione chiese che in forma teologica si esplicitasse il significato preciso da dare ai due termini. La richiesta fu ripetuta quasi in fine di sessione da un altro em.mo Padre. Due em.mi Padri fecero opportuni rilievi teologici e lessicali sui detti termini. La questione di una definizione dei termini *non* fu affrontata prima di proporre alla Assemblea i celebri cinque punti.

Più grave è il fatto che si trassero deduzioni da un concetto di « Collegio » non ancora definito.

Fino a che una precisazione sul concetto non viene fatta valevolmente sul piano teologico, non è possibile procedere nell'argomento.

Il corrente concetto di « collegio ». Il termine « collegio » in diritto viene preso ad indicare un complesso di « sodali » o « colleghi », i quali, costituendo una « unità », hanno tra loro una uguaglianza giuridica.

Non essendoci una eguaglianza giuridica tra il Romano Pontefice ed i Vescovi, in forza del Primato e di quanto è collegato al Primato, non si può evidentemente in caso assumere il termine « collegio » secondo il corrente termine giuridico.

Non resta che assumere il termine « collegio » in senso lato. Ma da un termine assunto in senso lato e senza una precisa definizione nulla si può arguire e dedurre.

Nel caso si dovesse assumere la parola e se ne dovesse precisare il contenuto, bisognerebbe far in modo che il termine assunto rispettasse i seguenti punti richiesti dalla chiara definizione del Primato di Pietro: *a*) i Vescovi in Concilio e fuori debbono essere *cum Petro*: egli solo è il fondamento; *b*) i Vescovi in ogni caso sono *sub Petro*; *c*) tutti i Vescovi non possono esigere alcunchè e non possono imporre alcunchè a Pietro, essendo una tale limitazione inconciliabile colla pienezza di giurisdizione affermata nella definizione del Primato.

Rimane pertanto che i termini « Collegio » e « Collegialità » non possono usarsi altro che in senso lato ed improprio.

Però dopo le confusioni, che furono fatte, è il caso di chiedersi se sia opportuno ammettere, anche in senso lato, dei termini, che hanno dato luogo all'equivoco.

Quello che è deducibile dalla Sacra Scrittura. Che gli Apostoli formano, per le attribuzioni avute, una categoria definita, distinta, preminente nel Regno di Dio; che tale categoria ha un Capo al tutto speciale — Pietro —, capace da solo di reggere tutto, perchè è l'unica « pietra », l'unico « pastore » per eccellenza tra gli uomini ed ha le Chiavi del Regno dei Cieli; che, dopo la Pentecoste, gli Apostoli appaiono agire come « assemblea » in solidum una volta solo, al Concilio di Gerusalemme (*Atti* 15); che Pietro, senza interpellare alcuno, passò alla seconda fase della Evangelizzazione, ammettendo nella Chiesa i primi Gentili (*Atti* 10); che San Paolo non conobbe neppure il « complesso » apostolico perchè conobbe personalmente solo Pietro (dal quale si recò appositamente) e Giacomo il Minore; che gli Apostoli cominciarono a costituire per le Chiese particolari, al loro posto, dei Vescovi monarchici.

In conclusione: l'unico caso in cui gli Apostoli agirono « solidalmente »

appare essere il Concilio Gerosolimitano. *Dunque*: nulla si può concludere, se non quanto è contenuto nel Concilio Gerosolimitano, nel quale « tutta l'assemblea si quietò » (v. 12 capitolo XV) dopo che ebbe parlato Pietro. A proposito degli Apostoli tutto ci autorizza a parlare di una « categoria » distinta che ha agito anche solidalmente sotto la evidente presidenza di Pietro.

Se a proposito di questa categoria si volesse usare in senso *non* lato il termine « Collegio », bisognerebbe farlo in modo che non contenesse più di quanto è detto, senza completamenti od aggiunte arbitrarie.

Quello che è deducibile dalla prassi dei primi secoli: Che i singoli Vescovi sono successori degli Apostoli nelle Chiese particolari (Ignazio d'Antiochia, Ireneo, Egesippo, Giulio Africano etc.); che viene esercitata la supremazia del Vescovo di Roma, successore di Pietro; che viene svolta anche prima della pace costantiniana una attività conciliare a raggio limitato; che non si parla mai di un « collegio universale di Vescovi », successore o meno di un collegio degli Apostoli, mentre nella contestazione cogli eretici l'argomento principe è quello della « Tradizione » (Ireneo, Tertulliano), collegato colla successione dei singoli Vescovi rispetto agli Apostoli.

Dunque: nulla appare che autorizzi a parlare certamente di un « collegio », succedente ad un altro « collegio », se non in senso lato.

Quello che è deducibile dalla letteratura e prassi seguente: Che, dopo la pace costantiniana si tengono Concilii Ecumenici i quali definiscono e decidono; che tali Concili, anche se in principio hanno una certa generazione spontanea e non vanno esenti da inframettenze politiche, hanno però bisogno dei Legati papali e ricevono conferma dal Papa, il quale fa anche delle riserve (cn. 28 del Concilio di Calcedonia); che la prassi dei Concili è fondamento della dottrina, perchè « si Ecclesia fecit, potuit »; che dalla letteratura Patristica non appare con certezza potersi dedurre più di quello che è affermato dalla prassi conciliare.

Dunque: nel caso si voglia parlare di « Collegio », il contenuto del termine dovrebbe essere specificato con quanto è deducibile dalla prassi conciliare ed in ogni caso dovrebbe essere preso in senso lato.

La prassi conciliare è che tutto diventa operante quando c'è la conferma di Pietro, che pertanto il Concilio riceve qualcosa da Pietro e nulla conferisce a Pietro o limita Pietro. La figura giuridica di questi, Capo, fondamento, detentore delle Chiavi e Pastore per antonomasia (tra gli uomini: al di sopra c'è Cristo) è desunta aliunde, non dal complesso dei Vescovi o dal complesso degli stessi Apostoli.

Conclusioni: Se pertanto la introduzione della parola « collegialità » volesse significare che si afferma un potere dei Vescovi sulla Chiesa universale; oltre quanto è indicato nella prassi conciliare, il termine verrebbe ad assumere una significazione arbitraria perchè non sufficientemente fondata nelle Fonti teologiche.

La conclusione generale è che di « collegio » e di « collegialità » si può parlare solo in senso lato.

Siccome però i due termini sono serviti a confusioni e ad illazioni improprie, bisogna ritenere: « *che non appare opportuno vengano assunti in un testo conciliare* ». Si dicano le cose, ma si evitino i termini destinati a diventare forse equivoci, a meno che non si diano dei medesimi definizioni al tutto fondate e pertinenti.

Il punto al quale si deve guardare in tutta questa questione è la certa e precisa definizione del Primato, data per sempre dal Concilio Vaticano I.

* * *

Textus propositus post discussiones. *Mart. 1964.*

1. Accipitur vox « *Conlegium* » et tamen definitio Conlegii non datur. Hoc est inconveniens, nam semper incipiendum est a definitione rerum.

Definitio aliqua erui potest ex variis attributionibus quae huic voci fiunt et haec definitio non convenit cum classica definitione conlegii. Iterum habetur aliquid inconveniens. Necesse ergo est omnino ut loco « Conlegii », assumatur vox « ad instar Conlegii », eo maxime in art. 22, pag. 21, lin. 1.

2. Optime edicitur quo modo potestas episcopalis corporis ad instar conlegii redacti debeat actu esse tantummodo volente et decernente Petro (pag. 21, linn. 30-34).

Sed antea illa conlegialis potestas per se repraesentatur, dum sine Petro actu non est. Habemus iterum inconveniens.

Si, re in textu perspecta Conlegium ad actum reducitur per solam liberam voluntatem Petri; cur antea edicitur quasi sit per se ipsum Conlegium existens? Melius erat sermo facere tantummodo de oecumenico concilio (cuius praxis est in materia unicus verus fons theologicus), admittendo etiam concilium variis modis posse celebrari.

3. Art. 25 (pag. 23) non bene distinguit inter qualitatem « testis traditionis » et officium magisteriale, quod episcopo competit. Aliud habetur inconveniens.

Generatim articuli sunt nimis diffusi, parum clari et logici.

Timendum est plura dubia esse ab his textibus inducenda.

5

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN

Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Animadversiones (de rebus disceptandis in sessione diebus 16-17 aprilis commissionis de Concilii laboribus coordinandis).

In genere, schemata a commissionibus conciliaribus elaborata et recentissime praesentata cum desideriis commissionis de Concilii laboribus coordinandis bene concordant. Quae omnia propter contractiones immo et praetermissiones ad nimiam discussionem in ipsa aula vitandam et ad pernecessaria negotia Concilii expedienda multum iuvant.

In specie, quoad singula schemata et vota:

I. *De Ecclesia.* In hoc schemate, etsi ipsae materiae optime tractentur, ordo capitum aliqua cohaerentia adhuc caret. Quam ob rem, sequens ordo proponitur ad maiorem unitatem in tota Constitutione procurandam.

	Ordo possibilis:	Ordo praesens:
Caput	I - De Ecclesiae Mysterio	I
	II - De Populo Dei	II
	III - De vocatione ad sanctitatem	V

IV -	De Beata Maria Virgine	VII
V -	De Hierarchia et Episcopis	III
VI -	De Religiosis	VI
VII -	De Laicis	IV
VIII -	De consummatione sanctitatis in gloria Sanctorum	« vagum »

6

Exc.mus P. D. ALOISIUS ALMARCHA HERNÁNDEZ

Episcopus Legionensis

Populi Dei naturam, ad « laicos » speciatim quod attinet, ut partes integrantes ipsius, iuxta schema, considerantes, ut corpus sociale, notis constitutivis quibus ex divina institutione ornatur et regitur, nobis perpendendum videtur, nam nostro humili iudicio, in cap. III schematis, unitatem populi Dei et situm, quem in ipso laici habeant notis communibus et distinctis determinari debere censemus.

Populus Dei in Christo, regeneratione et unctione Sancti Spiritus, ad populum christianum evehitur.

Populus christianus ille etenim est, qui a S. Petro, in prima sua *Epistola* (2, 9-10) describitur ut: « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis... » de tenebris vocatus in admirabilem lumen suum.

Ipse populus est quem Augustinus monstrat dum ait: « Vobis sum episcopus; vobiscum sum christianus ».

« *Gens sancta* » constituit populi christiani corpus sociale iis vinculis religatum: « unus Dominus, una fides, unum baptisma » (*Eph.* 4, 5).

Sed in hac coniunctione, populo christiano efformante, solidaritas socialis nascitur, quae, pro perfecto corpore sociali, organa diversa diversasque functiones sociales postulat.

Ad hoc corpus organicum S. Paulus refertur dum de Corpore Mystico loquitur.

« *Gens sancta* » populi christiani, virtute sacramenti socialis, nempe, baptismi, corpus sociale Ecclesiae efficitur.

Praecipua et necessaria populi christiani organa, propriis functionibus socialibus praedita, sanctificatio et vitae christianae transmissio sunt, quae quidem, duplici peculiari sacramento constituuntur, videlicet, sacramento sociali Ordinis, pro sacerdotibus et sacramento sociali Matrimonii, pro familia.

Utraque in praestantissimo et sacro corpore sociali populi Dei, institutione divina, effecta sunt.

Ecclesia insuper, sua potestate, statui religioso, eius peculiarem functionem statuendo, formam organicam praestabit.

In iis organis socialibus insertio vocatione Dei efficitur.

Haec enim vocatio eiusque impletio, statutis auxiliis, intra Ecclesiam coetus sociales instituit.

Vocatio in amplissimo ambitu populi christiani oritur, sed ad hoc ut organa socialia constituantur, vel sacramentum vel acceptatio canonica requiritur.

Inter essentiales functiones, pro bono Ecclesiae a Deo institutas, sacerdotium invenitur.

Pro conservatione vero et multiplicatione populi christiani, Deus matrimonium instituit, quod, ut specificas functiones habet: vitam propagare, filios christiane instituere, vocationesque in eis a Deo inspiratas accurate colere.

Populus christianus, ad hierarchiam et ad statum religiosum non pertinens, manet in coetu saeculari, et praesertim in vita domestica.

In hoc amplissimo coetu saeculari, vita christiana evolvitur, et praesertim in matrimonio, in quo societas familiaris veluti ad conditionem parvae ecclesiae evehitur, et in qua parentes, fidem et virtutes suos filios docentes et vocationem divinam curantes, quasi munus episcopale exercent, ut S. Augustinus aiebat.

Deinde vero, piae sodalitates, ab Ecclesia erectae veniunt, ut et ipsae in eius vita sociali partem habeant, sive in sanctificatione saeculi sub ductu hierarchiae laborando, sive actionem parentum, sive alias vitae activitates, suo munere explendo.

Astat praeterea vita socialis vel in communitate domestica, vel in paroeciali et dioecesana, immo et in internationali ambitu, peculiaribus notis insignita.

Astat denique activitas apostolica, quae ad omnes coetus corpus sociale efformantes, propriis suis notis, extenditur. Immo vero et universi christifideles hac obligatione stringuntur, ut vel cum sacra hierarchia laborent, munera eis commissa rite exequentes, vel functionibus ex sua simplici insertione in corpore sociali derivatis obsequantur.

Isti, cives populi Dei simpliciter censentur, qui et vinculo solidaritatis socialis cum ceteris fratribus et officiis ex suo baptismo et confirmatione exoriuntur, ligati sunt.

Nullus exstat, ergo, civis populi Dei, officio praestandi servitium a solidaritate christiana postulatum, non obligatus.

Statui sic dicto laicali definitio distincta non datur; laicatus enim est ipse populus christianus, absque vocatione sacerdotali et religiosa.

Definitio laici eadem est ac definitio sacerdotis et religiosi, quatenus christiani, addita pro his sua speciali vocatione.

Definitio in *Epistula I* S. Petri (2, 4-10), clarissime patet: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocabit in admirabile lumen suum: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei ».

Ad vocabulum autem, « laicus » quod attinet, vocabulum « saecularis » nobis magis placeret, quod vocabulum indistincte et pro designandis sacerdotibus et religiosis qui in saeculo vitam degunt, usurpatur.

7

Exc.mus P. D. IGNATIUS ARBULÚ PINEDA

Episcopus Huanucensis

Con toda humildad y sinceridad, pensando sólo en el mayor bien de Nuestra Madre la Iglesia y la edificación de los fieles cristianos, Nos permitimos presentar a la sabia é ilustrada consideración de los venerables Padres conciliares, las siguientes sugerencias, advirtiendo que no sólo son propias, sino también ideas, opiniones, pareceres que hemos recogido de varios grupos de personas del clero:

obispos, canónigos, párrocos y hasta de seglares de varias profesiones, de estos últimos especialmente en las sugerencias de orden práctico.

1. *Parte doctrinal. - Diaconado perpetuo.* En cuanto permanente, si se aprueba la institución de Diáconos sin obligación del celibato, habría que tener en cuenta la selección y debida formación de los candidatos. Hay que ponernos en el caso de que muchos abrazarían este estado teniendo en mira sólo sus beneficios económicos, para mejor asistir a su familia.

Personalmente *nobis non placet* la ponencia propuesta de Diáconos casados. Por derecho natural, por afecto familiar, éstos dedicarían más tiempo a su propio hogar, educación de los hijos, atención de la esposa enferma ó hijos enfermos, etc. y sólo en forma secundaria dedicarían parte de su tiempo (pequeña en tal caso) al ministerio diaconal.

Se ha dicho que esta institución aliviaría la actual alarmante escasez de sacerdotes. Pues bien, si hay escasez de sacerdotes para atender al común de los fieles, de dónde se sacarían para formar a los posibles futuros diáconos? y diáconos casados? Éstos necesitarían una doble formación: para ser medio-ministros de la Iglesia y para ser buenos esposos y padres de familia, dada —sobre todo— la actual crisis del hogar y del matrimonio...

His expositis, nos parece que la posible solución estaría en conceder —por ahora— el Diaconado a los Hermanos Legos ó Conversos de las Ordenes Religiosas que tengan ya dos años de Profesión Solemne en su respectiva Religión. Estos ya tienen una formación espiritual más ó menos profunda, están ya en posesión de conocimientos y práctica litúrgica. Se completaría su formación con algunos Cursillos compendiados de Dogma, Derecho, Moral, etc. Así tendríamos Diáconos a breve plazo y cogidos —digamos así— dentro de la misma Iglesia (concordamos con Mons. Vittorio Constantini, O. de Sessa).

Entiéndase lo mismo de los Seglares piadosos llamados « Hermanos Coadjutores », en la Compañía de Jesús, Salesianos, etc. Y aún de los simples Donados, jovencitos piadosos, que viven en los Conventos y ayudan en los menesteres de la Casa. También estos podrían ser aprovechados como remotos candidatos y formar con los mismos algo así come un Seminario *pre-diaconal.*

Para todos estos sería un gran aliciente y anhelo de mayor superación espiritual la esperanza de llegar a la Orden del Diaconado. Muchos de ellos se preparaban para el Sacerdocio y por causas A ó B no llegaron a coronar sus anhelos y se consolaron con profesar de Hermanos Legos. El llegar a un *cuasi-sacerdocio, el diaconado,* sería para ellos una compensación a su frustrado piadoso deseo, a su primera vocación, y un premio por parte de la Iglesia a su vida totalmente entregada al servicio del Señor.

Primado-Colegio Episcopal. En cuanto a las relaciones entre el Primado Petrino y el Colegio Episcopal, hacemos nuestras todas las ideas jurídico-dogmáticas magistralmente expuestas por el notable teólogo español Dr. Ignacio Jimenez Urresti, en su breve pero enjundioso estudio intitulado « *El binomio Primado-Episcopado* » (Tema central del próximo Concilio Vaticano II), Editorial Desclée de Brouwer, 1962.

En el presente Concilio se ha podido notar la tendencia para proclamar que el Papa ejerce la infalibilidad en *comun-union* con los Obispos. Este planteamiento podría servir de puente para facilitar la reunión con la Iglesia Ortodoxa (Cismática) y con la Iglesia Anglicana.

2. *Parte practica. Curia Romana.* En esta parte cabe considerar todo aquello que mira a la organización y orden administrativo de las Sagradas Congregaciones ó Dicasterios Romanos.

Después de las ya conocidas intervenciones de los Padres conciliares y del discurso del Santo Padre Paulo VI (21 de septiembre 1963), ya sabemos las tendencias par la reorganización en el sentido de simplificación y menos burocracia, con ahorro de ingentes gastos para la Santa Sede. Se ha pensado también en la *internacionalización y descentralización de la Curia Romana.*

Solamente queremos subrayar este aspecto de la posible internacionalización en el sentido en que el mismo Santo Padre lo ha planteado: que todos los Obispos del mundo tomen parte en dicha Curia aportando así —directamente— sus propias experiencias, porque nadie mejor que éllos conocen las necesidades y problemas de sus respectivas jurisdicciones y así darían —efectivamente— una gran tónica ecuménica a la Curia Romana.

En cuanto a la parte económica no sería esta participación episcopal en la Curia una carga para la Santa Sede puesto que cada Episcopado aportaría los gastos respectivos.

Ya se ha planteado también que no siendo posible la asistencia personal de todos los Obispos del mundo podría el Presidente de la respectiva Asamblea Nacional, acompañado de sólo dos ó tres Obispos, llevar la representación de los demás Obispos de cada Región y plantear sus problemas y proponer las posibles soluciones.

Referente al cargo de Presidente de las respectivas Asambleas Nacionales convendría que fuera rotativo entre los Arzobispos de la Nación respectiva. Actualmente, por prescribirlo así el Reglamento aprobado por la Sta. Sede, es Presidente el Primado ó Arzobispo de la capital de cada país. En naciones en que hay más de un Arzobispo (4 ó 5-8 ó 10) el cargo podría rotar para que todos pasen por él. Ahora, en paises en que el Arzobispo tiene el rango de Cardenal, éste sería siempre el Presidente Honorario, tocándole, en cada rotación, la Presidencia activa.

Elección del Papa. Ya se ha insinuado también la participación del Episcopado en la elección del Papa, por ser éste no sólo el Obispo de Roma, sino el Pastor Supremo de la Iglesia Universal (Mons. González Moralejo, Ob. tit. Dardano).

Esta participación podría ser por medio de los Presidentes de las Asambleas Episcopales. Ellos llevarían la representación de los Obispos de todo el mundo al Cónclave.

Parece que la elección por sólo los Cardenales da la impresión de un exclusivismo minimizante para el Episcopado mundial y le resta al acto electivo el sentido ecuménico que debería tener.

En la elección papal —*speciali modo*— se debe ver el carácter esencialmente universal de la Iglesia: los Cardenales solos no son la Iglesia. Forman parte de la Iglesia.

Históricamente, como se sabe, durante los tres primeros siglos del Cristianismo, los Papas y los Obispos eran elegidos por el Clero y los fieles, en presencia de los Obispos vecinos, que ó bien votaban conjuntamente ó confirmaban la elección, ó se limitaban a dar su consentimiento. El Papa León I (440-461) se expresa así: « *Aquel que debe representar a todos, debe ser elegido también por todos* ».

Corte Pontificia - Pompa externa. Tratándose de la Corte Pontificia —y lo hemos oido a muchísimos Padres conciliares, a católicos seglares, a protestantes (y Nos mismo también parece)— convendría suprimir ciertos organismos, aparatos y costumbres solemnes y pomposos que dan a dicha Corte matiz y sabor de Cortes meramente imperiales ó reales, quitándole —hasta cierto punto— su augusta majestad evangélica, plena de sencillez y austeridad edificantes. Ya Pío XII dió normas para simplificar, por ejemplo, las vestiduras cardenalicias...

En épocas pasadas (felizmente pasadas) cuando el Papa era al mismo tiempo rey y poseía los llamados « Estados Pontificios » quizá estaban a tono con dicha situación política las expresiones de externa grandeza que hoy por hoy resultan hasta anacrónicas... y motivan las críticas, especialmente del Comunismo, de racionalistas é incrédulos, quienes se refieren de modo particular al peso económico que dichas expresiones de pompa externa importa a la Santa Sede, habiendo —como hay— hambre y miseria en el mundo...

Nos referimos a las Guardias Noble, Suiza, y similares. Podrían suprimirse y ser reemplazadas por un adecuado número de individuos que tomarían la modesta denominación de « Policia de la Ciudad Vaticana », con un uniforme ad hoc, de corte muy simple y no muy costoso... Su misión se reduciría a la ordinaria policial, en la simbólica y minúscula Ciudad Vaticana.

Nos parece que la venerada persona del Santo Padre no ha menester de custodios que —en último análisis— son meras figuras decorativas. Los uniformes de soldados no deben aperecer junto a El. El militar siempre trae la idea de lucha, de guerra, de contienda. La augusta figura del Papa es testimonio viviente de amor, de paz, de perdón!

Recordemos que Jesús no anduvo acompañado de soldados. La única vez que estuvo rodeado de soldados fue cuando lo prendieron en el Huerto de la Agonía, en el preludio de su Pasión y Muerte!

La persona del Santo Padre sólo debe estar rodeada de los Cardenales, Obispos y demás Prelados y sacerdotes. De elementos puramente eclesiásticos.

Igualmente parece conveniente suprimir algunas otras formas de pompa externa, como la Sedia gestatoria, los grandes abanicos de plumas (flabelle). Cuando el Papa es ya anciano y se fatiga al caminar vendría bien la Sedia...

La misma Tiara Pontificia es ahora un simple recuerdo: sabemos que simbolizaba el poder papal sobre reyes y emperadores. Ahora ya no tiene ese poder, y... tampoco existen ya reyes ó emperadores. Los pocos que aún quedan irán desapareciendo ante el avance incontenible del concepto y la práctica democráticos...

Bien se echa de ver que todas estas formas, externamente solemnes y grandiosas —por sí solas— no contribuyen a realzar la intrínseca grandeza y natural majestad del Papado.

Las formas sencillas, simples, evangélicas, no son la humildad, pero dan idea de élla. No olvidemos la profunda y bella lección de Juan XXIII. El conquistó el mundo por su humildad y sencillez!

Parece que en las actuales circunstancias del mundo es más convincente y decisiva la Pastoral de la humildad...

Nunciaturas Apostolicas. Igualmente convendría —ya se ha insinuado en el Concilio (Mons. Van der Burgt, Pontianak - Indonesia)— la supresión ó reducción de las Nunciaturas Apostólicas. Vale en este caso, el argumento ya apuntado:

cuando el Papa era rey convenía el intercambio de Embajadores. Los Nuncios-Embajadores ya no tienen razón de ser. Mucho menos si se aprueba la tesis de la participación del Episcopado en el Gobierno de la Iglesia, éste podría muy bien ser el enlace legítimo y natural con la Santa Sede. Se dirá que las naciones también han acreditado Embajadores ante la Santa Sede. Es cierto, pero lo han hecho por acto de mera cortesía y respeto a la misma. Pero ya no tienen el carácter propiamente político, que tuvieron cuando el Papa tenía el poder temporal y era, al mismo tiempo, rey de Roma.

Si la Santa Sede deseara mantener siempre Representantes Pontificios en las naciones, podrían muy bien ser reemplazados por los respectivos Arzobispos, residentes en capitales de naciones y si éstos son Cardenales, mucho mejor. El Cardenal pertenece al Senado del Papa. Quién mejor y más llamado a representarle que éste?

La Representación Vaticana exclusivamente por Nuncios italianos menoscaba —hasta cierto punto— la bella nota de Ecumenismo que tiene y debe tener la Iglesia...

De otro lado la supresión ó reducción (en el caso de ser reemplazados por los Cardenales de cada país) de las Nunciaturas reportaría considerables ahorros económicos a la Santa Sede; y, lo que es más importante, le evitaría la búsqueda y selección de personal, dada —en este capítulo también— la escasez de personal apto para cargos puramente diplomáticos.

Obispados multiples. Otro punto práctico (aunque éste se refiere sólo a Italia) y lo apuntamos por haberlo oido durante el Concilio a muchísimos Padres (incluso a los Observadores) y a Nos mismo también parece, es el referente a la excesiva multiplicación de Obispados en Italia. Hay al rededor de 430 obispos entre residenciales y titulares. De los cuales 269 son residenciales... Y los territorios episcopales son tan reducidos que han sido llamados muy significativamente « *Obispados Liliputienses* »... los hay que están limitados apenas por una carretera ó por algunas calles...

Parece que un número tan excesivo es inútil ante la clamorosa y notoria escasez de sacerdotes y prelados en las demás partes del mundo...

Se podría, canónicamente —salvo meliori iudicio— reducir el número de Obispados residenciales por unión extintiva ó supresión, y enviar a los Prelados ya libres del cargo —especialmente a los más jóvenes— a Regiones de Misiones donde, realmente, harían magnífico apostolado, dedicando sus energías a la difusión evangélica en esos lugares que angustiosamente tienen hambre y sed de verdad, de Cristo... ut illuminent eos, qui in tenebris et in umbra mortis sedent...!

Ampliación y extensión de la invitación al Concilio. Otro tema de orden práctico y de indudable trascendencia para el Concilio —demonstración del espíritu maternal de la Iglesia— y que le atraería muchísima simpatía (causa tal vez de futuras conversiones) sería invitar no sólo a los dirigentes católicos seglares (como ya se ha hecho) sino también a hombres y mujeres eminentes de otros credos religiosos, pertenecientes a diversas profesiones y campos de la actividad humana: médicos, abogados, catedráticos, intelectuales, periodistas, etc. Serían importantes y apreciables las aportaciones de sus respectivas experiencias y conocimientos. La Medicina, por ejemplo, tiene vastas conexiones con la Moral. Mucho más en nuestros días en que tanto se está difundiendo el llamado « control de la natalidad », la fecundación artificial y hasta la producción de la especie

humana « in vitro », experimento este último hecho en Italia (aunque no con éxito completo, todavía) que mereció apasionados comentarios así en pro como en contra. « Hay, debe haber, una ciencia médica y eugenesia cristianas » (Pío XII, discurso a la Unión Médico-Biológica de S. Lucas, noviembre de 1944).

La contribución de los maestros sería también muy importante en el campo de la educación, mayormente ahora que la juventud moderna tanto se desvía de las normas de la moral cristiana. Et ita porro...

Quizá por la estrechez de tiempo —durante Concilio— no podrían participar todos éstos. Entonces convendría invitarlos siempre como oportunos Asesores de las Comisiones Permanentes Post Conciliares propuestas anteriormente, en el caso de que fueran aprobadas.

Estos son los humildes puntos de visto que —coram Deo— presentamos a los venerables Padres conciliares, rogándoles perdonar si en ellos hubiere algún concepto equivocado ó menos correcto, *quia humanum est errare...*

8

Exc.mus P. D. CAROLUS BALDINI

Episcopus Clusinus et Pientinus

Propositio: de corrigendo titulo et contextu capitis quod inscribitur *De constitutione hierarchica Ecclesiae* (*et in specie de Episcopatu*).

Praemissio. In cap. I de « Mysterio Ecclesiae » locuti sumus, Ecclesiam mundo praesentando ut Corpus Christi mysticum, familiam Dei etc.? seu ut quid unum ac vitale, non mere iuridicum aut frigidum, in hoc adhaerentes spiritui huius Concilii, cuius est Ecclesiam veluti sponsam sine ruga aut macula hominibus praebere, iuxta mentem Ioannis XXIII f. r.

Bonum est ac huic spiritui consentaneum in capite II loqui de « Populo Dei », et ita caput, in schemate uti secundum positum, fit tertium.

At qui hoc caput in schemate paraverunt, videntur prae oculis habuisse propositum perficiendi incepta Vaticani I, potius quam rationes quibus Ioannes motus est ad ineundum novum Concilium; et ideo sensum historicum prae pastorali prosecuti sunt.

Condiciones vero historicae exstantes cum Concilium Vaticanum I celebratum est, omnino immutatae sunt in praesens. Tunc agebatur de tuenda auctoritate Romani Pontificis, qui post saecula, in eo erat ut exspoliaretur omni temporali potestate; agendum erat insuper, si tempus suppetivisset, de tuenda potestate originali ac divina episcoporum, eorumque libertate, contra civilem potestatem, quae sese immiscebat in rebus ecclesiasticis.

Quot uberes fructus prodiere ex veritatibus a Patribus definitis, Spiritu Sancto inspirante, in Conc. Vaticano I, omnes norunt; at in praesens nova urgent problemata, quorum solutio argumentum et finem constituunt huius nostri Concilii, et proponitur Patribus spiritu vere pastorali quaerenda.

His praemissis: *Nonne melius esset,* cum de episcopis loquimur, *gressum facere a missione a Christo Domino eis tradita, potius quam a potestate qua missio fulcitur?*

Huius asserti rationes hae mihi videntur:

a) Adhaereremus magis spiritui cap. I et II, in quibus hierarchia proponitur uti servitium, potiusquam uti potestatis exercitium.

b) Sub aspectu psychologico melius esset non praesentari per missionem nobis demandatam, quam potestate qua decoramur, ne videamur agere uti « Cicero pro domo sua ».

c) Theologice loquendo multae vitarentur difficultates, iam in disceptatione emersae: nam quoties loquimur in directo de potestate episcoporum, sive singillatim, sive collegialiter sumantur, in suspicionem incidimus contendendi in foro contentioso cum auctoritate Petri.

Dum e contra, si missio recoletur, praeprimis Petro data, dein Apostolis in solidum cum Petro, pacificus fieret sermo noster ac favorabilibus consequentiis plenus pro ipso potestatis exercitio.

d) Iuridice loquendo. Mandatum est certissime fundamentum potestatis, a quo igitur potestas oritur et mensuratur in suo esse; finis vero, ad quem attingendum Apostoli missi sunt, « salus scilicet animarum » ordinat potestatem in formis et modis quibus exerceri debet; sub ductu et auctoritate Petri, in executione mandati in solidum accepti, nulla forma quae a necessitate attingendi finem exigitur reicienda est, sive haec exigat exercitium potestatis singulorum episcoporum sive collegii. Cumque in mundo hodierno exigentiae novae, novas requirant formas in fidei propagatione, longum, igitur, iter aggrediendum est animo pastorali.

e) Agentes de mandato, priusquam de potestate, exemplo Christi et Evangeliorum doctrinae melius aequaremur:

Exemplo Christi, dixi, cui data fuit a Patre omnis potestas, et tamen non venit ministrari, sed ministrare;

Doctrinae Evangeliorum, dein; nam si attente verba consideramus quibus Christus imperavit Petro et Apostolis de Ecclesia regenda et gubernanda, haec verba in primis et in directo significant *missionem,* cui consequuntur et charismata et potestates necessaria ad mandatum explendum.

Primum mandavit Petro ut suis humeris, veluti firma petra, Ecclesiam sustentaret, in fide fratres confirmaret, oves et agnos pasceret; dein Apostolos misit (Sicut misit Me Pater, idest ad salvandum mundum) ut praedicarent (servitium verbi), baptizarent (servitium ministerii), docerent servare omnia mandata (servitium magisterii).

Christus dat insuper in huius missionis exercitio regulam servandam: « Principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt potestatem exercent in eis; non ita erit inter vos, sed quicumque vult maior fieri, sit sicut vester minister » (*Mt.* 20, 27-28).

His edoctis verbis et exemplo, cum de Nobis in hoc Concilio sermo fit, seu de Hierarchia, non tam sub specie potestatis exercendae nosmetipsos mundo praesentare debemus; sed ut a Deo missi ad ministrandas in bonum animarum divitias Redemptionis, « non ut dominantes in cleris, sed forma gregis facti », iuxta Petri praeceptum.

Examen contextus capitis « De Hierarchia » idem suadet. In prooemio (linn. 5 et 6), ubi loquitur de distinctione populum Dei inter et ministros, hi dicuntur « qui, ut ministri, potestate pollent » — distinctionem urgendo in potestate, potius quam in missione aut in caractere sacerdotali.

In n. 12, pag. 24, linn. 2-3 legitur: « apostolos misit, ut suae potestatis par-

ticipes facti, omnes populos regerent, et Ecclesiam sub tutela ipsius Domini gubernarent ».

« Regere », « gubernare », « sub tutela » sunt verba vel minus male sonantia auribus huius mundi, spiritu democratico imbuti.

In n. 14, pag. 25, linn. 9-11, parallelismus instituitur inter potestatem gubernandi et sanctificandi, quarum altera pertinet ad iurisdictionem, altera ad ordinem, quae potestates diversis reguntur legibus.

In eadem pagina, linn. 23-25 solemniter adfirmatur: « Proinde Sacra Synodus declarat episcopos, etiam vi sacramenti, superiores esse presbyteris, quos ad sacerdotale munus partecipandum vocant ».

Quam male sonabunt haec solemnissima verba, etsi in se vera, quaeque ponere videntur baculum et mitram, etiam noctu ferenda, nos inter et sacerdotes nostros, qui vitam et passionem ministerii nobiscum dividunt, non est qui non videat.

Tandem aliquando, in pag. 25, linn. 26-38, seu in ultima capitis pericope, agitur « de servitio in bonum animarum exercendo » per verbi Dei praedicationem et sacramentorum administrationem.

Quod praemittendum erat, uti conclusio accipitur.

Veritatis substantia per hoc salva fit; sed nec modus veritatem repraesentandi, nec forma respondere videntur sensui, quo nos omnes episcopatus ordinem et missionem accepimus; nec nos liberat a legitima suspicione « Episcopos hic coadunatos esse, non ad unionem et indivisionem cum Petro fovendam, sed ad iura vindicanda, et cum ipso Petro, quasi in contentioso foro, dividenda ».

Quod sane longe est a mente et corde omnium nostrum.

Dum e contra, si integrum caput referretur sub adspectu missionis, ad quam adsequendam est ipsa ratio nostri esse, omnia in meliorem ac fecundiorem modum resolverentur.

Conclusio. 1. Capitis secundi titulus ita mutetur, ut non iam de potestate hierarchiae, sed de Hierarchia, seu de Missione Ecclesiae sermo fiat; et ita caput I sonat « De mysterio Ecclesiae »; caput II, « De populo Dei »; caput III, « De Hierarchia seu de missione Ecclesiae ».

2. Integer contextus, etiamsi aptetur iuxta 5 puncta proposita et schedulis probata, parum mutatur; peccatum enim remanet in ipsa radice, dum loquimur in directo « de potestate ». Retrahatur, igitur, non ad corrigendum, sed ad sepeliendum.

3. Novum caput exaretur, in quo primum sermo sit de missione Petro a Christo data pascendi gregem et confirmandi fratres in fide; dein Apostolis, eundi, praedicandi omnibus gentibus, baptizandi, et docendi; tandem, comparatione facta cum necessitatibus huius nostri temporis, novae proponantur formae, quo Hierarchia Ecclesiae his necessitatibus providere valeat.

Gregorius Magnus episcopo Constantinopolitano, qui de potestate in Ecclesia orientali a se exercenda contendebat, respondit: « Et ego, Petri successor, non iam ad potestatem exercendam positus sum, sed ut omnibus servirem; ideoque Servus Servorum sum Dei ».

En via quae nobis aperitur ad optatam unitatem Ecclesiae, Deo adiuvante, consequendam.

9

Exc.mus P. D. FELIX BONOMINI
Episcopus Comensis

1. *Circa schema « De B. Maria Virgine »*. Optarem proprium schema ut fusius dici possit de Maria vera matre Ecclesiae. Ipsa enim auctorem Ecclesiae genuit Christum Dominum et in hoc praebuit materiam Sacrificii permanentis novae legis; ipsa adfuit, cum Ioanne sub Cruce Domini in actu oblationis; post Ascensionem Apostolos disposuit ad receptionem Spiritus Sancti; cum ipsa primi credentes erant perseverantes in oratione, in fractione panis et in doctrina Apostolorum; ab ipsa ipsi auctores inspirati multa cognoverunt de infantia Christi. In ipsa expositione schematis de Ecclesia, in memoriam reducantur quae ad Beatam Virginem pertinent, ita ut appareat locum principem ad ipsam pertinentem in ordine ad salutem animarum.

2. *Circa collegialitatem episcoporum*. Mihi videtur indubiam esse, si tamen intelligatur « cum Petro et sub Petro », ut patet ex Sacra Scriptura et Traditione.

Nec timendum videtur quod aliquid subtrahat primatui Summi Pontificis, nam ipse Summus Pontifex est caput collegii episcoporum et nulla deliberatio collegii vim habet absque beneplacito Pontificis et hoc evenit etiam in ipso Concilio Oecumenico.

Summus Pontifex e contra, vi specialium facultatum ipsi ab ipso Domino collatarum, libere agere potest in tota Ecclesia, quin vota vel consilia episcoporum exquirere debeat.

3. *Circa sacramentalitatem episcopatus*. Opto ut clare et aperte declaretur sive ad unitatem variorum Ordinum significandam in plenitudine sacerdotali sive ad maiorem venerationem fovendam sive ex parte sacerdotum sive ex parte fidelium erga eos quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei et ad eorum iussa vel monitiones devote et fideliter recipienda.

Inter argumenta probativa eminet quod in decursu historico, numquam sacerdotes simplices consecrationem episcopalem perfecerunt, dum e contra semper et soli episcopi sacerdotes consecraverunt.

4. *Circa constitutionem stabilem diaconatus tamquam ordinem ex se stantem*. Mihi videretur inopportuna in nostris regionibus; ad nutum Sanctae Sedis remittenda in illis regionibus missionalibus vel quocumque modo dissitis ubi, iudicio ipsorum missionariorum, profutura esset et quidem etiam in his casibus valde laudabiliter cum obligatione caelibatus et solum perraro, ob gravissimas causas a Sancta Sede diiudicandas, cum dispensatione a lege quae ab antiquis temporibus fuit et permanet gemma fulgida Cleri Ecclesiae Latinae.

5. Optarem ut in schema *de Ecclesia,* in maiori luce poneretur Sacramentum SS. Eucharistiae tamquam fundamentum unitatis: fidelium et centrum totius cultus liturgici, ad quod Sacramentum fideles recurrere debent, sive ad vitam gratiae in semetipsis conservandam, sive ad debitum cultum Deo exhibendum maxime in diebus festis, Sacrosancto Sacrificio Missae actualiter et devote participando.

Ex ipsa natura rei clare patet quod per Eucharistiam adimpletur promissio Christi « vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ».

Puto Concilium Oecumenicum optimam prosecutionem habiturum si, ut in

praecedentibus sessionibus laudabiliter factum est, omnibus Patribus conciliaribus data erit maxima libertas loquendi, et gratias permaximas ago omnibus componentibus Secretariam Generalem qui, officium suum non facile, humanissime adimpleverunt. Quod Deus illos continuo adiuvet!

10

REV.MUS P. D. IOSEPH BUCKLEY
Superior generalis Societatis Mariae

I - *Ad summum gradum universalis Ecclesiae.* Episcoporum collegialitas mihi videtur optimum firmamentum habere in Sacra Scriptura. Qua in re existimo utile esse quoddam scriptum Patris Barnabas M. Ahern, C.P., quod alligatum ad fasciculum addo [cf. *Nota, pag. 566*].

Habeo nunc in animo, si placet, de aliquibus collegialitatis aspectibus agere qui nostris temporibus maxime congruunt.

Summus Pontifex certe potest sua sponte et nulla adhibita consultatione, illas res statuere quae sibi statuendas esse videntur. Huiusmodi iudicium omnes catholicos obstringit iuxta suam peculiarem naturam. Si de dogmatica definitione « ex cathedra » agatur, ea accipienda est ut materia absolutae fidei.

Si universalis lex est, in omnibus locis valere debet. Ulteriores distinctiones quae ad diversam naturam praeceptorum Summi Pontificis referuntur itemque normae prudentiae quae ad eorum observantiam adhiberi debent, apud moralis disciplinae et iuris canonici magistros inveniuntur.

Ex alia tamen parte, existimo prudens non esse Summum Pontificem plerumque nulla adhibita consultatione, consilia capere, praesertim si de consiliis maximi ponderis agatur.

Spiritus Sanctus enim protegit Ecclesiam et praecipue eius Caput, Summum Pontificem, sed regimen Ecclesiae re vera humano modo agit: more, videlicet, regiminum civilium, ut historia docet. Quapropter Summus Pontifex videtur consulere debere.

Praesertim consulere debet episcopos et quoniam impossibile est saepe omnes episcopos consulere, consulere debet eorum legatos.

Iesus Christus enim super duodecim Apostolos Ecclesiam suam fundavit et eorum successores episcopos, una cum Petro eiusque successore, Episcopo Romano, qui prout dux collegii episcopalis habet a Christo etiam potestatem sine aliis episcopis rem aliquam solus diiudicandi.

Summus Pontifex autem concedere debet episcopatum fundatum esse a Christo et episcopos ab eodem Iesu Christo suos consiliarios constitutos esse.

Quando tamen et quoties, et quibus temporibus Summus Pontifex episcopos consulere astringatur, haec omnia virtute prudentiae determinabuntur, ratione habita etiam varietatis temporum, maiorum vel minorum difficultatum in itineribus ingrediendis, maioris vel minoris cultus episcoporum, monarchicae aut aristocraticae aut democraticae mentis populorum diversarum aetatum.

Summi Pontificis est in sua prudentia statuere temporis momenta et condiciones huiusmodi consultationis; sed etiam legitima disceptatio hac de re fieri potest in Concilio Oecumenico ubi mens alicuius ecclesiasticae aetatis eiusdemque necessitates maxime percipiuntur.

Quoniam autem consultatio prudentia determinatur, legitime illa variari potest in diversis aetatibus. Quapropter non est alicuius Concilii Oecumenici statuere regulas de consultatione incommutabiles quae servari debeant a subsequentibus Conciliis vel immo a Summo Pontifice, qui semper Caput Ecclesiae remanet.

Quodsi Iesus Christus munus suae Ecclesiae moderandae Summo Pontifici et episcopis tradidit, nullo modo videtur praeclusisse presbyteris et laicis quamdam partem habere in gubernatione Ecclesiae. Quinimmo Ecclesiae traditio certiores nos facit, iam ab initio humiles presbyteros et saeculares homines quamdam partem re vera habuisse in rebus ecclesiasticis administrandis.

S. Ignatius Antiochenus enim in sua Epistula ad Trallanos in qua inveniuntur illa verba quae saepe a nonnullis afferuntur « ut sine episcopis nihil agatis » plane affirmat se presbyteros et diaconos considerare integralem partem gubernationis Ecclesiae. « Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine episcopo nihil agatis, sed et presbyterio subditi sitis ut apostolis Iesu Christi, spei nostrae, in quo conversantes inveniemur. Oportet autem et diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Iesu Christi, omni modo omnibus placere; non enim ciborum et potuum diaconi sunt, sed ecclesiae Dei ministri. Oportet igitur, ut sibi caveant a criminibus tamquam ab igne.

Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum: sine his ecclesia non vocatur.

Qui intra altare est, mundus est; qui vero extra altare est, non est mundus; hoc est, qui sine episcopo et presbyterio et diaconis quidpiam agit, is non est mundus in conscientia ».[1]

In aliquibus saeculis laici latam operam dabant electioni episcoporum.

S. Athanasius, quamvis tantum diaconus esset, magnam partem in condemnatione Arii, in Concilio Nicaeno habuit.[2]

Aequus autem numerus episcoporum et non episcoporum videtur adfuisse Conciliis Oecumenicis I, II, III et IV Laterani et II Concilio Lugdunensi, et suffragium tulisse.[3]

In Concilio Constantiae, in quo singulae Nationes suffragia ferebant, laicorum suffragia nonnunquam determinaverunt positionem a propria natione capiendam.

Videtur enim igitur aequum Patrem M. Gulielmum Slattery, Superiorem Generalem Congregationis Missionis, habentem in communitate, cuius moderator est, circiter 6.000 presbyteros et fratres coadiutores, inter quos 44 episcopos, et 45.000 sorores velatas, adesse Concilio Oecumenico Vaticano II, haud secus ac exc.mum Dominum Marion F. Forst, episcopum « Dodge City », ut exemplo haud extremo utar, qui habet sub sua episcopali iurisdictione tantum 77 sacerdotes, 310 sorores et 28.851 catholicos.

Ceterum historici multa alia exempla afferre possunt quibus, saeculis vertentibus, clare apparet saepius partes aliquas magni momenti hominibus non episcopis datas esse in gubernatione universalis Ecclesiae.

---

[1] Cf. M. J. Rouet de Journel, S. I., *Enchiridion Patristicum,* nn. 48 et 49.

[2] Cf. Socrates, *Historia Ecclesiastica,* l. I, cap. 8 (*PG,* t. 67, c. 60 ss.).

[3] Cf. Llorca, *Historia de la Iglesia* (BAC), Tom. I, p. 694, passim.

II - *Ad gradum dioeceseos.* Sicut Summus Pontifex, prudentia motus, partem aliquam in gubernatione totius Ecclesiae episcopis concedere debet, ita, eadem virtute impulsi, episcopi ipsi debent partem in gubernatione dioecesium dare suis presbyteris, saecularibus necnon religiosis, fratribus religiosis et sororibus atque utriusque sexus laicis.

Iure divino episcopi, ut apostolorum successores, videntur sua auctoritate — sub dicione tamen ac potestate Summi Pontificis — decisiones capere posse, pro sua quisque dioecesi, nulla adhibita consultatione, et huiusmodi decisiones certe validae sunt. At si sine ulla consultatione episcopi decisiones magni momenti capere valide possunt, non certe prudenter; hanc ob causam, quod si Deus certe non permittit in gubernatione Ecclesiae suum praesidium deficere, tamen huiusmodi gubernatio substantialiter modo humano fieri debet.

In oboedientia Summi Pontificis et in obtemperantia legum Iuris Canonici, episcopi iure possunt ipsi determinare quem consulant, quomodo et quam frequenter consulant. Dummodo consulant! Aliquid velim tamen addere: episcopi non consulant arbitrio suo sed ratione habita temporum et locorum.

Tempus fuit iam cum fideles non satis liberaliter educati, prudens consilium episcopis plerumque dare non poterant. Sed generales conditiones fere omnium populorum nunc permutatae sunt.

Nominationes episcoporum, quamquam magna cum diligentia fiant, tamen fortunae saepius debentur. Non desunt enim in pluribus dioecesibus nonnulli sacerdotes qui episcopos aequent et etiam, in quibusdam partibus gubernationis Ecclesiae, superent.

Laici autem nostris temporibus saepe superant clericos in multis rebus ut aliquibus disciplinis schola tradendis, in pecuniis administrandis, in domibus aedificandis, etc., etc.

Bonum est itaque ut episcopi prudentibus consiliariis circumdentur qui eos, in eorum dioecesibus administrandis, adiuvent.

Homines enim nostra aetate consultari volunt. Quinimmo unaquaeque classis fidelium expetit, in consilio dioecesano episcopi, proprios legatos habere.

Quodsi Ecclesia quaerit optata populi bene educati et democratici explere, absolute necesse est ut consilium consultorum quod unusquisque episcopus, iuxta normam Iuris Canonici, habere debet, non tantum constet ex dioeceseos presbyteris sed etiam ex fratribus, sororibus et laicis, in eadem dioecesi commorantibus, iuxta aliquam proportionem.

Explicare hic velim propositum meum esse loqui de consilio consultorum (cf. can. 427 et 391), non autem de quodam comitatu, animarum curae praeposito, de quo in schemate « De cura animarum », nn. 43 et 45. Nam multa eaque pulchra, nostris temporibus, dici possunt de apostolatu laicorum sed nihil alicuius ponderis fieri poterit donec laici quamdam partem in moderanda dioecesi habuerint. Si Ordinarius loci vere exoptat religiosos sacerdotes suae dioeceseos familiariter sibi coniungi in cura animarum, debet aequam partem eisdem tribuere in moderanda dioecesi. Secus haberetur quaedam « taxatio sine curatione ».

In huiusmodi autem gubernationis Ecclesiae forma, quae reapse monarchica est sed in operatione democratica, ne frustra omnes operentur, oportet ut episcopi, quomodo consulant, discant. Episcopi enim debent comiter, leniter, in generali coetu, omnes consultores de unaquaque re audire; quinimmo debent liberum, et si necessarium est, secretum suffragium concedere. Quodsi non semper

episcopi tenentur sententiam maioris partis consultorum sequi, ordinarie tamen bonum est eos id facere.

Rectum, si vultis, « parlamentarem » modum procedendi in consultationibus non nego re vera difficilem esse sed tamen utilem et fructuosum.

Nota. Witness of Sacred Scripture to the Collegiality of the Apostles and Bishops; Barnabas M. Ahern, C. P.

The doctrinal contribution of Sacred Scripture is rightly measured only when Scripture is read in the spirit in which it was written. The authors of the New Testament never intended to write a theology manual or a text book of Apologetics. They intended instead to bear witness to the life of Christ and to explain His doctrine in the pre-theological and biblical thought patterns of the first century. Hence their writings are often suggestive rather than scientifically complete, factual and expository rather than juridical and theological in the modern sense of these words. Often enough the New Testament affirms a truth through an accumulation of statements without ever analyzing it or even asserting it in a patently dogmatic form.

This stylistic character of the New Testament must be kept in mind especially in studying its teaching on the collegiality of apostles and bishops. It is futile to search the Scripture for the term "college" or for an explicit and scientifically complete theology of the doctrine of collegiality. This does not mean, however, that this doctrine is absent from the New Testament. It can be clearly shown that our Lord founded His Church on the Twelve Apostles and intended this collegiality to perdure.

His choice of twelve men is the first indication of this. We call them "apostles", but to Jesus they were always the "Twelve". "Apostle" is a term which was widely used in the primitive church to designate preachers endowed with powers of charismatic utterance, men like Apollo and Epaphras, Paul and Barnabas, It was only as time went on that the term was extended by paronomasia to the first followers of Christ who eventually came to be looked on as "apostles" par excellence. In the Gospels, therefore, the word "apostle" appears much more rarely than we would expect. St. John never uses the term; in St. Matthew we find it only once; St. Mark employs the word rarely; only in St. Luke does it occur with some frequency.

For Jesus Himself the men grouped intimately around Him were always the "Twelve". His choice of this number was not fortuitous, as though He could have chosen as easily a group of ten or fourteen. His choice was not a mere imitation of the groups of twelve in the community at Qumran. In choosing this number He had in mind the concurrent Old Testament expectancy that the new Israel of the messianic kingdom would be marked by the perfect unity of the twelve tribes. This hope is crystallized in the prophecy of Ezechiel (c. 47). Jesus probably drew from this prophecy His concept of the apostles as "fishers of men" (*Mark* 1:17; cf. *Ezech.* 47:9-10). He also found in this chapter a reason for His choice of twelve as a symbolic fulfillment of God's promise, "These are the boundaries within which you shall apportion the land among the twelve tribes of Israel... All of you shall have a like portion in this land which I swore to give to your fathers, that it might fall to you as your inheritance" (*Ezech.* 47:13-14).

Our Lord Himself explicitly affirmed the intimate connection between His choice of the Twelve and the fulfillment of the Old Testament hope. In answer to Peter's query He promised, "Amen I say to you that you who have followed me, in the regeneration when the Son of Man shall sit on the throne of His glory, shall also sit on twelve thrones, judging the twelve tribes of Israel" (*Matt.* 19:28). Again at the Last Supper He declared to His apostles, "I appoint to you a kingdom, even as my Father has appointed to me, that you may eat and drink at my table in my kingdom; and you shall sit upon thrones, judging the twelve tribes of Israel" (*Luke* 22:29-30).

For our modern Western mentality a symbol is often an empty thing. But in the Semitic and biblical mind of Jesus and the authors of the New Testament, a symbol willed by God contains reality. Twelve men singled out from all others to represent the new Israel would both contain its reality and serve as its bond of unity.

This statement is not merely an a priori judgment on the nature of biblical symbolism. It is borne out by all of Christ's dealings with this special group. Though it is true that

He singled out Peter in a special way (*Matt.* 16:17-19; *Luke* 22:31-32; *John* 21:15-17), still this conferral of primacy must always be seen as part of a whole context. Through the Gospel story Christ deals with the Twelve as Twelve, giving to all and to each the fullness of His own messianic ministry. For the three words which Christ addressed to Peter personally we have, on the other hand, numberless words which He addressed to all Twelve. It is, therefore, as head of the apostolic group that Peter occupies a unique role. Though he heads every list of the Apostles, he always occupies this first place as one of the Twelve. To see him as someone apart from the apostolic group is to sever the head from the body. Peter's role in "confirming his brethren" (*Luke* 22:32) should not lead us to overlook the fact that those to be confirmed are his "brethren"—and so much his "brethren" that one of them, Paul, did not hesitate to rebuke Peter at Antioch (*Gal.* 2:11-14).

The prominence of the Twelve as Twelve is one of the most striking features in the story of Jesus. Many others followed Christ and worked for Him. St. Matthew consistently refers to all, both the Twelve and the others, as "disciples". But event after event clearly distinguishes the Twelve from everyone else.

First, we have the story of their call. St. John, whose Gospel is both Christological and ecclesiological, spends a great part of the very first chapter of his Gospel (1:35-51) in describing Christ's first meeting with five of the Twelve. When at last the time came for the definitive choice of this special group Christ spent the whole night in prayer: "and when day broke, he summoned his disciples; and from these he chose twelve» (*Luke* 6:12-13). Mark's description of the scene has a value all its own. The style of the recountal is hieratic with the solemnity of a liturgical formula probably in use in the primitive Church. The contents of the narrative show the full meaning of the call as a definitive choice of twelve men to share the messianic mission of Jesus as it had been described in the prophecies of the Old Testament. Every word in *Mark* 3:13-15 is weighted with meaning: "And going up a mountain, he called to him men of his own choosing, and they came to Him. And He appointed twelve that they might be with Him and that He might send them forth to preach. To them He gave power to cure sicknesses and to cast out devils".

The subsequent work of the Twelve was a real share in the messianic ministry of Christ. To all and to each He gave His own powers of word and of sacrament. There was never any question of giving to only one that he might share with others, or of giving only partially to one and partially to another. He gave all to all. Consistently He dealt with the group as a group and formed His word of address always in the plural—"you". To these men He gave a special training in the "mysteries of the Kingdom". To them He confided the secret of His redemptive work.

The destiny of the Suffering Messiah had been clearly revealed in the Old Testament (cf. *Isa.* 53; *Zach.* 12:10), but this insight soon vanished from the popular faith of Judaism. The inter-Testamental literature shows no trace of it; not even at Qumran did the devout Covenanters suspect that the "tribulations of the Messiah" (i. e., the sufferings of the community) would ever touch the Messiah himself. Always the Messiah of Judaism is a glorious God-sent deliverer. Jesus alone knew clearly the way in which He would accomplish His messianic work. Yet this most intimate secret of His mission—the core of His redemptive work—He manifested to the Twelve. Matthew's recountal emphasizes the importance and intimacy of this revelation: "And as Jesus was going up to Jerusalem, he took the twelve disciples aside by themselves, and said to them, 'Behold' we are going up to Jerusalem, and the Son of Man will be betrayed..." (*Matt.* 20:17-18).

It is clear, therefore, from the Gospels that the Twelve occupied a unique place in the plans and work of Christ. To them, as distinct from all others, He confided the secrets and the powers of His own mission. To them, too, He entrusted responsibility for the permanence of His work. At the Last Supper He charged them to reenact His greatest Sacrament (*Luke* 22:19). After His resurrection He solemnly declared that they must carry on His work of sanctifying, teaching, and proclaiming His law (*Matt.* 28:18-20). The significant fact is that all of these commissions are expressed in the plural form—"you". It was to the Twelve, to all and to each,—to the apostolic group with its chief, Peter—that Christ confided His Church.

Our Lord's words in the Gospel, however, involve more than a committal of His Church to the Twelve on whom He historically founded it. The promise which He made to them and the charge which He laid upon them makes clear that their work was to be

carried on by successors. In pledging to the Twelve the gift of the Holy Spirit, as the source of life and truth in His Church, He told them that this gift will be "with you *forever*" (*Jn.* 14:16). So, too, in His commission to the Twelve after His resurrection He promised the permanence of His own help in the work of teaching, sanctifying and proclaiming the law: "Behold, I am with you *all days,* even unto the consummation of the world" (*Matt.* 28:20).

In both these instances Christ spoke to the Twelve as a group; and in both instances He explicitly envisages a continuance of their role and work through the ages. Hence, we are warranted in concluding that Christ willed the personnel on which He founded the Church to endure forever through their successors.

It is an incontestable fact that the Twelve functioned as a group in the early history of the Church. Their first act after the Ascension of Christ was to fill the place left vacant by the infidelity of Judas and thus to restore the sacred symbol of the twelve tribes. At that moment the apostles were looking forward to the imminent return of the Messiah and the inauguration of His kingdom when they, as twelve judges, would fulfill His purpose in choosing them.

The actual fulfillment of His promise, however, differed from their expectation. Their real work was to inaugurate the new Israel, the kingdom of His Church. Through a group experience at Pentecost they were to bring the Church into concrete existence. For too long a time we have emphasized what was external in this experience: the wind, flames of fire, and the speaking in tongues. Far more important was the inward experience of the apostles. At Pentecost the Holy Spirit came to illumine them inwardly with the light of that truth which is the very foundation of Christianity: Jesus the Messiah is truly the consubstantial Son of the Father. This new conviction so filled the Twelve with overwhelming joy that they could not contain themselves. They spoke in tongues and displayed such signs of spiritual inebriation that the bystanders thought they were drunk (*Act* 2:13). This experience marked the inauguration of the Church; and this experience was common to all Twelve.

Twice St. Luke emphasizes the fact that all Twelve shared equally in this inaugural experience. He begins Peter's Pentecostal sermon with the words: "Peter, standing up *with the Eleven,* lifted up his voice and spoke" (*Acts* 2:14). Luke notes also that the people too recognized the group character of the Apostles' experience. For after Peter's sermon he records that the bystanders "were pierced to the heart and said to Peter *and the rest of the apostles,* 'Brethren, what shall we do,' " (*Acts* 2:57). Though Peter as head was spokesman for the group, all Twelve played an essential role in the inaugural incident which launched the Church upon its course.

They function similarly in creating the first new ministry in the Church. When the needs of the Hellenists, Greek speaking Jews, required an extension of service, "*the Twelve* called together the multitude and said, 'It is not desirable that we should forsake the word of God and serve at tables'. Therefore, brethren, select seven men ... that *we* may put them in charge of this work" (*Acts* 6:2-3). When the seven were chosen, "these they set before *the apostles,* and after they had prayed they laid their hands upon them" (*Acts* 6:6). Throughout this narrative it is the Twelve who act as a group, inaugurating the new ministry and ordaining the new ministers.

This same group action is clearly evident in the Church's first missionary activity. The persecution of the Greek speaking Christian Jews (*Acts* 8:1-3) was the occasion which God used to illumine the Church with the knowledge of its separateness from Judaism and of its essential nature as missionary to the world. In this important development all Twelve cooperate in an authoritative move. When word reached Jerusalem that the Gospel had been preached in Samaria the apostles knew that this new venture called for investigation and approval. As in a family council of brothers deciding to send the oldest brother on an important mission, so the apostles naturally looked to their head to study the new development and to endorse it. As Luke describes it, "When the apostles in Jerusalem heard that Samaria had received the word of God, *they sent* to them Peter and John" (*Acts* 8:14).

This is the last mention in the New Testament of the group action of the Twelve alone. From this time on the primitive church, like the church of today, shows signs of a living organism in which the life of the Spirit throbs in every member. The Twelve found their charismatic gifts renewed in the ministry of lesser members of the church. They shared their authority with subaltern officers. Thus, at the Council of Jerusalem (*Acts* 15) both James and Barnabas played an important role. The very decree of the Council was formulated by « the brethren who are apostles and presbyters" (*Acts* 15:23).

All through the ages the Church would continue to be a living organism in which Pope and Bishops, as successors of Peter and the Apostles, find their own role supported by the charismata of others and their authority shared by subordinate officers. Leo XIII drew inspiration for his encyclical on the Sacred Heart from the Good Shepherd nun, Mother Mary of the Divine Heart; he was prompted to write his *Divinum illud munus* by Blessed Elena Guerra; like every Pope and Bishop before and after him, Leo appointed men to administrative offices. The rule for life in the Church today is the same as the rule for life in the Church when the Twelve were still alive. The Spirit breathes where He wills; but control and responsibility rest with those who share the office of the Twelve: "Do not extinguish the Spirit. Do not despise prophecies. But test all things" (*1 Thess.* 5:19-21).

St. John speaks the last word in showing that the role of the Twelve, their powers and responsibility, were to endure in the Church forever. In his Apocalypse, describing not only the life of heaven but also the church on earth, he speaks of Christ's kingdom as "the holy city of Jerusalem" (*Apoc.* 21:10). This city, he says, endures forever as the Church which cannot fail because it rests on the foundation of the Twelve who continue to live always through successors, whose group powers and responsibility parallel their own. "The wall of the city has twelve foundation stones, and on them twelve names of the twelve apostles of the Lamb" (*Apoc.* 21:14).

11

Exc.mus P. D. IOSEPH FLORIBERTUS CORNELIS
Archiepiscopus Elisabethapolitanus

In introductionem schematis const. de Ecclesia exceptiones.

I - *In prima sententia* (linn. 1-6). 1. Non placet constructio, qua *Christus* lumen gentium dicitur, et deinde *Synodus* intentionem suam declarat esse ut *ipsa* omnes homines illuminet.

2. Non placet citatio *Mc.* 16, 15. Haec verba enim non sunt ad rem: Synodus hoc loco annuntiare debet non Evangelium in genere, sed doctrinam de Ecclesia in specie. *Proponimus* (linn. 3-6): ... congregata, vehementer exoptat ut omnes homines claritate eius, super faciem Ecclesiae resplendente, illuminentur.

II - *In secunda sententia* (linn. 7-13). 1. Non placet coniunctio adversativa « Cum vero ». Connexio enim est consecutiva.

2. Non placet verbum « intendit » (lin. 13) nimis distare a subiecto quod subintelligitur.

3. Non placet lin. 12 adiectivum possessivum « fidelibus *suis* ». Usus est improprius, quia fideles sunt fideles Christi. Talis usus improprius aliquando admittendus videtur, sed hoc loco, in initio constitutionis, male sonat. *Proponimus*: Quare, praecedentium Conciliorum argumento instans, pressius christifidelibus et mundo universo declarare intendit naturam missionemque universalem Ecclesiae ut est in Christo veluti sacramentum seu signum simul et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque humani generis unitatis.

III - *In tertia sententia* (linn. 13-18). 1. Non placet latinitas: Condiciones huius temporis huic... urgentiorem vim addunt, *ut* nempe... (!).

2. Non placet adiuncta hodierna, quae officio doctrinam de Ecclesia declarandi novam vim addunt, ad hoc limitari quod homines variis vinculis socialibus, technicis et culturalibus arctius coniunguntur; necessarium videtur hoc loco etiam aliquid explicite innuere de inceptis oecumenicis. *Proponimus*: Hoc modo sacrosancta Synodus plurimum in Domino confidit se etiam maxime conferre hodiernis incoeptis et studiis quibus ii, qui Christo Domino addicuntur nomineque christiano gloriantur, voluntatem eius de unitate credentium in Ecclesia servanda melius

agnoscant et efficacius compleant; simulque cunctos homines adiuvare intendit, qui hodie variis vinculis socialibus, technicis, culturalibus arctius coniunguntur, ut illam etiam altiorem unitatem quaerant, quae solum in Christo per Ecclesiam consequi potest.

In n. 2 const. de Ecclesia exceptiones.

I - Pag. 7, linn. 29-30 non placet citatio *Col.* 1, 15. 1. Hoc enim loco non est ad rem: in Christum insistit, cum de Patre agi deberet.

2. Idem textus citatur etiam, et melius, in n. 7, pag. 13, linn. 26-29.

3. Ex ea citatione vox « primogenitus » repetitur (pag. 8, lin. 3) sensu diverso. *Proponimus* ergo ut haec citatio deleatur.

II - Pag. 8, linn. 1-5. 1. Non placet oppositio quae statuitur inter omnes electos ex una parte, et credentes ex altera parte: Pater praescivit omnes electos; credentes *vero* statuit convocare in sancta Ecclesia. De facto, electi illi non sunt nisi ipsi credentes.

2. Non placet repetitio, qua citatio *Rom.* 8, 29 idem dicit ac citatio *Eph.* 1, 4-5. 10 in n. sequenti (pag. 8, linn. 21-22). Melius videtur textum *Eph.* hoc loco citare, et in n. 3 omittere. *Proponimus* ergo: ... intuitu Christi Redemptoris. Omnes autem quos elegit in ipso ante mundi constitutionem et praedestinavit in adoptionem filiorum in ipsum, quia in eo omnia instaurare sibi complacuit (cf. *Eph.* 1, 4-5. 10), ipsos convocare statuit in Sancta Ecclesia...

III - Pag. 8, linn. 12-13. Non placet modus quo dicitur: « omnes iusti, inde ab Adam, ab Abel iusto usque ad ultimum electum ». Non negatur quidem Adam poenitentiam fecisse, et ita salvationem obtinuisse. Locutio tamen traditionalis loquitur de Ecclesia ab Abel iusto. Quae locutio in N. T. fundatur, in *Hebr.* 11, 4 scil., ubi Abel citatur ut *primus* credentium; item in *Mt.* 23, 35, ubi sermo est de « sanguine Abel iusti » (cf. *Lc.* 11, 51; *Hebr.* 12, 24). Adam vero « iustus » non appellatur, sed Christo, novo Adamo, opponitur. *Proponimus* ut resumantur verba S. AUGUSTINI, *Enarr. in Ps. 118,* serm. 29, 9 (*PL* 37, 1589): « Omnes iusti, quorum " primitiae Abel sanctus immolatus est ", in Ecclesia... ».

In n. 3 schematis const. de Ecclesia exceptiones.

I - Pag. 8, linn. 18-23. Non placet hoc loco iterum de consilio *Patris* agere, cum de missione et munere *Filii* sermo fieri debet; item citatio *Eph.* 1, 4-5. 10 locum suum habet in n. 2, uti iam dictum est. *Proponimus* ergo textum abbreviari: « Filius igitur, missus a Patre, ut voluntatem eius impleret, regnum... ».

II - Pag. 8, lin 25. Non placet transitum ad novam ideam non indicari. In sententia enim praecedenti de inauguratione Regni Dei in terris sermo erat; nunc autem de visibili Ecclesiae excrescentia. *Proponimus*: Ecclesia *vero,* seu...

III - Pag. 8, linn. 27-33. 1. Non placet vox « iterum » (lin. 28), cuius sensus non apparet.

2. Non placet ordinem citationum inverti: *Io.* 12, 32 post *Io.* 19, 34 afferri.

3. Non placet significationem *Io.* 19, 34 pro argumento taceri. Ut clarius appareat hanc citationem esse vere ad rem de exordio et incremento Ecclesiae, addere oportet, ad mentem Patrum (v. g. S. AUGUSTINUS, *Enarr. in Ps. 138,* 2), in sanguine et aqua ex latere Christi fluentibus significari baptismum et Eucharistiam ut sacramenta quibus « Ecclesia (tua) mirabiliter nascitur et nutritur »

(Sacramentarium Gelasianum: cf. C. MOHLBERG, *Liber Sacramentorum Romanae Ecclesiae,* Romae 1960, n. 470, p. 77).

4. Non placet obscuritas quae exsurgit ex comparatione huius loci (exordium et incrementum Ecclesiae significari per sanguinem et aquam de latere Christi, et per verba « Si exaltatus fuero... ») cum iis quae in n. 5 dicuntur (pag. 9, linn. 35-37), ubi asseritur Christum initium Ecclesiae fecisse praedicando faustum nuntium.

5. Non placet factum quod in lin. 33 (« Quoties sacrificium ») nexus cum praecedentibus non appareat.

6. Non placet quod, cum sermo de Eucharistia ad indicandum eius momentum informatione Ecclesiae sit, nihil omnino *de baptismate* dicatur (sicut recte in n. 7: pag. 12, lin. 29 ad pag. 13, lin. 8). *Proponimus* ergo ut textus linn. 25-33 ita retractetur: Ecclesia vero, seu regnum Christi iam praesens in mysterio, ex virtute Dei in mundo visibiliter crescit, uti Dominus praedixerat dicens: « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum » (*Io.* 12, 32). Hoc autem fit imprimis per sacramenta Baptismatis et Eucharistiae, praesignata, ut etiam Patrum traditio intellexit, in aqua et sanguine ex latere Christi, lancea in cruce percusso, fluentibus (cf. *Io.* 19, 34; *1 Io.* 5, 6), quibus Ecclesia formatur, quia in eis « mirabiliter nascitur et nutritur ». Nam nos ex aqua et Spiritu Sancto renascimur, ut in regnum Dei introire possimus (cf. *Io.* 3, 5). Quoties vero sacrificium crucis...

In n. 4 schematis const. de Ecclesia exceptiones.

I - Pag. 9, lin. 7. Non placet missionem Spiritus Sancti ad Ecclesiam introduci, sine ulla mentione eiusdem Spiritus relationis ad Christum. *Proponimus*: ... (cf. *Io.* 17, 4), Christus Spiritu Sancto unctus, eundem Spiritum a Patre, die Pentecostes, misit, ut...

II - Pag. 9, lin. 19. Non placet in hodierno schematis textu insufficienter omnino extolli momentum Spiritus Sancti *in vita sacramentali Ecclesiae,* quod ad mentem Scripturae et Traditionis summum est. De re agitur non parvi momenti tum sub respectu theologico et spirituali, tum sub respectu oecumenico. Orientales enim non sine ratione Latinos exprobant quasi hanc doctrinam parvipendant. Haec doctrina concinne affirmatur a S. AMBROSIO, *De Spiritu Sancto,* I, 7, 89: *PL* 16, 755. *Proponimus* ut addatur lin. 19, post referentias ad Scripturam: Ipse in sacramentis operatur et communicatur: « Nulla enim potest esse plena benedictio nisi per infusionem Spiritus Sancti », qui etiam Ecclesiam...

III - Pag. 9, lin. 29. Non placet affirmationem generalem, quae nunc in n. 7 (pag. 14, linn. 15-22) invenitur, in praesenti loco non afferri, ubi multo aptius staret. *Proponimus* ut addatur post « Veni! (cf. *Apoc.* 22, 17) »: Unde tale et tantum est officium Spiritus Sancti erga Ecclesiam ut a sanctis Patribus comparari potuerit cum munere quod principium vitae seu anima in corpore humano adimplet.

In n. 5 schematis const. de Ecclesia exceptiones.

I - Pag. 10, linn. 8-10. Non placet « *opera* Christi » (de quibus lin. 1) hoc loco ad *miracula* tantum reduci, et deinde ipsa miracula ad solas *daemonum eiectiones.* Regni Dei adventus in terris non tantum ex miraculis comprobatur, sed etiam ex pauperum evangelizatione, et ex peccatorum remissione. *Proponimus*: *Opera* etiam Christi, quibus « caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur » (*Mt.* 11, 2 et 5), necnon

peccatores a peccatis solvuntur et a daemoniis vexati liberantur, quia diabolum fortem fortior Iesus vincit (cf. *Lc.* 11, 22-23), regnum iam in terris pervenisse comprobant: « Si in digito Dei... ».

II - Pag. 10, lin. 6. Non placent verba « Regnum ipsum susceperunt », quia nimis ambigua evadunt, et modo quo Evangelium loquitur minus respondent. *Proponimus* pro linn. 4-6: Qui illud cum fide audiunt et suscipiunt atque Christi pusillo gregi (*Lc.* 12, 32) adnumerantur, in regnum Dei introibunt.

III - Pag. 10, linn. 6-7. Non placent verba « propria (dein) virtute »; nam textum evangelicum contradicunt, ubi *terra* (non semen) dicitur fructificare *automatè*, i. e. ex sua propria virtute. *Proponimus* ut haec verba deleantur, et dicatur: deinde semen germinat.

IV - Pag. 10, lin. 14. Non placet obscuritas argumenti. In textu enim *Mc.* 10, 45 Regnum Dei in persona Christi advenisse non probat, cum ibi potius de eius humilitate agatur, quam de eius regali potestate in mundo (de qua v. g. *Mc.* 1, 22. 27; 2, 10. 28). *Proponimus*: Filii hominis, qui, *summa potestate praeditus,* venit *tamen* « ut ministraret... ».

V - Pag. 10, linn. 27-28. Non placent verba « huiusque Regni in terris germen et initium constituit ». Nam ex his facile concluderetur ipsum Regnum crescere, et Ecclesiam simpliciter cum hoc Regno identificari. Ab his affirmationibus autem refugiunt exegetae catholici melioris notae, ut J. Schmid et R. Schnackenburg, et etiam theologi optimi, ut nuperrime ill.mus G. Philips. Videtur quod Regnum, ut est aliquid Dei, esse in se perfectum; Ecclesia autem, potius quam ipsum Regnum, est manifestatio visibilis Regni Dei, quae manifestatio crescit et postea consummabitur. *Proponimus* ut dicatur: Huiusque regni in terris *visibilis manifestationis* germen et initium constituit. Interea...

In n. 6 schematis const. de Ecclesia exceptio.

Pag. 10, lin. 33, non placet locutio « revelatio Regni ». Etenim:

1. Haec locutio supponit Regnum Dei iam in Vetere Testamento revelatum esse; in numero autem praecedenti agebatur potius, pro Vetere Testamento, de « promissione » Regni.

2. Revelatio de Regni Dei natura et mysterio reservanda potius videtur Christi praedicationi, quam Veteri Testamento tribuenda.

3. Assertio melius intelligeretur sub forma generali. *Proponimus* ut dicatur revelatio divina; vel: revelatio divini consilii; vel: revelatio divini propositi.

In n. 7 schematis const. de Ecclesia exceptiones.

I - In initio non placet hunc numerum connexionem cum praecedenti non habere. *Proponimus*: Inter omnes vero imagines, quibus in Sacra Scriptura Ecclesiae natura eiusque intima cum Christo coniunctio illustratur, singulari quadam altitudine et vi eminet locutio Sancti Pauli, qua Ecclesia ut Corpus Christi describitur. Dei enim Filius...

II - Pag. 14, lin. 14. Placet ut post « qui est caput nostrum ( ) » addatur: et impleamur in omnem plenitudinem Dei (cf. *Eph.* 3, 19). Etenim haec verba citantur pag. 14, linn. 31-32, ubi non sunt ad rem. Hoc loco optime transferri possunt.

III - Pag. 14, linn. 19-22. Non placet haec verba hoc loco retineri. Transferantur in n. 4, pag. 9, lin. 25, uti suo loco dictum est.

IV - Pag. 14, linn. 30-32 « ut ipsa protendat... Dei ». Haec verba non placent. Etenim:

1. Citatio *Eph.* 3, 19 in hoc loco non est ad rem, uti iam sub II notatur.

2. Huius citationis loco afferenda videtur citatio *Eph.* 3, 10, quae in constitutione *de Ecclesia* taceri non debet: ibi enim explicite inculcatur conceptus Ecclesiam manifestare gloriam Dei in mundo.

3. Affirmare oportet rem magni momenti, in ipso nempe conceptu Corporis Christi de Ecclesia dicto contineri Ecclesiae visibilitatem, ut docuerunt Leo XIII et Pius XII.

4. Desideratur nexus cum num. 8 sequenti, de Ecclesia simul visibili et spirituali. *Proponimus*: ... suis donis replet, ut per ipsam mysterium multiformis sapientiae Dei universo mundo innotescat (cf. *Eph.* 3, 10): nam propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia (Leo XIII, *Satis cognitum*: *A.S.S.*, 28, p. 710; Pius XII, *Mystici Corporis, l. c.*, p. 199).

In n. 8 schematis const. de Ecclesia exceptio.

Pag. 15, lin. 25: Non placet locutio « ad unitatem catholicam impellunt », quia cum doctrina schematis in nova redactione nondum concordat. Etenim in n. 14, textus emendatus affirmat solos catholicos « plene » Ecclesiae societati incorporari (pag. 36, lin. 4); nondum dicitur eos solos « reapse et simpliciter » membra esse Ecclesiae. Hoc admisso in pag. 36 (et item in allocutione Summi Pontificis, die 14 septembris 1964), iam non sustinetur assertio pag. 14, linn. 19-26. Si enim non-catholici iam aliquo modo Ecclesiae incorporantur, eos pure et simpliciter extra unitatem catholicam dicere non licet. Necessaria ergo videtur correctio hoc loco, ut aptatio fiat cum doctrina schematis in n. 14. *Proponimus*: Ad *plenam* unitatem catholicam impellunt.

12

Exc.mus P. D. PIUS AUGUSTUS CRIVELLARI

Episcopus Triventinus

N. 28, lin. 9: « quosdam autem inter illos »: est nova idea, ergo debet esse nova phrasis: inter duas partes oppositionis enim (omnes... quosdam) habetur phrasis explicativa primae partis.

N. 29: placet emendatio 65, non placet 67.

N. 30: si initium sumitur ex universalitate vocationis, logice primo loco agendum est de « omnibus », paulatim descendendo ad illos qui *magis* ad sanctitatem tenentur.

Emendationis 72 secunda propositio magis placet. Linn. 1-15: valde confusa est redactio. Lin. 16: quare « libenter alloquitur »? dicatur simpliciter: « Coniuges parentesque amore fideli... ». Linn. 1-32 ita redigatur: « In variis vitae generibus et officiis, in diversitate spirituum et charismatum (emendatio 70), una eademque excolitur sanctitas, quae in perfecta proprii status officiorum adimpletione, Dei caritate informata, consistit. Coniuges igitur parentesque amore fideli... (17-23). Omnes similiter christifideles in illa professione quam sibi elegerunt in arduo sanctitatis itinere magno animo... (25-29). Quo magis enim crescit... (29-32).

Illi vero quos Deus ex hoc populo vocavit ut alios sanctificent et quasi duces sint aliorum in viam sanctitatis, episcopi scil. imprimis et presbyteri, ministerium suum sancte... reliquerunt (7-12) ».

N. 31: placet emendatio 78; n. 31 incipiat a lin. 2 (pag. 20): Inter sanctificationis media... linn. 20-35: omittendum verbum « Quamobrem », nam quae sequuntur non sunt conclusio ex his quae praecedunt. Dicatur: « Christifideles *autem, quamvis* omnes ad sanctitatem vitae invitantur et obligantur, non omnes tamen ad consiliorum evangelicorum *plenam* praxim vocantur, nisi secundum propriam suam spiritualem tendentiam (emendatio 81) et prudentes caritatis normas; sed omnes ad hoc tendere debent ut in usu mundanarum rerum *horum consiliorum spiritum* in rem deducant, monente apostolo " Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur " (*1 Cor.* 7, 31). Gaudet autem Ecclesia... (27-35) ».

N. 32: melius appareret nexus cum praecedentibus, si sic inciperetur: « Plures autem christiani, ad hoc vocati, ad consilia evangelica, in verbis... commendata (37-39) accedunt, immo... (39-8) ».

13

Rev.mus P. D. GODEFRIDUS DAYEZ

Praeses Congregationis Belgicae O.S.B.

[Cf. *pp. 569-573, n. 11*].

14

Exc.mus P. D. RAPHAEL GARCIA Y GARCIA DE CASTRO

Archiepiscopus Granatensis

1. Praesuppositum. Concilium quaestiones inter theologos catholicos disputatas decidere non debet, nisi gravis urgeat causa ut id faciat.

Convenientia huius normae est prorsus clara: libertas theologorum catholicorum non debet coarctari plus quam necessarium sit.

Talis fuit norma sapienter in Concilio Tridentino adhibita, ut Cardinales legati 28/29 augusti 1546 testantur (« Li voti [...] della maggior parte sono stati, che si cerchi d'usar parole nel decreto, per le quali l'heresie si dannino, et le questioni fra li dottori scolastici non si decidino ». Cardinales legati card. camerario S. Florae: *CTr* 10, 629) et ut apparet in declarationibus plurium Patrum illius Concilii (sic die 21 septembris 1551, Cardinalis legatus Crescentius [« quaestionem ipsam non videri ei determinandam esse, quia multi doctores, qui id tenent, damnandi venirent, et concilium satis est, ut haereses damnet — ... —, non autem omnes scholasticas disputationes decidat »: *CTr* 7, 143], Salvator Salapusius, archiep. Turritanus [« praesertim cum concilium non sit congregatum ad damnandas et dirimendas scholasticas disputationes, sed tantum haereses »: *CTr* 7, 146] atque praedecessor noster Petrus Guerrero [« concilium congregari, ut haereses damnet, non ut omnes scholasticas disputationes decidat »: *CTr* 7, 147]). (De hac quaestione cf. H. Lennerz, *Das Konzil von Trient und theologische Schulmeinungen*: *Scholastik* 4 [1929], 38-53).

Talis fuit etiam norma, quam occasione definitionis dogmaticae Assumptionis B. Mariae Virginis Pius XII secutus est. Tunc etenim sufficiens fuit, ut modo reflexo cognosceretur mortem Beatae Mariae Virginis (quam plures theologi con-

siderabant doctrinam traditionalem atque adeo definibilem) a quibusdam auctoribus negari (cf. M. JUGIE, *La mort et l'assomption de la Sainte Vierge,* Città del Vaticano 1944, pp. 507-510; 515 s., ubi colliguntur testimonia, quae exsistunt contra traditionem faventem morti Mariae; theologi hodierni, qui vel mortem negabant vel de ea dubitabant, erant praecipue G. M. ROSCHINI, *Mariologia,* t. 2, pars 2, 2ª edit., Roma 1948, pp. 234 ss. et T. GALLUS, *La Vergine immortale,* Roma 1949), ut Pius XII deciderit ab hoc puncto praescindere doctrinamque de morte Mariae in eo statu relinquere, in quo ante definitionem erat (cf. J. A. DE ALDAMA, *Los primeros comentarios a la Bula « Munificentissimus Deus »*: *Estudios Eclesiásticos* 25 [1951], 377-380).

2. Inter quaestiones suffragio Patrum die 30 octobris 1963 propositas, illae, quae doctrinales sunt (i. e., quattuor priores; quinta enim mere disciplinaris est), positiones libere hucusque disputatas continent.

A) Quaestio prima: « Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut dicatur Episcopalem consecrationem summum gradum Sacramenti Ordinis constituere ».

Inclusio huius propositionis in schema supponeret exclusionem positionis, quae non solum a maxima parte theologorum mediaevalium (et inter eos a S. Thoma) tenebatur, verum etiam semper usque ad nostros dies a diversis auctoribus — inter quos non pauci magni nominis sunt — propugnata est; immo vero adversarii huius theoriae negantis sacramentalitatem episcopatus fatentur illam inter annos 1900 et 1940 nova vi floruisse (obtinuisse « un regain de faveur ») propter nova documenta historica inventa circa originem episcopatus monarchici et circa ministrum extraordinarium ordinum maiorum (concessiones etiam diaconos et presbyteros ordinandi quibusdam presbyteris a Summis Pontificibus factae) (cf. E. BOULARAND, *La consecration épiscopale est-elle sacramentelle?*: *Bulletin de Littérature Ecclésiastique* 54 [1953], 7; cf. etiam E. HOCEDEZ, *Une découverte théologique*: *Nouvelle Revue Théologique* 51 [1924], 338).

Utile erit elenchum transcribere (sat incompletum et facile ampliandum non solum quoad auctores antiquos, sed etiam quoad modernos) theologorum, qui sacramentalitatem episcopatus negaverint. Praeter duos auctores, qui post Boularand scripserunt, nomina desumimus ex articulo iam citato ipsius Boularand, cuius testimonium, cum ipse sacramentalitatem episcopatus defendat, suspectum esse non potest.

Sacramentalitatem episcopatus negant: saeculo XII Hugo a Santo Victore (*De sacramentis* L. 2, p. 3, c. 5, *ML* 176, 423) et Petrus Lombardus (*Sent.* L. 4, D. 24, n. 11, *ML* 192, 904); saeculo XIII Alexander Halensis (*Summa Theologica* P. 4, q. 20, m. 8, a. 1; q. 21, m. 4, ad 5), S. Albertus Magnus (*In IV Sent.* D. 24 a. 39), S. Bonaventura (*In IV Sent.* D. 24, p. 2 a. 2, q. 3: Conclusio; cf. etiam Scholion editorum Collegii ad Claras Aquas [Quaracchi] t. 4, pp. 630 s.), Richardus a Mediavilla (*In IV Sent.* D. 24, a. 3, q. 3; a. 5, q. 2) et S. Thomas (*In IV Sent.* D. 24, q. 3, a. 2; *Summa contra Gent.* L. 4, c. 74 ss.; *De perfectione vitae spiritualis* c. 23; *Summa Theologica Supplementum* q. 37, a. 2; q. 40, a. 4 s.); saeculo XV Capreolus (*Defensiones Theologiae Divi Thomae, in IV Sent.* D. 25, q. 1, a. 3); saeculo XVI Ferrariensis (*Summa contra Gentiles commentariis... illustrata* L. IV, c. 76) et Dominicus Soto (*In IV Sent.* D. 24, q. 2, a. 4); saeculo XVIII Gonet (*Clypeus Theologiae thomisticae, De Ordine* D. 4, a. 2) et Billuart (*Cursus Theologicus, De Ordine Diss.* 4, a. 2); saeculo XX Billot (*De Ec-*

clesiae sacramentis, De Ordine, Thesis 31, § 2), Hugon (*Tractatus dogmatici,* t. IV, p. 720), Battifol (*Etudes d'histoire et de théologie positive. La hiérarchie primitive,* Paris 1902, pp. 224-275; 6ª edit. anno 1920), Boudinhon (*L'ordination au sous-diaconat et au diaconat faite par un simple prêtre*: *Le Canoniste contemporain* 1901, pp. 257-272; 321-335; 385-400; 1902, pp. 705-707), Baisi (*Il ministro degli ordini sacramentali,* Roma 1936), Beyer (*Nature et Position du Sacerdoce*: *Nouvelle Revue Théologique* 86 [1954], pp. 356-373) et N. López Martínez (*La distinción entre obispos y presbiteros*: *Burgense* 4 [1963], pp. 145-225).

Hic elenchus, quatenus plura nomina auctorum nostri temporis continet (ut praescindamus nunc a pondere auctoritatis magnorum theologorum scholasticorum Medii Aevi), non permittit affirmare disputationem circa sacramentalitatem episcopatus esse rem historicam et controversiam iam clausam. Si, ut vidimus, fatentibus adversariis theoriae negantis sacramentalitatem episcopatus (Boularand), illa novum impulsum accepit inter annos 1900 et 1940, quaeri potest utrum tam longe distemus ab anno 1940, ut iam prudenter possit theoria negans in pace sepeliri. Si praeterea facta historica tunc recenter inventa illius renovationis causa fuerunt, iterum interrogandum est utrum historia sacramenti ordinis cognoscatur iam ita perfecte, ut nullum insperatum documentum in futurum apparere timendum sit.

De hac re, suo tempore declarabat Benedictus XIV, posse libere disputare theologos (« nemo prohibeat disceptare num episcopatus sit ordo a presbyteratu distinctus », Epist. *In postremo,* 20 oct. 1756); haec libertas nunquam est hucusque a magisterio suppressa (non potest dici eam sublatam esse a Pio XII in Const. Apostolica *Sacramentum Ordinis,* 30 nov. 1947; scopus enim huius Constitutionis non erat hanc controversiam theologicam dirimere). De facto controversia considerabatur aperta, tempore primae sessionis Concilii Vaticani II, in documento (originis hollandicae) « Animadversiones in secundam seriem schematum Constitutionum et Decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus de Ecclesia et de Beata Maria Virgine »; in eo enim dicebatur: « In capite tertio schema solutionem auctoritatis affert discussioni adhuc liberae inter theologos, dicendo quod Episcopi " *etiam sola vi Sacramenti suscepti* " superiores sunt in hierarchia *ordinis* (n. 11). Puto quod haec affirmatio est vera. Sed ne obliviscamur hanc paragraphum de facto dirimere quaestionem inter theologos adhuc agitatam et forsan non sub omni respectu ad pacem omnium theologorum ad unam partem protractam secundum criticas exigentias scientiae theologicae » (Documentum citatum p. 5). Pari modo in recentissima editione Enchiridii Denzinger in introductione ad Bullas Bonifatii IX spectantes privilegium monasterii S. Osithae in Essexia conferendi ordines maiores, affirmatur: « Cum ergo iam theoretice haec quaestio urgeat [quaestio de presbytero tamquam ministro extraordinario ordinis presbyteratus] (...) eo quod lis, num collatio ordinis episcopatus ut talis sit proprie dictum sacramentum, nondum plene dirempta esse videatur... » (DENZ.-SCHÖN., *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum,* edit. 32, Barcinone 1963, Introductio ad n. 1145 s.).

Longum esset nunc exponere diversa argumenta, quae hinc inde theologi utriusque tendentiae (affirmantis vel negantis sacramentalitatem episcopatus) afferunt. Ad quaedam eorum allusimus in voto circa quaestionem de sacramentalitate episcopatus a Nobis in aula conciliari die 4 octobris 1963 lecto. Praeterea argu-

menta utriusque tendentiae possunt videri collecta in nostro *Boletín oficial del Arzobispado de Granada* 117 (1963), pp. 514-525. Solummodo est nunc animadvertendum quam caute essent adhibenda quaedam argumenta liturgica, quae ex eo quod ritus consecrationis episcopalis impositionem manuum et invocationem Spiritus Sancti contineat, facile sacramentalitatem episcopatus deducere intendunt. Ne obliviscamur impositionem manuum et invocationem Spiritus Sancti etiam haberi in ritu consecrationis diaconissarum, prout illum Constitutiones Apostolicae describunt (cf. Const. Apost. VIII, 19-20: *Florilegium Patristicum* 42, p. 55), et in ritu primitivo consecrationis abbatum in Sacramentario Gellonensi tradito (cf. A. NOCENT, *Les rites monastiques.* En: A. G. MARTIMORT, *L'Eglise en prière. Introduction à la liturgie,* Tournai 1961, p. 662). Numquid ex hoc facto deducendum esset tales ritus esse sacramenta?

Sed non agitur hic de disputatione instituenda circa vim argumentorum utriusque tendentiae. Noster scopus solum erat ostendere hoc punctum adhuc inter theologos disputari atque ipsum constituere quaestionem historice complexam et obscuram, in qua argumenta pro utraque parte proferri possunt. Sine dubio unusquisque potest argumenta pro alterutra parte probabiliora prae aliis censere; sed maior probabilitas — pro quacumque parte illa sit — probabilitatem oppositam non supprimit.

B) Quaestio secunda: « Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut dicatur omnem episcopum legitime consecratum in communione episcoporum et Romani Pontificis, qui est eorum Caput et principium unitatis, membrum esse Corporis episcoporum ».

Si haec propositio in schema includeretur, Concilium videretur asserere episcopos potestatem pastoralem atque iurisdictionem accipere, non a Romano Pontifice, sed directe a Christo per consecrationem, quae illos in Collegium episcopale introducit (cf. *Le bloc-notes du Père Congar*: *Informations catholiques internationales* n. 203, p. 3). Sed talis affirmatio non solum est inter theologos disputata, verum etiam negabatur a maxima parte theologorum ante Concilium Vaticanum II scribentium (sic exempli gratia de sententia propugnante episcopis iurisdictionem tribui mediante Romano Pontifice scribit J. Salaverri: « communissime tenent catholici auctores » *De Ecclesia Christi* n. 374, *Sacrae Theologiae Summa,* t. I, edit. 5ª, Matriti 1962, p. 618). Immo vero, id quod communissime tenebant theologi, affirmavit etiam Pius XII in diversis documentis: « quamvis [episcopi] ordinaria iurisdictionis potestate fruantur, immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita » *Mystici Corporis*: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 212; « Iurisdictionis potestas episcopis ex divino provenit iure, at non nisi per Petri Successorem » *Ad Sinarum gentem*: *A.A.S.,* 47 (1955), p. 9; « Hoc posito, efficitur, ut episcopi nec nominati nec confirmati a Sede Apostolica, immo contra expressas eius ordinationes electi et consecrati, nulla fruantur potestate magisterii et iurisdictionis, cum iurisdictio episcopis per unum Romanum Pontificem obtingat, quemadmodum in Litteris... [sequuntur loca iam a nobis citata; non caret momento quod Pius XII nunc illa documenta citet, quia hoc ostendit voluntatem continuitatis in suo magisterio] » *Ad Apostolorum principis*: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 610.

Sine dubio, haec documenta Pii XII non sunt definitiones « ex cathedra » et eorum proinde doctrina non est prorsus irreformabilis. Sed in omni hypothesi esset absonum, theoriam negatam a maxima parte theologorum et contrariam

tam recentibus documentis Pii XII posse tam celeriter maturescere et sic in Constitutionem dogmaticam *de Ecclesia* Concilii Vaticani II includi.

C) Quaestiones tertia et quarta: « Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut dicatur Corpus seu Collegium episcoporum in munere evangelizandi, sanctificandi et pascendi succedere Collegio Apostolorum; et ipsum, una cum capite suo Romano Pontifice et nunquam sine hoc capite (cuius salvum et integrum remanet ius primatiale in omnes pastores et fideles), plena et suprema potestate in universam Ecclesiam pollere ».

« Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut dicatur praedictam potestatem ipsi Collegio episcoporum Capiti unito competere iure divino » [brevitatis causa non transcribimus notationes, quae his quaestionibus erant appositae].

Doctrina de collegialitate, saltem in forma in qua hodie solet proponi nova est. In theologia occidentali primo, ut videtur, est a Bolgeni proposita (*L'Episcopato, ossia della Potestà di Governare la Chiesa,* Roma 1789 et Orvieto 1837; magnae sunt differentiae inter has duas editiones), quem non multi theologi secuti sunt (elenchus theologorum, qui vel partialiter vel totaliter Bolgeni sequuntur, potest videri apud M.-R. GAGNEBET, *L'origine de la juridiction collegiale du corps épiscopal au Concile selon Bolgeni*: *Divinitas* 5 [1961], pp. 437-444; cf. etiam de modo, quo theoriam proponunt, K. RAHNER-J. RATZINGER, *Episkopat und Primat* (*Quaestiones disputatae* 11), Freiburg 1961; B. M. XIBERTA, *El Papa y los Obispos*: *Orbis Catholicus* 5 [1962 I], pp. 231-247; MAXIMOS IV, *La Collégialité Episcopale*: *Irenikon* 36 [1963], pp. 317-325). Agitur ergo de doctrina, quae non repraesentat communem opinionem theologorum, sed theoriam disputatam, quam aliqui sequuntur. Accedit quod ipse terminus collegialitatis est ambiguus, ut card. Lefebvre declarabat in congregatione generali 68, die 15 novembris 1963, atque talis ut sub eo plura comprehendi possint, ex quibus alia certa, alia vero disputata, immo obscura, non clare explicata quoad suos limites et sine argumentis asserta.

Elementa collegialitatis, quae certa sunt et ab omnibus admissa, sunt sequentia: singuli episcopi curam et sollicitudinem habere debent de problematibus Ecclesiae universalis (hoc sensu loquuntur PIUS XI, *Rerum Ecclesiae, A.A.S.,* 18 [1926], pp. 68 s. et PIUS XII, *Fidei donum, A.A.S.,* 49 [1957], pp. 236 s.); habetur collegialitas in sensu magisterii ordinarii permanentis episcoporum per orbem dispersorum; collegium episcopale in Concilio adunatum « suprema pollet in universam Ecclesiam potestate » (*C.I.C.* 228, § 1); solet etiam ab omnibus concedi possibilitas Concilii quasi epistolari modo peracti, si exempli gratia Romanus Pontifex episcopos consuleret, quin ipsi in uno loco essent coadunati (sic concedunt etiam theologi, qui theoriae Bolgeni adversantur, sicut GAGNEBET, *L'origine de la juridiction collegiale du corps épiscopal au Concile selon Bolgeni*: *Divinitas* 5 [1961], pp. 489 s.).

Oportet ergo in schemate tales formulas adhibere, ut non nisi quod in hac re certum est, affirmetur.

3. Nulla adest ratio urgens ut has quaestiones controversas inter theologos catholicos Concilium dirimat; immo vero rationes sunt in contrarium ut Concilium ab eis decidendis abstineat.

A) Quaestio prima. Dignitas et magnitudo episcoporum in Ecclesia ante omnia residet in eo quod successores Apostolorum sunt. Haec successio aposto-

lica ulterius posset diversimode a theologis explicari (sive per iurisdictionem et potestatem apostolicam in episcopos per successorem Petri derivatam sive per potestatem a Christo mediante consecratione episcopali collatam aut alio pacto directe a Deo). Haec est summa dignitas episcoporum, quae non eget, ut subsistat, affirmatione superioritatis sacramentalis relate ad presbyteros, sicut etiam Romanus Pontifex est superior ceteris episcopis, quatenus successor Principis Apostolorum, quamquam in linea sacramentali illis est prorsus aequalis.

Affirmatio sacramentalitatis episcopatus sublineat et auget divergentiam inter nostram theologiam et theologiam protestantium. Cum idea sacramentalitatis ab ipsis reiiciatur semper, quidquid in hac linea novum imponatur decisione magisteriali (praeter id quod hucusque assertum est), divergentiam auget. Sunt ergo rationes oecumenicae, ne controversia dirimatur.

Non intelligitur momentum tributum in Concilio sacramentalitati episcopatus (quaestio non habet in se tale momentum, cf. R. ROUQUETTE, *La deuxième session du Concile*: *Etudes* 319 [1963], p. 389), nisi quia consideratur tamquam praemissa ad quaestiones sequentes et, modo immediato, ad quaestionem secundam (intenditur sic affirmatio transmissionis potestatum independenter a Romano Pontifice via sacramentali).

B) Quaestio secunda. Concilium cavere debet, ne nimis facile a magisterio, etiam non infallibili, Pii XII discedat, immo ne discedat per affirmationes illi prorsus contrarias. Cautius esset de hac re tacere, quam tali modo procedere, ut exemplo ipsius Concilii sensus disciplinae submissionisque theologorum et fidelium erga magisterium authenticum, licet non infallibile, minuatur. Oppositio Concilii ad magisterium pontificium facile haberet, ut sequelam, deminutionem auctoritatis ipsius magisterii conciliaris non infallibilis (i. e., in rebus quae non infallibiliter definiantur) ante theologos et fideles.

C) Quaestiones tertia et quarta. Unicum punctum magni momenti in hac re esset clara explicatio relationum, quae inter potestates pontificias et episcopales intercedunt. Hoc potest fieri, quin sit recurrendum ad elementa non certa theoriae collegialitatis; immo, hoc potest fieri insistendo in elementis, quae in Actis Concilii Vaticani I de hac re continenter (cf. C. POZO, *La relación entre potestades pontificias y episcopales según documentos del Concilio Vaticano I*: *Razón y Fe* 168 [1963], pp. 376-378) tam in linea iurisdictionis quam in linea infallibilitatis.

15

EXC.MUS P. D. IOANNES GAY

Episcopus Imae Telluris et Pointapitrensis

Diaconat, Ordres Mineurs ou promotion du laïcat?

La cinquième question d'orientation posée le 30 octobre aux Pères conciliaires concernait le rétablissement du Diaconat dans sa formule ancienne: « Les Pères acceptent-ils que le schéma envisage l'opportunité d'instaurer le Diaconat comme degré distinct et permanent du saint ministère selon les besoins de l'Eglise dans les diverses contrées? ». Les résultats du vote ont donné: 1488 oui et 525 non.

Il semble que l'opinion générale, qui sera sans doute traduite dans le schéma

soumis à l'approbation du Concile, prendra sans doute la forme suivante ou une forme équivalente: L'Eglise est favorable au Diaconat dans sa forme ancienne comme degré distinct et permanent du saint ministère... sans qu'il soit précisé qu'il s'agit d'un Diaconat marié ou non. Et sans doute le Concile laissera-t-il aux Conférences Episcopales le soin d'adapter la formule du Diaconat aux divers pays.

Le Diaconat présente le très grand avantage d'être un Sacrement.

Beaucoup d'évêques, qui souhaitent le retour du Diaconat ancien, sont un peu soucieux de son application pratique. Cette formule, a rappelé Pie XII, a besoin d'être encore mûrie.

Quelques-uns, à tort sans doute (l'expérience seule pourra en décider) craignent que la formule d'un Diaconat marié ne représente un danger pour le célibat du prêtre et le recrutement du clergé. Il semble qu'un grand nombre d'évêques souhaiteraient que la possibilité d'un Diaconat, marié ou non, fût réservée à une petite élite d'hommes ayant autant que possible atteint 40 ou 50 ans.

L'évêque de Guadeloupe a parlé au Concile des *Ordres Mineurs.* Jamais il n'a envisagé cette formule comme une solution de remplacement du Diaconat, mais plutôt comme une *solution complémentaire.*

Pourquoi penser aux *Ordres Mineurs?* Nous savons qu'un certain nombre d'évêques d'Afrique, d'Amérique du Sud et même d'Europe sont attirés par les Ordres Mineurs, sans exclure pour autant la possibilité du Diaconat.

Voici quelques raisons qui justifient leur souhait. Dans beaucoup de pays de Mission, il existe des catéchistes, qui remplissent leur charge avec intelligence et dévouement, mais qui ne seraient pas aptes, généralement, à recevoir le Diaconat. Les Ordres Mineurs, au moins le Lectorat et l'Acolytat, pourraient être accordés beaucoup plus facilement.

Alors qu'il faudrait assurer aux Diacres (et à l'occasion à leur famille) une situation matérielle décente, il serait généralement possible de procurer aux Minorés un travail rémunérateur en dehors de leurs fonctions d'Eglise, du moins lorsqu'ils ne seraient pas utilisés à temps plein par l'Eglise.

La période de formation des Minorés serait moins longue, et donc moins dispendieuse, que celle des Diacres, ce qui est un point de vue important pour les diocèses pauvres de Mission.

Enfin, en cas de grave difficulté — ce qu'il faut hélas envisager — la réduction à l'état laïc d'un Clerc Minoré n'entraînerait pas le même étonnement de la part du peuple que celle d'un Diacre.

Pourquoi donc, à côté du Diaconat, ne pas puiser dans le trésor de l'Eglise en admettant aux Ordres Mineurs des hommes, même mariés, comme l'a prévu le Concile de Trente. Ajoutons que les formes anciennes du Diaconat et des Ordres Mineurs n'ont été abolies que très récemment dans l'Eglise par la promulgation du Droit Canonique.

Souhaitons qu'à l'occasion du Concile une révision soit faite des Ordres Mineurs, car nous sommes en présence d'une curieuse anomalie: ceux qui reçoivent les Ordres Mineurs n'en exercent plus les fonctions, et ceux qui en remplissent les offices n'ont pas reçu les Ordres correspondants.

Cependant une importante difficulté demeure: Alors que le Concile poursuit aujourd'hui la promotion du Laïcat, l'admission de Diacres et de Minorés, telle qu'on la prévoit, *les retirerait du milieu laïc et en ferait des clercs.*

Aussi, ne serait-il pas opportun d'envisager une troisième solution qui pour-

rait d'ailleurs s'ajouter aux deux autres et les compléter: Confier à des laïcs, *demeurant laïcs,* des responsabilités importantes dans les fonctions d'Eglise? Le premier but recherché étant de suppléer à l'insuffisance du nombre de prêtres.

Ce ne serait pas là une nouveauté dans l'Eglise: Le Droit Canonique (Canon 145 § 1) parle d'offices ecclésiastiques (lato sensu) qui peuvent être remplis par des clercs. Ne pourrait-on pas en étendre largement l'application, en y faisant entrer certains offices: catéchismes, presse catholique, direction du culte dominical en l'absence du prêtre, baptêmes en cas de nécessité, visite des malades, conduite des morts au cimetière, etc. etc.? Cette fonction officielle recevrait une appellation propre et serait consacrée par une cérémonie publique. Et elle pourrait, elle devrait même, être étendue *aux femmes* qui se dévouent, par exemple dans les œuvres de catéchismes, avec tant de générosité.

Ainsi comprise, cette formule répondrait pour une grande part au but recherché par les Pères sans transformer des laïcs en clercs et sans entrer dans la discussion sur la loi du célibat.

En conclusion. Le Concile devrait ouvrir la porte à toutes les initiatives sages concernant le Diaconat, les Ordres Mineurs et le Laïcat. Il établirait des bases générales, d'une manière large, en laissant aux Conférences Episcopales le soin de décider des applications de détail.

16

EXC.MUS P. D. IULIANUS GROBLICKI

Episcopus tit. Philadelphiensis in Arabia, aux. Cracoviensis

Caput II, 15 (*de presbyteris et diaconis*).

Proponitur sequens emendatio. « ... Episcopi autem presbyteros in sui operis adiumentum ordinant, ut illis adiutricem operam navantibus veritatem et gratiam super omnes fideles dispergant. Qui, licet pontificatus apicem non habeant, tamen sacramento recepto veri sunt sacerdotes, id quod in sacerdotio christiano principalius excellentiusque est iam adepti, potestatem nempe offerendi incruentum Missae sacrificium. Quae potestas in sacerdotio christiano principalior quidem est, quia omnis sacerdos proprie constituitur, " ut offerat sacrificia pro peccatis " (*Hebr.* 5, 1) et Christus Dominus huic potestati ceteras, sacramentales ordinis potestates adiectas esse voluit. Excellentior autem ideo est, quia potestati instrumentaliter offerendi Deo hostiam infinitae dignitatis omnino cedat oportet quaecumque sacramentalis potestas, quae finitam gratiam pro obiecto habet — ipsa ordinandi potestate non exclusa, qua episcopatus supra presbyteratum praestat. Sicut anima rationalis in homine ita potestas sacrificium Missae offerendi potior est omnibus aliis potestatibus, quibus sacerdotium christianum constat; et sicut personae humanae dignitas in anima rationali fundatur, ita excellentia sacerdotii christiani in hac potestate praecipue iacet.

Ad presbyteratus ordinem promoti et gratiam suo ordini congruam et characterem indelebilem recipiunt. Attamen potestate ordinandi carent et ideo dignitate secundi post episcopos recte aestimantur, siquidem totum dignius est sua parte et causa suo effectu. De plenitudine autem ordinis episcopalis participantes, in sanctificandis animis et aedificando corpore Ecclesiae episcopis subordinati cooperantur ita, ut cura animarum actu exercenda a Romano Pontifice vel ab

episcopo competente eis assignetur. Ipsa etenim ordinandi potestas, quam episcopi habent, clare indicat ad episcopos, non autem ad presbyteros, munus dirigendi pascendique Dominici gregis connaturaliter pertinere.

Gradu inferiore in ministerio hierarchico... etc. ».

Rationes pro emendatione introducenda. Ratio fundamentalis gravis lacuna est, qua schema Patribus Concilii propositum, laborat. Conqueruntur nempe non raro sacerdotes in conciliari schemate *de Ecclesia* christiani sacerdotii, quo presbyteri gaudent, dignitatem et obnubilari et minui. Quae obnubilatur ideo, quia schema non insistit nisi in superioritate episcopatus in linea potestatis ordinis neque sufficienter explicat, in quo episcopatus et presbyteratus conveniant et identificentur. Per quod etiam ipsa sacerdotii presbyterorum dignitas periclitatur, quia contextus suggerere videtur illud, quamvis verum, tamen inferioris gradus esse. Omnino igitur desideratur, ut conciliare decretum clare indicet, sub quo respectu episcopatus superior presbyteratui dicendus sit et sub quo isti duo ordines sacramentales aequentur: alioquin actum esset de proprii nominis explicatione fidei!

Accedit quod in textu proposito quaedam inepta continentur. 1. « In quos gratiam de suae paternae plenitudinis abundantia transfundunt » (pag. 26, linn. 2 s.) — prout sonat errorem sapit. Traductio enim proprie non intelligitur nisi, quando is qui aliquid dat, ideo dat, quia ipse habet quod dat. Quo obvio sensu supposito propositio citata insinuaret episcopos ideo in collatione ordinis presbyteralis gratiam ordinandis conferre quia illam iam habent. Quodsi eam non haberent — subsumi potest — ordinandis non darent. Hoc modo renovaretur wyclefitarum damnatus error, causalitatem ex opere operato negans.

2. « Cuius in pascendo grege eique inserviendo vices agunt » (pag. 26, linn. 13 s.) — *non est universaliter verum.* Nam presbyteri gregi fidelium inserviunt per sacramentorum administrationem in qua non episcopi sed Christi vices agunt, cuius sunt instrumenta.

Neutra citatarum propositionum retineri ullo modo potest. Quae a lin. 15 usque ad lin. 27 dicuntur, praeter obiectum proprium huius capitis sunt neque quidquam maioris momenti addunt; *ideoque omittenda censentur.*

17

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus null. Acrensis et Puruensis

Index constitutionis de Ecclesia.

Cap. I - De aeterno Patris consilio eiusque temporali exsecutione.
Cap. II - De Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo.
Cap. III - De Spiritu Sancto ac de sanctitate.
Cap. IV - De Deipara Virgine Maria.
Cap. V - De ministris Dei et Ecclesiae.
Cap. VI - De consiliorum evangelicorum sectatoribus.
Cap. VII - De christifidelibus.
Cap. VIII - De omnibus ad Ecclesiam plene adducendis.
Conclusio.

De mirabili totius Ecclesiae sacramento.[1]

Prooemium. Amor cum sit Deus,[2] visibilia omnia et invisibilia[3] a se mirabiliter[4] condita et de cuius perfectione participant,[5] ad unitatem impellit;[6] et cuncta, non obstante originali culpa qua vulneratus est homo,[7] quaeque aliqualiter in rerum universitatem redundat,[8] ad unitatem, suapte natura, feruntur;[9] quare, mirabilium praesertim adinventionum causa quas, deitatis incessabili luce ac vi, nostri aevi assecutus est homo, undique in dies sitis crescit culturalis, cosmicae immo et cultualis unitatis.

Ut homines autem uno etiam ac signanter religionis arctiori vinculo iuncti,[10] unumque corde, mente et opere tandem affecti, ad Deum adspirent Deumque veluti attrectent,[11] qui omnis vitae est prima origo et ultimus finis,[12] haec Sacr. Oec. Synodus Vaticana Secunda, Sacris Scripturis et Apostolorum Traditionibus innixa, ut huic generali siti provide occurrat simulque claritatem foveat confusionemque depellat, revocata ad memoriam divina universali oeconomia, distinctisque ac declaratis singulis formis sub quibus, saeculorum decursu, Ecclesia apparuit,[13] de ipsa in strictiori ac pleniori sua acceptione, prout scilicet a Patre per Filium eius Iesum Christum, Sancti Spiritus afflante gratia, super Petrum fundata fuit, quaeque eiusdem Paracliti virtute in dies ad perfectiora evehitur, fidelibus suis cunctisque hominibus doctrinam tradit, disserens de Christi Ecclesia in sua arcana natura et salutari missione, de eiusdem constitutione hierarchica sau de ipsius Petri ac signanter ceterorum Apostolorum successoribus eorumque in sacro ministerio cooperatoribus, de iis quoque qui dominica sectantur consilia ac tandem de fidelibus caritatis opera assidue exercentibus.

Cap. I - *De aeterno Patris consilio, eiusque temporali exsecutione.*

Aeternus Pater, arcano sapientiae ac bonitatis suae consilio, per Verbum suum,[14] Spiritus Sancti virtute,[15] universa, visibilia et invisibilia, creavit,[16] ut divini Verbi similitudines divinique amoris participationes extaret, cuius vi, in sua pluralitate, cuncta creata unitatem peterent, sicut et ipse Deus, omnium exemplar, principium et finis, qui Trinus est et Unus.

Attamen, inter alia a se condita, ita hominem dilexit ut in ipso sua divina

---

1 Oratio post II prophetiam olim Sabbati S. in Missali Romano.

2 *1 Io.* 4, 8, 16.

3 *Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum.*

4 *Gen.* 1, 31; *Missale Romanum, Ordo Missae,* oratio dicenda dum infunditur aqua in calicem; *ibid.,* Vigilia Paschalis, oratio post primam lectionem.

5 *Sap.* 13, 3-5; *Miss. Rom.,* secreta primae Missae in Nativitate Domini.

6 *Os.,* 11, 1-9; *Act.* 17, 28; *Eph.* 4, 6; etc.

7 *Concilium Tridentinum,* Sess. V, *Gen.* 3; *Rom.* 5, 12-21.

8 *Gen.* 3; *Rom.* 8, 19-23; multorum Sacramentalium universae Ecclesiae preces.

9 *Is.* 54, 4-10. Cf. etiam notam 6.

10 *Eph.* 4, 1-16.

11 *Act.* 17, 27.

12 *Gen.* 1-2; *Act.* 17, 24-28.

13 S. Gregorius Magnus, *Hom. in Ev.* 19: *PL* 76, 1154, prout in tres lectiones distributa olim legebatur in Breviario Romano, in Dominica Septuagesimae.

14 *Io.* 1, 3.

15 Pius IX, Bulla Dogm. *Ineffabilis Deus,* in definitione aliisque multis in textibus. Cf. etiam *Pont. Rom.,* Bened. capsarum pro Reliquiis.

16 Symbola fidei.

clarius niteret imago:[17] sensibilis naturae, cosmicae cuiusdam ecclesiae, sacerdos factus, vixit Adam in paradiso voluptatis ut operaretur et custodiret illum,[18] cunctisque praeesset;[19] quae omnia, per ipsum cum ipso et in ipso, Deo ac sibi et inter se unita erant. Ideoque, iam in ipso humanae consortionis exordio, Deum Ecclesiam fundasse, verissimo quodam sensu, dicendum est. Est enim Ecclesia, inde a primi Adae innocentis tempore, qui fuit « forma futuri »[20] hominum cum Deo et inter se adunatio, Dei familia et regnum: qua in societate, Deus pater extat et sponsus, caput et rex, magister atque salvator; humanitas vero filia et sponsa, corpus et subditum, discipula atque salvanda, sed ad cooperationem vocata, uti mater et magistra, in omnium procuranda salute; Spiritus autem gratia est vita, spiramen et vinculum, quo ipsa Ecclesia, familia et regnum, e pluribus fit unum.

Diabolica tamen fraude deceptus, humani generis protoplastes ruit, et per ipsum et cum ipso et in ipso rerum ordo mirabilis. Sed Amor cum sit Deus, a diligenda factura sua numquam destitit; at missis Patriarchis, Moyse et Prophetis servis suis, clariorem in dies Verbi revelationem et ampliorem Spiritus effusionem contulit; quarum vi ac virtute, filios suos in Adamo lapsos[21] atque dispersos ad unum secum indesinenter revocans,[22] ac foedus successive iterans,[23] novas iugiterque perfectiores Ecclesias, seu potius unius eiusdemque universalis Ecclesiae formas praebuit, ab initiali ad patriarchalem, a patriarchali ad mosaico-propheticam, et ab hac ad Christi Ecclesiam, novissimam omnium ac perfectissimam, super eiusdem Christi angularem lapidem et Petri arcem fundatam, in quam cunctarum gentium transiret plenitudo[24] et per quam omnia redire possent in integrum a quo sumpsere principium: Iesum Christum Dominum nostrum, Aeterni Patris Filium.[25]

Imminente enim temporis plenitudine, cum Aeternus Pater Mariam excitavit gratia plenam,[26] non tantum primorum temporum revixit Ecclesia sed ex tunc ad perfectiorem formam est evecta: haec namque Dei filia, sponsa ac discipula, necnon cum at sub Eo mater et magistra, innocentis Evae celsitudinem longe superans, Evae nocenti eiusque filiis mirabile extitit salutis exordium.[27]

« Quando venit ergo sacri plenitudo temporis »,[28] e caelorum arce misit Pater[29] coaeternum sibi Filium qui, de intemeratae Virginis intacto sinu Sancti Spiritus obumbratione foecundato,[30] nostram suscipiens naturam « homo factus est »[31] « et habitavit in nobis ».[32]

---

17 *Gen.* 1, 27.
18 *Gen.* 2, 15.
19 *Gen.* 1, 26.
20 *Rom.* 5, 14.
21 *Rom.* 5, 12.
22 *Io.* 11, 52.
23 Oratio post V proph. olim Sabb. S. in Missali Romano.
24 *Miss. Rom.,* Oratio post IV lectionem Vigiliae Pasch.
25 Oratio post II proph. olim Sabb. S. in Missali Romano.
26 *Lc.* 1, 28.
27 *Miss. Rom.,* in festo Nativitatis B. M. V.
28 *Gal.* 4, 4; *Brev. Rom.,* Hymnus ad Mat. temporis Passionis.
29 *Gal.* 4, 4; *1 Io.* 4, 9-10, 14.
30 *Miss. Rom.,* Praefatio B. M. V.
31 *Io.* 1, 14.
32 *Io.* 1, 14.

In ipso autem Incarnato Verbo, Deo homineque in unam eamdemque conveniente personam,[33] supremam Ecclesia perfectissimamque attigit formam: Deitate per modum patris, sponsi ac magistri, relate ad Christi humanitatem se habente; Christi autem humanitate, filiae ad instar, sponsae ac discipulae, matris et magistrae, cum at sub divinitate se gerente.[34] Quae mirabilis Ecclesiae forma, ex ipso Incarnationis facto ad Nazarethanam redundavit familiam,[35] immo ad humanam progeniem et quodammodo ad universitatem creaturarum rerum.[36] Quos vero, incarnatione sua, ad se adunaverat atque in seipso ad perfectissimam Ecclesiam redegerat, tunc etiam, actione sua, ad se et in seipso, inter se et in seipsis, adunare coepit cum, praemisso asperrimo quadragesimali ieiunio ac tentatore depulso,[37] Dei regnum praedicare aggressus est,[38] et, vocatis, institutis ac missis Apostolis; receptis discipulis; adlectis turbis; sua divinitate suaque doctrina miraculis firmata; sacra hierarchia constituta, sanguine effuso et morte, resurgendo, devicta; caelo, gloriose, conscenso; Pentecostes die, Spiritu Sancto affluenter demisso;[39] Ecclesiam ad terrestrem perfectissimam formam evexit.

Haec est universalis Ecclesiae novissima et perfectissima terrestris forma, quam Christi necnon Petri ceterorumque Apostolorum vocamus,[40] et ad quam priores eiusdem universalis Ecclesiae formae, tamquam flumina ad oceanum atque semitae ad montis fastigium, undique confluunt.[41]

In ea vero, Deus Pater caput extat supremum, sponsus, magister et rex;[42] per Filium suum e Virgine natum, arcane ad consummationem usque saeculi nobiscum manentem,[43] Paracliti Spiritus providentia invisibiliter hanc ipsam Ecclesiam suam gubernans et incessabiliter provehens,[44] visibiliter autem per Petrum in primis ceterosque Apostolos, in propria ac successorum persona,[45] tamquam patres,[46] sponsali quoque anulo ornatos,[47] regalisque Iesu sacerdotii participatione sacratos,[48] capita atque magistros;[49] reliqua fidelium compage ad eos se

---

33 *Miss. Rom.*, Secreta in secunda Missa Nativ. Domini; F. MORIONES, O.R.S.A., *Enchiridion theologicum S. Augustini*, Matriti 1961, n. 1160.

34 S. AUGUSTINUS, *Sermo* 291: *PL* 38, 1319.

35 *Brev. Rom.*, Hymnus (Leonis XIII) ad Laudes in festo S. Familiae.

36 *Ench. Aug.*, nn. 1217-1243, passim.

37 *Mt.* 4, 1-11; *Mc.* 1, 12-13; *Lc.* 4, 1-13.

38 *Mt.* 4, 23.

39 Cf. N. T. et praesertim Evang. et Act. notissimos locos.

40 *Concilium Vaticanum I*, Const. dogm. *Pastor aeternus; Ench. Aug.*, nn. 1289-1310; *Symb. Apost. et Nicaeno-Const.*

41 *Mt.* 5, 17-48; *Eph.* 2, 19-22; *Hebr.* 11. 39.

42 Pro his titulis qui, diversa ratione, competunt Deo, Ecclesiae, eiusque membris sive in hierarchico Ordine constitutis sive non, cf. notissimos Prophetarum, Psalmorum, Evangelii et Pauli locos (e. g., *Is.* 54, 4-10; *Os.* 2; *Eph.* 5, 21-33 etc.) necnon *Ench. Aug.*, nn. 1217-1392, passim.

43 *Mt.* 28, 20.

44 *Io.* 14-16, passim; *Act.* in omnibus capitibus, exceptis 3, 12, 24-27; *Miss. Rom.*, oratio in sabb. Quattuor temp. Pentecostes; *Ench. Aug.*, nn. 1260-1288, passim.

45 ORIGENES, *Comment. in Mat.*, 12-13; *Ench. Aug.*, nn. 1289-1327, passim.

46 *Pont. Rom.*, in initio ritus ordinationis Diac. et Pres. necnon consecrationis Virg. et Regum.

47 *Pont. Rom.*, in anuli episcopalis traditione.

48 *Hebr.* 5-10, passim; *1 Pt.* 2.

49 S. CYRILLUS ALEX., *Comment. in Io.*, lib. 12: *PG* 74, 701-722.

habente tamquam filia, discipula, subdita,[50] ac tamen sponsa,[51] immo matris et magistrae munus cum at sub eis exercente;[52] quibus omnibus divini Amoris virtute, familia,[53] corpus, populus atque regnum [54] exurgit, ad pleniorem in dies unitatem, altioremque sanctitatem provehendum in terris, gloriose ac perpetim consummandum in caelis. Quae supernaturalis societas, sui capitis divini ratione, absoluta unitate et infinita sanctitate refulget; beatissimae autem Virginis, Angelorum aliorumque caelitum, immo et revelatae doctrinae, necnon sacrorum instrumentorum salutis ac supernae destinationis causa, sublimi iam unitate et sanctitate coruscat; quia vero, originariae labis humanaeque inde consequentis debilitatis pondere, necesse est de mundano pulvere religiosa etiam corda sordescere,[55] ideo stupebit nemo si terrena Ecclesiae portio, quousque in hac peregrinatur infirmitatis valle, membris seu filiis constet non tantum qui mirabilem iam in terris assecuti sunt sanctitatem, sed et qui, fragilitate, ignorantia aut malitia, membris aegrotis [56] filiisve prodigis comparari valent; quos tamen misericors Pater, per Filium suum generis nostri Satorem, eiusque administros, innumeris pene suae sapientiae suaeque caritatis modis,[57] Sancti Spiritus arcana virtute, qui etiam rebelles quit voluntates compellere,[58] auxiliante quoque infallibili Sanctorum Communione,[59] dum sanctos hic adhuc degentes adiuvat ut ad ampliorem perfectionem ascendant, extorres vocat aut revocat, aegrosque a peccatorum lepra, saltem nisi restiterint, mundat;[60] filios impoenitentes vero, tamquam putrida membra lugens resecat;[61] cunctosque sibi adhaerentes, praemissa etiam, quoties oportuerit, salutifera in Ecclesia Purgatorii expiatione,[62] ac suscitatis dein gloriose ipsorum corporibus,[63] Beatorum in

---

50 *Rom.* 8, 14-17; *Gal.* 4, 1-7; cf. ritum byzantinum et romanum benedictionis fontis seu aquae baptismalis, ipsosque Baptismatis ritus.

51 Cf. notam 42.

52 Cf. notam 42.

53 Ecclesia est in primis familia cum constet Patre, filiis et amore, et, consequenter tantum, regnum et populus. Quoad omnes praedictos locos, ubi sermo est de Deo, Beata Virgine, capitibus aliisque Ecclesiae membris, ac de paternitate, filiatione, sponsalitate, maternitate, discipulatu, magisterio, et amore uniente, sanctificante, provehente etc. cf. C. M. BERTI, O.S.M., *Methodologiae theologicae elementa* (Scripta Professorum Facultatis Theologicae « Marianum » de Urbe, Ordinis Fratrum Servorum B. Mariae V.), Romae, Desclée, 1955, passim et praesertim pp. 79-90, 100-113, 118-132.

54 Notandum est, cum dicimus Ecclesiam esse familiam, populum, regnum, nos non loqui figuraliter sed realiter; unde mirandum est quod in schemate proposito familia fuit inter figuras collocata et ei praelata fuit vox « populus ».

55 S. LEO MAGNUS, *Sermo IV de Quadrag.,* olim in II noct. Dominicae I in Quadr. Brev. Rom.

56 *Pont. Rom.,* in expulsione publice poenitentium ex Ecclesia in feria IV cinerum et in reconciliatione eorumdem in feria V in Coena Domini, necnon in ordine suspensionis et reconciliationis; cf. *Ench. Aug.,* nn. 1363-1392, passim.

57 Cf. Anaphoras Orientales et ritus Sacramentorum et Sacramentalium omnium Liturgiarum.

58 *Miss. Rom.,* secreta Sabb. post Dom. IV Quadr.

59 *Symb. Apost. et Nic.-Const.*; Sacrae Liturg. ubi de glorificatione et intercessione Sanctorum ac de precibus pro Defunctis; Sacrarum Indulgentiarum praxis.

60 Cf. notam n. 56 et omnes poenitentiales ritus, sive pertinentes ad Sacramentum Poenitentiae et Unctionis Infirmorum, sive ad Sacramentalia.

61 Cf. notam 56.

62 Cf. Liturgiam Defunctorum.

63 *Symb. Apost et Nic.-Const.*; Liturgia Paschalis.

caelis tandem iungat Ecclesiae consortio;[64] ubi, in fine saeculorum, tradita per Dominum Iesum Aeterno Patri familia seu regno,[65] ipse Amor, qui Deus est,[66] perfectissime in Ecclesia manebit et ipsa in Eo;[67] sicque unitatem et sanctitatem assequetur absolutam omnino atque perpetuam.

Ex cap. VIII, quae ad Oecumenismum plene intelligendum inservire possent, sequentia deprompsi *.

... Ecclesia enim, omnimode universalis, quae ab Adam innocente seu ab Abel iusto pergit usque ad ultimum electum, non est quid horizontale, sed *conicum* et *pyramidale,* scil. ad perfectiorem in dies formam a divina voluntate et caritate, *gradatim,* adductum; in cuius coni seu pyramidis vertice, nempe doctrinae et mediorum ad salutem plenitudine, a Deo perducta et locata est Ecclesiae novissima et definitiva forma, quae catholica nuncupatur.

Ideoque qui scienter et volenter, ad illam ascendere renuit, divinae voluntati contradicit, Spiritum Sanctum contristat cuius opus contemnit, sicque a Dei gratia decidit, salutemque suam aeternam in discrimen adducit.

Ex hoc claro principio, sanus oritur oecumenismus, seu catholicorum hierarcharum fideliumque omnium spiritus et obligatio, universos sanctitate, oratione, verbo, aliisque aptis mediis ad catholicae Ecclesiae summitatem alliciendi, inducendi amanterque compellendi; sicut et universorum spiritus et obligatio, qui ad talem apicem nondum pervenerunt, divinae voluntati, inspiratione, eloquio aut studio perceptae, humiliter, sincere amanterque se conformandi, ad Ecclesiae Catholicae culmen seu perfectionem ascendentes, ut ita, secundum Aeterni Patris consilium, et ipsi se sentiant totaliter factos (seu, ut italice dicitur, « totalmente realizzati »)...

18

EXC.MUS P. D. IOSEPH LOPEZ ORTIZ

Episcopus Tudensis-Vicensis

Quaedam proponere audeo, ea facultate utens, qua Ss.mus D. Papa Paulus VI patribus concessit, quaeque non discussa reminiscor in aula conciliari, et attentione digna in D.no iudico.

Non accurate, meo iudicio, disiuncta fuere in disceptatione conciliari res ipsa, de qua agebatur, et eius theologica vel theoretica explicatio.

Aliud nempe videtur communis episcoporum missio in regimine Ecclesiae, etiam universalis, aliud sententia theologica quae hanc communem sollicitudinem

---

64 *Miss. Rom.,* oratio pro episcopo defuncto et generatim pro omnibus defunctis.

65 *1 Cor.* 15, 20-28.

66 *1 Io.* 4, 8, 16.

67 *Io.* 14, 23; *1 Io.* 4, 16.

* Quaeri potest an, ad unitatem, iuxta Domini Iesu optata, fovendam provehendamque iuvaret ut, Sacro adprobante Concilio, per selectissimos universae prorsus Ecclesiae (non ergo ex solo Catholicorum coetu) Peritos, collatis serene sincereque viribus, accurate, quorumdam annorum spatio, syntheticum, at critico in notulis apparatu ornatum, conficiatur *S. Theologiae compendium,* in quo, profunde at *perspicue* omnino, totum id quod *certissime divinitus revelatum* est perstringatur, *additis* quoque iis *quae cum revelatione nexu iunguntur evidenter necessario.*

vel actionem ad modum quidem actionis *collegialis* configurat. Ideoque verba quae in schemate adhibentur, ex traditione probata, ut corpus, ordo, communio immo et collegium, quaeque non sensu stricte iuridico interpretari necesse sit, retinenda non ambigo.

Sunt alia, quae vere propria, seu technica videntur, illius sententiae theologicae, vel potius iuridicae, ex. gr. Indoles collegialis, collegialis actio, collegialis potestas, quae versionem videntur termini novissime inventi *Collegialitas*. Talia verba theoriam certe sapiunt recentissimam, non universaliter acceptam, immo et valde controversam, in cuius favorem non allegari licet suffragatio quinque propositionum in Concilio peracta non suspicari licet, velit S. Synodus imponere hanc aliamve theoriam. Talibus rationibus nisus haec emendanda propono: pag. 27 lin. 5 loco « indolem collegialem » dicatur « communem participationem in episcopale munus ».

Potius tamen paragraphus substituenda videtur, nam haec communis participatio, vel communis actio, non tantum in promotione episcoporum eorumque consecratione manifestatur, sed multis aliis, et fere praestantioribus actionibus collectivis episcoporum, de quibus et non pauca iam ab historiographis edocti sumus, immo et plura remanent investiganda.

Aliunde non omitti debet intima connexio, quae adest inter communionem episcopalem et Ecclesiae unitatem.

Inde a lin. 4, pag. 27 haec vel similia dicerem: « Communio episcoporum, et per ipsos ecclesiarum eis commissarum qua quidem unitas Ecclesiae unitas perficitur, multis et evidentibus factis manifestatur, ab ipso initio Ecclesiae, quae venerabilibus documentis ad nos pervenerunt. Hanc communionem S. Liturgiae, disciplinae, fidei et caritatis, corpus episcoporum servat et fovet simul cum suo capite, et sub eo in quo unitas episcoporum et totius Ecclesiae stabilitur ».

Lin. 34 omittatur collegialis, quae vox redundans videtur et iuridica significatione plena.

Lin. 36 « actionem collegialem » cur collegialem? Papa eos potest invitare ad alios modos agendi. Supprimatur ergo verbum collegialem.

Lin. 38 « verus actus collegialis ». Multo melius: « verus actus Ecclesiae ». Si haec verba: « verus actus collegialis » retineantur, certe sensus iuridicus, quomodo hodie a iurisperitis exponitur, revera imponeretur. Verba « actus collegialis » aliam interpretationem non patiuntur, sed si insuper additur « verus », iam omnis possibilitas alias interpretationes adhibendi penitus evanescit.

19

Exc.mus P. D. SYMPHORIANUS LUCAS

Episcopus tit. Boriensis, vic. ap. Pilcomayoensis

I. Episcopus in America Meridionali cum sim, necessitatibus animarum permotus, necessarie debeo cum illis sentire qui sic dictum diaconatum laicorum exigunt.

Mihi tamen non valde placet nomen *diaconatus*. Primo quia in actuali disciplina ecclesiastica non univoce sonaret ac diaconatus clericalis: vel potius idem sonaret sed idem non esset. Deinde mihi videtur quod multi episcopi reiiciunt rem, propter timorem nominis.

Ideo propono quod, *reiecto nomine « diaconatus », aliud nomen quod idem significet adhibeatur.* Humillime confiteor me talem nomen non invenisse ulla lingua.

II. Si tamen Concilium « talem novam personam ecclesiasticam » reiiciat, tunc, propter instantem et gravissimam necessitatem animarum, *agnosci debet episcopis potestatem concedendi aliquibus laicis viris vel mulieribus, v. g. sororibus, easdem facultates quae pro diaconibus laicis desiderabantur, etsi tantum ad tempus.*

Necessitas confirmatur exemplo. Sorores in America Meridionali quasi omnes sunt in civitatibus et reliquae sunt in locis ubi possunt habere missam et communionem quotidie vel quasi quotidie. Ideo quasi nullum faciunt laborem « stricte » missionarium *ne priventur communione quotidiana.* Cur in casu episcopus non posset delegare superiorissam pro quotidiana distributione sacrae communionis diebus quibus missa carent? Cur in similibus adiunctis non idem concederetur alicui pio laico?

20

Exc.mus P. D. TITUS MANCINI

Episcopus tit. Vartanensis, aux. Ostiensis, Portuensis et S. Rufinae

Osservazioni generali. Il secondo capitolo dello schema *de Ecclesia* forse sortirebbe una maggiore chiarezza e risponderebbe meglio alla esigenza dottrinale e storica, se fosse ripartito nei seguenti titoli:

Titolo I: De Romano Pontifice: via historico-critica; via dogmatica.
Titolo II: De episcopatu: potestas ordinis; potestas magisterii; potestas iurisdictionis.
Titolo III: De relationibus corporis episcopalis cum Capite, vel de episcopatu monarchico.

Infatti: con il primo titolo si eviterebbero le continue ripetizioni e confusioni facilmente rilevabili nel presente schema e si darebbe l'occasione di sottolineare gli ultimi dati storici eccezionali della Sede Romana, come il « munus propheticum » sempre più universalmente accettato nel mondo e il « reperimento della tomba di S. Pietro » ecc.

Il silenzio sul trattato *De Romano Pontifice,* lungi dall'esprimere un motivo di delicatezza verso i Fratelli separati, non rappresenterà piuttosto un rafforzamento nel dubbio? La delicatezza non sta nel velare la verità, ma nel saperla sostenere e se ci sono, nello scoprire le colpe storiche.

Si avverte poi la necessità di adottare una terminologia più scientifica, e non indulgere al linguaggio omiletico, esortativo, che non si confà a definizioni conciliari.

Con il secondo titolo si darebbe una articolazione completa al « de Episcopatu », inserendo nel « de potestate regiminis » quanto è sviluppato nello schema « De episcopis ac de dioecesium regimine », unificando così i due schemi; unificazione che chiarirebbe meglio le due parti della materia: quella dogmatica e quella pastorale, che attualmente vengono spesso confuse e ripetute nell'uno e nell'altro schema.

Nell'attuale capitolo « de Episcopatu », manca una precisa distinzione tra

la « possessio potestatum » degli Apostoli e quella dei vescovi. Infatti la trasmissione della potestà non è piena e perfetta.

Osservazioni particolari. Titolo 11 - Lin. 2: « ... Corpus suum exaedificandum »: si rivela il poco rigore scientifico del linguaggio. Infatti una cosa è il « Corpo di Cristo » ed altra il « Corpo mistico di Cristo ». « Aedificatores » del Corpo mistico di Cristo sono: Cristo, lo Spirito Santo e Iddio Padre. Gli Apostoli ed i loro successori sono coedificatori subordinati. Per cui nel contesto la dottrina non appare né chiara né logicamente sviluppata.

Lin. 10: « Super Petrum rupem ac super Apostolos fundavit »: dicatur melius: « Super Petrum rupem fundavit et ad ipsam coedificandam, cum Petro Apostolos misit ». È bene chiarire, stando ai testi, che Cristo al Collegio Apostolico non trasferisce la giurisdizione ma bensì la « missione universale »; la giurisdizione universale viene data solo a Pietro. Si fa confusione tra missione e giurisdizione.

Altera quaestio est « De Ecclesiae fundamento »; altera quaestio est « De Ecclesiae aedificatione ». Quindi la necessità di due titoli distinti: De Romano Pontifice et De episcopis.

Titolo 12, linn. 11-12-13: « superaedificati super fundamentum Apostolorum »... Il testo di S. Paolo non può essere riferito in senso pieno anche al Collegio dei Vescovi, perché i Vescovi non ricevono le prerogative personali di cui godevano singolarmente gli Apostoli. È una confusione che lo schema non chiarisce in nessun punto anzi sembra insinuare il contrario, insistendo in appresso sulla trasmissione delle potestà. Le prerogative personali spentesi con gli Apostoli erano: *a*) *infallibilitas personalis*; *b*) Apostoli fuerunt *organa novae revelationis*; *c*) multi ex eis habuerunt charismaticum *inspirationis donum*.

Titolo 13. Occorre in questo titolo chiarire meglio la differenza che c'è tra la trasmissione di successione di Pietro al Romano Pontefice, e quella collegiale, ma non perfetta e piena, che intercorre dal Collegio Apostolico al Collegio Episcopale.

Linn. 40 e segg.: clarius dicatur: « Uti permanet potestas personalis a Domino singulariter Petro collata eiusque successoribus transmissa, ita servatur potestas et quidem ordinaria a Domino collegialiter Apostolis tradita et a collegio episcoporum recepta, seclusis singularibus praerogativis ».

Lin. 3, pag. 25: « ... Ecclesia pascendi » ecco un altro punto in cui difetta il rigore dottrinale e scientifico.

Titolo 14, linn. 8-2-10: si dovrebbe dire, in luogo di preamboli omiletici, che sempre vengono ripetuti, « In potestate ordinis episcopi succedunt apostolis plene et perfecte », a differenza della potestà di magistero e di giurisdizione.

Linn. 15-25: si dovrebbe impostare diversamente e cioè: non tanto che l'Episcopato sia solo la « pienezza del sacerdozio » quanto che l'Episcopato è il « sacramento fontale » dell'Ordine.

Linn. 21-22: non solo un Vescovo non si può ridurre allo stato laicale nè allo stato sacerdotale: è forte, ma vero aggiungere, che non gli si può togliere la « validità » che ha in perpetuo di conferire la Cresima e l'Ordine.

Questo, che è punto essenziale soprattutto in riferimento a certi settori dell'ecumenismo, non è toccato nello schema.

Titolo 15. Anche in questo titolo si fa confusione tra materia dogmatica e materia pastorale.

Titolo 16. È preferibile al termine « Collegium » sostituire il termine « Corpus », soprattutto quando « agitur de coniunctione cum Capite ». Se ci atteniamo ai testi, la trasmissione dei poteri di Cristo agli Apostoli dà più il senso di un « corpo sociale » che di un « collegium ». Principium collegialitatis oligarchiam insinuat, dum « corpus » principium monarchicum vocat.

Lin. 2: loco « statuente Domino », dicatur « traditur ».

Linn. 5-8: si accede addirittura all'accezione del senso « accomodatizio ».

Linn. 12-18: va chiarita meglio la distinzione tra l'autorità universale e personale e quella collegiale. Inoltre sarebbe opportuno distinguere « la potestà di magistero » dalla « potestà di giurisdizione » nel « corpo episcopale »; infatti nella potestà di magistero « Collegium episcoporum succedit Collegio apostolorum etiam in praerogativa infallibilitatis », e tolta la prerogativa personale di infallibilità, il Collegium episcoporum « gaudet, uti organum authenticum doctrinae revelatae, intensive et extensive ipsa auctoritate " Collegii apostolorum ". Dum in potestate regiminis, successio est minus perfecta sive intensive sive extensive, etsi habetur uti potestas ordinaria et non tantummodo vicaria ».

Titolo 17: loco « multitudinis » dicatur « populi christiani »; infatti « multitudo » dà piuttosto il concetto di « massa », « di folla » che sociologicamente ha ben altri contenuti; ora il Concilio e lo schema presente avendo la pretesa del « sermone menti hodiernae accommodato » è bene che curi tale proprietà linguistica.

Lin. 15: loco « ex officio » melius dicatur « e charactere » vel « ex ordinis potestate »: infatti nella potestà dell'ordine che ha radice la « pretesa » universale sia del singolo Vescovo che del Collegio.

Lin. 29: loco « corpus Pastorum » dicatur « coetus Pastorum » vel melius « corpus episcoporum ».

Titolo 18, lin. 3 (De episcoporum ministeriis): Così espresso il titolo tende a comprendere anche la materia sviluppata nell'altro schema « De episcopis ac de dioecesium regimine ». Mi sembra che, solo nel caso si fondano i due schemi, questo titolo potrà essere mantenuto; diversamente non corrisponderebbe al contenuto della materia attuale, e meglio allora si dica: « De missione ac munere episcoporum »: rilevando bene che alla « *missio universalis,* Evangelii nuntiandi a Christo imposita, correspondet *munus universale* docendi et praedicandi »; questo dovere è parte essenziale e motivo estremo della potestà dell'Ordine.

Titoli 20 e 21. Praticamente si ripetono o si sviluppano concetti già accennati nei titoli precedenti; per questo sarebbe necessario riordinare tutta la materia, come sopra indicato.

21

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

1. *De Consilio episcoporum Papam adiuvantibus in actuali regimine Ecclesiae.* Circa hanc propositionem plene assentior interventioni em.mi Lercaro die 8 novembris 1963 factae in aula conciliari, eamque fateor esse sequendam.

2. *De Patriarchis.* Si recte interventiones aliquorum Patrum intellexi, adsunt qui velint ita institutionem Patriarchatus in Ecclesia ad pristinum statum reinte-

grari ut ipsi Patriarchae evadant independentes ab ipso Romano Pontifice sive in episcopis regionis et ritus eligendis, sive in legibus pro suo quoque ritu vel regione ferendis.

Haec propositio — si reapse sic se habet — mihi videtur non esse reintegratio alicuius privilegii vel traditionis usu temporum deperditae sed potius simplex reversio ad lamentabilia et periculosa tempora inter saecula v et x cum magno periculo ruinandi ipsam compaginem Ecclesiae.

Haec propositio autem non est sub silentio praetereunda, sed potius vellem eam clarius enunciare ita ut omnes Patres sentiant de qua re quaestio sit et periculum illud avertant.

Mihi ignoscatur si suggero necessitatem coadunandi coetum virorum peritorum orientalium et occidentalium, sive in re historica quam iuridica, qui hanc quaestionem funditus tractent et demonstrent ex historia et prudentia quod via tuta et facilior ad unitatem fovendam, ad factiones clericales et laicales persaepe debellandas, ad malum nepotismi vitandum, in conferendis dignitatibus ecclesiasticis et in vita fidelium roboranda est praesens praxis Ecclesiae Romanae, in qua omnes fideles et pastores habent facultatem et libertatem propria desideria libere pandendi.

22

Exc.mus P. D. LUDOVICUS MATHIAS

Archiepiscopus Madrapolitanus et Meliapolitanus

De universali ad sanctitatem vocatione. Mea opinione fructus Oecumenici Concilii magna ex parte pendebunt ex intellecta uberiusque comprehensa *sanctitatis* nota; equidem Redemptoris voluntas est ut, per sanctificationem membrorum sui mystici Corporis, a Se salvatorum, Deo maior gloria, quantum fieri potest, tribuatur (*Eph.* 1, 4; *Col.* 1, 22; *1 Thess.* 4, 3; *1 Pt.* 1, 16; *Io.* 10, 10; *Rom.* 12, 1 ss.).

Quare, inter omnes in Concilio Oecumenico disceptationes agitatas, praecipua haec esse videtur quae ad Ecclesiae sanctitatem spectat; quae si recte intelligatur ac profundius comprehendatur, renovata conscientia, potior tribuetur locus Spiritui Sancto, qui tum in doctrina tradenda cum in navitate exercenda in Ecclesia praesentissimus esse agnoscendus est.

Art. autem 28 et 29 cap. IV scite in lucem ponunt universalem ad sanctitatis vocationem, cuius statuunt primum ac maximum Legis mandatum, totius Legis compendium; verumtamen huiusmodi articuli poliri vel perfici posse videntur si sequentes animadversiones prae oculis habeantur:

I. Ad n. 28: « In mysterio Ecclesiae... ». « Credo in *unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam...* ». Unitas autem, universalitas (*catholicitas*) et apostolicitas, quae inibi praebentur, sine sanctitate ad effectum traduci nequeunt; id autem a Christo Iesu luculentissime monstratur in sermone post Coenam: « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut *et ipsi in nobis unum sint* (*Io.* 17, 21); quae quidem unio effici nequit nisi Dei voluntas prompte, docile et suaviter adimpleatur: « Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra » (*1 Thess.* 4, 3).

Ideo si nuntius Christi penitius intelligatur, id praecipue constabit: sanctitatem in Ecclesia et Ecclesiae vitae rationem ipsam ac fundamentum esse.

II. Ad n. 29: « Omnis perfectionis divinus Magister et Exemplar... ». Dominus nos edocuit Spiritum Sanctum venturum esse in mundum ut suggerat nobis omnia (*Io.* 16, 13); Spiritus ergo cum sit sanctificator, nobis datus est veluti divinus Doctor et Magister qui, dum peregrinamur hac in vita, Deo nos revocet Eique coniungat; hic idem Spiritus Ioannem Baptistam « in sinu matris » (*Lc.* 1, 15) replevit qui impelleretur ad « praeparandam Domino plebem perfectam ». Hic idem Spiritus a Patre missus est in sinum Mariae, Virginis Immaculatae, Domini Ancillae, ut Verbum inde prodiret, qui perfectum exemplar est in Dei voluntate adimplenda; Ipse enim vivens speculum perfectae sanctitatis, absolutissimae unionis cum Patris voluntate, ac consummatae caritatis est, ut vel postremam sui sanguinis guttam effunderet; itaque baptismo ac ceteris Sacramentis sub sigillo Spiritus Sanctificatoris eiusque donis nos recondit ac praesertim sacrosancto Eucharistiae sacrificio, Christus nos ad intimum Secum commercium provocat et urget.

Ceterum ipsum Dei Verbum habitavit in nobis et inter nos proclamatum est ut voluntatem Dei securius cognoscere possemus: « Audi Israel: Dominus noster, Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua » (*Deut.* 6, 4-5; *Mc.* 12, 29-30); « Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae » (*Mt.* 22, 37-40); hic igitur compendium prostat universae Legis totiusque Scripturae; quod connectitur cum praecepto: « Estote ergo perfecti sicut et Pater caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48), quod sermonem Beatitudinum claudit et quasi quaedam magna charta Regni caelestis est.

Plures fideles, fortasse nimii ut ex experientia constat suam ad sanctitatem vocationem ignorant; quibus sola Ecclesia potest ac debet sanctitatem largiri eosque ad hanc metam urgere; haec est voluntas Dei. In singulis hominum conscientiis semen quoddam satum est quod ad veritatem Christi assequendam, impellit, quod desiderium, saepe inconscium, cieat, ad maiorem uberioremque rerum divinarum notitiam comparandam. Cum igitur animus humanus, etiamsi fortasse solum implicite ad amorem et bonitatem infinitam adspiret, Spiritus Sanctus homines ad nuntium sanctitatis suscipiendum, a Christo Domino Redemptore prolatum praeparat. A fortiori baptizatus quisque invitationem ad sanctitatem audire debet: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis... » (*1 Pt.* 2, 9).

Denique ad testamentum Christi attendamus: in primis ad Eucharistiam, quae eius Amoris manifestatio est per excellentiam, quaeque nobiscum erit usque ad finem saeculi; attendamus ad sermonem post Coenam in quo amor dilatatur instar instantiae urgentis et invitantis ad sanctitatem, et in quo promissio Spiritus Sancti nobis facultatem praebet huic invitamento respondendi. In cruce affixus Christus Dominus omnibus ignoscit; nobis Matrem commendat ac patitur se a Patre derelinqui; tale drama, fastigium pertingit cum latus Eius aperitur, ut Cor, symbolum amoris, veluti suave hospitium Eius dilectionis nobis pateret ac refugium; postquam vero resurrexit, a Petro poscit ter « Amas me? » (*Io.* 21, 20), ut inde post triplicem amoris confirmationem, Petri primatum institueret « Pasce oves meas ». Iam propinquat dies Ascensionis: « Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20).

Quomodo poterunt apostoli huic mandato divino parere ac animorum cordiumque assensum ac oboedientiam assequi nisi adiuvante Spiritu Sancto? Qui quidem ipsis datus est die Pentecostes, in qua ortum duxit catholicus apostolatus; ipse Spiritus Sanctus, qui in sinu Virginis Verbum nasci fecit, nuntium salvificum in viris, qui propagandae veritatis officium ac munus salutis pro omnibus hominibus bonae voluntatis consecuti sunt, confirmat; Spiritus Sanctus revera ex hoc tempore instimulator ac Sanctae Ecclesiae animator usque in finem esse perseverabit.. Sanctitas ergo est proprium quiddam in Ecclesia ac proinde Ipsi munus incumbit omnia experiendi media ad membra et ceteros sanctificandos qui invitamento Christi Redemptoris ac Sanctificatoris respondere satagunt (*Eph.* 4, 11-12). Quidquid igitur huic superno muneri detrahit, Ecclesiae detrahit; neque Ipsa non poterit in quandam sterilitatem decidere si huic officio imparem vel negligentem sese praebeat; sola enim gratia convertit, vivificat ac fructificat; in ceteris rerum provinciis poterit Ecclesia aemulari et vinci ob copiam rerum quibus mundi potestates facile abundant; at in campo sanctitatis, ipsa sola facultatem habet elargiendi id quod nulla humana consortio, nulla potestas suis membris praestare potest; sanctitas ergo est propria Ecclesiae missio, « anima cuiuslibet apostolatus ».

Invitatio Summorum Pontificum, Ioannis XXIII ac Pauli VI, omnibus fidelibus praestita et praesertim viris, contemplationi deditis ac aegrotis ut pro Concilii successu preces effunderent, Sacra celebrata, invocationes Spiritui Sancto in singulis Concilii congregationibus, directae luculenter testantur quantum actio Spiritus Sancti in Ecclesia consideretur et quantum considerari debeat una cum munere gratiae ad fines Concilii consequendos, ut revera Ecclesia sit *una sancta catholica apostolica.*

23

Exc.mus P. D. VICTORIUS OTTAVIANI

Episcopus Alatrinus

In n. 16 cap. II (pag. 27). Diu anceps fui an transmitterem vel non, quae mihi videntur de hoc tam disceptato numero schematis. Vicit conscientiae stimulus. Haec ergo animadverto.

A) Mihi videntur distinguenda haec quattuor: 1) Potestas episcopalis singuli episcopi; 2) Collegialitas episcoporum; 3) Patestas collegialis episcoporum; 4) Episcoporum potestas collegialis suprema in Ecclesia.

1. Potestas episcopalis singuli episcopi magna est in Ecclesia. Episcopi sunt successores apostolorum; pollent potestate sacramentali Ordinis summa in Ecclesia (ipse Romanus Pontifex sacramentaliter est episcopus, sicut ceteri omnes episcopi). At in exercitio potestatis episcopalis subsunt Romano Pontifici sicut oves Pastori. Subsunt etiam Concilio Oecumenico et propriis Conciliis Provincialibus et conferentiis episcoporum. Ergo magna eorum potestas, at non maxima.

2. Collegialitas episcoporum enascitur ex ipsa natura rerum... Sunt collegae artifices eiusdem artis, profitentes eadem studia liberalia. Ergo et episcopi inter se... Collegialitas apparet a Christi voluntate. Ipse voluit Apostolos habere summam unionem et caritatem inter se...

At a collegialitate simpliciter sumpta non potest erui potestas collegialis epi-

scoporum... Collegialitas simpliciter sumpta implicat communionem, unitatem, caritatem, concordem adlaborationem et sollicitudinem etc. ...

Potestatem legiferandi collegialiter episcopi collegialiter sumpti aut a Christo habuerunt aut non habent.

3. Potestas collegialis episcoporum non potest exerceri nisi collegialiter. Episcopi dispersi in orbe pollent potestate collegiali tantum potentiali. Habent ius ad convocationem, si collegium a praeside coadunatur. At cum sunt dispersi et dispersi agunt, singulariter agunt, non collegialiter. Principium contradictionis impedit quod actus singularis sit actus collegialis aut viceversa.

Habent episcopi potestatem collegialem? Tota historia Ecclesiae positive respondet. Concilia, Synodus, etiam praescindendo a Conciliis Oecumenicis, iam ab antiquissimis temporibus celebrata sunt et eorum canones maxima polluerunt auctoritate in Ecclesiis. Fiebant ex voluntate Christi seu ex iure divino vel ex voluntate Ecclesiae seu de iure ecclesiastico? Opinor motum ad potestatem episcopalem collegialiter exercendam esse ex voluntate Christi, determinationes provinciarum et praesidum esse de iure ecclesiastico...

At perperam his Conciliis Provincialibus seu Plenariis attribueretur potestas suprema in Ecclesia, quae pertinet tantum ad Romanum Pontificem et ad Concilium Oecumenicum. Iam patet nostra mens.

4. De potestate collegiali episcopali suprema in Ecclesia. Haec exerceri non potest ab episcopis nisi his stantibus conditionibus:

a) Coadunentur a Romano Pontifice et agant sub eiusdem praesidentia et confirmatione. Ipse est Pastor qui pascit et oves et agnos, ipse est Petra Ecclesiae et Fratrum Confirmator.

Summus Pontifex est praeses collegii episcoporum vere sui generis et singularis. Episcopi in Concilio manent veri legislatores et infallibilitate collegiali gaudent. At in Concilio non sunt legislatores singulariter sumpti, sed collegialiter sub Petro.

b) Coadunentur a Romano Pontifice moraliter omnes episcopi. Si ergo Romanus Pontifex convocat episcopos tantum partis Ecclesiae aut delectos episcopos ex omni Ecclesia, iam non exsurgit Concilium Oecumenicum. Acta huius Concilii haberent vigorem in tota Ecclesia, at non ut acta collegialia, sed ut manifestatio primatus personalis Romani Pontificis. Ipsum principium contradictionis impedit quod sit Concilium Oecumenicum, quod reapse Concilium Oecumenicum non est.

Hae duae conditiones verificantur tantum in Concilio Oecumenico. Ergo potestas collegialis suprema in Ecclesia non exercetur nisi in Concilio Oecumenico.

Haec potestas collegialis suprema innuitur tantum in Evangelio. In *Mt.* 18, 18 Christus omnibus apostolis dat potestatem ligandi et solvendi, at clare non edicitur si singulariter tantum an etiam collegialiter exercendam. Eadem potestas suprema collegialis probatur ex Actibus Apostolorum ex historia Concilii Hierosolymitani. Clarissime dein eruitur ex historia Conciliorum Oecumenicorum.

Negata hac potestate suprema collegiali iam infirmantur acta omnium Conciliorum Oecumenicorum, acta etiam Concilii Oecumenici Vaticani I definientis Infallibilitatem et Primatum iurisdictionalem Romani Pontificis.

Ita Christus condidit Ecclesiam, ut Romanus Pontifex fulciat episcopos sive dispersos sive coadunatos in Concilio praesertim Oecumenico et vicissim Concilium Oecumenicum fulciat Romanum Pontificem.

Si potestas suprema collegialis Concilii Oecumenici est a Christo, iam ex iure divino est iuxta meam humillimam sententiam, quae tamen est communis.

B) In schemate, prouti iacet, haec mihi displicent:

1. In linn. 20-21 dicitur: « ... tum Petro autem tum Duodecim *simul* Apostolis ligandi atque solvendi potestatem tribuit ».

Illud *simul* non eruitur ex textu S. Matthaei 18, 18. Ergo deleatur.

Ex traditione eruitur Dominum Nostrum Iesum Christum tribuisse Apostolis potestatem ligandi atque solvendi exercendam singulariter ordinarie et collegialiter aliquando.

At ex textu evangelico in se sumpto hoc nondum eruitur. Licitum autem non est ex textibus scripturisticis eruere quod reapse non dicunt vel non determinant.

2. In linn. 26-27 dicitur: « ... (Episcopi) *propria potestate* in bonum fidelium suorum, immo totius Ecclesiae funguntur... ».

Haec verba valde difficilia mihi sunt intellectu sensu catholico.

Edicitur episcopos habere *potestatem propriam* in fideles suos et in totam Ecclesiam, iisdem verbis et sine ulla distinctione. Constitutio monarchica episcopatus iam ab Aevo subapostolico dat episcopis potestatem propriam tantum in fideles suos, non in totam Ecclesiam. Extra fines suae dioecesis haec potestas *propria* desinit. Potest utique haberi potestas delegata ab alio episcopo vel a Romano Pontifice, at non potestas propria praesertim iurisdictionalis. Hoc solemne est in Ecclesia ab antiquis temporibus. Usus diversus, qui innumerabilibus pateret discordiis inter episcopos et confusioni inenarrabili, non potuit a Christo statui. Stet ergo *potestas propria* tantum in fideles suos, *caritas et sollicitudo* in totam Ecclesiam.

Potestas propria in totam Ecclesiam pertinet episcopis tantum in Concilio Oecumenico coadunatis sub Romano Pontifice; ergo non singulariter, sed collegialiter exercenda. Extra Concilium Oecumenicum omnis potestas desinit episcoporum singulorum in totam Ecclesiam.

3. In linn. 27-28 dicitur: « ... Spiritu Sancto organicam structuram eiusque concordiam continenter roboranti ».

Extensor schematis animadvertit se in lineis praecedentibus edixisse aliquid difficile, quod componi non potest cum Primatu Romani Pontificis et cum episcopatu monarchico. Ipse posuit discordiam in Ecclesia, episcopis adlaborantibus extra proprios fines « potestate propria », quae ita fit universalis ut potestas Romani Pontificis, potestate quae in conflictu perenni est cum illa ceterorum episcoporum. Nunc vocat Spiritum Sanctum ad tantam discordiam et confusionem componendam. Auferatur illa « potestas propria in totam Ecclesiam » et ecce exsurgit illa visibilis et mira concordia, quam Dominus Noster Iesus Christus ex voluntate Patris per Spiritum Sanctum posuit in Ecclesia sua.

4. In linn. 29-30 edicitur: « ... sollemni et extraordinario modo in Concilio Oecumenico exercetur ». Verba delenda.

Iuxta quae praemisimus « Suprema in universam Ecclesiam potestas » *unice* in Concilio Oecumenico ab episcopis ex voluntate Christi exerceri potest, quia illa potestas in episcopis non est singularibus, sed potestas collegialis est omnium episcoporum sub Romano Pontifice.

Haec verba schematis permagnam controversiam in aula conciliari excitaverunt. Multi Patres conclamaverunt: « Edicatur nobis modus minus sollemnis

et ordinarius exercendi illam potestatem supremam in Ecclesiam universam. Si habemus, exercere volumus. Curia Romana, quae impedivit hoc exercitium usque nunc, sub iudicio ponatur Concilii ». Insana verba. Ille modus minus sollemnis et ordinarius exercendi supremam potestatem in Ecclesiam totam a Christo positus est non in collegio episcoporum, sed in Romano Pontifice seu in eius primatu personali.

Omnia quae dicta sunt in aula conciliari de Synodo episcoporum (non omnium sed aliquot) apud Romanum Pontificem, de Supercongregatione episcopali, de Conferentia Praesidum Conferentiarum non possunt constitutionem divinam mutare Ecclesiae.

Organa illa, non attingentia conditiones ad Concilium Oecumenicum efformandum, essent mere consultiva Romani Pontificis exercentis primatum personalem. Vellent se substituere Curiae; essent reapse novae formae Romanae Curiae.

Mihi videntur utilia. Tamen episcopi residentiales non ansam inde habeant ad proprias Sponsas diutius derelinquendas. Redirent tempora antitridentina.

5. De linn. 34-39. Exarata sunt a viro historico, qui voluit in textu conciliari ponere et ita codificare, quae minus recte in decursu saeculorum evenerunt circa Concilia Oecumenica.

Si dixisset: « Aliquando Romanus Pontifex ad maiora mala vitanda debuit sua facere Concilia Oecumenica vel ab auctoritate civili vel ab episcopis forsan haereticis convocatis. Nunc autem, clarescente post Vaticanum I doctrina de Primatu hoc amplius non eveniat ad Summi Pontificis maximam libertatem tuendam, uti par est », meam apposuissem subscriptionem.

Voluntas iterandi, quae minus recte acta sunt, nihil placet. Haec autem voluntas in lineis schematis serpit. Consulo deletionem illarum linearum.

24

Exc.mus P. D. RAPHAEL PELLECCHIA

Episcopus Aliphanus

Observationes circa Schema constitutionis dogmaticae de Ecclesia.

A) In cap. I, n. 7: De Ecclesia in terris peregrinante. Desideratur magis explicita declaratio circa sensum et valorem paupertatis in Ecclesia. Ecclesia enim Christi est Ecclesia pauper et pauperum.

Deinde recolentur etiam officia fundamentalia Ecclesiae: 1) ipsa in terris Deum laudat et homines sanctificat (*de Liturgia*); 2) veritatem revelatam contemplat; eiusdem pleniorem manifestationem inquirit; et eam contemplatam praedicat. Oportet revocare in hac constitutione ea quae pertinent ad vocationem sapientialem et contemplativam Ecclesiae, et quia hoc est magni momenti in se, et quia haec doctrina ex alto illuminat et fere expostulat ea quae postea suis locis dicuntur de actione doctrinali episcopi, parochi, clerici, laicorum etc. i. e. omnium illorum qui sub ductu Spiritus Sancti huic muneri Ecclesiae participant; 3) ipsa, denique, adlaborat ut omnes homines ad salutem perveniant.

B) Cap. IV: De vocatione ad Sanctitatem in Ecclesia. Ad omnes aequivocationes tollendas quae ex hoc actuali ordine possent derivari, quasi hic ageretur de illis qui particularem vocationem sequentes in statibus perfectionis vivunt,

valde melius esset si doctrina generalis de vocatione ad sanctitatem et de mediis ad eam assequendam ponatur in cap. I constit., post n. 7 vel veluti eiusdem prosecutio. Ecclesia in terris peregrinans vocatur conformari imagini Filii Dei et eiusdem sanctitatem participare. Hoc valet pro omnibus qui sunt in Ecclesia.

In cap. IV profundiori et opportuniori modo posset agi de illis qui speciali modo huic vocationi participant mediante particulari observantia consiliorum evangelicorum.

25

EXC.MUS P. D. HIERONYMUS RAKOTOMALALA
Archiepiscopus Tananarivensis

De paupertate. Ut Ecclesia possit esse testimonium fidele et vivens de Christo, debet esse pauper, non in sermone sed de facto. Necessarium et urgens est ut redeat ad paupertatem quam Christus docuit nos Bethléem, Nazareth et durante tota eius vita publica, non solum egregie loquendo de paupertate sed praesertim pauper vivendo.

Quadam die anni praeteriti, durante Concilio, usus sum « Tram » in Urbe. Homo quidam, cum me vidit, paulisper mirans non praecise quia niger sum, mihi dixit: – Tu es episcopus? – Etiam, respondi. – Est incredibile. Numquam vidimus episcopum in Tram. Sunt omnes divites. Habent personalem machinam luxuosam. At, cum tu sis tam simplex permitte ut tibi faciam unam confidentiam. Nos, credimus in Iesum quia vere pauper erat et sincerus. Sed non possumus credere in Ecclesiam: dives est enim. Et quod peius est, Ecclesia mentitur quando dicit se continuare opus Christi. Iste, sicut nos duxit pauperem vitam; illa vero vivit splendide. Christus? Utique. Ecclesia? Non...

Ex inde facile apparet qualis renovatio prae ceteris est necessaria in Ecclesia si denuo vult a populo audiri et habere eius confidentiam.

26

EXC.MUS P. D. ALOISIUS RASTOUIL
Episcopus Lemovicensis

Le Sacerdoce. Fondement, nature de l'Eglise et base première de l'Apostolat des Laïcs (*Les Laïcs aussi sont l'Eglise* - Pie XII).

A) *Une audience de Paul VI.*

La présente communication a pour but d'attirer l'attention du Concile sur une question de première importance pour l'Eglise et particulièrement pour les Laïcs, et donc pour l'apostolat des Laïcs.

Ces idées que j'exposais brièvement au Saint-Père, le 29 novembre 1963, dans une audience privée, ont été écoutées par Sa Sainteté pendant dix minutes, visiblement approuvées et encouragées ainsi:

Au moment où à cause de la brièveté nécessaire de l'audience, je m'excusais d'énoncer seulement des titres, alors que derrière ces titres il y avait, dans mes dossiers, de nombreux arguments et citations, la matière d'un ouvrage, d'un volume, le Pape Paul VI me disait par trois fois: « Monseigneur, il faut pu-

blier votre livre »; et parce que j'avais insisté sur la Confirmation, fondement, base réelle, ontologique de l'Apostolat des Laïcs, Sa Sainteté voulut bien me dire avant et après sa bénédiction, donc deux fois: « Monseigneur, soyez l'apôtre de la Confirmation ».

I - *Ce que S. S. Paul VI a bien voulu écouter avec bienveillance et encouragements.*

1. Le Concile étant le rassemblement de l'Eglise, de toute l'Eglise représentée par les Evêques, et l'Eglise étant toute sacerdotale (le Christ Prêtre continué, prolongé) il a manqué et il manque encore en tête de tous les schémas, du moins aussitôt après la Révélation, le Messie-Sauveur, le schéma *de Sacerdotio,* qui, à mon humble avis, est le schéma clé de l'Eglise, la trame de toute l'Eglise en tous les membres du Corps mystique, et donc des Laïcs, pour leur part, à leur place.

2. *Le Sacerdoce* (Médiation sacrée effective entre Dieu et l'humanité) n'est-il pas au suprême degré comme la nature du Messie, du Rédempteur, Médiateur unique, Dieu et homme, dont la nature n'est pas seulement divine ou seulement humaine, mais divino-humaine, pour qu'Il puisse remplir sa mission humano-divine de Médiation sacrée, de sacrifice, de Prêtre.

Le Verbe incarné pour être Rédempteur, victime et sacrificateur est essentiellement le Prêtre unique.

3. *Le Sacerdoce* par Jésus-Christ, en Jésus-Christ, de Jésus-Christ, continue en ses apôtres, en ses membres que sont les baptisés; en son Corps mystique, en l'Eglise (tous sont l'Eglise) dont la nature est donc d'être sacerdotale.

4. *Le Sacerdoce* de Jésus-Christ est communiqué à l'Eglise, aux membres de l'Eglise (Hiérarchie et Peuple) par trois sacrements à caractère, imprimant une configuration toujours plus grande à Jésus-Christ, dérivation de son Sacerdoce unique: le Baptême, la Confirmation et l'Ordre (S. Thomas, III, q. 53).

5. Le caractère du *Baptême,* dérivé du Sacerdoce du Christ donne pouvoir, droit et devoir de participer au culte divin, culte qui continue dans et par toute la vie chrétienne.

6. Le caractère de la *Confirmation,* dérivé du Sacerdoce du Christ donne pouvoir ad alios, verbis, quasi ex officio (S. Thomas, III, 9, 72) et donc pouvoir (et le Saint-Père ajouta: et devoir) oui, Saint-Père, pouvoir, droit et devoir, pour les parents, éducateurs, chrétiens, militants, de témoigner du Christ, d'apostolat.

7. Le caractère de l'*Ordre,* qui donne pouvoir du sacrifice, différence essentielle entre sacerdoce du prêtre et du laïc (Pie XII, 2 nov. 1954).

8. Les Laïcs ne sont pas prêtres (il faut éviter cette appellation qui a contribué à passer sous silence le Sacerdoce des Laïcs); mais ils sont membres du Corps mystique sacerdotal comme il est dit plus haut.

9. Mais si les Laïcs ont conscience d'être enfants de Dieu et de l'Eglise par le baptême, ils ignorent tout de la dérivation du Sacerdoce du Christ qui est en eux par le Baptême (culte) et par la Confirmation (apostolat) et des pouvoirs liturgiques et apostoliques burinés (insculpti, disait Pie XII) en eux par ces sacrements.

10. Cette ignorance, et le silence souvent complet, quelquefois à peine rompu par quelques lignes ou paroles (sauf quelques exceptions), sont manifestes dans les articles de revues, de bulletins de mouvements et d'œuvres, dans des ouvrages

même récents (1962-1963-1964) qui traitent pourtant des Laïcs, de leur place dans l'Eglise, de leur apostolat.

11. D'où nécessité qu'un enseignement soit donné aux prêtres, aux laïcs, en vue d'une formation doctrinale, spirituelle, pastorale, soit donné dans la perspective de leurs pouvoirs, droits et devoirs et de leurs rôles dans les milieux de vie, et aussi de leur mission auprès de la hiérarchie, et nécessité, qu'à ces réalités, besoins et missions soient adaptés la presse, les réunions, les journées, les retraites, les congrès.

Et c'est alors que Paul VI eut l'immense bonté de me dire: « *Il faut faire paraître votre livre* », *et* « *Soyez l'apôtre de la Confirmation* ».

II - *Ce que j'ai laissé à S. S. Paul VI, à sa demande, et qui faisait suite aux principes ci-dessus.*

1. *Les consignes de Jean XXIII* données aux Laïcs, le 1er juin 1962.

A la Jeunesse féminime de Milan présentée par S. Em. le Cardinal Montini: « *Vivre intégralement votre Confirmation* ».

Aux catholiques Italiens cadres de la formation professionnelle: « *Chrétiens convaincus vivant constamment le sacrement de Confirmation* ».

2. *La liste de mes communications* faites au Concile sur le Sacerdoce et sur l'Apostolat des Laïcs.

1) *Avant le Concile,* en juillet 1962, une communication sur le Sacerdoce (cf. *Acta antepraeparatoria*, p. 162, où on lit en note: « Utiliter consuli potest »).

2) *Pendant la Ière session du Concile*:

a) une communication (déposée mais non lue) sur *Le Sacerdoce fondement de la Liturgie,* où sont rappelés les principes de base *de Sacerdotio.*

b) Une note, écrite et non lue, qui demande d'exprimer dans les rites du Baptême et de la Confirmation que le caractère de chacun est dérivation du Sacerdoce de Jésus-Christ et base et source de pouvoir de culte et vie chrétienne (B) et d'apostolat (C).

3) *Entre les deux sessions* (en juillet 1963). Un rapport de 108 pages sur *La place première du Sacerdoce* dans l'Eglise, P. 1 à 48 de mon manuscrit, et particulièrement la question *Apostolat des Laïcs,* de la p. 49 à 105 du manuscrit.

4) *A la IIe session du Concile.* Une communication lue le 17 octobre 1963 sur *De Sacerdotio populi Dei.*

B) *Quelques conclusions.*

I - *Celles que j'avais suggérés dans mes communications.*

1. *Institution d'une Commission conciliaire du Sacerdoce,* qui aurait été principale, parce que le Sacerdoce est présent à tous les schémas, et sur son rôle, aurait été capital dans la préparation du schéma sur l'Apostolat des Laïcs.

2. *Composition enfin d'un Traité complet du Sacerdoce, qui n'existe pas dans l'enseignement de l'Eglise* et qui donnerait nettement leur vraie place aux Laïcs dans l'Eglise, dans l'Apostolat.

3. *Institution d'une fête du Sacerdoce de Jésus-Christ,* qui rappellerait la doctrine du Sacerdoce de la Hiérarchie et des Laïcs.

II - *Autres conclusions pour l'Apostolat des Laïcs.*

1. *Distinguer les deux plans* « *Grâce et Caractère* ».

Dans les enseignements sur le Sacerdoce toujours conféré sacramentelle-

ment à ses divers degrés du Baptême, de la Confirmation, de l'Ordre, bien distinguer les deux plans: grâce et caractère: « L'Eglise de la terre reçoit sa stabilité et sa structure du caractère plutôt que de la grâce: celle-ci peut se perdre, l'autre, non ».

Piault: Qu'est-ce qu'un sacrement, p. 65.

2. *Enseigner les bases de pouvoirs du Baptême et de la Confirmation.*

Que l'enseignement sur les sacrements de Baptême et de Confirmation, surtout pour la Confirmation (où il est à peu près totalement déficient), soit vraiment donné dans les séminaires, dans les catéchismes, dans les cercles d'études, dans les retraites...

a) *Baptême.* Qu'il soit mieux enseigné que *le Culte divin* (adoration, louange à Dieu, etc.) comprend les cérémonies bien sûr, mais s'étend à toute la vie chrétienne, à la maison, à l'atelier, pas moins qu'à l'église, quoique de manières diverses.

b) *Confirmation.* Il est douloureux de constater encore en 1963 et en 1964, que des revues et des journaux qui, plus que jamais à cette époque du Concile et autour du schéma de l'Apostolat des Laïcs, se préoccupant de la vraie place du Laïcat dans l'action évangélisatrice de l'Eglise, semblent ignorer le rôle de la Confirmation, de son caractère, de ses pouvoirs dans l'âme du membre, du militant d'Action catholique et de tout confirmé.

C) *Quelques témoignages parmi d'autres.*

Un évêque de France écrivait, en 1962, une Lettre Pastorale qu'il intitulait, hélas! avec raison: « Un grand sacrement méconnu, la Confirmation ». — Mgr Fougerat, Evêque de Grenoble.

La Confirmation! « Sacrement oublié s'il en fut, qu'il est urgent de revaloriser ». — Mgr Gérard Philips (*Revue Eccl. de Liège* 1961-1962, n. 5, p. 263).

Dans son ouvrage très documenté sur *Confirmation et Pastorale,* paru en 1963, Adolf Adam écrit: « En parcourant la littérature contemporaine sur la confirmation, on acquiert l'impression que la théologie n'est pas entièrement d'accord sur le sens de la Confirmation ».

Adam cite Dom B. Luykx: « Il n'existe pas encore de véritable théologie de la confirmation... Pauvreté du schéma classique de la doctrine sacramentaire appliquée à la confirmation ». Par. Lit. 39, 1957, p. 180.

Il cite encore J.-A. Jungmann, d'avis que l'enseignement préparatoire à la confirmation souffre, « en quelque sorte, de ce qu'il ne règne pas une pleine clarté dans la théologie de la Confirmation ». Katechetik 259.

D) *Références à mon travail de juillet 1963 de 108 pages manuscrites. Ce travail est à peu près complet sur le sujet exposé à S. S. Paul VI.*

Dans la présente communication j'ai apporté quelques compléments, dont le principal est l'intérêt porté par le Saint-Père, et quelques citations ci-dessus; mais la doctrine et tradition autour la Confirmation et de l'Apostolat des Laïcs, sont exposées dans la communication de 108 pages que je faisais au Secrétariat du Concile en juillet 1963, avant la IIe session.

Dans cette communication manuscrite, mais très lisible, il est traité des Laïcs et de l'Apostolat des Laïcs de la p. 49 à la p. 105: Sacerdoce des Confirmés, Caractère, Dons; la Confirmation sacrement du témoignage, de l'Action catholique,

de la collaboration hiérarchie-laïcs; l'appel des Papes; les laïcs interrogent; on attend le Concile; les laïcs ignorent tout; ni enseignés, ni renseignés; heure des laïcs, heure du Concile.

E) *Oui le jour où...*

« Le jour où le laïc saura quels pouvoirs concrets lui sont reconnus en droit dans l'Eglise, il sera enfin en mesure d'y assumer avec sérieux des obligations ». — Rahner. N.R.T. janvier 1956, p. 13.

F) *Conclusion synthèse.*

« Unde mihi videtur quod Sacerdotium unicum Iesu Christi est:

a) vera clavis collegialitatis episcoporum,

b) vera trama presbyterii sacerdotum circa episcopum, cum episcopo, et etiam vera trama omnium christifidelium (quisque suo loco et in suis *muneribus*) Hierarchiae coniunctorum in Corpore mystico Iesu Christi unici Sacerdotis, praesente Maria Matre eiusdem Iesu et, pro sua parte, Sacerdotii Matre ac nostra ».

27

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

Die 30 octobris Concilii Patres, respondentes quaestioni V a Moderatoribus propositae, favorabile emiserunt suffragium pro illa *diaconatus* restauratione qua ipse « in futuro tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae exerceri poterit, ubi Ecclesia id pro necessitate curae animarum, aut in certis regionibus aut in omnibus, expedire censuerit ».

Iamvero accidere poterit ut hinc illinc pastores aliqui hoc textu suffulti arguere velint bonum animarum hoc etiam postulare nempe ut diaconatus in religionibus laicalibus introducatur.

Huic vero propositioni reverenter quidem ac strenue sodales religionum laicalium numero circiter 50.000 se obsistere debere putant, his fulti argumentis:

1. Accessio illa ad diaconatum non postulatur a consecratione qua ipsi se Deo vovent. Status enim religiosus quem ipsi extra ordines sacros amplectuntur inseritur in linea sacerdotii universalis populi christiani et nullo modo in linea sacerdotii ministerialis.

2. Praeterea vocatio specifica Fratris a scholis parum vel pessime, proh dolor! a nonnullis intelligitur. Haud raro etenim adhuc hodie audiri potest: « Vocatio Fratris a scholis est vocatio quodammodo imminuta vel quasi manca, truncata; ipse enim medio itinere versus sacerdotium sistit et numquam ad metam pervenit... ».

Nemo non videt quod tam lamentabilis modus cogitandi non potest nisi confirmari potius quam evanesci cum introductione diaconatus in religionibus laicalibus.

3. Ex alia parte, supradicta introductione diaconatus prouti proponitur, activitas apostolica Fratrum a scholis ita multiplicaretur ac distraheretur ut sensim sine sensu non solum eorum vita religiosa ex nimio labore (« surmenage ») sed

etiam apostolatus ipse specificus quem Ecclesia eis commiserit, et ad quem ipsi iam non raro sibi numero impares inveniuntur, detrimentum caperet.

Emendatio proposita: « Imo diaconatus in futuro tanquam proprius ac permanens gradus hierarchiae exerceri poterit, ubi Ecclesia id pro necessitate curae animarum, aut in certis regionibus aut in omnibus, expedire censuerit ».

Addendum: salva tamen peculiari vocatione religiosorum laicorum praesertim illorum qui ab Ecclesia munus christiane erudiendi iuventutem receperunt.

[*Subscripserunt etiam*] Pro Fratribus Scholarum Christianarum: Fr. Nicet Ioseph, Superior Generalis; pro Fratribus Scholarum Christianarum de Hibernia: Fr. Marcian Conlin, Procurator Generalis; pro Fratribus Instructionis christianae de Ploërmel: Fr. Gabriel Henri, Procurator Generalis; pro Fratribus Maristis a Scholis: Fr. Charles Raphaël, Superior Generalis; pro Fratribus a S. Corde: Fr. Iosaphat, Superior Generalis; pro Fratribus Instructionis christianae a S. Gabriele: Fr. Anastase, Procurator Generalis; pro Fratribus a S. Francisco Xaverio: Fr. Oswald, Superior Generalis.

28

Exc.mus P. D. WILSON LAUS SCHMIDT

Episcopus Xapecoensis

De caelibatu diaconorum servando. Quamvis iam ab aliis plura de diaconatu permanente instituendo dicta sint, mihi videtur non satis dictum esse de conatu evertendi, hac occasione, caelibatum clericorum in genere et diaconorum in specie.

Hic quidem caelibatus etiam diaconorum absque interruptione et contra omnia huiusmodi tentamina per viginti fere saecula i. e. ab initio in Ecclesia Occidentali et Romana sancte custoditus et vindicatus est. Liceat mihi, venerabiles Patres, summas tantum vicissitudines huius traditionis in mentem revocare:

Iam in Litteris Encyclicis Pii XI memorantur verba synodi Africanae-Carthaginensis II anni 390, quae in can. 2 sic de caelibatu etiam diaconorum loquitur: « quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas nos quoque custodiamus ». Sequentia Concilia sive Africae sive Hispaniae sive Galliae iterum hanc obligationem caelibatus urgent.

Romani Pontifices, litteris his regionibus missis, et ipsi strenui custodes et defensores caelibatus diaconorum quoque exsurgebant, inter quos Leo Magnus et Gregorius Magnus. Etiam alii Sancti Patres uti S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus idem fecerunt. Immo dicendum est quod eo tempore quo subdiaconatus inter ordines sacros connumerabatur, caelibatus ad subdiaconos quoque extendebatur.

Cum postea propter varias causas omnium horum sacrorum ministrorum caelibatus valde periclitaretur tempore investiturae in officia ecclesiastica a laicis factae, reformatores sub ductu Romanorum Pontificum surrexerunt, ut salvarent antiquam disciplinam. S. Gregorius VII, omnium strenuissimus, tunc dixit: « Non liberari potest Ecclesia a servitute laicorum, nisi liberantur clerici ab uxoribus ».

Quamvis Ecclesia caelibatum ad ordines minores non extenderet, nihilominus Romani Pontifices, uti Alexander III et Innocentius III, aliique sequentes ne voluerunt quidem, ut coniugati minoristae beneficia ecclesiastica haberent. Innocentius III enim explicat hoc non fieri debere: « cum vir cogitet quomodo pla-

cere possit uxori et ideo minus quae Dei sunt valeat cogitare, cum quasi divisus in duo, plenam sui non habeat potestatem, ut ei a quo stipendium recipit plenius famuletur... et praesertim cum rerum ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire » (X, III, 3, 5).

Contra innovatores saec. XV et XVI Concilium Tridentinum, quamvis pro ordinibus minoribus coniugium permiserit, pro omnibus autem ordinibus maioribus caelibatum rigorose sancivit (Sess. XXIV, can. 9 de matrimonio).

Etiam in saeculis sequentibus saepe tentamina abrogationis totalis vel partialis caelibatus agitabantur; contra omnia tamen Romani Pontifices claris et firmis verbis hanc sacrosanctam traditionem et disciplinam vindicabant; cogitemus de ultimis tantum Litteris Encyclicis Gregorii XVI, Pii IX, Pii X, Pii XI, Pii XII et de sermone quem Ioannes XXIII occasione Synodi Romanae de hac re habuit.

Solummodo qui hanc sacrosanctam traditionem aut ignorat aut contemnit abrogationi caelibatus diaconorum potest consentire et contra experientiam certam tot saeculorum pro incertis utilitatibus, immo iam certis periculis et damnis, evertere aut relaxare probatissimam disciplinam.

Nihil dico denique *de textu schematis iuxta quem ad singulos praepositos Ecclesiae spectet decernere,* utrum tales diaconi sacra lege caelibatus adstringantur necne: hoc enim evidenter absurdum esset propter maximam confusionem inde orituram.

Enixe ergo rogo vos, venerabiles Patres, ut, cum omnes nos omnibus viribus nova media novosque operarios in vinea Domini laborantes excitemus, eodem tempore nihil de sacrosanctis, probatis iterum atque iterum vindicatis traditionibus perdamus vel labefactemus, inter quas eminet sacra caelibatus lex omnium ministrorum in sacris constitutorum.

29

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrebiensis

Caput « De consummatione sanctitatis in gloria Sanctorum ».

1. Titulus capitis forsan mutandus est, et quidem in: « De consummatione sanctitatis *in gloria Dei* » vel simpliciter: « De consummatione sanctitatis in gloria ». Ratio est: caput in sua prima parte in indole eschatologica vocationis universalis ad sanctitatem, de qua in uno e praecedentibus capitibus, insistit. Finis autem omnium ultimus est gloria Dei. Si vero in ipso titulo capitis insistere velimus in eo de quo caput potissimum agere intendit, praeferrem titulum: « De unione Ecclesiae peregrinantis cum Ecclesia caelesti ».

2. Coniunctio christifidelium viatorum cum sanctis in caelo in textu quoad aspectum historicum, tam imitationis (sancti ut exemplum) quam confirmationis in fide (sancti ut signum sensu apologetico) et quoad aspectum psychologico-moralem (caritas nostra erga sanctos caelites) sat bene describitur. Haec tamen non sufficere videntur ut habeatur enucleatio illius realitatis supernaturalis quae nomine communionis sanctorum vocari solet. Hic forsan esset locus ut, saltem breviter, sermo instituatur de mysterio eucharistico Corporis et Sanguinis Domini quod tamquam sacrificium et esca — iunctim sumpta — vere est unitatis omnium

in Christo sacramentum et efficax instrumentum: nam communionem sanctorum significat et efficit.

3. Pag. 59, linn. 28 s. « Equidem viatorum unio cum fratribus qui in pace Christi e mundo exierunt... ». Forsan melius esset propositionem invertere: « Equidem fratrum qui... cum viatoribus unio... ». Ratio est: unio ex parte singulorum viatorum spectata certe fragilis est, ex parte vero sanctorum defunctorum stabilis et numquam deficiens. Vel ponatur ita: « Equidem *Ecclesiae viatorum* unio cum fratribus... ».

4. Pag. 60, linn. 14-18. Haec enuntiatio, quae valorem intercessionis sanctorum ab eorum gradu caritatis (ideoque etiam gratiae) in vita terrena dependentem declarat, logice irreprehensibilis est, tamen — si traditionem et experientiam historicam populi christiani prae oculis teneamus — de exclusiva veritate huius asserti dubitare licet. Nonne potius videtur Deum — in certis necessitatibus aut temporibus — libera sua voluntate et prorsus gratis unum sanctum prae alio uti patronum validiorem populo christiano manifestare? Haec Dei oeconomia analoga esse videtur oeconomiae liberae et prorsus gratuitae qua Deus charismata (gratias gratis datas) in Ecclesia peregrinante distribuit.

5. Quoad n. 56 in genere. Placet omnino quod sermo fit de veneratione sanctorum quatenus vita eorum a viatoribus imitanda est necnon quatenus haec vita fidei christianae confirmationem praebet. Sed hi aspectus non attingunt sanctos quatenus in gloria Dei vivunt, sed quatenus sunt *personae historicae* quae olim in terra vivebant. Valor apologeticus sanctorum non ex eo repetitur quod nunc sunt in gloria (hoc solummodo fide percipitur), sed ex eo quod in vita terrena virtutes heroicas exercebant (hoc nobis modo historico et mediis cognoscendi humanis innotescit). Sancti sub hoc respectu considerati potius ad Ecclesiam peregrinantem quam ad triumphantem pertinent.

6. Pag. 61, lin. 3: « ipsisque debitas rependamus gratias ». Si agitur de bonis quae sancti in vita sua terrestri gesserant, potius dicendum videtur: « Deo pro ipsis rependamus gratias ». Si vero agatur de bonis quae sancti in gloria viventes nobis expostulant, hoc incisum potius ad finem eiusdem propositonis (lin. 6) ponendum videtur, scil. post verba: « ... ad eorum orationem, opes, auxiliumque confugiamus ».

30

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

Solummodo forma gubernii Ecclesiae collegialis — i. e. per collegium episcoporum cum et sub Romano Pontifice ut capite collegii — et adhibitis, ubi necesse est, consiliis hominum vere peritorum, videtur satisfacere conditionibus et exigentiis Ecclesiae et mundi hodiernis. Sunt facta nova quae de die in diem maiorem habent valorem et influxum, quibus Ecclesia satisfacere potest et debet. Praecipua facta nova, quae ad rem pertinent, haec esse videntur:

1. Paucis exceptis, episcopi non sunt nec esse possunt vere periti, ne in rebus theologicis quidem.

2. Studia altiora non iam sunt monopolium clericorum. Econtra periti in disciplinis profanis — quae lucem infundunt etiam in doctrinas revelatas vel adiuvant in diiudicandis rebus moralibus — fere omnes sunt laici, immo acatholici.

Tantummodo in disciplinis theologicis sacerdotes praevalent. Singuli homines etiam optimi non iam possunt cognoscere nisi parvam partem scientiarum et artium.

3. Increscente educatione et scientia laicorum, increvit etiam eorum maturitas intellectualis et moralis, eorum spiritus independentiae, libertatis, fraternitatis, aequalitatis, democraticus. Haec omnia sunt bona magni ponderis quibus Ecclesia favere debet.

4. Cum remanent et remanebunt conditiones et culturae sat diversae, mundus de die in diem magis fit unus. Ecclesia debet satisfacere tum legitimis desideriis diversis tum desiderio cooperationis et unitatis.

Gubernium Ecclesiae collegiale, cum magno bono Ecclesiae, ita exerceri potest et debet ut vere satisfacere possit factis his novis et Ecclesia sic fiat vere catholica et Mater omnium gentium. Haec, quae sequuntur, videntur esse necessaria:

1. Decreta omnia maioris momenti — tum in singulis dioecesibus et regionibus, tum in gubernio centrali — fieri non debent nisi adhibitis consiliis hominum vere peritorum, etiam laicorum.

2. Extensa decentralisatio, quae desideratur principio subsidiaritatis, necessaria est ut haberi possit adaptatio ad conditiones locales et regionales valde diversas. Haec decentralisatio praesertim erit in favorem regiminis synodalis vel regionalis, quandocumque agitur de rebus maioris momenti regionalis.

3. De rebus, quae totam Ecclesiam afficiunt, tractatio ordinarie fiat collegialis, non per solum Pontificem Romanum cum Curia propria. Talis tractatio collegialis melius concordare videtur tum factis biblicis et praxi originali, tum realitatibus naturalibus et exigentiis modernis, tum indigentiis oecumenicis. Sed nullo alio titulo reunio effici potest cum fratribus a nobis separatis vel menti maturiori moderniori satisfieri potest.

Ut historia Ecclesiae clare docet, Romani Pontifices laborant limitibus naturalibus quibus laborat omnis homo etiam optimus. Collegium episcoporum maiorem et intimiorem habet cognitionem de Ecclesia eiusque necessitudinibus, quae de loco in locum valde differunt. Romanus Pontifex pollet tamen summa auctoritate et ideo votum habet decisivum et, in casibus necessariis, solus agere omnino potest. Collegialis tractatio de rebus maioris momenti, quae totam Ecclesiam afficiunt, fieri potest vel per Concilium Oecumenicum, quod hodie facilius convenire potest, vel per Summum Pontificem cum concilio centrali quod vere cognoscit et repraesentat mentem episcoporum in mundo dispersorum, semper adhibitis consiliis hominum peritorum.

Nota: Dilemma ex quo quidam auctoritatem supremam Collegii episcopalis refutare conati sunt, dirimi posse videtur ex distinctione inter *possessionem* et *exercitium,* et exercitium *validum* et *licitum* supremae potestatis. Secundum institutionem Christi tum Collegium episcoporum tum eius caput, successor S. Petri, pollent summa in Ecclesiam potestate. Ordinarie hanc potestatem exercere debent collegialiter, quia simul sumpti certiorem et intimiorem habent cognitionem de rebus, quae universam Ecclesiam afficiunt, et maiorem influxum. Sed cum Romanus Pontifex, secundum proprium suum iudicium, pro bono Ecclesiae id necessarium vel valde utile iudicet, potest, ut caput Collegii et pro Collegio, solus agere. Cum solus agit, ne habeatur dubium iuris, valide agit, sed obiective illicite agit nisi cum bonum Ecclesiae vere id exigit. Sic, cum agitur de rebus, quae totam Ecclesiam afficiunt, congubernium collegiale est norma gubernii ordinaria, quam Christus instituit et quam etiam Romanus Pontifex observare debet. Pra-

xis diversa, quae in Ecclesia occidentali, post schisma orientale, propter conditiones speciales sensim introducta fuit, quamquam valida, nec bene congruit factis biblicis et praxi originali nec exigentiis Ecclesiae hodiernis.

4. Quaestio est de potestate eiusque fundatione in collegialitate episcopali tum singulorum episcoporum residentialium tum synodorum vel conferentiarum regionalium.

Per consecrationem episcopi fiunt membra Collegii et assumunt co-responsabilitatem pro bono totius Ecclesiae. Si pro tota Ecclesia, ergo etiam pro unaquaque eius parte, et praecipue pro partibus cum quibus intimius coniunguntur. Auctoritatem quam exercent, vel singuli episcopi in suis dioecesibus, vel plures episcopi simul sumpti pro regione, exercent nomine Collegii eiusque capitis. Ab altera parte, eo quod nomine collegii vel eius capitis assumunt specialem responsabilitatem et auctoritatem pro aliqua determinata Ecclesiae parte, non minuitur eorum responsabilitas pro universa Ecclesia, quam cum omnibus membris collegii, simul cum et sub eius capite, habent et exercent.

5. Leges ecclesiasticae ne ferantur nisi necessariae. Munus Ecclesiae maxime consistit in excitando spiritum pietatis, caritatis aliarumque virtutum, et in stimulando et providendo opportunitates maioris progressus spiritualis. Secundum exemplum Christi potius appellet ad formas agendi excellentiores quam ad leges.

6. Pastores Ecclesiae deponant signa antiquata honoris, omnia quae sapiunt aulam regiam et cultum imperialem vel feudalem. Secundum exemplum laicorum optimorum huius temporis adhibeant modos simplices in vestibus et in agendo. In actibus, qui vere et directe ad cultum divinum pertinent, fortasse adhiberi poterunt vestes sacerdotales solemniores.

[*Subscripserunt etiam*] Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis, Oscar Sevrin, ep. tit. Mossinensis, Ioseph Rosario, ep. Amravatensis, Stanislaus Tigga, ep. Raigarkensis-Ambikapurensis, Conradus Dubbelman, ep. Jabalpurensis, Ianuarius Paul, sup. ord. Chandaensis.

31

Exc.mus P. D. EMMANUEL TATO

Episcopus S. Iacobi de Estero

Mociones sobre la estructura iurídica de la Iglesia. Considerando la naturaleza de la Iglesia, que es el Cuerpo de Cristo, organizado por el Espíritu Santo con diferentes ministerios y carismas para promover su armonioso crecimiento en la unidad de la fe y del amor, y en vista a que esta doctrina se concrete en instituciones aptas para actuar una verdadera y constante renovación, proponemos:

1. *Sobre la Colegialidad Episcopal*:

a) Que la Colegialidad Episcopal se exprese en forma ordinaria en un organismo permanente en torno al Papa, representativo de las diferentes comunidades eclesiásticas, internacionales, nacionales o regionales;

b) Que se reconozca al Concilio Ecuménico como institución orgánica de la vida de la Iglesia, y que por lo tanto se establezca un plazo máximo para su convocación periódica;

c) Que el Cuerpo Episcopal de una nación o región, en comunión con el Romano Pontífice, sea considerado como una expresión concreta, en el orden local, de dicha colegialidad.

2. *Sobre la elección Episcopal*:

a) Que la elección de un nuevo obispo, conforme a la tradición de la Iglesia, sea reconocida como un derecho del Cuerpo Episcopal de la nación o región al que es agregado el electo, salvos los derechos del Primado Romano, y que en consecuencia se realice mediante un acto colegial de acuerdo a procedimientos establecidos;

b) Que la consulta de los presbíteros, de los Institutos Religiosos y del laicado representativo de la sede vacante, sea requisito previo para proceder a la elección;

c) Que sea declarado nulo todo privilegio concedido a la autoridad civil o presumido por ésta, para intervenir en la elección episcopal, lo mismo que en la elección y provisión de cualquier otro cargo eclesiástico;

d) Que se sugiera a los poderes jurídicos internacionales sea reconocido el derecho de los miembros de cualquier sociedad religiosa a elegir libremente sus jefes, conforme a sus propias leyes, sin intervención alguna del Estado.

3. *Sobre los Presbíteros*:

a) Que sea restaurado el Presbiterio como institución corporativa que actúa junto al Obispo, sin perjuicio de las funciones que los presbíteros cumplen hoy día como delegados del mismo;

b) Que se determine el grado y modo de pertenencia al Presbiterio diocesano de los sacerdotes religiosos, revisando particularmente el privilegio de exención;

c) Que el Presbiterio tenga una expresión jurídica permanente en un Colegio, integrado por miembros elegidos directamente por todos los Presbíteros, salvos siempre los derechos del Obispo y la comunión con él;

d) Que sean revisadas las estructuras clásicas del gobierno y administración eclesiásticos (vgr. Curia diocesana, Vicarías foráneas o Decanatos, etc.), y que se fomenten otras nuevas (vgr. Comisión diocesana de catequesis, liturgia, Caritas, etc.) y se armonicen todas ellas en orden a una real representatividad del Presbiterio ante su Obispo para poder actuar una verdadera pastoral de conjunto.

4. *Sobre el ministerio presbiteral*:

a) Que se confiera el presbiterado solamente a aquéllos que, por su piedad, sabiduría y prudencia, puesta de manifiesto en la práctica de diferentes ministerios preparatorios, hayan dado pruebas de haber alcanzado la madurez necesaria para el ejercicio de esa función;

b) Que para hacer efectivo lo anterior se instaure el ejercicio de ministerios eclesiásticos, de acuerdo a la más antigua tradición y adaptados a las necesidades actuales;

c) Que se establezca como edad mínima de promoción al Presbiterado los treinta años, vistas las obligaciones actuales inherentes al mismo;

d) Que para la promoción al presbiterado se tenga en cuenta la opinión del clero y del pueblo en medio de los cuales haya el candidato realizado su ministerio;

e) Que se reestructuren los Seminarios de acuerdo a los criterios anteriores.

[*Subscripserunt etiam*] Luis Baccino, ob. de San José de Mayo, Antonio M. Aguirre, ob. de San Isidro, Jorge Kemerer, ob. de Posadas, Enrique Angelelli, ob. tit. de Lista y aux. de Córdoba, Alberto Devoto, ob. de Goya, Roberto Cáceres, ob. de Melo, Antonio Quarracino, ob. de Nueve de Julio, Jerónimo J. Podestá, ob. de Avellaneda, Eduardo Pironio, ob. tit. electo de Ceciri.

32

Exc.mus P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINO
Archiepiscopus tit. Aprensis

A - Caput IV: *De vocatione ad sanctitatem.* In praesenti textu habetur doctrina catholica de vocatione ad sanctitatem quae complectitur aspectum eius tam occidentalem quam orientalem.

Etenim in eo habentur argumenta biblica quae sunt communia omnibus christianis necnon argumenta propria Ecclesiae latinae et Ecclesiae orientali, quae hauriuntur de S. Thoma Aquinate et de Nicolao Cabasila, theologo byzantino saeculi XIV, quem multi auctores catholici putant esse peritissimum virum in hac materia, quam exponit in opere suo *De Vita in Christo Iesu.*

(*Prooemium*). Haec Sacrosancta Synodus solemniter docet omnes signo redemptionis sigillatos esse a Christo vocatos ad sanctitatem adipiscendam secundum illud: « Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48). Haec autem perfectio ab apostolo sequenti modo describitur: « Benedictus Pater Domini nostri Iesu Christi qui... elegit nos in ipso... ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate... Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum: secundum propositum voluntatis suae, in laudem gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo » (*Eph.* 1, 3-6). Proinde ex ipsa revelatione certum est quod omnes a Christo redempti vocantur ad adipiscendam sanctitatem quam apostolus his verbis contraxit: « Mihi vivere Christus est... » (*Phil.* 1, 21).

1. (*De natura sanctitatis*). Verum est magistrum, exemplar et auctorem sanctitatis esse ipsum Iesum « in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter » (*Col.* 2, 9), de cuius « plenitudine omnes nos accepimus » (*Io.* 1, 16) ut unusquisque nostrum possit dicere cum Apostolo: « Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20). Unde sanctus dicitur omnis qui in Christo baptizatus Christum induit ut possit in Ipso vivere.

Iamvero omnes qui ad sanctitatem vocantur « in tenebris et in umbra mortis sedent », idest sub jugo peccati vivunt, redemptione egent ut introducantur « in regnum iustitiae et sanctitatis, amoris et pacis » ut possint in Christo vivere. Ideoque « vita nostra abscondita est cum Christo in Deo » (*Col.* 3, 3), nam cum « essemus mortui vivificavit nos in eo » (*Eph.* 2, 5).

« Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi » (*Rom.* 5, 18). Christus vero « factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ». Ipsa autem natura humana a Christo assumpta effecta est instrumentum quo

Christus suam sanctitatem dat in se credentibus, ita ut Christus Homo factus est Caput generis humani ad conficiendum Corpus suum mysticum. Unde omnes peccatores qui per fidem et baptismum Christo iunguntur communicant cum ipso in iustitia et sanctitate, ut possint esse sancti sanctitate Christi et sicut dicit Apostolus « ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo » (*Col.* 1, 28).

In ipsa natura humana a Christo assumpta et ab ipso sanctificata invenitur principium vocationis generis humani ad sanctificationem. Christus, caput generis humani ab ipso redempti, ordinat homines ad sanctitatem quam in natura sua humana inclusit ut sit fons et instrumentum sanctitatis. Vocatio ad sanctitatem fundatur radicitus mysterio Incarnationis.

Typus vero istius sanctitatis est B. V. Maria. In ipsa enim Christus fuit plene et perfecte fons sanctitatis ut possit Mater dicere: « Mihi vivere Christus est ». Ex ipsa enim natus est Homo-Deus, fons totius sanctitatis. Accipiendo per fidem Filium Dei ut filium suum, effecta est Mater in spiritu omnium a Filio suo redemptorum et typus sanctitatis. Hoc modo aspicientes Mariam contemplamus exemplar sanctitatis nobis accommodatum et proximum nostrae fragilitati.

2. (*Ratio sanctificationis in Christo*). Per passionem et mortem suam i. e. per obeditionem suam Christus meruit omnibus peccatoribus gratias quibus iustificantur et sanctificantur. Sicut scriptum est: « Unus militum lancea latus eius aperuit et continuo exivit sanguis et aqua » (*Io.* 19, 34). Unde cantatur in Ecclesia: « Ex Corde scisso Ecclesia Christo iugata nascitur. Ex hoc perennis gratia ceu septiformis fluvius, stolas ut illi sordidas lavemus Agni in sanguine ». Testis autem istius facti scribit: « Viderunt in quem transfixerunt » (*Io.* 19, 36), nam omnes per sacramentorum viam propinqui fiunt isto latere aperto de ipso iustitiam et sanctitatem accipiunt, secundum illud: « Haurietis aquas de fontibus Salvatoris ».

Sicut vero humana natura Christi de Spiritu Sancto in sinu Virginis concepta fuit, ita oportet hominem « denuo nasci ex aqua et Spiritu Sancto » ut fiat spiritus, videlicet sanctus, quia « quod de Spiritu est spiritus est ». Certum est igitur quod per viam sacramentorum fit transitus ad Christum ut in ipso et per ipsum possimus vivere et sanctitatem adipiscere.

Oportet igitur parare viam Domini et rectas facere semitas eius. Haec vero rectitudinis operatio fit principaliter per virtutes humilitatis et poenitentiae. Dicit enim Dominus: « Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum caelorum » (*Mt.* 18, 3). Quibus verbis significatur quod omnes qui cupiunt intrare in regnum oportet esse « pauperes spiritu » videlicet humiles corde. Altera conditio quae aperit ingressum ad regnum est poenitentia, secundum illud Ioannis Baptistae ad populum: « Poenitentiam agite, appropinquat enim regnum caelorum » (*Mt.* 3, 2). Per humilitatem igitur et poenitentiam acquiritur cordis rectitudo sine qua impossibilis evadit ingressus in regnum Dei.

3. (*De vita in Christo*). Quamquam sanctitas seu vita in Christo tantum in patria consummationem habeat, attamen in via initium habet secundum illud apostoli ad Timotheum: « Certa certamen fidei, apprehende vitam aeternam in qua vocatus es » (*Tim.* 6, 12). Quid enim prodest lux homini caeco, ita quid prodest hominibus lux aeterna si non sunt idonei ad eam percipiendam?

Oportet igitur christianum iam in via signatum esse Spiritu promissionis

Sancto qui est « pignus haereditatis nostrae » (*Eph.* 1, 13). Pignus vero haereditatis aeternae est ipse Christus vivens per Spiritum Sanctum in nobis qui effusus est in cordibus nostris secundum illud Domini verbum: « Si quis diligit me sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus » (*Io.* 14, 23). Haec Sanctissimae Trinitatis praesentia in nobis non est mere passiva, sed eminenter activa et operosa atque eius finis est formatio imaginis Christi in nobis secundum illud Apostoli: « Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis » (*Gal.* 4, 19).

Christus in nobis formatur cooperante homine cum Deo videlicet homine disponendo se ad recipiendum motus internos Spiritus Sancti qui coniungit eum Christo per gratiam quae agit per fidem, spem et caritatem, quae vocantur virtutes theologicae cum hominem directe cum Deo coniungunt.

Ex parte hominis requiritur ut iam dictum est ut ipse paratus sit ad gratiam recipiendam per humilitatem et poenitentiam quae disponunt voluntatem suam eam confirmandam in rectitudine et docilitate.

Ex parte Dei operatio eius exercetur in nobis per Sacramenta, speciali vero modo per Sacramenta Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae.

Per lavacrum regenerationis et operationem Spiritus Sancti nascitur in nobis Christus crucifixus, mortuus et resurrectus. Induentes vero Christum novum hominem, creatum in iustitia et sanctitate efficimur similes Ipsi ideoque filii Dei simulque initium habet in nobis vita in Christo. Veniens in nos Spiritus Sanctus testimonium perhibet de Christo necnon Ipsum nobis revelat et efficimur filii lucis. Iam exstat in nobis vera natura supernaturalis, cum efficimur nova creatura secundum gratiam quae operatur in nobis per tres virtutes theologicas. Viventes in Christo habemus nobiscum thesaurum omnis gratiae, veritatis et sanctitatis, ita ut possimus dicere: « Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20).

Per unctionem Spiritus Sancti in sacramento Confirmationis filii Dei recipiunt virtutem ut possint esse Christi testes coram hominibus. Quia vero mundus in quo vivunt christiani immersus est in peccato et in scandalis necessarium est ut filii Dei fortes et constantes sint viventes digne Deo. Propterea unguntur Spiritu fortitudinis, sapientiae, consilii, pietatis et sic roborati et Spiritu sagginati possunt incedere per semitas periculis refertas usque ad patriam caelestem multos alios post se trahentes.

In sacramento Eucharistiae homo vitam ipsam manducat et bibit ut possit a Christo apprehendi et ad Christum transformari unum cum ipso efficiendo secundum illud: « Unus panis unum corpus sumus ».

Tunc Christus potest dicere his qui unum cum ipso effecti sunt: « Manete in me et ego in vobis ut fructum afferatis et fructus vester maneat ».

Qua autem ratione efficitur ista unio cum Christo nisi per conformitatem voluntatis humanae cum voluntate ipsius Christi, etenim verbum Communio significat unionem voluntatis hominis cum voluntate Christi.

Sed ad hoc requiritur ex parte hominis ut in eo minuatur virtus peccati, cum per sumptionem Corporis Christi homo particeps fit mortis Redemptoris qui peccatum moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit. Panis enim eucharisticus est quasi ignis qui operatur destructionem veteris hominis, nam qui vult Christum sequi debet abnegare semetipsum. Necesse enim est ut Caput et membra eiusdem perfectionis participent cuius conditio primaria est absentia

peccati. Peccatum autem aliquam difformitatem operatur in anima, quae non congruit cum Capite Corporis.

Tollendo igitur difformitatem peccati imago Christi apparet in sua pulchritudine et Christus manens in suo membro format in eo perfectionem augendo virtutes theologicas. Unde potest concludere vitam christianam consistere ex una parte in certamine contra virtutem peccati et ex altera parte in incremento gratiae nec non virtutum fidei, spei et caritatis.

(*Condicio essentialis*). Ad formandam vero imaginem Christi in nobis necesse est ut cognoscamus naturam eius, nam impossibile est conformari voluntatem nostram cum voluntate Christi si voluntas Christi est nobis ignota. Unde oportet habere scientiam Christi, quae acquiritur per meditationem vitae ipsius Christi. Cum meditatione mysteriorum Christi crescit in nobis scientia Christi qui est exemplar omnis sanctitatis.

Meditando mysteria Christi homo cognoscit propriam dignitatem secundum illud S. Leonis: « Agnosce, christiane, dignitatem tuam ». Cognitio nostrae dignitatis custodit nos a peccato et impellit nos ad bonum faciendum. Etiam quando homo peccat scientia mysteriorum Christi inclinat eum ad poenitentiam simulque instillat in corde eius fidem erga misericordiam Dei. Certum est quod per meditationem mysteriorum Christi exardescit in nobis ignis amoris nostri erga eum ut possimus ipsum sequi mandata eius custodientes. Denique in ista meditatione a Christo allicimur ut possimus vivere Beatitudines quae sunt culmen perfectionis.

In uno verbo sanctitas ad quam vocantur membra Ecclesiae complectitur scientiam Capitis quod est opus fidei et caritatem erga eum qua homo inclinatur ad mandata Dei custodienda. Unde per viam Sacramentorum et per scientiam Christi homo igne caritatis incensus custodit mandata Dei quae gemina legis caritatis exprimitur, id est caritate erga Deum et proximum, quod est vinculum perfectionis.

In uno verbo potest complecti sanctitas ad quam vocati sunt omnes christiani: « Fides quae per caritatem operatur ». Unde oritur obligatio fidem augendi meditando mysteria fidei quae omnia in Christo recapitulantur. Sine vita contemplativa impossibile est fidem augere quae nutritur intellectu mysteriorum auxiliantibus donis Spiritus Sancti, speciali vero modo per dona sapientiae et intellectus.

Fides autem vivens operatur per caritatem, et sic pervenitur ad sanctitatem. Hac via pervenit christianus ad sanctitatem istam ad quam praedestinatus fuit die qua per lavacrum regenerationis filius Dei factus est per verba illa: « Si vis vitam aeternam ingredi observa mandata Dei: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex tota anima tua et proximum sicut teipsum ».

B - De statibus perfectionis. Satis sit nobis ut in hoc schemate adumbrentur diversi status perfectionis, nam isti in aliis schematibus tractandi sunt.

Si omnes christiani vocantur ad sanctitatem quae consistit in vita in Christo per fidem et caritatem, nihilominus in Ecclesia Dei aliqui vocantur ad sanctitatem quae superat gradum communem quia constituti sunt in statibus ubi requiritur maior sanctitas. Hic tractatur breviter de statu episcopali, de statu sacerdotali et de statu religioso.

De statu episcopali. In hoc statu perfectionis requiritur perpetua obligatio

ad ea quae sunt perfectionis, cum aliqua solemnitate. Hic agitur de caritate pastorali. Episcopus enim se obligat ad ea quae sunt perfectionis, pastorale assumens officium, ad quod pertinet ut animam suam pastor ponat pro ovibus suis. Sed hac professione adhibetur quaedam solemnitas consecrationis secundum illud apostoli ad Timotheum: « Rogo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum » (*2 Tim.* 1, 6). Perfectio etenim consistit in praeparatione animi, ut scilicet homo sit paratus, si fuerit opus, omnia dimittere vel distribuere. Et ad hoc maxime tenentur episcopi, quod omnia sua pro honore Dei et saluti sui gregis contemnant vel rapinam bonorum suorum, cum opus fuerit vel pauperibus sui gregis largiendo vel rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinendo. Insuper episcopi tenentur vitam suam dare pro ovibus suis, quod est perfectionis summum, iuxta illud apostoli: « Ego autem libentissime impendam et superimpendam ipse pro animabus vestris » (*2 Cor.* 12, 15). Haec perfectio vocatur perfectio pastoralis.

De statu presbyterorum et diaconorum. Ratione sacri ordinis quem presbyteri et diaconi suscipiunt non ponuntur simpliciter in statu perfectionis, cum in Ecclesia occidentali solum votum continentiae emittant.

Ex parte autem curae animarum presbyteri et diaconi non obligantur vinculo perpetui voti. Quamquam presbyteri et diaconi sint cooperatores episcopi, attamen non obligant totam vitam suam ad curam animarum sicut episcopus. Ceteris paribus presbyteri sunt minoris perfectionis quam religiosi. Si vero religiosus careat ordine, tunc manifestum est praeeminentiam ordini excellere quantum ad dignitatem, ad quam maior sanctitas interior requiritur quam requirat etiam religionis status.

De statu religioso. Ad statum perfectionis religiosae requiritur, in genere, obligatio perpetua ad ea quae sunt perfectionis, cum aliqua solemnitate. Religiosi enim se voto astringunt ad hoc quod a rebus saecularibus se abstineant, quibus licite uti potuerint, ad hoc quod liberius Deo vacent. Perfectio non consistit essentialiter in abrenuntiatione propriarum facultatum in actu sed in praeparatione animi ut scilicet homo sit paratus, si fuerit opus, omnia dimittere vel distribuere. Ad hoc tenentur religiosi ut saecularibus renuntiantes Deo se vovent ut ipso serviant. Religionis status principaliter institutus est ad perfectionem adipiscendam per quaedam exercitia quibus tolluntur impedimenta perfectae caritatis. Religiosus enim dicitur qui se totaliter mancipat divino servitio, quasi holocaustum Deo offerens. Unde Gregorius dicit: « Sunt quidam qui nihil sibimetipsis reservant, sed sensum, linguam, vitam atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant ».

33

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYLA
Archiepiscopus Cracoviensis

Nomine episcoporum Poloniae.

In cap. II schematis cum alia tum etiam doctrina de collegialitate episcopali proposita est, quae nobis omnino recta et firmiter, aperteque tenenda videtur. Attamen nostra opinione huius doctrinae expositio, quatenus in schemate locum habet, quibusdam defectibus laborat. Etenim: 1) non omnes partes huius expo-

sitionis secum arcte cohaerent quapropter corpus doctrinae de collegialitate non tam perfecte evolvitur, 2) non omnibus locis cum eadem claritate et vi traditur, 3) ad quam doctrinam probandam eamque explicandam obiter tantum et insufficienter adhibiti sunt textus evangelici, nempe *Mt.* 18, 18 et 28, 18-20, qui in hac re magni sunt momenti, 4) in ipso schematis corpore haud sufficientem locum testimonia traditionis primaevae obtinent.

Quapropter proponimus hic sequentes emendationes quae spectant: 1) ordinem in capite servandum, 2) ipsum textum schematis corrigendum et adimplendum ad defectus superius enumeratos eliminandos.

I. Animadversiones quoad ordinem in capite servandum.

A) Attenta de collegialitate doctrina ordo in capite servatus generaliter aptus videtur, attamen in nonnullis corrigendus. Proponitur ergo sequens numerorum dispositio:

N. 11. (Prooemium).
N. 12. (De institutione duodecim apostolorum).
N. 13. (De episcopis successoribus apostolorum).
N. 14. (De collegio episcopali eiusque capite)
(olim n. 16).
N. 15. (De relationibus episcoporum in collegio)
(olim n. 17).
N. 16. (De episcopatu ut sacramento)
(olim n. 14).
N. 17. (De presbyteris et diaconis)
(olim n. 15).

Cuius mutati ordinis hae sunt rationes:

1. N. 14 (de episcopatu ut sacramento) dirimit tenorem doctrinae, quae evolvitur nn. 11, 12, 13, 16, qui omnes de collegialitate episcopalis potestatis tractant.

2. Tota n. 14 doctrina cum iis, quae sacro Concilio de presbyteris et diaconis dicenda sunt, evidenter coniungitur. Recte ergo videtur postulari ut hi duo numeri, scil. 14 et 15, post declaratam de collegialitate episcopali doctrinam, locum teneant.

B) Ad n. 17 (De relationibus episcoporum in collegio) quod attinet haec videntur notanda:

a) Peropportunum videtur doctrinam de relationibus membrorum collegii episcoporum hoc loco exponere et explicare, tum pro integritate doctrinae de collegialitate obtinenda, tum pro sana praxi in futuro dirigenda. Expositio haec autem debet esse sobria, magis dogmatica quam moralis.

b) Relationes inter episcopos unum collegium constituentes valde obscure enucleantur et parum convincentibus rationibus niti videntur.

C) Insuper transferenda sunt:

1. Pars n. 16 (pag. 27, linn. 5-9) ad n. 13 eo, quod testimonia S. Traditionis illic ponenda proponimus.

2. Pars n. 16 (pag. 27, linn. 18-22) de potestate Petro et Duodecim collata ad n. 12 (pag. 24, lin. 1) post verba: « ... Petrum praefecit », ubi cum aliis verbis melius cohaerebit.

3. Pars n. 14 (pag. 25, linn. 26-37) de Christi praesentia in sacramentali

actione episcoporum, aptior videtur in cap. I, n. 5 (pag. 9, lin. 33 ad pag. 10, lin. 3).

4. Examinandum est etiam, omittendane sit pars n. 13 (pag. 24, linn. 21-26), quae quidem parum argumenti habens et minus arcte cum contextu cohaerens videtur.

II. Animadversiones quoad nonnulla fragmenta textus cap. II.

A) *Ad n. 11* (pag. 23). Lin. 10, loco: « ac super apostolos fundavit » dicatur: « necnon super duodecim apostolos fundavit ». Lin. 14, loco: « quorum successores » dicatur: « quorum collegii successores ». Linn. 16-19: allatum fragmentum constitutionis *Pastor Aeternus* pleniori modo citetur, scil.: « Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, *et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur,* B. Petrum ceteris apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum *utriusque* unitatis fundamentum ». Ratio talis citationis totius fragmenti, haec est: Fragmentum illud docet Petrum esse fontem unitatis non solum collegii apostolorum, sed etiam totius societatis fidelium. Doctrina haec bene cohaeret cum doctrina superius proposita de connexione unitatis collegii episcoporum cum unitate totius Ecclesiae (cf. n. 16, pag. 27, lin. 23 cum proposito ibi supplemento). Lin. 23, loco: « successoribus apostolorum », dicatur: « successoribus collegii apostolorum ».

B) *Ad n. 12* (pag. 23). In textu huius numeri sequentia inserenda videntur: (Nota: textus linea subsignatus est textus a nobis propositus; textus vero non subsignatus est textus schematis): Dominus Iesus precibus ad Patrem fusis, vocans ad se quos voluit, duodecim elegit, *quasi principes novi populi Dei* (cf. *Mt.* 19, 28; *Lc.* 22, 29-30), ut essent cum illo, et ut mitteret eos praedicare nuntium evangelicum (cf. *Mc.* 3, 13-19; *Mt.* 10, 1-42); quos et apostolos nominavit (cf. *Lc.* 6, 13), et ad instar instituit cuiusdam *corporis collegialis,* cui ex iisdem electum Petrum praefecit. *Quod autem voluit novum populum Dei i. e. Ecclesiam suam instituere, eosdem apostolos potestatis suae, quae data ei erat in caelo et in terra* (cf. *Mt.* 28, 18) *participes fecit. Et imprimis Petrum ut petram seu rupem Ecclesiae posuit* (cf. *Mt.* 16, 18) *eumque Pastorem totius sui gregis constituit* (*Io.* 21, 16). *Iisdem verbis tum Petro, tum duodecim simul apostolis ligandi, atque solvendi potestatem tribuit* (cf. *Mt.* 16, 18 et 18, 18),[1] *significans potestatem ligandi atque solvendi Petro traditam competere etiam collegio apostolorum cum Petro eorum capite.*[2] *Ante passionem suam rogabat Iesus Patrem pro apostolis, qui mansuri erant in mundo, ut essent unum, sicut ipse cum Patre suo* (cf. *Io.* 17, 11). *Post mortem suam et resurrecionem, Ecclesia iam condita*

---

[1] Textus a verbis « Petrum ut Petram... » ad verba: « ... potestatem tribuit » translatus est e numero 16 (pag. 27, linn. 18-22).

[2] Cf. S. LEO M., *Sermo* IV, 3; *PL* 54, 151. In commentario suo *ad Matthaeum* 16, 19 dicit: « Transivit quidem etiam in alios Apostolos ius potestatis ipsius (i. e. Petri), et ad omnes Ecclesiae principes decreti huius constitutio commeavit; sed non frustre uni commendatur quod omnibus intimetur ». Cf. etiam S. HIERONYMUS, *Adv. Iovinianum* I, 26; *PL* 23, 247. « At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia: licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni caelorum accipiant et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter Duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio ». Cf. etiam S. CYPRIANUS, *Liber de unitate Ecclesiae IV*; *PL* 4, 498.

sanguine suo,[3] *conversus iterum ad omnes apostolos, simul cum Petro eorum omnium capite*[4] *congregatos et coram se adstantes, misit illos in universum mundum,* ut suae potestatis summi *et unici* Prophetae, Sacerdotis et Pastoris participes facti, omnes populos Christi discipulos constituerent, eosque sanctificarent et regerent (cf. *Mt.* 28, 16-20; *Mc.* 16, 15; *Lc.* 24, 45-48; *Io.* 20, 21), sicque *unam* Ecclesiam diffunderent, eamque sub tutela ipsius Domini, *qui promisit se esse cum eis,* ministrando gubernarent omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (*Mt.* 28, 20).

Itaque Christus Dominus summam, plenam trinamque potestatem in universam Ecclesiam suam tum soli Petro cum etiam duodecim apostolis, sicuti collegio a se instituto, sub Petro collegii capite, commisit.

Apostoli *autem* praedicando fidem, resurrectione Christi firmatam et operante Spiritu Sancto ab audientibus acceptatam, Ecclesiam exstruunt universalem aedificatam super Petrum (cf. *Mt.* 16, 18), fidelibus omnibus « superaedificatis super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu » (*Eph.* 2, 20; cf. *Apoc.* 21, 14).

C) *Ad n. 13* (pag. 24). Lin. 32, loco: « gregum suorum », dicatur « partium gregis » (cf. linn. 34 et 28 ss.). Linn. 37 ss. loco: « constituerunt episcopos eorum etc. » proponitur: « constituerunt episcopos, successores episcopatus sui ipsumque ordinem successionis pro doctrinae, sacri cultus et gubernationis eorum, qui credituri erant, ministerio (cfr. pag. 23, lin. 16, insuper: Const. *Pastor Aeternus,* DENZ. 1821).

A lin. 40 (pag. 24) n. 13 debet modificari ut sequitur: *Christus volens, ut potestas ab eo apostolis concessa in eorum successores transeat, voluit etiam potestatem hanc usque ad consummationem saeculi* (cf. *Mt.* 28, 20) *in sua structura immutabilem permanere.* Permanet ergo potestas a Domino singulariter Petro, ut primo e collegio apostolorum huiusque collegii principi concessa et successoribus eius transmissa *individualiter, pariter ac eadem* potestas totius collegii apostolici Ecclesiam pascendi a corpore sacrato episcoporum exercenda *transmissaque eis non prout singulis personis, sed uti collegio.*

Proinde Sacra Synodus docet Christum collegii episcoporum immediatum auctorem fuisse et collegio capiti suo coniuncto et subordinato, supremam potestatem pro tota Ecclesia tribuisse. Itaque qui audit *episcopos, qui cum Romano Pontifice eorum capite velut collegium apostolicum cum Petro* fideles *edocent et pascunt, Christum audit, qui vero spernit Christum spernit et eum qui Christum misit* (cf. *Lc.* 10, 16-17). *Nihil ergo mirum quod a primis Ecclesiae temporibus episcopos officii sui universam Ecclesiam respicientis conscios videmus*[5] *qui libenter et quasi necessarie secum de rebus ecclesiasticis consulunt, epistolas ad alias Ecclesias mittunt, synodos etiam plurimas in variis Ecclesiae regio-*

---

[3] Cf. PIUS XII, Enc. *Mystici Corporis Christi, A.A.S.,* 35 (1943), p. 207.

[4] Cf. S. OPTATUS MIL., *De schismate Donatistarum* 2, II; et 7; *PL* 11, 947 et 1087: « ... omnium apostolorum caput Petrus ... ». Si Petrus est caput apostolorum eo ipso apostoli unum efficiunt corpus i. e. unum collegium.

[5] Cf. S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In laudationem S. Eustachii* (*Opera S. Ioannis Chr.,* ed. Paris 1864, t. II, 602): « Probe siquidem a Spiritus gratia fuerat edoctus (Eustachius) Ecclesiae praesulem non de illa tantum sollicitum esse debere, quae a Spiritu Sancto illi commissa est, sed etiam de quavis in orbe terrarum constituta; atque hoc ille sacris e precibus

nibus celebrant ut circa utilitatem ecclesiasticae administrationis commune sit eis consilium.[6] Praeterea perantiquus usus indolem collegialem sacri episcopatus innuit, ubi novum electum a tribus saltem episcopis ad summi sacerdotii ministerium elevandum esse statuit et communionem inter Ecclesias ope episcoporum enixe commendat.[7] Unus enim et indivisus censetur episcopatus a Petri sede exortus, cuius a singulis in solidum pars tenetur.[8]

Ecclesia creditur super episcopos constituta ita, ut omnis actus Ecclesiae per eosdem gubernetur.[9] Unusquisque episcoporum particeps est supremae in Ecclesia potestatis ligandi et solvendi (cf. *Mt.* 18, 18) eo, quod ad collegium episcoporum pertinet et quidem adeo, ut nec potestatem nec honorem habere possit episcopus, qui ab Ecclesiae vinculo atque ab episcoporum collegio seiunctus sit.[10]

D) *Ad n. 16* (pag. 27). Linn. 5-9 transferantur in n. 13 (cf. id, quod in hac re dictum est in nota 7 adnotationum, quae n. 13 spectant). Lin. 16 loco: « et numquam sine hoc capite », dicatur: « sine quo nec corpus esset nec continuatio collegii apostolici ». Linn. 18-22 transferantur in n. 12 (cf. id quod dictum est in cap. I Animadversionum sub C n. 2).

Lin. 23, loco « unitatem gregis Christi repraesentat », dicatur: « unitatem gregis Christi, novi populi Dei repraesentat et quodammodo efficit ». Lin. 27, post verba: « organicam structuram » addatur: « cuius nulla similis in societate civili ». Lin. 35 loco: « exerceri potest », proponitur: « exercetur ».

[*Subsignavit etiam*] Ioannes Jaroszewicz, adm. ap. Kielcensis.

34

Exc.mus P. D. LINUS ZANINI

Archiepiscopus tit. Hadrianopolitanus in Haemimonto

De sic dicta « collegialitate » episcoporum animadversiones. Antea aliqua dicantur de *ipso nomine.* Meo iudicio appellatio « collegialitas » est aequivoca et ideo necesse esset vel ipsam de medio tolli vel clarius explicari. Nam « collegium » in ordinaria acceptatione linguistica significat aliquam congregationem seu aliquod sodalitium in quo omnes sodales *eandem* auctoritatem et dignitatem

colligebat. Si enim pro universa Ecclesia, inquit, fundendae sunt preces, quae a finibus ad fines usque pertinet orbis terrarum, multo magis et eius universae gerere curam oportet, et de omnibus pariter esse sollicitum omnibus providere ».

6 Cf. S. Cyprianus Carth., *ep. XIX, PL* 4, 302.

7 Haec propositio translata est e n. 16 (pag. 27, linn. 5-9) propter internam connexionem cum his, quae in supplementis traduntur, ubi primaeva traditio allata est tamquam argumentum ad confirmandum, quod Ecclesia iam ab initio sibi conscia fuisset potestatem, a Christo apostolis eorumque successoribus concreditam, attributo collegialitatis insignitam fuisse. Quod quidem supplementum in n. 13 inserendum videtur, ubi de existentia collegii episcopalis ex institutione Christi tractatur, minime autem in n. 16, ubi dicitur de relatione episcoporum, cum Papa in collegio, cuius existentia iam supponitur.

8 Cf. S. Cyprianus Carth., *De unitate Ecclesiae,* 5, *PL* 4, 501; *Ep. XL, ib.* 3, 820-821.

9 Cf. S. Cyprianus Carth., *Ep. XXVII, PL* 4, 298.

10 Cf. S. Cyprianus Carth., *Ep. LII, PL* 3, 791.

iuridicam habent:[1] quod certe non potest dici in nostro casu, ubi Summus Pontifex gaudet suprema auctoritate supra omnes et singulos Episcopos. Etiam Concilium Oecumenicum, in quo speciali modo effulget haec magnifica « collegialitas » episcopalis, nullam habet validitatem absque definitiva adprobatione Summi Pontificis.

Ergo sat prudenter haec appellatio adhibenda est, et hoc ad evitandas confusiones seu theologicas seu iuridicas: meo iudicio melius esset introducere novam et praecisiorem appellationem, qualis ex. gratia « solidalitas episcopalis » vel aliquid simile.[2]

Sed nunc satis de nomine. Quod pertinet *ad rem ipsam,* seu ad substantiam quaestionis, haec mihi videntur ordinate consideranda:

a) Soli Petro, eiusque in primatu successoribus, Christus Dominus commisit curam *universalis Ecclesiae,* sive agnorum sive ovium, scilicet fidelium et pastorum: « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni caelorum... Pasce agnos meos, pasce oves meas » (*Mt.* 16, 18-19; *Io.* 21, 15-17). Quod etiam clarius reassumit Concilium Vaticanum I et, in forma explicitae definitionis, omnibus credendum proponit: « Si quis itaque dixerit Romanum Pontificem... habere tantum potiores partes, *non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles, anathema sit* » (DENZ.-SCHÖN., *Enchiridion,* n. 3064).

Ergo quaelibet conceptio « solidalitatis » episcopalis habeatur vel proponatur, non potest officere veritati dogmaticae de auctoritate « immediata et ordinaria » Summi Pontificis in omnem Ecclesiam.

b) Etiam ceteris apostolis Christus Dominus commisit auctoritatem « ligandi » vel « solvendi » (*Mt.* 18, 18), « remittendi peccata » (*Io.* 20, 23), « baptizandi » et « docendi »: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete *omnes gentes,* baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti... » (*Mt.* 28, 18-20).

Sed haec potestas vel auctoritas nequit esse autonoma, vel absoluta, vel indiscriminatim ad omnia et ad omnes: alioquin quidnam fieret de primatu universali Summi Pontificis? Ergo agatur necesse est de potestate sacra, ab ipso Christo volita et collata, sed *subordinate* ad Summum Pontificem qui modos, tempora, concretam amplitudinem, vel fines ipsos geographicos exercitio huius auctoritatis statuere potest. Et hoc est praecise quod Constitutio dogmatica « Pastor aeternus » supra adducta, Concilii Vaticani I, declarat: « Ergo (hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem) pastores atque fideles, tam seorsim singuli quam simul omnes, *officio hierarchicae subordinationis* veraeque oboedientiae obstringuntur; ita ut... *Ecclesiae Christi sit unus grex sub uno Summo Pastore* » (DENZ. 3060).

---

[1] Vide explicationem ab AL. FORCELLINI datam: « Collegium proprie est societas, corpus hominum, *eiusdem* dignitatis, muneris vel artis. Differt ab ordine, qui significat certum hominum statum, sive ii in societate coniuncti sint, sive non » (*Lexicon,* v. *Collegium*). Confer etiam *Du Cange* etc. necnon fontes iuridicas.

[2] E contra nullam facit difficultatem vox « collegium » si ad solos Episcopos referatur, dempto Petro. Quinimmo tali sensu est appellatio communissima in litteratura theologica. Cf. Encyclicam *Satis cognitum* (29 iun. 1896) Leonis XIII.

Etiam in traditione ecclesiastica hoc ab omnibus pacifice admittitur. Legantur solummodo haec duo testimonia: « Magnum et mirabile huic viro (Petro) consortium potentiae suae tribuit divina dignatio; et si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, *numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit* » (S. LEO MAGNUS, *PL* 54, 150). Idem repetit S. THOMAS: « Quamvis Apostolis data sit communiter potestas ligandi et solvendi, tamen *ut in hac potestate ordo aliquis significaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur quod ab eo in alios debeat ista potestas descendere,* propter quod etiam dixit ei singulariter: Confirma fratres tuos; Pasce oves meas » (*In IV Sentent.* d. XXIV, q. III, a. 2, ad 1).

Quamvis ergo habeatur *duplex subiectum* auctoritatis in Ecclesia, Summus Pontifex et corpus episcoporum, tamen istud subiectum est solummodo *inadaequate distinctum*: scil. corpus episcoporum non potest agere nisi *cum* Summo Pontifice et *sub* Summo Pontifice; e contra Summus Pontifex, tanquam *unicus* Vicarius Christi, habet auctoritatem « ordinariam et immediatam » in universam Ecclesiam.

c) Quoad sic dictam « collegialitatem » episcoporum, intellectam in sensu quod episcopi collective sumpti habeant *ius* ad gubernandam *de facto* universam Ecclesiam, propter supra dicta hoc non videtur posse componi cum praerogativis Summi Pontificatus; quinimmo magna confusio fieret in Ecclesia. Et in S. Scriptura non habentur argumenta ad hoc demonstrandum, sed habentur potius argumenta contraria. E. g. S. Paulus habuit sibi assignatam missionem praedicandi *inter gentes*: « Sed e contra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis... Iacobus et Cephas et Ioannes qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi et Barnabae societatis: *ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem...* » (*Gal.* 2, 7-10). Ipse S. Paulus, etiam inter gentes, tamquam normam hoc principium constanter secutus est: « Sic autem praedicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, *ne super alienum fundamentum aedificarem* » (*Rom.* 15, 20). Quamvis apostolus, S. Paulus numquam collegialiter suam auctoritatem exercuit; neque collegialiter auctoritatem exercuerunt S. Timotheus et S. Titus, ab eo tamquam episcopi praepositi singulis communitatibus, scil. Ephesinae et Cretensi: « Huius rei gratia reliqui te Cretae ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi » (*Tit.* 1, 5. Cf. *1 Tim.* 1, 3).

Unicum certum exemplum collegialitatis, sed semper *cum* Petro et *sub* Petro, est sic dictum Concilium Ierosolimitanum (*Act.* 15), uti etiam postea accidit in Conciliis Oecumenicis pro universa Ecclesia, et in Conciliis regionalibus pro singulis regionibus ecclesiasticis. Neque illae expressiones « Petrus et qui cum illo erant » (*Lc.* 8, 45; 9, 34; *Mc.* 1, 36 etc.) aliquid demonstrant relate ad hanc rem, cum ipsae solummodo designent duodecim apostolos, quorum coryphaeus erat Petrus, nec umquam nobis ostendant ullum actum auctoritatis collegialis.

d) Et tamen aliqua « collegialitas » admittenda est, sed *recto sensu intelligenda,* scil. *tanquam vocatio et consecratio « missionalis » omnium episcoporum.* Ipsi enim, vi « consecrationis episcopalis », summo gradu participant de sacerdotio Christi, qui « *pro omnibus* mortuus est » (*2 Cor.* 5, 15). Ergo in episcopis adest, ratione Ordinationis, quaedam « tendentia radicalis » et stricta necessitudo cum Ecclesia universali, quatenus collegio episcoporum, quod collegio apostolico succedit, *sub ductu Petri* competit obligatio evangelizandi omnes gen-

tes: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15. Cf. *Mt.* 28, 18).

Sed haec tendentia « universalis » potest ad effectum perduci et de facto perducitur diverso gradu. In primis, in sua cuiusque dioecesi episcopi tenentur ita sese gerere ut non videantur potius praeesse alicui exanimi trunco quam membro vivo totius Corporis, « quae est ecclesia » (*Col.* 1, 24): et ideo opus suum tenentur coordinare et recte articulare cum ceteris episcopis sive regionis, sive nationis, sive ceterarum nationum, sive praesertim mundi sic dicti « missionalis ». Et hoc fiet illis modis qui opportuniores, diversis temporibus et diversis circumstantiis, videbuntur. Tali modo melius providebitur bono communi totius populi christiani.[3]

Praesertim in Concilio oecumenico episcopi hanc vocationem et auctoritatem « collegialem » erga universalem Ecclesiam, omnibus fatentibus, exercent.

Sed et alius casus potest cogitari, in quo talis « exigentia » collegialis sese exercere potest, et modo quidem permanenti: scil. in assumptione, ex parte Summi Pontificis, aliquorum episcoporum, in repraesentationem totius Collegii episcopalis, ad directam gubernationem totius Ecclesiae. Et hoc est praecise quod anticipavit Summus Pontifex in nota allocutione ad Romanam Curiam die 21 sept. 1963: « E Noi diremo di più: quando il Concilio ecumenico mostrasse desiderio di vedere associato *in un certo modo e per certe questioni, in conformità alla dottrina della Chiesa e alla legge canonica,* qualche rappresentante dell'episcopato, particolarmente fra i Presuli che dirigono una diocesi, al Capo Supremo della Chiesa stessa, *nello studio e nella responsabilità del governo ecclesiastico,* non sarà sicuramente la Curia Romana a farvi opposizione, ché anzi essa sentirà accresciuto l'onore e l'onere del suo sublime e indispensabile servizio, che è, a parte il debito procedere dei Tribunali ecclesiastici, sia nella Curia Romana che nelle diocesi, come bene sappiamo, specificatamente amministrativo, consultivo ed esecutivo » (*A.A.S.,* 55 [1963], p. 799).

Sed hoc posset evenire solummodo « *certo modo et pro determinatis quaestionibus, secundum doctrinam Ecclesiae et legem canonicam* », ut ait Paulus VI, scil. *semper cum Petro et sub Petro,* in quem semper recidere debet ultima deliberatio. Et hoc forsitan vere optandum esset ut quam cito fiat, ita ut in vertice auctoritatis melior cognitio habeatur de reali situatione Ecclesiae catholicae ubique diffusae, ope istorum episcoporum quippe qui optime noverint mentalitatem typicam et problemata diversarum nationum. Haec exigentia profundius percipitur hodie quam temporibus transactis, eo quod numquam Ecclesia tali modo *catholica,* non solum de iure sed etiam *de facto,* evaserit. Ergo vires et consilia omnium episcoporum hodie speciali modo requiruntur ad maius bonum totius Ecclesiae.

Ultra hos fines theologicos non mihi videtur posse prudenter quemquam sese porrigere, eo quod agatur de quaestionibus sat intricatis et difficillimis et nondum a theologis una mente resolutis.

---

[3] Hoc est quod fiebat in antiquitate, grosso modo, mediantibus sic dictis « litteris communionis » vel « communicatoriis », quibus fidelis vel clericus alicuius Ecclesiae a proprio Episcopo muniebatur ut ab aliis Episcopis vel ecclesiis reciperetur (cf. e. g., TERTULLIANUM, *De Praescriptione,* 20; *Adversus Praxeam,* 11; S. CYPRIANUM, *ep.* 36; S. AUGUSTINUM, *ep.* 43; S. BASILIUM, *ep.* 129 et 204), vel quibus episcopi ceteris confratribus communicabant propriam electionem vel ipsis aut eorum ecclesiis consilia dabant aut vicissim petebant (memento epistolae S. Polycarpi ad Philippenses, vel epistolarum S. Ignatii Antiocheni ad Ecclesias Asiae

35

QUIDAM PATRES CONCILIARES

Patres conciliares praesentem propositionem subsignantes valde exoptant ut commissio theologica, una cum ceteris commissionibus conciliaribus ad quas argumenta pertractata pertinere possent, unicum conficiat doctrinale schema in quo, sub titulo « De Ecclesia Christi » compendiose accurateque proclamantur illae fidei veritates, in se et absolute consideratae, quae ut basis doctrinalis totius pastoralis officii, ad finem proprium Concilio Vaticano II assignatum necessariae sunt.

Materia huius schematis breviter in paginis sequentibus ordinatur.

Compendium constitutionis doctrinalis « De Ecclesia Christi » a quibusdam Patribus conciliaribus propositae.

Pars Prima: De Christo Ecclesiae capite.

Prooemium. Citatur initium Epistolae B. Pauli ad Ephesios (c. 1, 3-14) in quo aeternum Dei propositum circa missionem Ecclesiae in mundo describitur cum explicita referentia ad tres Personas divinas.

Caput I - *De Christo revelante.*

1. Revelatio est actio Dei simul et hominis in instrumentum assumpti, ad innotescendum mysterium salutis primo quidem Iudaeis, deinde omnibus gentibus quae verbis et factis constituitur.
2. Revelatio divina progressive perficitur per totam historiam Veteris Testamenti et continuo refertur ad Christum, futurum Messiam a Deo promissum.
3. Perfecta revelatio datur tum verbis, tum actibus ab ipso Christo per totam vitam in terris peractam.
4. Christi revelatio immediate transmittitur tempore Apostolorum, primo quidem per traditionem oralem, deinde per Sacras Scripturas divinitus inspiratas.
5. Libri canonici utriusque Testamenti accipiuntur, recognoscuntur et conservantur ab Ecclesia cui etiam pertinet agnitio et transmissio oralis Traditionalis.
6. Solum Ecclesiae Magisterium plenam possidet competentiam circa interpretationem Documentorum revelationis quae Traditionem sive scriptam, sive oralem, sive etiam realem referunt. Regulae scientificae historiae profanae, etiam saepe perutiles, ad obiectum integrale revelationis amplectendum impares sunt.

Caput II. - *De Christo Redemptore.*

1. Exponatur peccati originalis doctrina qualis ex Epistola ad Romanos (Cap. V, 12 ss.) a Magisterio Ecclesiae proponitur.
2. Incarnatio Verbi ad hominum redemptionem ordinata, Christum constituit unicum Dei hominumque Mediatorem et perfectum sacerdotem a quo derivatur totum sacerdotium christianum.
3. Per Crucis sacrificium, Christus Sacerdos operatus est nostram salutem per modum redemptionis, meriti et satisfactionis vicariae.

Minoris, vel S. Dionysii episcopi Corinthiorum ad Lacedemones, Athenienses, etc.). Sed hoc nullo modo demonstrat aliquam auctoritatem « vere » collegialem: agitur potius de illa fraterna et missionali « solidalitate », de qua supra dixi.

4. Gloriosa Christi resurrectio est principium et imago resurrectionis sive spiritualis, sive corporalis credentium.

5. Christus in caelo pro nobis interpellat apud Patrem.

6. Christus Caput Ecclesiae incessanter gratiam influit in membris eius ut vitam divinam semper amplius habeant.

Pars secunda: De Beata Virgine Maria, Ecclesiae Matre.

1. Beata Virgo, Dei Redemptoris Mater, in ipso momento Incarnationis proprium munus libere et conscie suscepit. Ante partum, in ipso partu et post partum perfectam virginitatem etiam corpoream incorruptibiliter servavit.

2. Beata Virgo Maria, ut digna sit Dei Mater, prima fuit et quidem perfectissime redempta.

3. Beata Virgo Maria perpetua Christi socia fuit in opere redemptionis.

4. Beata Virgo Maria, prout est Mater Dei, conditionem communem totius Ecclesiae transcendit. Hoc titulo vere et proprie Ecclesiae Mater spiritualis vocari potest et debet.

5. Beata Virgo Maria, ut perfecte redempta, primum membrum Ecclesiae efficitur. Immo, ratione plenitudinis gratiae in ipsa infusae, totam Ecclesiae perfectionem quodammodo in se comprehendit.

6. Beata Virgo Maria simul fuit et Filia Sion expectationem Israël ad ultimam perfectionem adducens, et typus totius Ecclesiae, terminum ultimum iam adeptus ad quem ceteri nonnisi post saecula pervenire poterunt.

7. Beata Virgo Maria est in caelo Regina misericordiae et gratiarum Mediatrix apud Filium, saltem per modum intercessionis.

8. Beata Virgo Maria Fautrix est unitatis Ecclesiae.

Pars tertia: De ipsa Ecclesia Christi.

Caput I - *De Ecclesia ut est populus Dei.*

1. Ecclesia Christi in hoc mundo stabilita est societas humana visibilis simul ac supernaturalis ab ipso Christo fundata ut sit permanens instrumentum salutis. Praefigurata est in Veteri Testamento a Patribus sanctis et a populo electo. Perenniter gloriosa congregatur in caelo cum Christo et Angelis regnatura.

2. Haec Ecclesia semper ad Deum progrediens proprio sensu vocatur populus, civitas et regnum Dei. Profundius et intimius dicitur familia Dei Patris et simul sponsa Christi. Immo et ipsissimum Corpus Christi mysticum ab Apostolo vere, etsi analogice, appellatur, ita ut proprium mysterium constituat quod diversis metaphoris divinae scripturae vel ecclesiasticae traditiones innuunt eam designando sub nominibus vineae, arcae, domus, templi et aliis similibus.

3. Unitas Ecclesiae pluribus titulis verificatur: tum ex unitate Fundatoris et Capitis, cuius vices permanenter gerit unicus Petri successor, Romanus Pontifex; tum ex unione sacramentali ex ritibus sacris a Christo institutis dimanante, in quibus locum praecipuum tenent Baptismum et Eucharistia; tum ex unitate Fidei, Spei et Caritatis quibus vita ipsius Christi in fidelium cordibus exercetur; tum ex Spiritus Sancti intima praesentia, ad instar animae totam Ecclesiam inhabitantis, vivificantis et gubernantis; tum denique ex unico fine ad quem perpetuo tendit, scilicet: hic in terris, Evangelizatio omnium hominum per eorum incorporationem ad unicum Christi corpus mysticum, et ultimo in caelis aedificatio illius Ierusalem in qua, per Christum et in ipso, Deus erit omnia in omnibus.

4. Sanctitas eiusdem perpetuo praefulget:

ex vocatione omnium membrorum universali ad perfectionem sanctitatis;

ex multiplicibus divitiis spiritualibus quibus a Christo ditatur;

ex cultu perpetuo quo Deum colit, adorat, laudat, implorat, eique pro beneficiis acceptis gratias refert: quo etiam cultu proprios filios purificat, instruit et consecrat;

ex omnibus operibus misericordiae, necnon ex diversis charismatibus vel etiam socialibus institutionibus a quibus fovetur et exercetur caritas illa quae a solo Dei Spiritu in cordibus infunditur.

5. Eadem Ecclesia vere catholica demonstratur dum missionem a Christo illi commissam Evangelizandi omnes homines cuiusvis nationis, cuiusvis conditionis, cuiusvisque stirpis fideliter ubique terrarum adimplet.

6. Tandem eius Apostolicitas, quae maxime resultat ex apostolica successione episcoporum de qua fusius in proximo capitulo tractabitur, totum populum christianum ordinat ad promovendum modo unicuique proprio dilatationem Regni Dei in omnibus locis et in omnibus hominum coetibus.

7. Ex his Ecclesiae notis simul sumptis constituitur illud Regale Sacerdotium quod, latiore et analogico sensu, totus Dei populus ex Christi summo et perfecto sacerdotio participat:

in quantum, a Christo oblatum et redemptum, seipsum iam cum Christo offerre potest;

in quantum apud alios qui nondum sunt ex ovili, mediationem efficacem per preces, exempla, hortamenta, testimoniumque vitae christianae exercere valet;

in quantum etiam creaturas irrationales, per propriam spiritualem operationem, ut instrumenta divinae laudis vel aliorum spiritualium operum assumere potest.

Caput II - *De ecclesiastica Hierarchia.*

1. Ex ipsius Ecclesiae Fundatoris voluntate et dispositione, Populus christianus docetur, sanctificatur et gubernatur per electos Dei viros in ministerium assumptos qui sacram Hierarchiam constituunt. Quae hierarchia duplici titulo ordinatur, videlicet ordinis et iurisdictionis.

2. Ratione ordinis, institutione divina distinguuntur in Ecclesia episcopi, presbyteri et ministri. Apostolis, quibus in hoc munere plene succedunt episcopi, Christus summus Sacerdos in aeternum contulit plenitudinem sacerdotii ministerialis a seipso immediate participatam. Mediantibus episcopis idem sacerdotium modo subordinato propterea que gradu essentialiter inferiori presbyteri participant. (In hoc sensu definiatur « sacramentalitas episcopatus »).

3. Pontifex Romanus, successor Petri et Christi vicarius, personaliter accepit munus evangelizandi universum mundum regendique omnes christifideles ad quod exercendum totam plenitudinem potestatis super universam Ecclesiam ipsi collata est.

Vi huius potestatis Romanus Pontifex constituit sibique adiunxit instrumentum sociale, videlicet curiam romanam quae, per delegationem et subordinationem, eiusdem officii, auctoritatis et quodammodo dignitatis particeps redditur. Solius Pontificis est Curiae organisationem instituere eiusque membra designare. Ipsi soli etiam competit aliud consilium sive episcoporum, sive presbyterorum sive etiam laicorum apud se permanenter vel ad tempus convocare.

Quod hodie, propter maximam Ecclesiae dilatationem, magis opportunum ut fiat apparere potest.

4. Episcopi ut Apostolorum successores ab omnibus christianis semper habentur. Christus autem elegit duodecim Apostolos quos simul congregavit ut eos doceret et ad missionem evangelicam adimplendam praepararet. Postquam missionem universalem et supremam potestatem in totam Ecclesiam Petro personaliter contulerit, dedit etiam corpori Apostolorum in unum congregato et sub Petro constituto, munus docendi omnes gentes et sanctificandi regendique omnes fideles. Hoc munus Apostoli compleverunt actibus generatim personalibus et individualibus, etsi semper cum aliorum actibus coordinatis, ad eumdem finem convenientibus. In quibusdam tamen peculiaribus eventibus idem munus exercere potuissent per actum unicum collegialiter ab omnibus peractum, dummodo cum Petro et sub Petro egissent.

Non solum tali collegio, sed etiam unicuique Apostolorum, prout instrumentum immediatum divinae revelationis erat, iure divino collata fuerat potestas infallibiliter docendi veritatem fidei et regendi omnem regionem totius Ecclesiae, quin unquam tale privilegium Petri primatui adversaretur.

5. Etsi ordo episcoporum non constituat collegium permanens in omnibus simile Collegio ad tempus — videlicet usque ad eorum dispersionem — ex Apostolis per Christum congregato, tamen ipsi legitime succedit in missione evangelizandi universum mundum et sanctificandi vel regendi totam Ecclesiam. Cuius muneris exercitium, ut ex tota ecclesiastica traditione patet, duplici modo episcopi compleverunt:

a) Modo ordinario et permanenti, per actus personales unicuique proprios etsi inter se coordinatos et in eumdem specificum finem directos. Pro quibus exercendis accipit unusquisque episcopus, vi propriae missionis legitime collatae, non quidem universalem regiminis potestatem nec infallibilitatem personalem in docendo (quae privilegia stricte personalia Apostolorum erant), sed aptitudinem radicalem indeterminatam, etsi finitam, ad docendum et regendum aliquam — quaecumque sit — Ecclesiae portionem, in bonum utique totius Ecclesiae, circa quod, in hoc sensu et secundum hanc mensuram, responsabilitatem habet. Et haec aptitudo radicalis de iure divino cuique episcopo legitime pertinet. Ex Pontifice Romano, mediate vel immediate accipit unusquisque episcopus potestatem actualem et determinatam ad docendum et regendum certam portionem dominici gregis illi assignatam, in ordine semper ad Ecclesiae universae bonum commune de quo, suo modo et mensura, responsabilis efficitur.

b) Extraordinario et transitorio modo, totum episcoporum corpus simul sumptum, cum Papa, ab eo et sub ipso ad collegialiter agendum adunato, vi huius adunationis, potestatem obtinet tum supremae iurisdictionis, tum infallibilis magisterii super omnem Ecclesiam. Haec potestas non alia est ac ipsius Romani Pontificis potestate, sed ab uno subiecto in quo inamissibiliter et permanenter residet, ad novum inadaequate tamen distinctum subiectum extenditur. Talis vero extensio non unumquemque episcopum separatim consideratum, sed solum integrum collegium simul sumptum attingit eique soli tribuenda est.

6. Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt. Hoc loco tractandum est de Statu perfectionis episcoporum quorum munus supponit caritatem et fons sanctitatis efficitur pro omnibus ad quos mittuntur.

7. Principia dantur de relationibus episcoporum:

cum Pontifice Romano et Curia Romana,

cum aliis episcopis. Ibi tractabitur de Conciliis plenariis et provincialibus, necnon de Conferentiis episcopalibus.

Fundamentum huius cooperationis vocari potest « collegialitas communionis » quae iam inter Apostolos, etiam post eorum dispersionem, servabatur, et cui successit eadem communio seu coordinatio et cooperatio episcoporum Sede romana semper praeeunte.

8. Inde a tempore Apostolorum habentur in Ecclesia sacerdotes secundi ordinis qui ab episcopis distinguuntur vi ipsius sacramenti Ordinis in quantum sacerdotium partiale et derivatum ab episcoporum sacerdotio accipiunt. Etenim unicum sacerdotium fontale et principale Christi, quod immediate et plene in Apostolos et episcopos ministerialiter transfusum est, nonnisi mediantibus episcopis et solummodo partialiter ad secundi ordinis sacerdotes communicatur. Unde vi ipsius sacramenti munus presbyterorum totaliter officio episcoporum subordinatur et connectitur.

Haec subordinatio cuiusque presbyteri habetur vel exclusive ad Romanum Pontificem, vel simul ad Romanum Pontificem et ad aliquem episcopum dioecesanum.

Ubicumque sacerdos actiones sacras ponit, Episcopus, cuius vices gerit, moraliter et virtualiter praesens efficitur.

Actus praecipuus presbyterorum est Eucharistici Sacrificii celebratio, cui ordinantur omnia alia pastoralia munera.

Totum sacerdotis officium specialem obligationem illi imponit perfectionem caritatis et sanctitatis prosequendi. At ipsius muneris pastoralis exercitium, quando ex obedientia et fervore caritatis procedit, maxime confert ad vitae spiritualis ipsius sacerdotis progressum.

9. De ministris. Iis quae de diaconatu dicuntur sub finem minoribus et de eorum restitutione ad modum functionis permanentis in Ecclesiae hierarchia.

Caput III - *De laicis.*

1. Laici vocantur in Ecclesia omnes christifideles qui, nullo gradu sacramentum Ordinis participantes, consecrantur per Baptismum et (ordinarie) Confirmationem ad cultum S. Eucharistiae profitendum et promovendum, quo vitaliter in structura mystici Corporis Christi inseruntur et operantur.

2. Munus speciale laicorum est cooperare cum episcopis, sacerdotibus et ministris ad splendorem divini cultus. Eis exclusive reservantur, servata semper subordinatione, praeparatio et extensio laboris apostolici cuius pars praecipua ad Hierarchiam pertinet.

3. Laici qui ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum non pertinent, vi proprii status in saeculo, munus apostolicum proprium implent in triplici societatis naturalis ordine, videlicet: in familia, in professione, in civitate, in quibus triplicem finem prosequuntur specificum qui est:

1) Multiplicatio christianorum;

2) Oblatio operis temporalis et sanctificatio cooperatorum;

3) Regnum sociale Christi et applicatio doctrinae socialis Ecclesiae.

Tam mediis naturalibus et rationalibus quam mediis supernaturalibus per Ecclesiam acceptis, laici christiani sese defendere debent ab omni contagione er-

roris materialismi et communismi athei qui nullo modo cum vita fidei et caritatis componere potest.

4. Ad vitam sive personalem, sive socialem recte ordinandam, ius habent laici ut a Hierarchis catholicis illis impartiantur omnia adiumenta sive in ordine doctrinali, sive in ordine sacramentali sanctificationis.

Caput IV - *De religiosis.*

1. Ut sanctitas Ecclesiae per officium quoddam publicum et permanens aliquorum vitam plene et exclusive specificans exerceatur et manifestetur, Christus Dominus fundamenta iecit cuiusdam status particularis vitae ad perfectionem evangelicae caritatis plene consecrati, qui status ad essentialem Ecclesiae structuram pertineret. Huius evangelicae vitae stabilis et publica professio non est mera forma peculiaris qua compleri possit vocatio universalis ad sanctitatem: sed specificum gradum in Ecclesiae constitutione insertum ponit, ab ordine hierarchico prorsus diversum, qui per authenticam plenamque totius vitae consecrationem ad cultum et ad servitium divinum distinguitur.

2. Media huius integrae donationis exsecutiva sunt tria evangelica consilia paupertatis, obedientiae et castitatis, non ut merum exemplum omnibus christianis propositum, sed ut conditiones permanentes peculiarem vitae statum constituentes, ad quem amplectandum aliqui tantum effective vocantur.

3. Status hic specialis iam tempore Apostolorum apud viduas et virgines Deo consecratas florescere coepit, a quo tempore, sub variis formis, ordo quidam religiosus in Ecclesia distinctum locum tenuit quem Hierarchia indesinenter recognovit et consecravit.

4. Valor ecclesiologicus Status religiosi non adaequate describitur si ad religiosorum apostolatum externum fere unice attenditur; principale enim momentum vitae religiosae in eo est quod religiosi per specialem et integram donationem sui Christo in Ecclesia factam, arctiore modo adsociantur ad opus Redemptoris qui per paupertatem, virginitatem et obedientiam usque ad Crucem homines redimere et sanctificare voluit. Praecise autem ex hoc holocausto quod totam vitam amplectitur, Ecclesiae spiritualis thesaurus augetur et eius apostolatus ditissime foecundatur.

5. Ideoque maximi in Ecclesia facienda sunt instituta religiosa quae vitae contemplativae se dedicant prout, scilicet, primario ad gloriam Dei in terris procurandam, deinde etiam ad sanctitatem et fertilitatem apostolicam totius Ecclesiae maxima conferunt, quin tamen apostolatum exteriorem exerceant.

6. Evangelicorum consiliorum professio certe aestimanda est prout actus liber et meritorius voluntatis ex motivo caritatis sese iuridice et stabiliter cultui et servitio Dei mancipantis, sed etiam prout vera consecratio a totius Ecclesiae prece operata quae verum et perenne sacramentale constituit et, ex opere operantis Ecclesiae, ipso vovente cooperante, totam ipsius vitam sanctificat.

7. Ex proprio et interno valore status religiosi defluit eius valor testimonii et signi commemorativi, demonstrativi et eschatologici.

8. Vita religiosa semper sub auctoritate Ecclesiae constituitur et diffunditur. Instituta religiosa quae apostolatui exteriori se dedicant sub episcoporum vigilantia hunc apostolatum exercere debent. Sed cum functio et missio religiosorum in Ecclesia per prius in exclusiva donatione et consecratione effectiva Christo facta consistat, praeprimis providendum est ut integritas vitae religiosae in sua puritate et in forma specifica propria uniuscuiusque instituti conservetur et promoveatur.

Propterea moderatoribus religiosis congrua libertas in dirigendis propriis subditis relinquenda est. Ubi autem de Institutis religiosis agitur quorum finis proprius, activitates et opera limites territoriales unius dioeceseos vel regionis transgrediuntur, eadem haec principia suadere videntur ut haec Instituta iuridictioni Romani Pontificis immediate subiiciantur.

Pars Quarta: RELATIO ECCLESIAE AD CHRISTIANOS DISSIDENTES (ET AD INFIDELES).

Caput I - *De oecumenismo.*

1. Oecumenismus catholicus definiatur et distinguatur ab oecumenismo quod profiteri possunt dissidentes.

2. Enunciantur simul tum bona ab oecumenismo expectanda, tum difficultates et pericula quibus obviandum est. Inde deducatur methodus prudens et fructuosus oecumenismi catholici.

3. Principia propria oecumenismi ponuntur cum applicatur diversis communionibus christianis, videlicet: Orthodoxis, Anglicanis et Protestantibus.

Caput II - *De libertate profitendi veram religionem.*

1. Ius absolutum profitendi veram religionem a Deo revelatam fundatur:

a) Subiective super iura Personae humanae, ut imago Dei ab ipso creata et ad ipsum ordinata.

b) Obiective super iura absoluta ipsius Dei Creatoris et Revelantis, et super veritatem factorum revelationis.

2. Professio fidei christianae obligat moraliter omnes homines ad quos pervenit nuntium evangelicum, sed manere debet ab omni physica coactione libera.

Caput III - *De pacifico convivio cum dissidentibus et infidelibus.*

1. De libertate subiectiva conscientiae invincibiliter erroneae. Ius conscientiae invincibiliter errantis, si reale sit, est mere subiectivum. Nunquam aequiparari potest iuri simul subiectivo et obiectivo conscientiae simul rectae et verae. Non est ergo ius absolutum nec illimitatum: quo sensu libertas conscientiae invincibiliter erroneae reiicienda est.

2. Conscientiae errantis iura subiectiva cessant quotiescumque in conflictu cum conscientia aliorum recta et vera intrant. Possunt ergo et quandoque debent elidi ab iis qui veritatem possident. Insuper potest et quandoque debet conscientia recta et vera procurare illustrationem conscientiae erroneae, pro suo amore veritatis et bonitatis, pro suo fortasse officio, necnon pro sua authentica caritate, boni operosa, erga proximum errantem.

3. Prorsus reiiciendus est totalitarismus communistarum omnis religionis et cuiusvis cultus erga Deum exercitium prohibens vel impugnans. Contra hunc fanatismum atheisticum ab omnibus tenenda est libertas religionem publice privatimque profitendi, dummodo non agitur de falsa religione quae iuribus naturae manifeste contradiceret.

4. Status politicus minime potest amoralis esse vel areligiosus, abstrahens ab istis principiis et valoribus sine quibus neque auctoritas valet exercere efficaciter suum regimen, neque etiam attingere finem suum adaequatum qui ad bonum commune etiam spirituale civium inspicere debet.

5. Per se Status, maiore ex parte cives catholicos regens, debet proclamare religionem catholicam et ei concedere favorem, agnitionem et auxilium externum quae obiective debentur veritati prae errore. Hoc non impedit quominus etiam alias confessiones religiosas sinat existere, dummodo eorum exercitium pacem temporalem non perturbat neque periculum constituat pro civibus veram fidem profitentibus.

[*Subscripserunt*] Alfredus Marie, ep. Caiennensis; Marcellus Lefèbvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia, Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B., Geraldus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus, Augustus Grimault, ep. tit. Maximianopolitanus.

36

CONFERENTIA EPISCOPORUM BELGII

1. Circa *Introductionem,* n. 1, valde exoptant exc.mi episcopi ut ex una parte uberius evolvatur idea summi momenti *de Christo lumine gentium,* et ex altera parte ut, indicato desiderio *catholicorum* quo de mysterio Ecclesiae instrui cupiunt, verbum insuper fiat de inceptis et precibus *aliorum christianorum,* qui ad unitatem Ecclesiae secundum voluntatem Christi plene realizandam anhelant.

2. De n. 9, *de nexibus Ecclesiae cum christianis non catholicis,* exoptant episcopi ut inter illos nexus etiam thesaurus Sacrarum Scripturarum nominetur.

3. De n. 14, *de episcopatu ut sacramento,* proponunt ut in textu inserantur verba quae in primitivo schemate, pag. 23, linn. 1-3, occurrebant, nempe: « Sacra ordinatio summi gradus Sacerdotii, cum munere sanctificationis, munera quoque magisterii et regiminis tribuit... ».

Insuper suadent ut in textu definitivo clarissime appareat, quidnam fidelibus ut de fide tenendum praecise imponatur, scil. in sacramento Ordinis gradum episcopatus gradui presbyteratus esse superiorem, saltem in disciplina Ecclesiae, quidquid sit de differentia inter « episcopos » et « presbyteros » in scriptis apostolicis.

II

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA

POST DIEM 10 IULII 1964

1

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

1. Gravem instantiam exprimere vellem contra quaedam quae affirmantur in cap. III schematis *de Ecclesia* (par. 22, pag. 64, linn. 4-11). Textus sonat « Ordo autem episcoporum qui collegio apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, una cum capite suo Romano Pontifice et nunquam sine hoc capite, *subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam existit, quae quidem potestas* independenter a Romano Pontifice exerceri nequit ».

Praedictis verbis Ordini, seu collegio episcoporum, attribuitur habitualis quaedam participatio supremae et plenae potestatis regendi universam Ecclesiam, etsi exercitium eiusdem ponitur dependere a Romano Pontifice qui, ut Vicarius Christi, habet iam ex se eamdem plenam et supremam potestatem. Haec limitatio quoad ius exercitii, etsi mere iuridice aliquo modo sufficiat ad salvandam plenitudinem potestatis Romani Pontificis, simpliciter tamen loquendo eam non salvat. Potestas enim suprema regendi universam Ecclesiam, etsi sub alio titulo, iure scil. collegialitatis, possidetur quoque a corpore episcoporum una cum Romano Pontifice suo capite. Cum talis participatio ex parte corporis episcoporum sit, ut supponitur, divinitus largita, Romanus Pontifex moraliter ligaretur in omnibus suis actis gubernii ad habendam rationem mentis et voluntatis totius episcopatus et quidem non solum ut collegii suorum fratrum et consiliariorum, sed ut participantium cum eo in potestate suprema gubernandi totam Ecclesiam.

Sumus exinde in positione illa secundum quam Romanus Pontifex haberet quidem potiores partes potestatis regendi universalem Ecclesiam non vero *totam* plenitudinem huius potestatis.

Haec tota plenitudo, proprie loquendo et secundum rem haberetur tantum a Romano Pontifice gubernante universam Ecclesiam attenta quoque mente et voluntate corporis episcoporum.

Haec positio concordari non potest cum canone in fine cap. III constit. *Pastor Aeternus* Concil. Vat. I qui sic sonat: « Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem... habere tantum potiores partes non vero *totam* plenitudinem huius supremae potestatis... anathema sit ».

Textus proinde schematis in lineis supra citatis reformandus est.

2. Aliam instantiam exprimere vellem contra textum qui habetur in par. 21 (pag. 62 in fin. - pag. 63 in princ.), qui sic sonat: « Episcopalis autem consecratio cum munere sanctificandi, *munera quoque confert docendi et regendi* quae tamen natura sua nonnisi in communione cum collegii capite et membris exerceri pos-

sunt ». Si vox *munera* sumatur pro donis gratiae quibus consecratus fit aptus ad exercitium officii docendi et regendi, textus, ut patet, admitti posset; si autem, ut pronum est supponere, sumatur pro collatione ipsius potestatis ex auctoritate docendi et, maxime, regendi, admitti non potest.

Summus Pontifex Pius XII in Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* (a. 1943) docuit: « Sacrorum Antistites... ad propriam cuiusque dioecesim quod spectat utpote veri Pastores assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt et regunt; id tamen dum faciunt, non plane sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi, quamvis ordinaria iurisdictionis potestate fruantur immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita ». Eandem doctrinam confirmat in Epistolis Encyclicis *Ad Sinarum Gentem* (a. 1954) et *Ad Apostolorum Principis* (a. 1958).

Angelicus Doctor in *Summa c. Gentes,* lib. 4, cap. 76, ait: « ... quia (Christus) praesentiam corporalem erat Ecclesiae subtracturus oportuit ut alicui committeret qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante Ascensionem: " Pasce oves meas " (*Io.* 21, 17) et ante Passionem: " Tu iterum conversus confirma fratres tuos " (*Lc.* 22, 32) et ei soli promisit " Tibi dabo claves regni caelorum " (*Mt.* 16, 19), ut ostenderetur *potestas clavium per eum ad alios derivanda,* ad conservandam Ecclesiae unitatem ».

Alia argumenta afferentur sine dubio in aula contra hanc doctrinam in schemate propositam. Me abstineo propterea ab ulteriori argumentatione.

Quae attuli sufficiunt, ni fallor, ad ostendendam necessitatem reformationis textus a me supra allati.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS

Archiepiscopus Coloniensis

Liceat mihi proponere, ut in schemate *de Ecclesia,* cap. III, n. 21, pag. 62, lin. 33, textus emendati loco « Sancta Synodus » dicatur « antiquissima Ecclesiae traditio ». Argumentatio:

1. Probatio ex Sacra scriptura difficilis est, quia non clare distinguitur inter episcopos et presbyteros.

2. Vitatur directa oppositio ad doctrinam S. Thomae et fere omnium doctorum medii aevi.

3. Saec. XV Papae duobus abbatibus, qui sacerdotes tantum erant, potestatem dederunt ordinandi sacerdotes, et saec. III et IV presbyteri Alexandrini noviter electo episcopo dabant consecrationem episcopalem.

Liceat mihi proponere, ut cap. VII schematis *de Ecclesia* abbrevietur, praesertim nn. 49, 50 et 51.

In n. 48, pag. 181, lin. 19, loco « vigilamus » restituatur textus prior « vigilemus oportet ».

Liceat mihi proponere, ut n. 53 cap. VIII schematis *de Ecclesia* abbrevietur.

3

Em.mus P. D. IOSEPH card. LEFÈBVRE

Archiepiscopus Bituricensis

De cap. III. Decursu mensium proxime elapsorum, Patribus conciliaribus diversi « de Ecclesia » libelli sparsim missi sunt, qui eo tendebant ut anxium Patrum animum redderent circa ea quae in schemate inscripta sunt tam de episcopatus sacramentalitate, quam de episcoporum collegio.

Cum vero de tantis tamque gravibus rebus agatur, summe optandum videtur, ut Patres sine ulla haesitatione nec dissimulatione assentiri possint perinsignibus textibus a commissione de fide exaratis. Deficiente autem nobis facultate in aula conciliari mentem nostram aperiendi de illo schemate mox in suffragium mittendo, mihi liceat hisce litteris ingenue dicere quid sentiam sperans me utilitati esse huic vel illi ex meis in episcopatu fratribus, qui libellis nuper acceptis conturbatus fuerit.

Iamvero, omnes difficultates ex eo mihi videntur provenire, quod quandoque verbis significatio quaedam imponitur, insufficienter perspecta ea significatione quam contextus ipse schematis determinat.

Et primum de episcopatus sacramentalitate, cum quidam anxio animo legunt in par. 21 (pag. 62) haec asserta: « Episcopalis autem consecratio cum munere sanctificandi, munera quoque confert docendi et regendi » (suffragatio 8ª).

Eorum anxietas mihi videtur ex eo oriri, quod non satis lucide distinguunt inter « munus regendi » et canonicam ipsam iurisdictionem. « Munus » enim « regendi » est ea sacra potestas quae immediate a Deo episcopo per episcopalem consecrationem confertur. Iurisdictio autem ea est potestas quae a iure canonicam suam temperationem accipit. Quae cum ita sint, textus schematis supra allegatus, dum nullo modo dirimere intendat liberas inter theologos controversias (utrum ista iurisdictio immediate a Christo dimanet an mediate per Romanum Pontificem) statim haec asserit: « Quae tamen (munera) nonnisi in communione cum collegii capite et membris exerceri possunt » (suffragatio 8ª).

Quod posterius comma, mea quidem sententia, ad omnem ambiguitatis speciem dispergendam sufficit.

Ad nexum iurisdictionis potestatis cum manuum impositione quod attinet, mihi liceat ceterum observare, *distinctionem* inter utramque, sensu hodierno intellectam, *non ante Medium Aevum* in Ecclesia occidentali factam esse. Semper traditio Ecclesiarum, antequam orientalis et occidentalis dividerentur, Ordinis sacramentum stricte colligavit cum ea pastorali potestate quae iurisdictionem continet et supponit (vide textus liturgicos in schemate, pag. 86-87, nota 1 allegatos).

Quod ea iurisdictio, de qua agimus, forte antecedere possit ipsam episcopalem consecrationem, ut omnes sciunt, nulla ex eo difficultas oritur, quia electus episcopus obligatione tenetur sine mora consecrationem recipiendi. Quae cum ita sint, patet cur in volumine cui titulus inscribitur: « *Symposium theologicum de Ecclesia Christi* », ut ab Universitate Lateranensi anno 1962 editum, auctores asserere ausi sint (pp. 110-111): « Potestas iurisdictionis *radicaliter sacro ritu confertur* ac de facto plura per saecula etiam formaliter hoc modo collata est... Missio

autem canonica, quae dicitur iurisdictionem transmittere, *non creat potestatem,* sed potius subiectos designat ».

De *collegialitate,* in duas tantum difficultates explanandas insistam.

A) Prima existimanda est quasi metaphysica; in eo consistit quod incapaces sumus mente comprehendere duplex subiectum unius plenae ac supremae in Ecclesia potestatis. Ad quam difficultatem solvendam, duo sunt notanda. Et *primum, Ecclesiam mysterium esse,* ideoque non esse intelligendam sapientia huius mundi, nec ratione, vel rerum humanarum scientia, sed lumine fidei et talem contemplandam qualem Christus esse voluit. Eius supernaturalis indoles, qua fit omnino sui generis, impedit quominus eius instituta nos adaequate definiamus, dum illis verbis utamur quae solent usurpari ad describenda instituta mere humana; necesse quidem nobis est verbis uti, at ea sensu analogico, non vero univoco usurpare.

Collegialitas in Ecclesia modo utique singulari invenitur, cum non adaequate distinguantur duo auctoritates plenae ac supremae. Idem enim ac unus Petri successor simul et suprema potestate personaliter gaudet, et insimul ita caput est collegii episcopalis ut, sine capitis consensu, membra incapaces iaceant quidquam christifidelibus praescribendi.

B) Secundo, anxietas quidem nasci possit, si quando collegium describatur a Papa distinctum et ei adversans, dum e contra ipse sit caput collegii, unumque sit cum eo. De quibus insuper rebus schema clarius loqui non potuit, cum plus quam vicies successive repetit, *nullum sine Papa collegium possibile esse,* Papam independenter a collegio omnia posse, episcopos nihil sine Papa collegialiter posse.

Mihi videtur tanta luce anxietates dispulsum iri.

Altera tamen difficultas animo occurrit, quae quidem magis *circa praxim versatur.* Fingunt enim Pontificem Romanum, quidquid sit de doctrina, liberum non fore in primatu exercendo, si adversaretur collegio diversa sentiente ac optante. Timor ille hauritur ex falsa ratione collegialitatis. Iterum atque iterum dicendum, non ita esse Ecclesiae instituta sicut terrestrium rerum publicarum instituta. In rebus publicis, collegium virorum deputatorum seu legatorum sic rebus se immiscet, ut maior eorum pars voluntatem suam praesidi imponat. In Ecclesia autem, *Collegium nihil sine suo capite valet*; ipsa temperatio, seu organizatio collegialitatis a Papa pendet, et nisi secundum eius decreta vigere potest. Arcte unitum cum suo capite, collegium Ecclesiam universam docere et regere potest; sine vero suo capite, immo, ipsi capiti oppositum, non iam existit. Theoria sic dicta « Conciliarismi » nullo modo convenire potest cum authentica Ecclesiae constitutione, qualem Christus statuit.

Sic intellecta, *collegialitas* non solum nullos terminos *auctoritati Pontificis Romani imponit,* nec ei adversatur, sed etiam *novum splendorem affert.* Eo plenius faciet plenum exercitium propriae potestatis, quo plenius collegii membra, ex conscientia suae praestationis erga universam Ecclesiam, ad Romani Pontificis proposita se adiungent, promptioresque erunt ad sacrificandum bono universae Ecclesiae bonum suae particularis ecclesiae.

Schematis textus hanc authenticam collegialitatis rationem tam luculenter exponit, ut securos in eodem sensu eademque sententia convenire nos liceat, mea quidem opinione. Et eo magis quo nunquam in decursu ecclesiasticae historiae tam pulchra unitas episcoporum in orbe cum Romano Pontifice, aspicientibus ac plaudentibus hominibus, apparuit.

* * *

Cum nova causa anxietatis ex *voto Commissionis Biblicae* nuper in aula nobis distributo oriri possit, a quodam ex peritis quaesivi ut observationes mihi de hac re faciat, quas libenter hic adiiciam.

A) Quoad *Institutionem Collegii apostolici* a Domino et quoad eius *perpetuitatem* ex eadem voluntate Domini usque ad consummationem saeculi, *constat ex Scriptura.*

E *sola* Scriptura vero non constat de *modo* et *forma* istius perpetuitatis (cf. schema, pag. 63, linn. 13-19; pag. 87, nota A; suffragatio 10ª).

B) Quoad « potestatem ligandi et solvendi », ex *Mt.* 16, 19, Petro collatam, et, ex *Mt.* 18, 18, Apostolis et eorum successoribus collatam (cf. schema, pag. 64, linn. 4-20; suffragatio 13ª, suffragatio 14ª), notandum est:

1. Responsum commissionis biblicae est *positivum quoad parallelismum.*

2. Cum e Scriptura *sola* non constet utrum haec potestas *suprema* sit *in universam Ecclesiam,* Commissio doctrinalis suppressit in schemate, pag. 64, lin. 15, particulam « enim », quae « videbatur introducere sequentia tamquam demonstrationem completam ».

3. Eadem Commissio doctrinalis statuit ut, ex aliis textibus biblicis, adderetur *Mt.* 28, 16-20 (Missio undecim Apostolorum).

4. De cetero, cum doctrina catholica non fundetur in Scriptura *sola* sed in *Scriptura in Traditione viventi Ecclesiae,* eadem Commissio doctrinalis statuit ut, praeter textus biblicos alibi allegatos, *testimonia Traditionis* in memoriam revocentur quae iam in Relatione leguntur:

a) Imprimis *Concilium Vaticanum I*: in Prologo constitutionis *Pastor Aeternus* (Denz. 3053); in Relatione *officialiter* facta de hac constitutione; in Relatione a Zinelli facta (haec omnia vide in schemate, pag. 91, nota Q).

b) Deinde testimonia antiquarum *Liturgiarum* et *Patrum* (cf. in schemate, pag. 82, nota K).

c) Denique testimonia *Summorum Pontificum,* e quibus Coelestinus, Leo Magnus, Felix, Gelasius, etc. (cf. in schemate, pag. 89, nota G, et J. Lecuyer, *Etudes sur la collégialité épiscopale,* Lyon 1964).

d) Insuper iuvat notare doctrinam continuam, a Concilio Tridentino usque ad Concilium Vaticanum I, *theologorum Curiae romanae* (e. g. Christianopoulo, Bolgeni, etc.) (cf. G. Alberigo, *Lo sviluppo della dottrina sul potere universale nella Chiesa,* Romae 1964).

Plusieurs auteurs croient depuis quelque temps pouvoir critiquer la doctrine de la collégialité épiscopale exposée dans le schéma *de Ecclesia,* comme s'il s'agissait d'une thèse nouvelle qui ne serait pas en harmonie avec la doctrine de la hiérarchie qui est celle de l'Eglise catholique depuis les origines.

Ils veulent y voir une doctrine incertaine, non parfaitement établie, et sur laquelle par conséquent le Concile devrait s'abstenir de prendre position. En fait, cette opposition, établie au nom d'objections soit-disant tirées de la Tradition et du droit de l'Eglise, ne conduit à rien moins qu'à vider le contenu du schéma *de Ecclesia* de sa substance théologique même.

Ces auteurs contestent en particulier les quatre points suivants:

1. Que les pouvoirs (munera) de sanctification, d'enseignement et de pastoration que les évêques exercent dans l'Eglise puissent être conférés dans l'acte de

la consécration épiscopale (sic D. STAFFA, *Divinitas,* 1964, p. 45 à 61; R. DULAC, *La pensée catholique,* 1964, n. 91, p. 9).

2. Que la notion de Collège épiscopal, telle que la comprennent — selon une terminologie qui cherche encore à se préciser — les théologiens contemporains, soit *homogène* à la notion — supposée très imprécise, mystique et morale — de *collegium* qu'on trouve évoquée chez les Pères de l'Eglise, dans les textes liturgiques et dans les documents, même récents, du Magistère.

3. Que l'autorité des évêques puisse s'exercer dans l'Eglise, selon les dispositions réglées par le droit ecclésiastique et par le Souverain Pontife, de par sa nature même, comme un pouvoir *propre.*

4. Que les évêques puissent avoir, dans l'exercice même de leur charge pastorale dans leur diocèse, une responsabilité à l'égard de *l'Eglise universelle.*

Aux arguments invoqués par ces auteurs on peut répondre ceci:

1. *Sur la nature des pouvoirs épiscopaux.* Ils *opposent* sans cesse à la *doctrine* des pouvoirs (munera) conférés par le sacrement la *thèse* de la « dérivation » de la juridiction épiscopale à partir de celle du Souverain Pontife. Mais ces affirmations ne sont pas de même ordre. Affirmer que les pouvoirs épiscopaux sont conférés dans le sacrement n'oblige nullement à prendre parti sur les thèses relatives à l'*origine* et au *mode de communication* de la iuridiction. Le schéma *de Ecclesia* s'abstient, tout comme Vatican I, de trancher sur ce second point. Le schéma *de Ecclesia* traite de la *constitution* de l'Eglise; il ne décide pas des formes historiques diverses de son *régime.*

Les auteurs cités avancent (cf. Mgr STAFFA, *art. cit.,* p. 31) qu'aucun Souverain Pontife n'a, au cours des derniers siècles, enseigné que les pouvoirs épiscopaux sont conférés dans la consécration. On pourrait opposer d'abord à cette objection le simple fait de la liturgie romaine de la consécration épiscopale, ainsi que l'ensemble imposant des liturgies orientales. On peut répondre que les Souverains Pontifes ne traitent pas toujours de tous les points de la doctrine catholique. Mais en outre une telle affirmation est abusive, si l'on songe à tous les textes des Souverains Pontifes rappelant le devoir missionnaire des évêques, qui ne peut se fonder que sur leur ordination.

On est allé jusqu'à s'appuyer expressément sur cette opposition instaurée entre la doctrine traditionnelle, qui est celle du schéma et une thèse relative à la juridiction, pour rejeter la doctrine du droit divin de l'épiscopat, et pour voir même dans celle-ci une menace de limitation des pouvoirs du Souverain Pontife (cfr. Mgr STAFFA, *art. cit.,* p. 20). C'est une théorie bien étrange que celle qui, sous couvert de soucis juridiques, prétend ériger ainsi les pouvoirs épiscopaux en face de ceux du successeur de Pierre. Le Collège dont il est question dans le schéma, c'est toujours le collège avec sa tête, uni à sa tête, tel qu'il a été institué par le Seigneur: 1) Quand le Seigneur a envoyé ses douze apôtres prêcher et enseigner toutes les nations, il les a envoyés ensemble, et l'Esprit qui leur a été donné les a unis pour toujours dans une même communion. 2) Lorsque le chef du Collège règle l'exercice des pouvoirs de ses collègues, ceux-ci y reconnaissent l'exercice d'un pouvoir propre et suprême, établi par le Seigneur, contre lequel le leur, si suprême soit-il également, ne saurait entrer en conflit. De sorte qu'il n'y a pas dans l'Eglise deux pouvoirs suprêmes mais un seul, un pouvoir apostolique, établi par le Christ, dont le Souverain Pontife a la direction. Si l'on hésitait à être net sur ce point du droit divin des pouvoirs épiscopaux, Vatican II

serait en recul par rapport à Vatican I, qui ne mettait pas ce point en question (comme le montrent les déclarations de Mgr Zinelli, rapporteur de la D. F.) et se proposait de le définir.

2. *Sur la notion de Collegium des Pères de l'Eglise.* Il est vrai, certes, que les Pères n'ont pas donné à la notion de *collegium* des précisions que, sous l'action de l'Esprit Saint, elle reçoit en cette période contemporaine de l'Eglise. Mais, si l'on considère la vie de l'Eglise, la réalité de ce Collège apparaît dès les origines avec une grande vigueur. C'était une donnée vécue plus que professée.

Si l'on voulait comparer la notion antique et la notion moderne du Collège, on pourrait dire ceci: le Collège des évêques, pour les Pères, c'était essentiellement l'*ordo* dans lequel le nouvel élu entre par la consécration, et dont il acquiert les pouvoirs en prenant sa part de responsabilité et de service. Le Collège des évêques, au sens contemporain, apparaît plutôt comme constitué ontologiquement par l'*unité de la mission* donnée par le Christ à son Eglise et confiée dés l'origine au groupe des douze Apôtres. On s'est peut-être attaché à l'époque récente moins à l'*ordo* qu'à la permanence et à la transmission de la *mission* apostolique, moins à un service chrétien accompli dans l'Eglise à l'image et au nom du Christ qu'aux pouvoirs et au mandat ecclésiastiques reçus, moins en définitive à l'aspect mystérique et à la réalité de vie cachée de la hiérarchie qu'à son aspect temporel et à sa structure visible.

Ces différences poseront, certes, des problèmes aux théologiens et aux canonistes au lendemain du Concile. Mais qui oserait prétendre qu'il n'y a pas homogénéité entre l'une et l'autre notion de collège et de hiérarchie? Qui oserait soutenir qu'il puisse s'agir ici et là de deux réalités différentes? S'il est vrai que la conception actuelle pèche encore par défaut de précision, c'est plutôt par un insuffisant ressourcement dans la doctrine la plus traditionnelle. On peut penser que les Eglises d'Orient, par la providence de Dieu activement présentes au Concile au moment s'élabore la doctrine de la collégialité épiscopale, peuvent encore apporter beaucoup pour la maturation et l'élaboration de ces données, par le rappel vivant qu'elles constituent de la doctrine de l'Eglise des Pères.

3. *Sur l'exercice de l'autorité épiscopale.* Certains auteurs en sont venus jusqu'à contester la doctrine théologique des pouvoirs, traditionnelle depuis le Moyen-Age, chez S. Thomas en particulier, et qui a toujours été en harmonie avec la pratique de l'Eglise.

Selon cette théologie traditionnelle, les pouvoirs ministériels sont une réalité ontologique, spirituelle; ils sont conférés par la réception d'un *ordre,* dont la juridiction règle l'*exercice* et détermine l'application en tout point où celle-ci n'est pas déterminée par la nature même des choses. Cette distinction entre les pouvoirs conférés par la consécration ou par l'ordination et l'usage de ces pouvoirs (cf. S. THOMAS, *in IV Sent.,* d. 19, Q. 1, a. 3, sol. 1) est en étroite relation avec le problème de la collégialité épiscopale.[1] Cela est clair chez S. Thomas qui

---

[1] Cf. J. LÉCUYER, *Etudes sur la Collégialité épiscopale,* Lyon 1964, chapitre 4. Cette distinction est tout-à-fait classique en théologie, et le reste toujours dans la période qui va du Concile de Trente au Premier Concile du Vatican, comme l'a montré récemment le Professeur Giuseppe Alberigo, *Lo sviluppo della dottrina sui poteri nella chiesa universale,* Herder 1964.

Pour le Concile de Trente lui-même, les textes sont innombrables où les Pères ont affirmé que les évêques reçoivent dans leur consécration leurs pouvoirs « ad regendas animas », « ad regendam ecclesiam Dei »; ainsi parlent de nombreux évêques cités pp. 40-41; 43; 46, etc.

explique comment certains pouvoirs spirituels demeurent même dans l'Eglise schismatique, en s'appuyant sur ces lignes attribuées à S. Cyprien: « Qui nec unitatem spiritus nec conventionis pacem observat, et se ab Ecclesiae vinculo atque a *sacerdotum collegio* separat, nec *episcopi* potestatem habere potest nec honorem » (*Summa,* III, q. 39, a. 4, sed Contr. et corp.).

Selon cette théologie classique, affirmer que le pouvoir des évêques s'exerce selon sa nature comme un pouvoir *propre* n'empêche nullement — et telle est la disposition traditionnelle du droit — qu'il puisse être *limité* — non seulement dans son application, mais quant aux conditions mêmes de son exercice ou relativement à certains cas réservés. Ces différentes conditions sont venues constituer tous les éléments de la notion de juridiction (sur l'histoire de cette notion au Moyen-Age, cf. M. VAN DE KERCKHOVE, *La notion juridique chez les Décrétistes et les premiers Décrétalistes,* dans *Etudes Franciscaines,* 49, 1937, pp. 420-435).

Cette théologie médiévale des pouvoirs est demeurée classique en Occident jusqu'au XIX siècle. Mais à cette époque, une nouvelle école, formée surtout aux disciplines des juristes, et dévelopée dans le cadre d'une ecclésiologie de l'Eglise comme *societas* plutôt que comme *communio,* a élaboré une conception des pouvoirs ministériels basée sur une analogie stricte avec les pouvoirs de gouvernement d'une société quelconque. Cette conception trop extrinséciste et profane entraîne une perte grave de la perspective mystérique, ontologique des pouvoirs qui fondait la théologie traditionnelle. Le Concile de Vatican II, en retournant à des données plus classiques, et en n'urgeant pas sur des catégories exagérément juridiques et profanes, manifeste le souci de la tradition dans la vie de l'Eglise.

4. *Sur la responsabilité des Evêques à l'égard de l'Eglise universelle.* Pour les auteurs opposés à l'idée collégiale, un collège épiscopal conscient de sa responsabilité dans l'Eglise pourrait devenir une menace envers les pouvoirs du Souverain Pontife et constituerait un retour de flamme du gallicanisme (cf. H. LATTANZI, dans *Divinitas,* 1964, pp. 62-96).

Ils ajoutent toutefois que cette « potestas » est « subordinata tamen ad summum monarchum pontificem maximum »: celui-ci, expliquent-ils, « confert materiam », ce qui correspond exactement à la conception de la juridiction que nous trouvons chez S. Thomas. Ainsi par exemple, l'évêque de Montemarano: « Aliunde esse ius, aliud usum iuris; ius igitur in hoc casu est potestas faciendi, quae a Christo est, usus autem iuris est a summo Pontifice... qui neque potentiam in habitu, neque in actu episcopis dat, sed aliquid facit, per quod potentia in actu sequitur... Episcopis itaque pontifex dat tantum materiam, non autem potestatem, et si materia aufertur, uti auferre potest, remanet potestas » (*ibid.,* p. 41).

Cette terminologie se retrouve dans un très grand nombre d'auteurs; il est même remarquable que ce sont souvent les plus ardents défenseurs du pouvoir du Pape qui sont aussi les défenseurs d'un certain pouvoir de juridiction conféré aux évêques par leur consécration elle-même: ainsi l'évêque de Vérone, Girolamo Trevisan (cité p. 48), le légat du Pape Seripando (p. 51) etc.

D'autres, dont par exemple l'évêque de Nicastre, G. A. Facchinetti, qui sera plus tard Innocent IX, affirment que par la consécration tout évêque contracte un lien matrimonial avec l'Eglise universelle, lien que le Pape lui-même ne saurait briser. Cette doctrine était, selon l'affirmation du même prélat, celle de nombreux canonistes du 13e au 15e siècle, celle en particulier de Enrico di Susa, bien connu sous le nom de l'*Ostiensis* (p. 61 ss., *ibid.*).

En fait, la position prise par Laynez, qui réserve à la consécration épiscopale uniquement la collation des pouvoirs concernant l'administration des sacrements, est loin d'être conforme à la plus authentique tradition (*ibid.,* p. 75 ss.): la majorité *romaine* au Concile de Trente ne partage pas cette opinion, qui demeure en fait très isolée. On remarquera à ce sujet les déclarations de Gabriele Paleotti, auditeur de la Rote, l'un des représentants officiels de la

Cependant, c'est bien une doctrine traditionnelle [2] que la consécration donne à tout évêque un certain nombre de pouvoirs sur l'Eglise universelle (l'usage de ces pouvoirs demeurant toujours sous l'autorité du Pape). C'est en effet sur cette base qu'on a considéré comme obligatoire la convocation des évêques titulaires au Concile de Trente (cf. G. ALBERIGO, *op. cit.,* ch. 2, p. 103 à 178); cette conviction sera également celle de Benoît XIV (*ibid.,* p. 177, note 149). Cette doctrine se manifeste plus encore dans l'autorité reconnue par l'Eglise aux conciles tant œcuméniques que provinciaux ou régionaux.

On peut donc penser que la doctrine de la collégialité épiscopale élaborée par Vatican II, loin de s'opposer à celle des Pères, est en harmonie avec la doctrine la plus profonde et la plus traditionnelle de l'Eglise catholique.

4

EM.MUS P. D. CLEMENS CARD. MICARA
Episcopus Suburbicarius Veliternus

In schemate *de Ecclesia* propositiones extant perattento examini subiiciendae, quippe quae graves gignant anxietates, circa praesertim Romani Pontificis primatum, tanta omnium catholicae Ecclesiae filiorum dilectione munitum. Contra enim huius doctrinae, a Concilio Oecumenico Vaticano I assertae, firmitatem nihil cuiquam catholico audere fas est.

Ad primatum Romani Pontificis quod attinet eiusdemque cum episcoporum collegio coniunctionem, cura et sollicitudo quam maxima impendenda est ut solidissima petra, quam Christus posuit ut fundamentum Ecclesiae nullimode findatur semperque omnium, praesertim Pastorum, menti illud insideat: « si in

---

Curie Romaine au Concile (*ibid.,* p. 77 et 85). Et le Pape Pie IV lui-même, comme nous le fait savoir une lettre du Card. Amulio au Card. Seripando, rejette la position de Laynez (pp. 95-101).

[2] Au XVIII siècle il faut citer les travaux très importants de Martin Albert von Hornau, dont la thèse fondamentale est exprimée en ces termes ... « ... episcopi collegium apostolorum repraesentant, non excluso Petro sed ei indissolubiliter coniuncto collegio episcoporum, quod succedit collegio apostolorum » (p. 238).

« Quae ergo singulariter accepit Petrus in ecclesiae regimine munia, ea in successores transmisit, haud minus ac collegiî apostolici praerogativae in episcoporum collegium sunt derivatae, quae nimirum ordinario iure gubernandae ecclesiae sunt necessaria » (p. 242).

Il faut citer encore les écrits du Dominicain Christianopoulo, au couvent de la Minerve, qui vont dans le même sens: « Essendo di tutti esse insieme composto il corpo episcopale, ognuno di loro ha parte nella giurisdizione universale da Gesù Cristo istituita sulla sua Chiesa, ma vi ha parte non da sè, bensì nel complesso di tutto il Corpo, *a singulis pars tenetur,* secondo l'espressione di S. Cipriano » (p. 278).

Même Ballerini, tout préoccupé de défendre la primauté pontificale, soutient que les pouvoirs des évêques au Concile viennent directement du Christ (p. 298 ss.). Il faut en dire autant de nombreux autres théologiens romains, et spécialement de Bolgoni, dont l'œuvre est bien connue; pour ce dernier, les évêques reçoivent dans leur consécration un pouvoir universel sur toute l'église, pouvoir qui leur est donné « non divisamente considerati », mais en tant qu'ils forment « il corpo episcopale con pontefice romano alla testa succedente al collegio apostolico » (pp. 340-341).

Les polémiques qui précédèrent le premier Concile du Vatican ne réussirent pas à diminuer cette conviction traditionnelle. C'est ainsi que le canoniste vénitien Giovanni Politi considère comme hérétique ceux qui nient qu'un certain pouvoir sur l'Eglise universelle soit

Christi Ecclesia Petri munus pastorale summum, efficax, decretorium deesset, unitas dissolveretur ... atque " tot in Ecclesia efficerentur schismata quot sacerdotes " S. Hieron. » (PAULUS VI, Enc. *Ecclesiam suam*).

Propositiones, quas male sonantes reputamus, episcoporum iurisdictionis potestatem a consecratione repetunt eorumdemque episcoporum ordinem in collegium, iure divino, constitutum affirmant unde collegium istud tamquam subiectum potestatis supremae, plenae et universalis, etsi dependenter a Summo Pontifice exercendum, agnoscunt.

Ut propositiones huiusmodi in constitutione vel in documento conciliari recipi possint, doctrinam, quam propugnant, certam atque tutam esse omnino oportet. Hanc autem certitudinem controversae propositiones nactae minime videntur, etsi quis contrarias opiniones certas fateri nolit.

Ceterum, his adfirmationibus admissis, consectaria profluunt, in doctrina et in praxi, quae gravissima videntur, Ecclesiam Romanique Pontificis primatum attingentia.

Summus enim Pontifex, si, iure divino, in supremo imperio seu primatu exercendo episcoporum collegio sociatur, videtur valide agere non posse nisi per idem collegium.

Profecto liquet schematis redactores curam adhibuisse ad formidolosa haec consectaria propulsanda, at eorum ipsa sedulitas vim naturamque periculosam comprobat, recepto principio inhaerentem et permanentem, cum constet deductiones, principiis positis, arceri non posse.

Expedire etiam censeam ut illud animadvertatur, si episcopi, per episcopalem consecrationem, totam iurisdictionis potestatem assequerentur, inde inferendum esset episcopos quoque schismaticos utramque ordinis et iurisdictionis potestatem valide exercere.

Vota igitur proferri liceat, in Ecclesiam et in supremum Pastorem amore flagrantia, ut quaelibet conciliaris definitio vel officialis affirmatio a controversis et immaturis quaestionibus sedulo abstineat. Quam regulam Concilium sive Tridentinum, sive Vaticanum I servavit.

Nam affirmatio, in documentis officialibus admissa, videri possit tamquam auctoritativam mentem prae se ferens, magis ergo opiniones et ideas perturbatura.

Circa peculiaria, ea quae sequentur nitidius exprimi optandum est.

N. 40, pag. 140, linn. 29-30, ita aliquis accipere possit quasi quicumque fidelis ad heroicam sanctitatem vocetur.

Verum quidem est quemlibet eam sanctitatem assequi debere, ad quam Spiritus Sanctus eum vocaverit pariterque de omnibus vitae conditionibus quosdam ad sanctitatem quoque heroicam vocari. At, cum Deus gratias suas inaequaliter

---

conféré par la consécration, tout en maintenant que l'exercice de ce pouvoir dépend évidemment du pape (p. 355 s.). Mauro Capellari qui deviendra le Pape Grégoire XVI écrit: « (La giurisdizione) universale vien ai vescovi comunicata immediatamente da Dio ma non basta per l'attuale governo, e l'altra viene loro comunicata dalla chiesa per mezzo del Papa suo capo » (p. 364).

Les textes du Concile du Vatican I sont bien connus, spécialement ceux des Relatores de la Commission de la Foi. Il est inutile de les citer ici, mais il faut souligner combien ces déclarations supposaient que cet enseignement était bien traditionnel: « in episcopis coniunctim cum suo capite supremam inesse et plenam ecclesiasticam potestatem in fideles omnes » (ZINELLI, MANSI 52, 1109 C).

partiatur, non videtur certo dici posse quemlibet ad heroicam sanctitatem vocatum. In hoc prior textus praeferendus videtur.

N. 48, pag. 181: opportune memoratur Dei iudicium atque citatur *2 Cor.* 5, 10, sed negligitur possibilis aeterna damnatio.

Iamvero constat multos christianos de aeterna damnatione dubitare (quam cum Dei misericordia conciliari non posse iudicant); immo vel quidam theologi, clarae etiam notae, etsi postremi iudicii veritatem fateantur, censent argumentum biblicum de « morte secunda » intelligi posse veluti damnatorum in nihilum exstinctionem sine dolore.

Praestat igitur ut iterum affirmetur catholicum dogma de inferno, quo quilibet, si meruerit, prolabi possit.

5

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Summa animadversionum in cap. III « De constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de episcopatu ».

1. Quod sub n. 20 asseritur: « ita munus apostolorum *pascendi Ecclesiam* permanere in episcopis, sicut munus singulariter Petro a Domino concessum permanet in successoribus eius » gravissima et valde periculosa ambiguitate laborat, quae verbis « pascendi Ecclesiam » non aufertur.

2. N. 21. Episcopali consecratione conferri etiam *munus regendi,* cuius tantummodo exercitium, sicut muneris sanctificandi et docendi, pendeat ex communione cum collegii capite et membris, firmis et non controversis argumentis demonstrari non potest, ac insuper gravibus difficultatibus ansam praebere potest.

3. N. 22 (cf. n. 25). « Exerceri posse ab episcopis in orbe terrarum degentibus potestatem, quae collegialis dicitur, eorumque — dum manent dispersi — deliberationes vel decreta vim habere (modo Summus Pontifex ea approbaverit vel libere receperit) summam sollicitudinem et timorem excitat quia Romani Pontificis primatus vix integer remaneret semper.

4. N. 24. Episcoporum missionem canonicam fieri posse « per legitimas consuetudines a suprema et universali potestate Ecclesiae non revocatas », est affirmatio saltem imperfecta.

5. N. 26. Episcopum in Eucharistiae celebratione posse Ecclesiae leges, « eius particulari iudicio ulterius pro dioecesi *determinare* » est concessio quae plus patet quam oportet.

6. N. 29. Diaconos matrimonio Ecclesiae nomine assistere posse, mihi non placet; sed multo magis repugno — et quantum possum — diaconatui (in ritu nostro) uxorato, quia dum hic nulla sacri apostolatus necessitate vere exigitur, facile vulnus inferret in legem ecclesiastici caelibatus qua, abhinc saecula multa, Ecclesia latina merito gloriatur.

6

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

N. 19, pag. 60, lin. 14. In textu affirmatur Dominum instituisse apostolos « ad modum conlegii ». Haec affirmatio est gratuita ob sequentes rationes:

a) non datur notio « conlegii » et ideo cum deficiat idea clara, idea non est assumenda. Si diversae notae quae ex Evangelio colliguntur, in unum redactae possent dare iuridica idea alicuius entis — quod certe est iuridicum —, antea necesse esset scire quidnam comportet vel supponat idea. Quod hic non fit;

b) quod affirmamus de Evangelio, valet etiam pro traditione;

c) solummodo paucos post annos sermo fit sensu pressiori et iuridico et quidem late de « conlegio ». Hoc non est sufficiens ad consensum gignendum, eo magis quia forsan hic aliquid artificiale prodit;

d) tota haec doctrina subordinari debet doctrinae « de Primatu Romani Pontificis » quae constat de fide definita credenda.

Quod sane est gratuitum nequit assumi in textu conciliari, eo magis quia graves fluerent consectaria. Idcirco ad summum dici potest in textu: « ad instar conlegii » et inde consectaria non sunt eruenda, cum agatur de re affirmata sensu omnino lato.

N. 21, pag. 62, linn. 38-41. Quod hic affirmatur, affirmari simpliciter nequit. Etenim:

a) praeter consecrationem episcopalem *semper* aliquid aliud requisitum est ut quis posset se gerere uti episcopus residentialis. Hoc vero non esset si iam omnia haberet a sola consecratione ut valide iure potiri posset;

b) plurimi sunt etiam nunc episcopi qui nullam per se valent iurisdictionem exercere et quidem merito; hoc non esset possibile si assertio vera esset;

c) consectaria huius affirmationis possunt esse progressu temporis gravia et molesta Ecclesiae;

d) res non gaudet communi consensu absolute.

N. 22, pag. 63, linn. 14-19. Affirmatur « conlegium apostolorum et episcoporum esse *statuente Domino* ». Hoc, sicut demonstratum est in superiori prima nota demonstrari nequit et si hoc affirmatur stricto sensu iuridico ut inde fluant consectaria, perperam dicitur. Non adest consensus ut hac via progredi possimus et res solummodo sensu lato accipi potest, servata consideratione Primatus Romani Pontificis.

Quia vero totus hic numerus omnia asserit ob illud « *statuente Domino* » optandum est ut hic numerus auferatur vel funditus recognoscatur.

N. 22, pag. 64 a lin. 4 usque ad finem. Sermo fit de « *alio* » (quoque) subiecto supremae iurisdictionis. Duo subiecta paria non dantur absolute in ecclesia et hoc certissimo modo ob veritatem Primatus Summi Pontificis. Ecclesia non est diarchia. Collegium non existeret sine Romano Pontifice, quo fit ut non Romanus Pontifex aliquid habeat a corpore episcoporum, sed ipsum corpus episcoporum aliquid habeat e contra a Romano Pontifice ita ut paritas non datur. Redit ergo conclusio superioris notae.

7

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ALDEGUNDE DORREGO
Archiepiscopus Tingitanus

Cap. IV. Subscribens humiliter proponit hanc emendationem ad n. 31, pp. 117-18, linn. 30 s., ubi de laicorum notione agitur: « Nomine laicorum hic intelleguntur omnes christifideles praeter membra ordinis sacri et status religiosi in Ecclesia sanciti, *homines* scil. qui baptismate Christo concorporati et de munere Christi sacerdotali, prophetico et regali suo modo participes facti, pro parte sua

missionem totius populi christiani in Ecclesia et in mundo exercent ». *Ratio*: vitantur repetitiones; brevitati consulitur, quin claritati noceatur.

Caput V. 1. Infrascriptus, respectu n. 39, lin. 14 (pag. 139), vocabulum « *haec* » eradendum esse existimat, ita quod res sic sonet: « ... sanctificatio vestra (*1 Thess*. 4, 3). *Ecclesiae autem*... ».

2. Insuper cuperet: *a*) Ut ordo totius materiae foret: sanctitatis notio, ex qua sensus quo Ecclesia eiusve membra sancta dicuntur et sunt, elucesceret; universorum ad sanctitatem vocatio (nn. 39-40); media seu via ad sanctitatem (nn. 42 et 43 usque ad lin. 17); necessitas sanctitatem prosequendi, sive in mundo, sive intra claustra (n. 41 et n. 47).

b) Elementa quaedam e cap. VI, e. g., potior pars n. 43 et n. 47, veniant ad cap. V; cetera vero cap. VI remittantur ad schema *de religiosis*.

Eorum *ratio*: *a*) Huc illucque sermo est de sanctitate aut de sanctificatione, quo sensu vero vocabula adhibeantur nullibi declaratur unde confusionis vel aequivocationis possibilitas. Caput, prout iacet, paraenesim magis quam conciliarem constitutionem redolet.

b) Status religiosi, quamvis de Ecclesia et in Ecclesia sint, non sunt de Ecclesiae structura; finem autem Ecclesiae et in mundo missionem et excolunt et significant. Bene igitur de *natura ecclesiologica* status religiosi in hoc schemate agatur, sed nihil amplius. Via regalis est ad perfectionem adquirendam, sed non unica; semper enim fuerunt, et adhuc sunt, in Ecclesia animae consiliis evangelicis privatim obstrictae atque individualiter vitam degentes quarum, licet religiosae non sint, oblivisci minime oportet. Igitur, hic agatur de perfectione ab omnibus prosequenda, sive intra sive extra claustra. Quae vero statum canonicum perfectionis respiciunt ad schema *de religiosis* transferantur.

Cap. VIII. Etsi magna cum sollertia commissio peritique in huius capitis reordinatione insudarent, nonnihil mihi observare liceat.

Primum: mihi ignoscite cum respectu totius capitis dixero: Non plene mihi placet, et hoc duplici causa:

A) Quia angustia mentis quadam doctrinam de Beata propositam existimo. Enimvero, bene nexum relationesque inter Deiparam et Ecclesiam describuntur, sed non eadem sedulitate docetur Dei genitricem Ecclesiae limites superfluere atque transcendere, Virginem Matrem esse omni ex parte intemeratam nec illius cooperatio ad hominum salutem nitidis enuntiationibus, prout fidelium sensus, Patres ac Magisterium exposcerent, haudquaquam proponitur. Certe, nonnullae dantur explicationes ab hoc vel illo relatore; ast, huiusmodi elucidationes, nisi in textu aliquo modo incorporentur, e futura Concilii constitutione eliminabuntur.

B) Altera ex parte, minus placet ob locum quo doctrina de Beata perhibetur; scil., ut cap. VIII schematis *de Ecclesia*. Parum interest ut bis ac iterum affirmetur caput hoc esse velut corona totius schematis, cum de facto doctrina de Beata non nisi per marginem ad Ecclesiae originem, structuram naturamve atque finalitatem pertineat. Ideo, velimus, nolimus, cap. hoc VIII apparebit velut appendix seu additamentum in constitutione *de Ecclesia*. Qui nexus, e. g., inter doctrinam super Ecclesiae naturam ac cultum Virgini Matri tribuendum?

Insuper, privilegia atque singularissimum Virginis salvificum munus oriuntur ex Maternitate Divina, a Deo praeordinata atque ex parte Deigenitricis deliberate exercita; non ab Ecclesia proveniunt, nec privilegia nec munus praedictum.

Extollatur igitur aspectus Mariologiae ecclesiologicus; nullatenus vero fiat cum minima talium praerogativarum obumbratione, quae tantummodo in Mariologia christocentrica vitantur omnino. Indubitanter, ubi Christus ibi Maria; cuius dignitas et honor incolumes permanent ubi theandrico in ordine contemplantur. Quis dubitat quod, divina Maternitate posita, confiteri teneamur Omnipotentiae ac divinae Sapientiae opus in Virgine Matre perfectum cuncta hominis eloquentia illud praedicante praevalere? Propterea, adhuc veritati respondet assertum: « de Maria nunquam satis ».

Ex dictis postulare audeo: exploratoria suffragatione diei 29 octobris elapsi anni 1963 minime impediente, doctrinam de Beata unum constituat schema; detractis tamen quae aspectum ecclesiologicum declarant; videlicet: quae n. 52, alinea secunda ac n. 54, alinea 5-6 continentur, et quae in schemate *de Ecclesia* cap. I, includere oportet.

Secundum. Casu quo praedicta non placerent, has propono emendationes. N. 52, alinea tertia, pag. 198, sic perficiatur: « Servantur itaque ... proponuntur *vel a magisterio docentur* de illa, quae... ». *Ratio* petitur ab intemerata Deiparae virginitate, quae in schemate per accidens solummodo tangitur cum, pag. 200, lin. 29, scribitur: « qui virginalem ... sacravit ». Quamplurimi docent Mariam Virginem alios post Christum filios peperisse? Non sunt qui perperam Virginis integritatem intelligunt? Alia ex parte, doctrina de perpetua Deigenitricis virginitate numerari potest inter « *quaestiones ... nondum ad plenam lucem perductas* »? quarum mentio fit loco citato pag. 198. Etiam, numquam difficultas intelligendi hoc vel illud Virginis privilegium ratio valida erit illud obumbrandi.

N. 54, pag. 202, linn. 22-24, scribatur: « Redemptore *prae aliis* fuerit humilis ancilla Domini et *singularis* generosa socia ». *Ratio* est ut verba *prae aliis* respiciant *ancilla* atque *socia.*

N. 54, pag. 202, lin. 29, ita enuntietur: « aeternae salutis *mediisque* nobis conciliandis ». *Ratio*: ut clarius appareat verbum *donis* medii indolem habere.

N. 54, pag. 203, linn. 5-6, loco « condecorari consuevit » scribatur simpliciter « *condecoratur* ».

N. 55, pag. 205, lin. 4 dicere deberet: « Qui quidem cultus, *plerumque hyperduliae dictus,* prout in Ecclesia... ». *Ratio*: simili locutione orientales non offendi existimo et ab historia minime receditur.

N. 55, pag. 206, lin. 6, ibi dicta compleantur sequenti modo: « ...fratres seiunctos *aliosque* in errorem... ». *Ratio*: dantur expressiones atque ritus, praesertim in sanctuariis, quae rectam doctrinae intelligentiam apud ipsos catholicos pervertere valent.

8

EXC.MUS P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Haec oratio unice intendit aliquam lucem afferre super iam disputata, qua possint excludi dubia *de sensu determinato* quem praebere debent sive sacramentalitas sive collegialitas episcopatus. Maxime enim interest ut haec quasi unanimiter a Concilio doceatur.

De sacramentalitate unicum dubium mihi videtur permanere scil. de sensu determinato quem habent haec verba: « Episcopalis consecratio cum munere sanc-

tificandi, munera quoque confert docendi et *regendi* ». Hoc dubium mihi videtur oriri ex eo quod non sufficienter forsan hucusque distinxerimus inter *munus regendi* et *ipsam iurisdictionem*. Munus regendi de quo textus noster agit est *potestas sacra* quae immediate in episcopum per consecrationem a Deo venit. Iurisdictio autem est *potestas quae a iure originem habet,* ut dicitur sub fine n. 24, quando agitur de missione canonica.

Haec iurisdictio potest praecedere ipsam consecrationem, ut omnes norunt, sed electus debet recipere consecrationem episcopalem.

Item, haec iurisdictio, secundum opiniones theologorum, sive mediante Romano Pontifice sive immediate a Christo in episcopum venit. Concilium liberas relinquit istas quaestiones. Sed simpliciter affirmat de muneribus in consecratione receptis, quod « natura sua » nonnisi in communione cum collegii capite et membris exerceri possunt.

De collegialitate autem *duo dubia* specialius remanent. Primum quidem quasi ordinis metaphysici est, scil. de impossibilitate concipiendi duplex subiectum supremae et plenae potestatis in Ecclesia. Ad tollendum hoc dubium, duo notanda sunt. Primo quidem Ecclesia est mysterium et non debet assimilari societatibus huius mundi. Debemus eam accipere in fide, qualis a Christo constituta est. Secundo autem, esset contradictio in terminis, si darentur duo subiecta adaequate distincta; sed in casu nostro non habetur talis distinctio. Idem enim successor Petri gaudet personaliter potestate suprema et est caput collegii episcoporum, ita ut nihil a collegio qua tali possit vere christifidelibus imponi, quod sine consensu capitis sui eis imponeretur. Ita via aperitur ad secundum dubium tollendum.

Hoc secundum dubium magis ad praxim spectat. Quidquid sit de ipsa doctrina, in praxi, Romanus Pontifex non erit liber in primatu exercendo si coram se habet collegium episcoporum aliter sentiens. Hoc dubium autem fundatur in erroneo sensu collegialitatis. Nullo modo etenim debemus Ecclesiam concipere tamquam similem regnis huius mundi. In societatibus quidem terrenis collegium deputatorum seu delegatorum ita intervenit ut, numero maiore votorum imponat capiti voluntatem suam. In Ecclesia autem collegium nullum est sine capite suo. Una cum capite suo potest quidem collegium docere et regere universam Ecclesiam, sed sine capite aut in oppositione cum capite neque exsistit collegium. Theoria dicta « conciliarismi » nullum habet sensum in Ecclesia, qualis a Christo condita est. Non solum ergo collegialitas non opponitur potestati Romani Pontificis, sed etiam huic auctoritati quasi novum splendorem affert. Noster autem textus innumeris locis hanc genuinam notitiam collegialitatis nobis clare affirmat. Unde possumus omnes in eandem sententiam convenire. Plurimi autem notaverunt quod nunquam in historia Ecclesiae magis apparuerit quam hodie unitas episcoporum cum Romano Pontifice.

9

Exc.mus P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mondoniensis-Ferrolensis

Cap. I. *De Ecclesiae mysterio. Placet iuxta modum. Modi,* quos propono ut introducantur, sunt sequentes.

Pag. 8, linn. 32-33, legitur: « ... omnia traham ad meipsum (*Io.* 12, 33). Quoties sacrificium... ». Propono ut mutetur hoc modo: « ... omnia traham ad

meipsum (*Io.* 12, 33). *Neque tamen nos reliquit orphanos* (cf. *Io.* 14, 18). Quoties enim sacrificium... ». *Ratio additionis haec est*: quia oportet ut appareat, Christum ipsum sua propria virtute, etiam si invisibiliter, revera tamen principaliter agere per ministros suos in Ecclesia; ad praeveniendam difficultatem qua obiicitur, catholicos Ecclesiam exhibere ut substitutricem Christi absentis et locum eius plane tenentem in terris, cum contra Ecclesia revera tantum ministerialiter cooperetur auctoritati et actioni principali ipsius Christi, praesentis ergo semper sua virtute in Ecclesia (*Mt.* 28, 20).

Pag. 10, linn. 20-21, legitur: « constitutus apparuit (cf. *Act.* 2, 36; *Hebr.* 5, 6; 7, 17-21) atque Spiritum a Patre promissum in discipulos suos effudit (cf. *Act.* 2, 33) ». Opto ut mutetur hoc modo: « constitutus apparuit (cf. *Act.* 2, 36; *Hebr.* 5, 6; 7, 17-21), *mansurum se cum suis fidelibus usque ad consummationem saeculi pollicitus est* (cf. *Mt.* 28, 20), atque spiritum a Patre promissum in discipulos suos effudit » (cf. *Io.* 14, 16. 26; *Act.* 2, 33) ». *Ratio additionis*: haec est, quam iam in praecedenti *modo* indicavi, quia sic explicite excluditur obiectio eorum qui dicunt, secundum doctrinam catholicam, Ecclesiam esse simpliciter *succedaneam* Christi absentis et e caelo respicientis eam et pro ea orantis, cum verissimum sit Ecclesiam esse essentialiter adiutricem et ministram Christi, sua virtute in ea indesinenter agentis.

Pag. 10, linn. 40-41. *Tollantur haec duae lineae. Ratio* est, quia imago *ovilis* (*aulees*) ad designandum populum Dei, in tota Scriptura solum occurrit apud *Io.* 10, 1: « qui non intrat per ostium in *ovile* ovium » et *Io.* 10, 16: « et alias oves habeo quae non sunt ex hoc *ovili* ». Iam vero in his duobus locis *imago ovilis* designat *Synagogam,* et adhibetur ad corrigendos Pharisaeos, qui iuvenem a nativitate caecum a Christo sanatum, e *Synagoga* eiecerant, quia agnoverat Christum ut prophetam (*Io.* 9, 16-10, 6). Verba autem quae in 2^{a} parte versus 16 in *Vulgata* leguntur: « et fiet unum *ovile* et unus Pastor » (*Io.* 10-16) continet vocem *ovilis* dictam de Ecclesia; sed perperam, nam in textu originali graeco, iuxta unanimem transmissionem graecorum et latinorum, omnimoda certitudine critica legitur: « et fiet *unus grex* (*mia poimne*) et unus Pastor ». Ergo vox ovile in *Io.* 10, 16 est mendum versionis *Vulgatae*; apud Patres graecos nullibi occurrit, apud latinos autem incipit apparere saec. v propter influxum *Vulgatae.* Igitur quamvis imagines « *gregis* » et « *pastoris* » saepissime in Scriptura Veteris et Novi Testamenti adhibeantur ad designandum populum electum et Christi Ecclesiam, tamen imago « *ovilis* » solummodo bis occurrit apud *Io.* 10, 1 et 16 et quidem ad designandam, non Ecclesiam, quae est *in mundo* velut in « *agro* » (*Mt.* 13, 38), sed Synagogam, in qua iudaei « custodiebantur conclusi in eam fidem quae revelanda erat « mundo per Ecclesiam » (cf. *Gal.* 3, 23). Conferantur exegetae et in specie M. J. LAGRANGE, *Evangile selon S. Jean*).

Pag. 11, linn. 20-27 legitur: « Saepius quoque Ecclesia dicitur aedificatio Dei (*1 Cor.* 3, 9). Dominus ipse se comparavit lapidi, quem reprobaverunt aedificantes, sed qui factus est in caput anguli (cits. Scrt.). Super illud fundamentum Ecclesia ab apostolis exstruitur (*1 Cor.* 3, 11) ab eoque firmitatem et cohaesionem accipit ». Opto ut *mutetur hoc modo*: « Saepius Ecclesia dicitur aedificatio Dei (*1 Cor.* 3, 9), quae super fundamentum *divinitus statutum* ab Apostolis exstruitur (cf. *1 Cor.* 3, 11). Dominus autem ipse se comparavit lapidi quem reprobaverunt aedificantes, sed qui factus est in caput anguli (*Mt.* 21, 42 par.; cf. *Act.* 4, 11; *1 Pt.* 2, 7; *Ps.* 117, 22), a quo tota exstructio firmitatem et cohaesionem accipit ».

Ratio mutationis: quia hoc modo accuratius retinetur sensus proprius locorum Scripturae, qui citantur; ac praesertim quia hoc modo non dirimitur disputatio exegetica circa interpretationem imaginis « *caput anguli* » (akrogoniaio). Nam etsi aliqui hanc imaginem intelligunt de parte *fundamenti*, alii vero illam interpretantur de *lapide summo angulari*, qui ponitur in suprema cuspidi arci, ex quo tota exstructio firmitatem obtinet; hoc magis consonum est voci graecae *akrogoniaio*.

Pag. 11, post lin. 41 et ante lin. 42, addatur *nova paragraphus*, in qua, post expositionem *imaginis Domus* in sensu *aedificationis* (linn. 20-41), explanetur *imago Domus* dicta de Ecclesia in sensu *familiae*. Nova paragraphus, si commissioni de doctrina placuerit, poterat esse sequens: Ecclesia autem in sacra Scriptura exhibetur etiam veluti *familia* Dei vivi (cf. *Rom.* 9, 26; *Eph.* 2, 19; *1 Tim.* 3, 5. 12. 15).[1] Etenim in Ecclesia omnes filii Dei sumus per fidem (*Gal.* 3, 26); renati nempe ex semine incorruptibili per verbum Dei, seu ex aqua et Spiritu Sancto (*1 Pt.* 1, 25; *Io.* 3, 5), vere ex Deo nati sumus, propter caritatem quam dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus (*Io.* 1, 12; *1 Io.* 3, 1). Si autem filii, et heredes sumus Dei, coheredes autem Christi, spem habentes liberari a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei (*Rom.* 8, 17. 21). In hac autem supernaturali Dei *familia* Moyses quidem fidelis erat tamquam famulus, Christus vero tamquam Filius in domo sua: quae domus sumus nos (*Hebr.* 3, 2-6); nam quoad Deus praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus (*Rom.* 8, 29). Quapropter merito ipse Iesus nos docuit orare dicens: Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in caelis (*Mt.* 6, 9); atque ideo etiam ipsa Ecclesia, ore sacerdotis hostiam immaculatam Deo offerens, pie deprecatur: « Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae *familiae tuae*, quaesumus, Domine, ut placatus accipias (Can. Missae).[2]

Pag. 15, lin. 38 legitur: « ad humilitatem et abnegationem etiam exemplo suo divulgandam ». Magis placeret *hoc modo*: « ad humilitatem et abnegationem etiam exemplo suo divulgandam, qua Christus totius Ecclesiae exemplar et Magister, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem » (*Phil.* 2, 8).

---

[1] In catechismo Conc. Tridentini, *De symbolo fidei*, art. 9, legimus: « Domus Ecclesia idcirco appellatur, quia est veluti *una familia*, quam unus Paterfamilias moderatur ».

S. Thomas, 4 d. 7, q. 2, a. 1, sed contra, docet: « Per characterem (baptismi) quasi adscribimur ad *familiam* Iesu Christi ».

Ex recentiore Magisterio Ecclesiae: Pius XI, Encycl. *Divini illius Magistri*, ait: « Ecclesia, inquimus, magna illa *Christi familia* » (D. 2217).

Pius XII in quodam Sermone: « Perperam, ait, secernitur Ecclesia iuridica ab Ecclesia caritatis: sed illa Ecclesia iure fundata, cuius caput Pontifex est, eadem est Ecclesia Christi, Ecclesia caritatis, universaque christianorum familia » (*A.A.S.*, 31, p. 250).

Ioannes XXIII, alloc. *Laetemur admodum*, dixit: « Iesus, Verbum Dei, ... in incarnationis mysterio factus est *primogenitus frater in nova familia hominum* ipsius sacrificio redimendorum. Quae *familia* est ipsa Ecclesia una, sancta, catholica, apostolica » (*A.A.S.*, 52, p. 293). Et iterum eandem ideam exposuit alloc. *In sollemniis* (*A.A.S.*, 52, p. 1007).

[2] Saepe in Liturgia Ecclesia appellatur *familia*. In oratione tridui sacri: « Respice quaesumus, Domine, super hanc *familiam tuam* ». Pariter in orationibus Dominicae Passionis, Dominicae I Quadrag., Fer. 3 post Dominicam I Quadrag., Fer. 2 post Dominicam 2 Quadrag., Sab. post eandem Dominicam 2, oratio super populum, etc. In Ordinatione Sacerdotum, in instructione ad ordinandos, Episcopus ait: « ... ut praedicatione atque exemplo aedificetis *domum*, id est *familiam Dei* ».

Ratio additionis: quia hoc modo exprimitur verum motivum ad Ecclesiae exemplum commendandum, iuxta illud S. Pauli: « imitatores mei estote, sicut ego Christi » (*1 Cor.* 4, 16; 11, 1; *Phil.* 3, 17; *1 Thess.* 1, 6).

Pag. 16, linn. 9-11 legitur: « Ecclesia... sancta simul et semper purificanda, poenitentiam et renovationem continuo prosequitur ». Opto ut mutetur hoc modo: « Ecclesia... sancta et ad homines semper purificandos disposita, poenitentiam et renovationem eorum continuo prosequitur ». *Ratio mutationis*: quia sic vitatur quaestio, valde disputata inter Ss. Patres et theologos. Nam aliqui omnino negant Ecclesiam posse dici peccatricem, alii vero hoc aliquo modo concedunt. S. Augustinus prius tenuit alteram ex his sententiis, posterius vero aliam. Mutatio quam proponimus magis consona est cum doctrina Pii XII *Mystici Corporis*, § 65 (*A.A.S.*, 35, p. 225). Haec autem communior sententia est Patrum et theologorum, qui Ecclesiam non habentem maculam aut rugam (*Eph.* 5, 27) interpretantur, non solum de Ecclesia caelesti, quod evidens est, sed etiam de Ecclesia peregrinanti.

10

Exc.mus P. D. ANTONIUS BAGNOLI
Episcopus Fesulanus

Quaedam hic adnotantur, quae forsan magni momenti non sunt, sed tamen humillime meliori peritorum iudicio subiiciuntur, ne quid negligatur quod ad perfectionem operis prodesse poterit.

Circa n. 3 cap. I. In lin. 28, pag. 8, dicitur regni exordium et incrementum « *iterum* » significari « tum sanguine et aqua etc. ».

Antea vero non de significatione actum erat, sed de regni inauguratione, de revelatione eius mysterii et de redemptione effecta. Quomodo ergo dici potest « *iterum* » relate ad significationem?

In linn. 33 ss., pag. 8, agitur de mysterio nostrae redemptionis quod exercetur per celebrationem sacrificii crucis in altari et de unione fidelium, quae repraesentatur et efficitur sacramento panis eucharistici. Quae veritates absque dubio hic locum habere debent; sed sic ut iacent, non videntur clare logice defluere ex iis quae praecedunt. Propter quod melius nexus curandus erit.

Circa n. 4 cap. I. In lin. 3, pag. 9, abolenda videntur verba « *die Pentecostes* » ne excludantur missiones Spiritus Sancti ante illam diem.

Nam Spiritus Sancti effusio Ecclesiam constituit et sanctificavit inde a morte Christi in cruce: apostoli autem Spiritum Sanctum acceperunt etiam in Paschate, Christo insufflante super eos et dicente: « Accipite Spiritum Sanctum etc. ».

Encyclica *Mystici Corporis* clare de effusione Spiritus Sancti in Ecclesiam ob Christi mortem alloquitur: « Quodsi morte sua, Salvator noster, plena atque integra verbi significatione, factus est Ecclesiae Caput, haud secus Ecclesia, per sanguinem eius, uberrima illa Spiritus communicatione ditata est, quae quidem inde a Filio hominis in suum dolorum patibulum elato, ibique glorificato, divinitus illustratur ».

In lin. 15, pag. 9, dicitur Spiritum habitare « in Ecclesia et in cordibus fidelium ». Melius forsan in textu priori, antea ponebantur *fideles* et postea *Ecclesia*: nam Ecclesia est congregatio fidelium. Dicatur ergo: « in cordibus fidelium et in Ecclesia ».

In lin. 25, pag. 9, substantivus « *Ecclesiam* » substituendus videtur cum suo pronomine, quia substantivus iam satis expressus fuit in praecedenti periodo.

Circa n. 5 cap. I, qui est novus texti emendati. De opportunitate inserendi imaginem regni non dubitatur: sed clare non patet opportunitas novum paragraphum conficiendi. Nam hic aliquid repetitur in n. 3 iam dictum: id quod adiungitur de missione Filii melius synthetice exponi poterat in eodem numero, dum imago Regni delineari poterat in n. 6 ubi de variis Ecclesiae imaginibus, et eodem stylo et brevitate.

Circa n. 6 cap. I. In lin. 32, pag. 10, verbum « *sicut* » innuere videtur schema antea tractasse de figuris in Veteri Testamento: quod verum non est.

In lin. 3, pag. 10, verbum « *nunc* » solummodo revelationi Novi Testamenti videtur applicari: sed e contra Ecclesiae natura nobis *nunc* innotescit etiam ex revelatione regni in Veteri Testamento.

In lin. 1, pag. 12. Forsan imago *sponsae* melius anteponenda esset imagini *matris*.

In linn. 17-18, pag. 12. Adverbium « *ubi* », si indicat caelum in prima propositione — nam ibi Christus est in dextera Dei sedens — quomodo postea, in secunda, locum indicare potest in quo Ecclesia vitam ducit absconditam cum Christo in Deo?

Circa n. 7 cap. I. In lin. 1, pag. 13, dicitur « Corpus Domini realiter participantes ad communionem cum eo ac inter nos elevamur ». Iam per baptismum ad communionem cum Christo et inter nos elevati sumus: per Eucharistiam vero maximam unionem cum Christo et inter nos adipiscimur.

In lin. 5, pag. 13, dicitur « omnes membra illius corporis efficimur ». Nisi nominetur Christus aegre intelligitur de quo corpore hic agatur.

Circa n. 8 cap. I. In lin. 27, pag. 15, opportune agitur de paupertate quasi de via per quam Ecclesia fructus salutis communicet: sed nisi haec enuntiatio aptis verbis praeparetur, clare non patebit nexus cum his quae praecedunt. Dici poterit Ecclesiam, ut societatem hominum, in mundo esse atque pro mundo, sed de mundo non esse: quapropter Christum ab ipsa esse imitandum in paupertate etc., vel aliud simile.

Circa n. 9 cap. II. In lin. 3, dicitur: « Placuit tamen Deo homines non singulatim salvare etc. ». Haec propositio, nisi apta verba praemittantur, videri potest in contradictione cum his quae praecedunt.

Circa n. 10 cap. II. In lin. 27, pag. 31, dicitur fideles suum commune sacerdotium exercere in sacramentis suscipiendis. Notandum hic esset fideles idem exercere etiam in matrimonii sacramento *ministrando*.

In lin. 29, pag. 31, « actuosa caritas » de qua agitur forsan etiam actionem apostolatus includit: opportunum tamen videretur de hac explicite mentionem facere veluti de praecellenti regalis sacerdotii exercitio.

Circa n. 12 cap. II. In lin. 4, pag. 34, forsan melius, ad vitandas aequivocationes, dicendum *dona* quam *charismata*.

In lin. 11, pag. 34, adversativa *sed* non bene congruit.

Circa n. 14 cap. II. In lin. 12, pag. 36, adverbium *tamen* dicit quamdam oppositionem iis quae praecedunt. Sed antea dictum est de illis qui *plene* Ecclesiae societati incorporantur: quomodo ergo sustineri potest hoc « *tamen* »? Melius dici deberet: « *enim* ».

In linn. 15-20, pag. 36, adhortatio in textu dogmatico suum locum non vi-

detur habere. Ceterum, pro iis qui aures audiendi habent, implicita est in veritatibus quae antea enuntiantur. Si ergo omittatur, textus forsan maiorem vim acquireret.

Circa n. 17 cap. II. In lin. 38, pag. 38, dicitur *onus* fidei disseminandae cuilibet discipulo Christi incumbere. Forsan melius dici deberet *munus* fidei disseminandae.

Circa n. 19 cap. III. In lin. 31, pag. 60, textus Sacrae Scripturae non sunt inter se bene compositi: quapropter periodus male pergit et aliquam confusionem inducit. *Apostoli* dicuntur congregare Ecclesiam... quam Dominus in *apostolis* condidit. *Dominus* (idest *Christus Iesus*) dicitur aedificasse Ecclesiam... ipso summo angulari lapide *Christo Iesu.*

Circa n. 22 cap. III. Linn. 11 ss., pag. 64, vix intelligi potest cur sit necessarium additamentum inserere: « ... *quae quidem potestas* etc. ».

Quomodo subsistere potest hypothesis exercitii supremae potestatis ex parte collegii independenter a Romano Pontifice, postquam explicite declaratum est ordinem episcoporum *nunquam sine suo capite* supremae ac plenae potestatis esse subiectum?

Circa n. 25 cap. III. Quod in linn. 7-10, pag. 69, dicitur de infallibilitate Ecclesiae in corpore episcoporum iam, et melius, dictum erat in linn. 13-24, pag. 68, et hic apparet inutilis repetitio.

Circa n. 37 cap. IV. In lin. 21, pag. 124, varianda est interpunctio ne verborum structura vacillet; ita e. g.: « ... accipiendi: hisque necessitates etc. ».

In lin. 1, pag. 125, dicitur: « quasi rationem pro animabus *nostris* reddituri ». Quibus referendum est hoc « *nostris* »? Forsan Patribus conciliaribus? Melius in textu priori dicebatur: « ... quasi rationem *pro animabus subditorum* reddituri ».

Circa n. 41 cap. IV. In lin. 42, pag. 142, agitur de iis « qui duris incumbunt laboribus » et absque dubio opportunum est de illis particularem mentionem facere. Sed melius esset antea aliquid in genere dicere de labore, qui etiam si non sit « durus », sanctificationis via pro omnibus esse potest.

Circa n. 48 cap. VII. In lin. 14, pag. 181, verba *1 Io.* 3, quae hic afferuntur, ita sunt composita cum ceteris S. Scripturae textibus ut facile ambiguitatem inducant. Dicitur: « similes *ei* erimus etc. »: hoc pronomen *ei,* cum sonet valde proximum verbis « cum ipso », potius de Christo quam de Deo intelligi potest.

Circa n. 52 cap. VIII. In linn. 15-17, pag. 197, verba quae hic adducuntur ex canone Missae, iam adducta fuerunt in lin. 41, pag. 1, ubi agitur de Ecclesiae peregrinantis conversatione cum Ecclesia caelesti: haec repetitio in eodem textu minus elegans apparet.

11

Exc.mus P. D. LAURENTIUS BIANCHI
Episcopus Sciiamchiamensis

In genere textus emendatus mihi videtur priori textu undequaque excellere. Observaverim tamen:

In cap. I: pag. 10, linn. 20, 27, 28, verba « Ecclesia... huiusque regni (i. e. Christi et Dei) in terris germen et initium constituit » videntur mihi expressio parum minimalista, praesertim si cogitemus lyrismum S. Augustini, cum in suis sermonibus aliisque scriptis de Ecclesia loquitur.

Quoad cap. II: hoc caput optimum dixerim, et ob rationes pastorales atque exegeticas placet quod talis doctrina de populo Dei efferatur, sine qua difficulter intelligi potest doctrina Corporis Christi mystici, quae est velut « corona » Ecclesiologiae Novi Testamenti. Revera nimis exclusive ultimis annis sermo fiebat de doctrina Corporis mystici.

Cap. III: hoc caput quadam verbositate laborat. Circa diaconatum, saltem pro missionibus sinensibus, satis bene necessitatibus Ecclesiae provisum erat per catechistas utriusque sexus; unde non video necessitatem illum introducendi, et *a*) quia satius sic providetur libertati auctoritatis ecclesiasticae in fide propaganda; et *b*) quia melius, si scandala nascentur, bono Ecclesiae nomini consultum esset.

Cap. IV: de laicis. Melius componatur cum schemate de apostolatu laicorum, ita ut in isto habeatur fundamentum doctrinale, in illo vero programma apostolicum ex praesenti schemate exortum.

12

Exc.mus P. D. ALOISIUS CAROLUS BORROMEO

Episcopus Pisaurensis

1. In genere schema non in meliorem sed in peiorem formam redactum mihi videtur. Horror omnium eorum, quae iuridica dicuntur, efficit ut paginae et paginae legantur de Ecclesia, quin tandem dicatur quid sit ista Ecclesia. « Naturam, tamen, ne expellas furca »; quod cum semper verum sit, et hic accidit ut elementa constitutiva Ecclesiae quasi furtim appareant, sed disgregata et dispersa in verborum mare.

2. Stylus minime placet, turgidus, inflatus, qui quaecumque accidentaliter sunt dicta vel erant dicenda, arripit et dilatat ita ut schema, praesertim in cap. I, congestio videatur contincularum potius quam lucida, sobria, nobilis expositio conciliaris.

3. Ecclesia, regnum Dei, populus Dei, Corpus mysticum sunt omnia idem? Si non sunt idem, in quo differunt? Si quis haec scit, bene quidem; at si nescit a schemate conciliari certo non discit. Optimum videretur ut, cum de iis sermo est, in primis dicatur quomodo se habeant ad Ecclesiam.

4. In pag. 8, linn. 5 et 13, loco « in sancta ecclesia » et « in Ecclesia universali » dicendum puto: « in sanctam ecclesiam » et « in Ecclesiam universalem », ratione latinitatis.

5. In pag. 9, n. 5 (*De regno Dei*) supprimendus puto, quia inutilis, obscurus, ea referens quae pluries alibi dicuntur. Auctor praeterea anceps haerere videtur utrum Ecclesia debeat regnum Dei nuntiare et constituere an ipsa sit regnum Dei.

6. In pag. 31, lin. 20. Verbum « enim » videtur expungendum, quia quae in hac periodo dicuntur, opponuntur, at non logica consecutione a praecedenti periodo profluunt.

7. In pag. 29. Cap. II de populo Dei. Ab initio, usque ad n. 14, pag. 35, paucis « verbis » additis de populo Dei ut aliqua de eo mentio fiat, omnia mihi videntur reducenda ad pristinum textum. Magna est enim ista confusio. Si populus Dei est Ecclesia, ad quid de eo sermo tam longus et inutiliter profusus ac si de aliqua alia realitate ageretur?

Haec mihi videtur regula sequenda. Si schema est de « Ecclesia », et si propo-

situm praecipuum Concilii est Ecclesiam mundo quasi perpolitam praesentare, in schemate sermo sit de Ecclesia. De regno Dei, de populo Dei, de Corpore mystico mentio fiat brevis ad eorum identitatem vel relationem quas habent cum Ecclesia indigitandas, sed sermo praecipue sit de Ecclesia de qua dici possunt omnia quae dicuntur de populo Dei, Corpore mystico etc.

Videmur hic econtra exponere duplicem doctrinam, alteram de Ecclesia alteram de populo Dei. Unde quaestio: si populus Dei idem est ac Ecclesia, cur non dicuntur simpliciter de Ecclesia ea quae tam profuse dicuntur de populo Dei? Si populus Dei aliud est ac Ecclesia, de eo in schemate *de Ecclesia* breviter tantum dicatur in quo cum Ecclesia conveniat vel in quo differat. At quod de una eademque realitate nunc sermo sit sub hoc titulo, nunc sub alio, absonum omnino mihi videtur et in schematibus conciliaribus vitandum.

Ad ambiguitatem minuendam propono ut saltem titulus capitis sic mutetur: « *De Ecclesia uti populo Dei* ».

Confusionis ratio clare apparet ex iis quae in pag. 48 dicuntur. Ibi n. 3 « Populus Dei » exhibetur ut aliquid quod latius pateat quam Ecclesia catholica, at quomodo se habeat ad Ecclesiam catholicam non dicitur, non quidem ex oblivione sed quia doctrinam certam et perspicuam ab omnibus acceptam hodie in medium proferre nemo potest. Si res ita se habet cur obnubilare doctrinam de Ecclesia cum alia doctrina adhuc non satis explorata, vel certis finibus nondum definita? Si vero de populo Dei habetur doctrina certa sicut de realitate ampliore quam Ecclesia catholica, tunc de « Populo Dei » fiat caput speciale, non insertum in capitibus de Ecclesia, sed iisdem praepositum ad modum prooemii.

8. In pag. 60, n. 19, in lin. 23, verbum « Domini » grammaticae regulis non respondet. Vel, uti antea, « sub ductu ipsius » dicendum est vel, si magis placet « eamque, ipso duce, ministrando » etc.

9. In pag. 61, in lin. 17, verba « ut cum decessissent » aequivoca videntur. Ex regulis grammaticae ad principale subiectum periodi essent referenda; iuxta sensum vero viderentur referenda ad « huius modi viros » qui ex obiecto fiunt subiectum.

10. In pag. 61, lin. 21. Verba « teste traditione » viderentur excludere testimonium Scripturarum. Propono ut omittantur, vel sensus magis perspicuus reddatur sic « traditione quoque teste ».

11. In pag. 63, lin. 24. Verba « et altiora quaeque » vitiosa videntur: coniunctio « et » est superflua; loco vero « altiora », « graviora » videretur dicendum.

12. In pag. 64, lin. 41, verbum « unitam » commutandum videtur in « concordem ».

13. In pag. 66, a lin. 20 usque ad 33. Aliquid addendum puto, ne totum falsum evadat. Cum ex divina institutione in collegio apostolorum nullus alius gradus detur praeter Primatum Petri et episcopatum ceterorum; et proinde omnes apostoli, excepto Petro, fuerint inter se aequales et inter se aequales evaserint omnes episcopi, apostolorum successores, undenam auctoritas Patriarcharum Ecclesiarum orientalium? Salebrosa quaestio potest quidem silentio praeteriri at non obnubilari. Dicendum ergo propono: « Divina autem Providentia, et suprema auctoritate Ecclesiae probante, factum est etc. ».

14. In pag. 67, lin. 8. Si testes referantur Spiritui Sancto, « Eidem » bene stat; at si testes referantur, prouti referendi videntur, Christo Domino, « sibi » est dicendum.

15. In pag. 68, lin. 23, post verba « quorum definitionibus » addendum puto « si Romani Pontificis adprobatio accesserit ».

16. In pag. 69, linn. 4-5. Verba « in quo charisma infallibilitatis ipsius Ecclesiae singulariter inest » mihi videntur falsa aut saltem aequivoca. Summus Pontifex est infallibilis sua infallibilitate, non infallibilitate Ecclesiae, quia Christus dixit « Ego rogavi pro *te*, ut fides tua non deficiat ».

17. In pag. 118, linn. 4-5. Significatio verborum « missionem totius populi christiani in Ecclesia et in mundo exercent » nimis obscura. Laici, exercentes missionem totius populi christiani, exercent missionem etiam Papae, episcoporum, sacerdotum et religiosorum, iuxta extensionem quae populo Dei attributa est in initio capitis? Et quomodo solus populus christianus missionem habere potest exercendam in Ecclesia, si populus christianus totam Ecclesiam amplectitur? In seipso missionem illam exercet?

18. Pag. 118, linn. 14-15. Verba « sine spiritu beatitudinum » puto non facile intelligi posse a laicis. Addatur saltem « evangelicarum ».

19. In pag. 118, lin. 21: « Ibi » sufficiendum videtur cum « Eo ».

20. In pag. 119, lin. 27. Clarior sensus evaderet si loco « hic » diceretur « populus autem etc. ».

21. Pagg. 121, 122, 123, 124. Nn. 34, 35, 36 relinquerem concionatoribus iisque qui sacra spiritualia exercitia peragunt. Hic omnia paucis perstringerem.

22. Pag. 124, lin. 29. Cum instituta de quibus hic est sermo nondum exsistant nec certum sit ea esse exstitura, dicendum propono « forte stabilita ».

23. In pag. 140, lin. 10. Cum Christus sit subiectum periodi, dicendum puto: « sicut Ipse eos dilexit » ratione latinitatis.

24. In pag. 140, lin. 38, loco « voluntatem Patris » dicendum est « voluntati Patris etc. ».

25. In pag. 157, in lin. 36. Post verba « subiici possunt » hanc propono adiungendam periodum: « Censet tamen haec Sacrosancta Synodus exemptionem religiosis forte concessam vel concedendam a iurisdictione episcoporum restringendam esse ad ea quae sodalium perfectionem, internam vitam domorum religiosarum nec non ordinis seu congregationis organizationem et moderamen, non autem extendendam ad ea quae externam disciplinam, publici cultus exercitium, curam animarum, operum publicarum gestionem, in quibus omnibus uniformitas disciplinae in dioecesi summi est momenti et ad communem utilitatem hisce temporibus maxime conducens ».

26. In pag. 159, in linn. 46-47. Loco « ut in quamcumque vocationem a Deo vocatus est » dicendum propono: « ut quacumque vocatione a Deo vocatus est ».

27. In pag. 182, lin. 32. Periodus quae incipit « Nam bona etc. » sic reformandum propono: « Nam quae bona in terris adquisiverunt... illa, etiam in patriam recepti etc. ».

28. In pag. 199, in lin. 2. Verbum « adumbratur » prophetiae significationem nimis attenuat: praeferendum puto « praevidetur » uti antea; vel « praenuntiatur ».

29. In pag. 199, in lin. 31, post verbum « conceptionis », « immaculatae » adiungendum propono.

30. In pag. 200, lin. 28, adiectivum « primogenitum » expungendum puto, quippe quod inutiles quaestiones provocat, vel in mentem revocat.

31. In pag. 202, in linn. 18 et 19, dicendum propono: « Cum itaque B. Virgo

ab aeterno, ob partem quae habuisset in divini Verbi incarnatione, tamquam Mater Dei et Mater hominum praedestinata, etc. ».

Tota periodus tamen infelix est; nam movet a visione Mariae Mater Dei et Mater hominum praedestinata et terminat ad Mariam « mater nobis in ordine gratiae ».

32. In pag. 203, lin. 8, verba « nihil superaddat » expungenda propono, quia nimis dicere videntur. Si Paulus dicit nos adimplere quae desunt passioni Christi, nonne bonum videtur viam apertam relinquere theologis inquirentibus de Mediatione Mariae, investigandi quomodo cooperata sit cum Christo in opere Redemptionis?

13

EXC.MUS P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER

Episcopus Chimscienensis

Cap. VIII. De B. M. V. Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae perpulchre scriptum est: breviter, lucide, movens cor nostrum, praeprimis, de Maria ancilla Domini Redemptoris. De Maria ut ancilla (n. 54, p. 202). Gratias plurimas auctoribus huius capitis.

14

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI

Episcopus Signinus

Iudicium generale.

1. Textus emendatus valde laboriosam et accuratam revisionem prodit, quapropter multo magis placet quam textus prior. Dum commissioni de doctrina fidei et morum debitas ago gratias, reverenter ac fiducialiter quasdam propono animadversiones quae si, ut plurimum, formam tantum attingunt, aliquoties tamen (v. g. in cap. III) substantiam attingere mihi videntur.

2. Quaestio moveri potest de *qualificatione dogmatica* omnium et singularum rerum quae in hac amplissima constitutione habentur. Patres conciliares, antequam studio incumbant huius constitutionis, scire debent de qualificatione aliquid, quia exinde pendere potest eorum iudicium affirmativum aut negativum aut suspensivum. Textus emendatus loquitur de « constitutione » sine addito, dum textus prior loquebatur de « constitutione *dogmatica* »: quid sibi vult talis mutatio?

3. De quibusdam veluti « leit-motifs » in schemate occurrentibus aliquid dicendum censeo. Schema nimis scrupulose abstinet ab adhibendis vocabulis quae sic dictum « triumphalismum » aut « clericalismum » sapiant, ut suis in locis pressius indicabitur. Meo quidem iudicio, id iniuste fit: nam sic ecclesiologia privatur ideis quae sunt vere biblicae, patristicae et liturgicae. Quaedam exempla affero:

a) Saepissime, ne dicam plus necessario, Ecclesia exhibetur ut « peregrina ». Optime quidem. At cur numquam ut « militans », cum ad id deni loci biblici af-

ferri possint? Cur in cap. VII numquam adhibetur locutio classica « Ecclesia triumphans »? Huiusmodi scrupuli — ut minus sapiens dico — Concilium dedecent.

b) De « paupertate » Ecclesiae saepe fit sermo, at nullibi circumscribitur conceptus paupertatis ad mentem D. N. Iesu Christi.

c) Accuratissime vitatur vocabulum « subditi » in Ecclesia; et tamen est biblicum!

d) Ministeria in Ecclesia centies exhibentur tamquam « servitium erga fratres ». Recte; at cur numquam, saltem explicite, tamquam « servitium erga Deum »?

Cap. I - *De Ecclesiae mysterio.*

N. 3, pag. 9, lin. 1. Forsan minus apte « a quo *procedimus* » dicitur de Christo. Potest comma supprimi.

N. 4, pag. 9, lin. 23. Loco « donis hierarchicis et charismatibus dirigit » dicerem: « donis hierarchicis et charismatibus *instruit* », quia dona charismatica non dantur ad directionem Ecclesiae.

N. 5, pag. 10, linn. 13-14. Non placet comma « Regnum manifestatur *in persona ipsius Christi, Filii hominis* », quia vocabulum « persona », et quidem in relatione ad « Filium hominis », adhibetur sensu haud solito in theologia. Dicerem « Regnum manifestatur *in tota realitate* ipsius Christi, *Filii Dei et* Filii hominis, qui venit etc. ».

Pag. 10, lin. 28. Claritatis gratia dicerem: « huiusque Regni in terris *visibile* germen et initium *ipsa* (scil. Ecclesia) *revera* constituit ». Sic clarius enuntiatur realis identificatio Ecclesiae cum Regno Dei, eiusque aspectus visibilis.

N. 7, pag. 13, lin. 5. Loco « nos omnes membra illius Corporis efficimur » clarius dicerem « nos omnes membra illius *mystici* corporis efficimur ».

Pag. 13, lin. 23. Loco « *sive* si unum membrum » dicatur: « *et* si unum membrum », quia deest correlativum illius « sive ».

Pag. 13, lin. 29. Verba « Ipse est caput corporis quod est Ecclesia » sunt inutilis repetitio lin. 26. Forsan, omittendo lin. 29, sic posset dici in lin. 26: « Huius corporis, *quod est Ecclesia,* Caput est Christus ».

N. 8, pag. 15, linn. 19-26. In hac propositione non placent: *a*) « *subsistit in* » nam videretur Ecclesia Christi et Ecclesia catholica duas esse res distinctas, quarum illa in hac subsistat tamquam in subiecto. Dicatur simpliciter et verius: « *est* », quia ita dicunt fontes. Ratio in contrarium allata in pag. 25 non probat; *b*) « *licet... inveniantur* »: ista propositio concessiva non placet, quia videtur limitare affirmationem categoricam praecedentem, quasi iam ab initio suae constitutionis Ecclesia recognoscat exsistentiam elementorum veritatis et sanctificationis extra suam compaginem; *c*) « *plura* » non placet, quia continet iudicium de « facto », quod est extra locum suum in hoc numero 8° qui agit de « iure ». Unde totam propositionem sic legerem: « Haec Ecclesia, in hoc mundo ut societas constituta et ordinata, *est* Ecclesia catholica, a successore Petri et episcopis in eius communione gubernata; ad cuius catholicam unitatem, ut Ecclesiae Christi propria, *vel illa* veritatis et sanctificationis elementa impellunt, quae extra eius compaginem inveniuntur ».

Pag. 16, linn. 12-15. Hanc propositionem sic complendam censeo: « Inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando procurrit Ecclesia; " *adversus insidias diaboli... adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spi-*

ritualia nequitiae " (*Eph.* 6, 11-12) *ipsa militat,* crucem Domini *circumferens* Eiusque mortem annuntians, donec veniat ». Sic habetur mentio Ecclesiae, ut militantis.

Cap. II - *De populo Dei.*

N. 9, pag. 29, lin. 10. Sic compleatur: « foederis illius novi, perfecti *atque universalis* etc. ». Ratio universalitatis iam statim ab initio videtur explicite enuntianda.

Pag. 30, linn. 20-25. Haec propositio continet unicam definitionem quae in toto schemate *de Ecclesia* datur; sed est prorsus insufficiens quia in ea sermo est unice *de fide,* neque commemorantur illa media unionis visibilis et socialis, de quibus in praecedenti lin. 19. Est definitio cui Protestantes libenter subscriberent.

N. 10, pag. 31, linn. 16-21. Hic ex abrupto proponitur comparatio inter sacerdotium commune et sacerdotium hierarchicum, quin de hoc sacerdotio hierarchico aliquid prius sit dictum, saltem quoad eius exsistentiam. Oportet igitur ut aliquid addatur, ideam et verba sumendo ex originario schemate. Sic ergo sit sententia: « *In populo Dei inveniuntur etiam proprii nominis sacerdotes qui, per sacramentum Ordinis consecrati, sacerdotium ministeriale seu hierarchicum tamquam ministri Christi exercent.* Sacerdotium autem commune fidelium et sacerdotium ministeriale *seu* hierarchicum, *licet essentia et non gradu tantum inter se differunt, tamen* ad invicem ordinantur. Unum *enim* et alterum suo peculiari modo de uno Christi sacerdotio participant. Sacerdos quidem ministerialis etc. ».

N. 11, pag. 31, lin. 35. Claritatis gratia, loco « per sacramenta et per virtutes » dicerem: « per sacrament*orum susceptionem* et per virtu*tum supernaturalium exercitium* ad actum deducitur ».

Pag. 31, lin. 40. Loco « Sacramento confirmationis perfectius Ecclesiae vinculantur », dicatur: « Sacramento confirmationis perfectius *Christo et* Ecclesiae vinculantur », nam per characterem datur immediate vinculum perfectius cum Christo, deinde cum Ecclesia.

N. 12, pag. 33, lin. 22: « ... atque hanc suam peculiarem proprietatem... exercet ». Hic infallibilitas concipitur ad modum cuiusdam formae inhaerentis populo christiano, tamquam proprietas quae exercetur. At non ita; infallibilitas est adsistentia Spiritus Sancti, quae etiam modo negativo praebetur. Potius dicendum esset « charisma », et quidem non peculiare quia adsistentia Spiritus Sancti gaudet etiam hierarchia. Dicerem ergo: « atque hoc suum *charisma* mediante supernaturali sensu fidei totius populi *manifestat* ».

Pag. 33, lin. 29. Loco « sub ductu magisterii » dicatur: « sub ductu *sacri* Magisterii », quia de hoc prima vice fit sermo in schemate.

Pag. 34, lin. 10. Loco « ab eis » dicerem: « *ex* eis », ratione melioris latinitatis.

N. 13, pag. 34, lin. 37. Loco « quantum bona sunt » legatur: « quantum *vera ac* bona sunt », sicut habetur in pag. 38, lin. 7.

N. 14, pag. 35, lin. 32. Loco « hanc peregrinantem » dicatur « Ecclesiam hanc *catholicam* ». Ratio: Ecclesia est necessaria non qua « peregrinans » (etiam protestantica est peregrina!), sed qua « catholica ».

Pag. 35, linn. 35-40. Non omnino placent. Cum textus biblici in schemate allati, et etiam alii, necessitatem non solum baptismi sed etiam fidei, et quidem integrae (cf. *Mt.* 28, 20), requirant, argumentandum est etiam e necessitate fidei.

Unde sic propono: « Ipse autem necessitatem *fidei ac* baptismi expressis verbis inculcando (cf. *Mc.* 16, 16; 103, 5), necessitatem Ecclesiae, *in qua una Christus integra perfectaque fide creditur* (in nota: cf. Pius XI, *A.A.S.*, 1931, p. 516) *et* in quam homines per baptismum tamquam per ianuam intrant, simul confirmavit. Quare etc. ».

N. 17, pag. 38, lin. 34. Loco « quidquid boni in corde menteque » dicatur: « quidquid *veri ac* boni in corde menteque ».

Cap. III - *De constitutione hierarchica Ecclesiae.*

Iudicium generale. Prout suis in locis expresse dicetur, nonnulla in hoc capite inveniuntur quibus substantialiter contradicendum mihi videtur. Hic quaedam innuo de criteriis adhibitis in cap. III exarando.

Legitur in cap. VIII de B. Maria Virgine: « Sacrosancta Synodus... illustrare sedulo intendit tum munus B. Virginis in mysterio Incarnati Verbi et Corporis mystici, tum hominum redemptorum officia erga Deiparam, Matrem Christi et fidelium, *quin tamen in animo habeat... quaestiones labore theologicorum nondum ad plenam lucem perductas dirimere. Servantur itaque in suo iure sententiae, quae in scholis catholicis libere proponuntur de illa* » (pag. 198, linn. 10 et seq.; cf. etiam relationem, p. 210).

Item in relatione ad schema *de divina revelatione* legitur: « ... censuit subcommissio iis tantum postulatis attendere, *quorum obiectum in pacifica possessione videbantur* » (pag. 19). Et ita revera factum est; nam textus eo modo concinnatus est ut non contradicat vel novissimis opinamentis, a paucis asseclis asseveratis.

Denique, in cap. VI huius schematis *de Ecclesia,* ubi de religiosis agitur, sic legimus: « *In quaestiones tamen iuridicas aut controversas textus non intrat* » (pag. 162).

Quae cum ita sint, id certe dolendum quod non eodem criterio prudentiali commissio theologica usa sit in exarando textu cap. III, ubi sine ulla vera necessitate, quin praecesserint sufficientia studia exegetica, patristica, historica, liturgica, iuridica solvuntur quaestiones gravi ponderis, adhuc legitime inter theologos et canonistas disputatae. Et quidem solvuntur iuxta opiniones novissimas, contra quas militant plurimi theologi et canonistae optimae notae, et aliquando etiam verba quorumdam Summorum Pontificum.

Et animus adhuc magis angitur ex eo quod desit in schemate qualificatio theologica. Quaeritur enim num ex eventuali approbatione schematis, in suo textu actuali, oppositae sententiae ipso facto amplius sustineri et doceri possint.

Sententiae quae, meo quidem iudicio, adhuc essent relinquendae liberae theologorum et canonistarum disceptationi, quaeque e contra in schemate incongrue praeoccupantur, haec sunt:

a) distinctio inter *substantiam* et *exercitium* potestatis iurisdictionis episcopalis;

b) *immediata* derivatio a Deo per consecrationem potestatis iurisdictionis episcopalis;

c) character episcopalis describitur tamquam *nova* impressio;

d) forma « collegialitatis » episcopatui inhaerens, et quidem iure divino;

e) fundatio Ecclesiae non solum super Petrum sed etiam super ceteros apostolos;

f) *collegium* episcopale dicitur subiectum *permanens* supremae ac *plenae* potestatis in Ecclesia.

N. 18, pag. 59, lin. 14. Dicitur « ... sanctam aedificasse Ecclesiam, missis Apostolis ». Proponitur: « ... sanctam aedificasse Ecclesiam, *atque misisse* apostolos etc. ». Ratio emendamenti: iuxta rectam latinitatem, per ablativum absolutum in tempore praeterito (ut est v. g. « *missis* apostolis ») indicatur actio praecedens actionem propositionis regentis (ut est, in casu nostro, « aedificasse Ecclesiam »).

Pag. 59, linn. 18-24. Non placet ista citatio ex Vat. I quia, cum sit mutila, mutat perspectivam significationis. Iamvero, omissa mentione de fidelibus in unitate conservandis, prouti habetur in Vat. I, illi opinioni calculum adiicitur iuxta quam tota ratio primatus nulla alia esset quam conservare in unitate episcopatum. Sic quodammodo evanesceret relatio immediata Petri, tamquam Christi vicarii, ad totam Ecclesiam cuius est fundamentum, claviger et pastor.

Pag. 59, lin. 22. « *Quam* doctrinam de institutione etc. ». Pronomen relativum « quam » relationem dicit ad superius dicta; atqui supra non agitur nisi de institutione primatus, minime vero de eius vi ac ratione. Unde sic legendum puto: « *Doctrinam autem Concilii Vaticani I* de institutione, perpetuitate, vi ac ratione sacri apostolici Primatus etc. ».

N. 19, pag. 60, lin. 11. Loco « duodecim constituit » legatur « duodecim *elegit* », ut erat in textu priore. Non est nimis insistendum in lectione *Mc.* 3, 13 nam textus paralleli bene explicant rem dicendo « *elegit* duodecim ex ipsis » (*Lc.* 6, 13; cf. *Io.* 6, 71; 15, 16. 19; *Act.* 1, 2; *Io.* 13, 18).

Pag. 60, linn. 13-14. Dicitur: « ... quos apostolos *ad modum collegii* instituit, cui *ex iisdem electum* Petrum praefecit ». Non omnino placet.

A) Verba « ex iisdem electum » auferenda censeo, quia nullibi in S. Scriptura legitur particularis haec « *electio* » Petri ex parte Christi de sinu apostolorum, quemadmodum, e contra, legitur « electio » duodecim de sinu discipulorum. Profecto illa verba optime inserviunt cuidam hodiernorum theologorum ad considerandum Petrum nonnisi in sinu collegii. Ceterum particularis « electio » Petri, tamquam futuri Capitis visibilis Ecclesiae, i. e. « Petrae », facta fuit antequam collegium ipsum exsisteret, quando Christus mutationem nominis ei praenuntiavit (cf. *Io.* 1, 42).

B) Non placent verba « *ad modum collegii* instituit ». Quinam enim, quaeso, est « modus » collegii? « modus » inquam essentialis pro collegio? In sermone hodierno (et Concilium vult alloqui homines hodiernos!) vox « collegium » habet significationem tantummodo technicam, et indicat ens morale, ex pluribus constans, cuius essentialis modus agendi est actio semper et exclusive collegialis, ita ut vim legis habeat quod maiori parti placuerit. Collegium, uti tale, iura et officia habet diversa a iuribus et officiis quae ad singula membra spectant. Iamvero:

a) non constat neque ex Scriptura neque ex traditione apostolos fuisse *ad modum collegii* constitutos. Textus allati a schemate — scil. *Mc.* 3, 13-19 et *Mt.* 10, 1-42 — non probant nisi pluralitatem apostolorum, eorumque moralem unionem; minime probant collegialitatem. Non valet ratio allata in relatione schematis, pag. 81 sub *C*), quae desumitur ex *Mc.* 3, 14 « epoièse dodeka... kai epoièsen tous Dodeka »; nam *Mc.* 3, 16 deest apud maiorem partem Codicum (etiam in Vulgata deest) etiam nonnulli ponderis, insuper colligitur ex locis parallelis Marcum non aliud velle significare, quam Dominum tali modo *egisse* in seligendis apostolis ut « duodecim », et solummodo duodecim, essent cum ipso in praedicatione regni,

ob evidentem connexionem cum duodecim Patriarchis V. Testamenti. Neque — ut asserit citata relatio — indoles collegialis patere potest ex eo quod coetui apostolorum unus Petrus praeficiatur! Ad summum, id demonstrat coetum apostolorum esse unitatem quandam, minime autem naturae collegialis! Ceterum, ut iam dixi, nullibi in Scriptura legitur Christus expresse Petrum ceteris apostolis praefecisse: id fuit naturalis consequentia agendi rationis Christi cum Petro, nam Christus cum Petro omnino singulariter egit, tamquam cum eius futuro vicario, et, quod praecipuum est, Petrum constituit fundamentum *totius* Ecclesiae, pastorem *totius* sui gregis (et sic implicite Petrum super ceteros apostolos extulit).

Alii textus qui passim citantur a collegialistis (*Mt.* 18, 18 et *Mt.* 28, 18) non probant nisi hoc: Apostolos *simul* accepisse potestatem et missionem. Sed id longe differt a collegialitate veri nominis.

b) Utique in pag. 81 relationis legimus: « Vocabulum collegium non sensu iuridico de coetu perfecte aequalium intelligitur; sed de *coetu stabili* a Domino instituto... ». Quare ergo hoc non dicitur in textu, ad tollendas omnes anxietates et possibiles falsas interpretationes? Quare Concilium uti deberet vocabulo aliquo periculoso (stante controversia et literatura para-conciliari), litigioso et aequivoco? Nonne prostant alia vocabula?

c) Propono igitur ut sic textus emendetur: « ... quos apostolos *ad instar* collegii, *scilicet coetus stabilis* instituit (*hoc namque sensu Sacrosancta Synodus vocabulum " collegium " sumere intendit*), cui Petrum praefecit ».

Si talis clarificatio non accipitur, enixe rogo ut — stante legitima controversia — Concilium *abstineat* ab hac quaestione collegialitatis!

Pag. 60, linn 31-38. Haec non placent, ob rationes infra dicendas, et proponitur ut sic emendentur: « *Et sic* Apostoli Ecclesiam universalem, quam Dominus supra beatum Petrum aedificav*erat* (cf. *Mt.* 16, 18), praedicando ubique Evangelium (cf. *Mc.* 16, 20) ab audientibus Spiritu Sancto operante acceptum, *fide sua plantaverunt* (cf. *Eph.* 2, 20) *atque sanguine suo ornaverunt* (cf. *Apoc.* 21, 14. 19), ipso summo angulari lapide Christo Iesu (cf. *Eph.* 2, 20) ».

1. Sicut subcommissio hic illic fecit in n. 19 et alibi, ita et nos ob eandem rationem omittendum censemus comma « *eorum principem* », quia ista specificatio superflue hic repetitur, cum iam in lin. 14 dictum sit Petrum a Christo praefectum esse ceteris apostolis. Nisi forte subcommissio aliquid aliud subintelligere intendit...

2. Substituitur locutio « Dominus *in apostolis condidit* (Ecclesiam) » quia, cum « condere » idem sit ac « aedificare », nisi in textu explicite aliud caveatur, lector invincibiliter inducitur in opinionem Ecclesiam a Christo conditam esse eodem titulo eademque ratione super omnes apostolos ac super Petrum. Immo fortior videretur esse illa aedificatio super apostolos quia commemoratur ante aedificationem super Petrum; immo quia dicitur facta « *in* » apostolis, dum altera « *super* » Petrum.

Nova lectio quam propono suggeritur a Liturgia: « Isti sunt qui viventes in carne *plantaverunt* Ecclesiam *sanguine suo* » (In Commun. Apost.), et a S. Ambrosio: « ... elegit duodecim ex ipsis; quos ad propagandum auxilium salutis humanae per terrarum orbem *satores fidei* destinaret » (*PL* 15, 1648 B).

3. In relatione pag. 82 commissio dat amplam explicationem quae tamen, meo quidem iudicio, rem non evincit. Etenim:

a) Cum hodie in Magisterio Ecclesiastico, praesertim post Conc. Vat. I

in quo haec quaestio agitata fuit, pacificum sit apostolos non posse vocari Ecclesiae fundamenta nisi sensu lato, scil. quoad fidem et praedicationem, non videtur licitum, pro textu dogmatico agente de constitutione divina Ecclesiae, recurrere ad notiones vagas et obscuras adhibitas, et quidem in diverso contextu, a Patribus vel ab ipsa S. Scriptura (ut monet Enc. *Humani generis, A.A.S.,* 1950, pp. 565; 567-68);

b) Textuum biblicorum allatorum exegesis saltem disputata dicenda est; ergo non licet ex illis concludere cum certitudine. Iam ipsa commissio laudabiliter renuntiat ab afferendo textu *Eph.* 2, 20, scil. « superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ». Adhuc tamen persistit in afferendo textu *Apoc.* 21, 14. At perperam, uti censeo, ob hanc, inter alias, rationem: Apostoli in citato textu non dicuntur fundamenta ipsius sanctae civitatis (scil. Ecclesiae *caelestis*), sed fundamenta *muri* circumdantis civitatem ab eaque probe distincti et separati: res ergo prorsus diversa! Quod autem murus civitatis non identificetur cum ipsa patet ex hoc: murus elevatur in altitudinem 144 cubitorum (cf. *Apoc.* 21, 17), civitas e contra elevatur in altitudinem 12.000 stadiorum (cf. *Apoc.* 21, 16: vel, iuxta alios exegetas, 3.000 stadiorum). Ergo apostoli non exhibentur ut fundamenta civitatis sanctae, sed ut fundamenta *muri* circumdantis et protegentis et aditum praebentis ad sanctam civitatem!

c) Veniamus ad textus Ss. Patrum a commissione allatos. Praemittimus quod verba prolata ab hoc vel illo Patre in homilia, aut in polemica, aut in prece olim adhibita in Liturgia et nunc obsoleta, non possunt sic et simpliciter immitti in textum conciliarem dogmaticum, quin attendatur ad totum contextum logicum et historicum, nec non ad successivum progressum clarificationis dogmaticae. In particulari:

aa) *S. Gregorius Magnus.* In Sacramentario, in festo Cathedrae S. Petri, dicit: « ... et te laudare mirabilem *in Sanctis tuis,* in quibus glorificatus es vehementer. *Per quos* Unigeniti tui sacrum corpus exornas, et *in quibus* Ecclesiae tuae *fundamenta constituis,* quam in Patriarchis fundasti (aliqui Codd. habent: *mundasti*: quod vix significationem habere videtur), in prophetis praeparasti, in Apostolis condidisti. Ex quibus beatum Petrum... *in fundamento* domus tuae... fecisti » (*PL* 78, 50 B).

Quaestio, quae hodie agitatur, non erat profecto in perspectiva S. Gregorii: proinde ipse vocat fundamenta Ecclesiae non solum Apostolos, sed etiam Sanctos omnes atque adeo (uti videtur) ipsos Patriarchas V. Testamenti. Hanc latitudinem nominis in alio textu S. Gregorius adhibet: « In Scriptura Sacra *quid aliud fundamenta quam praedicatores* accipimus? Quos dum primos Dominus in sancta Ecclesia posuit, tota in eis sequentis fabricae structura surrexit... Sancti itaque apostoli et pro prima ostensione ornamenti lapides sunt in pectore, et pro prima soliditate aedificii in solo fundamenta » (*PL* 76, 455 C). « Quid aliud huius terrae *bases* quam Ecclesiae *doctores* accipimus? In basibus quippe columnae, in columnis autem totius fabricae pondus erigitur... » (*PL* 76, 457 C). « Possunt per *bases* etiam *prophetae* signari... » (*PL* 76, 458 A).

bb) *S. Hilarius* ait: « Providus enim voluntatis Deus, segregavit voluntariam pluviam praesciendo. Quae infirmata est, cum iudicium in se mortis habuit *Paulus* (2 *Cor.* 1, 9), cum *Petrus* scandalo crucis motus est, cum ter denegat admonitus ne negaret, cum *apostoli* timent, fugiunt, diffidunt. Sed quia *in his* bonae voluntatis esset affectus, perfecti ita sunt, ut et *fundamenta* ecclesi*arum* fierent

et columnae » (*PL* 9, 450 AB). Hic textus nihil ad rem nostram: nam Paulus et Petrus et apostoli dicuntur fundamenta *ecclesiarum particularium,* quos ipsi plantaverunt sanguine suo!

cc) *S. Hieronymus* scribit: « At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia: licet id ipsum in alio loco *super omnes apostolos* fiat, et cuncti claves regni caelorum accipiant et ex aequo *super eos Ecclesiae fortitudo solidetur,* tamen propterea inter duodecim unus eligitur ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Ioannes electus est virgo? Aetati delatum est, quia Petrus senior erat » (*PL* 23, 247 A).

Hic S. Hieronymus, in polemica de virginitate contra Iovinianum certans pro virgine Ioanne, non potest sic et simpliciter accipi. Eius mens profecto recurrit ad textum *Eph.* 2, 20, cuius tamen exegesis hodie diversa est ab exegesi S. Hieronymi.

dd) *S. Augustinus* ait: « Quare sunt fundamenta apostoli et prophetae? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram » (*PL* 37, 1103). Hic textus stat contra commissionem, nam in eo sermo est etiam de prophetis, et fundamentum ponitur in *auctoritate,* scil. in authentica praedicatione.

ee) *Primasius* in comment. ad Apoc. sic scribit: « Cum noverimus Ecclesiam unum tantum fundamentum habere, i. e. Christum, moveri non debemus quia hic eam duodecim habere dicitur. In Christo enim *Apostoli* meruerunt esse *Ecclesiae fundamenta,* de quo apostolus *1 Cor* 3: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus » (*PL* 68, 924 C). Hic textus non explicat quo sensu apostoli dici possint fundamenta in Christo; unde ad quaestionem nostram nihil confert. Mens Primasii tota esse videtur in affirmanda omnimoda dependentia apostolorum (cf. etiam *PL* 68, 924 A) immo et Petri (cf. *PL* 68, 924 D) ab unico fundamento, ab unica Petra, quae est Christus.

ff) *Paschasius Radbertus* scribit: « Et notandum quod tantum petra est unusquisque fidelium, quantum imitator est Christi, et tantum lux, quantum illuminatur a luce. Ac per hoc tantum Ecclesia Christi super eos fundatur, quantum et ipsi firmantur a Christo. Unde non super uno Petro, verum super omnes apostolos apostolorumque successores Ecclesia Dei aedificatur » (*PL* 120, 561 C). Ex hoc textu nihil pro quaestione nostra inferri potest, in quo Ecclesia dicitur fundata super omnes credentes, et etiam super episcopos!

gg) Textus *Leonis* XIII, in pag. 82 schematis allatus, non potest citari pro indiscriminata affirmatione de Apostolis fundamentis Ecclesiae, nam ibi bene distinguitur inter Petrum, primum fundamentum, et ceteros apostolos, proximum fundamentum. Deinde in hoc textu non est sermo de constitutione Ecclesiae in suo momento historico, nam etiam episcopi dicuntur esse fundamenta Ecclesiae!

N. 20. Pag. 61, lin. 13. Videntur hae lineae supprimendae, quia non licet tribuere omnibus apostolis illa commendatio facta episcopis, quae de solo Paulo constat.

Pag. 61, lin. 26. Loco « et successores eorum » legatur: « et *per* successores eorum » claritatis gratia.

Pag. 61, lin. 29. Loco « Episcopi igitur communitatis ministerium » legendum proponitur: « Episcopi igitur communitat*um* ministerium », ut indicetur pluralitas communitatum localium.

Pag. 61, lin. 35. Omnino auferenda mihi videtur illa reduplicatio « *ut primo*

apostolorum », quia *a*) non est vera. Petrus enim hic accipiendus est potius ut Vicarius Christi; munus enim singulare ei collatum est non ideo quia primus erat (ceterum quaeritur: « primus » sub quo respectu?), sed ideo factus est primus inter apostolos quia collatum est ei munus singulare; *b*) quia indebite favet opinioni quorumdam « collegialistarum », iuxta quos unica ratio totius dignitatis et auctoritatis Petri in eo est collocanda quod sit caput collegii apostolici.

N. 21, pag. 62, lin. 28. Loco « ditati sunt » dicerem potius « *repleti* sunt ». *Ratio*: si apostoli dicuntur ditati Spiritu Sancto solummodo die Resurrectionis et die Pentecostes, quaeritur nonne per Spiritum Sanctum in ultima Coena munus acceperint consecrandi Corporis Christi (cf. *DB* 949). Unde illa *specialis* effusio Spiritus Sancti videtur data potius ad eos *replendos* quam ad eos simpliciter ditandos.

Pag. 62, lin. 38 - pag. 63, lin. 1. Tota propositio « Episcopalis autem... exerceri possunt » auferenda mihi videtur quia: *a*) interrumpit ordinem logicum idearum; *b*) quod maximum est, a theologis et canonistis optimae notae non admittitur et ideo, cum saltem controversa sit, Concilium prudenter abstinere debet a quacumque solutione.

Quaedam animadversiones mihi permittantur:

1. Cum plurimi theologi et canonistae negent omnino dari per consecrationem episcopalem potestatem iurisdictionis (et in hoc etiam Pius Pp. XII v. m. consentiit), stante acri controversia absonum videtur quod Concilium, nulla vere certa allata probatione, velit quaestionem dirimere (cf. studium exc.mi D. Staffa, ubi plurimae citantur auctoritates).

2. Unica ratio allata in pagg. 86-87 relationis est ratio liturgica; quae tamen, meo quidem iudicio, est ex se sola insufficiens ad gignendam illam certitudinem quae requiritur pro decisione conciliari. Etenim: *a*) *in genere,* formulae liturgicae (praesertim orientalium) pro more fere habent considerare, quasi eveniant illo praeciso momento liturgico, res quae e contra reapse iam factae sunt antea: cogita formulam epicleseos in oriente, aut offertorium Missae defunctorum in occidente; *b*) *in specie,* preces liturgicae pro consecratione episcoporum, quae citantur in praedicta relatione, confectae et adhibitae sunt quando non consecrabantur episcopi nisi iam legitime electi pro una determinata ecclesia particulari, ergo iam habentes missionem canonicam aliunde. Nihil proinde mirum quod illae pulcherrimae preces liturgicae sese effunderent in describendis tribus muneribus episcopalibus, quasi relativae potestates tunc tantum conferrentur. Huc accedit quod tunc temporis competens auctoritas, per legitimam consuetudinem, potuerat statuere ut potestas iurisdictionis cum ipsa consecratione daretur (id fit v. g. in Codice Orientali hodierno). Sed aliud est dicere: *vi* consecrationis, aliud *cum* consecratione.

Certum est quod formula *essentialis* consecrationis episcopalis in Liturgia Latina nullam continet mentionem potestatis iurisdictionis. Utique in parte descriptiva Liturgiae tria munera illustrantur, sed *post* formulam consecratoriam. Haec liturgia adhibetur etiam pro episcopis titularibus; etiam pro illis sermo fit de cathedra episcopali ad regendam plebem sibi commissam, quamvis nullam revera habeant; etiam pro illis sermo fit de grege sibi credito, quamvis nullum revera habeant.

Ergo formulae liturgicae ex se solae non valent dirimere quaestionem de origine potestatis iurisdictionis.

3. Consequentiae sunt sedulo attendendae doctrinae in schemate admissae:

a) Si enim potestas iurisdictionis non confertur nisi per consecrationem, quomodo erit verum quod Summus Pontifex iure divino habet plenitudinem potestatis iurisdictionis necnon et infallibilitatem a momento acceptae electionis? Si dicis: id fit ob votum suscipiendae consecrationis, respondeo votum (elementum nempe subiectivum) non posse agere, sicut Sacramentum, ex opere operato! *b*) episcopi residentiales, nondum consecrati, licet canonicam adepti possessionem, nullam haberent potestatem iurisdictionis nullumque ius sedendi in Concilio: quae, contra, ambo habent etiam ante consecrationem episcopalem; *c*) episcopi titulares per tot saecula privati fuissent exercitio illius potestatis iurisdictionalis quam, iuxta schema, vi consecrationis recepissent: iamvero vix admitti potest Summum Pontificem tamdiu inutilia reliquisse dona Dei a titularibus vi consecrationis recepta!

4. Textus emendatus indebite favet opinioni distinguentium inter *substantiam* potestatis iurisdictionis eiusque *exercitium*: quae distinctio, in subiecta materia, theologicis et canonistis optimae notae sine fundamento videtur.

5. Quinimmo, in pag. 63, lin. 1 dicitur « *exerceri possunt* » simulque siletur agaturne de exercitio valido an tantum licito.

6. Denique dicitur in pag. 63, lin. 1 « *cum collegii capite et membris* ». Sed dicendum esset simpliciter: « *cum Romano Pontifice* », quia *a*) praeproperum est loqui de capite collegii quando nondum sermo factus est de collegio episcoporum; *b*) inauditum est quod validum (vel licitum) exercitium potestatis iurisdictionalis episcoporum pendeat etiam a communione cum aliis episcopis! Sufficit profecto communio cum Romano Pontifice, quam qui habeat, virtualiter habet etiam cum episcopis habentibus singulis communionem cum Romano Pontifice, aiente Conc. Vaticano I: « ... ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore » (*DB* 1827).

Pag. 63, linn. 4-10 sic censeo esse emendanda: « perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis ita sacrum characterem et gratiam Spiritus Sancti conferri ut episcopi, eminenti modo, ipsius Christi *Summi ac Aeterni Sacerdotis* partes sustineant et in eius persona agant ». *Rationes* emendationis:

a) Character ante gratiam ponitur quia ille, non ista, dat configurationem cum Christo eiusque sacerdotii participationem. Character est titulus exigitivus gratiae, ut consecratus digne ac rite munere suo fungatur. In pag. 87, sub litt *K*) dicitur posita gratia ante characterem « ut idem ordo servetur ac in Concilio Tridentino ». Sed can. 4 Sess. XXIII Conc. Trid. (« Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse A. S. ») vult solummodo duos distinctos errores anathematizare, minime vero ordinem ponere inter gratiam et characterem!

b) vox « *imprimitur* » substituitur per vocem « *confertur* », quae est magis generica; ne videatur resolvi quaestio, adhuc legitime disputabilis, utrum character episcopalis sit nova impressio, scil. numerice distinctus a charactere presbyterali, an eiusdem amplificatio ac veluti extensio;

c) omittitur « *ac adspectabili* (modo) », quia hic non agitur de apparentia externa;

d) Consequenter ad ea quae de iurisdictione in pag. 11 dicta sunt omittuntur verba « *Magistri, Pastoris et* ». Character enim essentialiter configurat episcopum Christo Summo *Sacerdoti,* cuius *sacerdotii* episcopatus est plena partici-

patio *in ordine ad cultum divinum* (cf. *Summ. Theol.* III, q. 63, a. 3). Episcopi titulares dum plene participant sacerdotium Christi, non participant ex se eius apostolatum, scil. magisterium et pastoratum. Unde Pius XII ait: « Praeter apostolorum autem legitimos successores, scil. Romanum Pontificem pro universa Ecclesia, episcopos vero pro fidelibus suis curis commissis (can. 1326), alii magistri iure divino in Ecclesia Christi non habentur » (*A.A.S.,* 1954, p. 314).

Pag. 63, linn. 10-12. Nexus logicus cum praecedentibus non habetur nisi tota propositio sic emendetur: « Quare soli episcopi *consecrationem episcopalem* novis electis *conferre* possunt ». In textu schematis omnino indebite identificatur valida consecratio episcopalis cum ingressu in corpus episcopale; nam ingressus in *Ordinem* episcopalem (quod habetur etiam per consecrationem illicitam) fit ingressus in *Corpus* episcopale accedente elemento formali communionis cum Romano Pontifice.

N. 22, pag. 63, linn. 14-19. Haec propositio non potest accipi sic ut scribitur. Nam, iuxta Commissionem Biblicam explicite interrogatam, voluntas Domini est manifesta (ideoque dici potest « statuente Domino ») ut « collegium apostolicum a se fundatum maneat usque ad consummationem saeculi » (pag. 88), scil. ut coetus apostolicus maneat semper eadem ratione qua Christus illum voluit. Optime; sed qualis est ista ratio? Textus schematis incunctanter affirmat esse formam collegialitatis: quod est praecise probandum! Hic cardo omnium quaestionum!

Ergo nisi explicite in textu dicatur vocem « collegium » non importare nisi « coetum stabilem usque ad finem duraturum » (quin aliquid secumfert de *modo* et de *necessitate* agendi istius coetus), non potest acceptari neque locutio « *statuente Domino* », neque locutio « *Collegium... eadem ratione* ».

Ut comparatio logice procedat, et secundum membrum plene respondeat primo, sic tota propositio, meo quidem iudicio, esset emendanda: « Sicut *disponente* (vel: providente) Domino, S. Petrus et ceteri apostoli unum *coetum stabilem* constituunt, eadem ratione Romanus Pontifex, successor Petri, et episcopi, successores apostolorum, *arcte* inter se coniunguntur ».

Pag. 63, linn. 19-32. Rationes quae in hoc textu adducuntur ad probandam *indolem* et *rationem collegialem* (quae duo important hic agi de ipsa natura et de consequente agendi modo naturali coetus episcopalis, et quidem iure divino) coetus episcopalis, meo quidem iudicio, non sufficiunt ad gignendam certitudinem illam quae omnino necessaria est in re tanti ponderis. Etenim:

1. perantiqua disciplina « communionis » probat quidem intimam unionem inter episcopos et Romanum Pontificem; non probat vero hanc unionem esse indolis « collegialis »;

2. Concilia *Provincialia* non probant quia *a*) nata post duo saecula, sunt exercitium practicum, non necessarium, accidentale ob peculiaria adiuncta, ad quosdam tantum episcopos spectans, ergo iuris ecclesiastici, illius « communionis » episcopalis; *b*) phaenomenon ergo particulare cum sit, non potest probare naturam (natura enim est semper agens, eodem modo agens, necessario agens) intrinsecam, et quidem iuris divini, totius collegialitatis episcopalis;

3. Concilia *Oecumenica* comprobant quidem coetum episcopalem *posse* agere collegialiter, si et quando ad id vocetur a Romano Pontifice; minime vero probant coetum episcopalem *esse* naturae collegialis, scil. habere intimam ac *stabilem* naturam collegii, cum modo agendi proprio collegiorum;

4. Praesentia plurium episcoporum in consecratione novi electi — quae res episcopos ad summum unius tantum Provinciae, minime vero totius collegii, tangebat — non explicatur per collegialitatem, sed potius per alias rationes: v. g. ob rationem allatam ab ipsis antiquissimis Constitutionibus Apostolicis: « *nam duorum vel trium testimonium firmius est ac indubium* » (ed. F. X. Funk, vol. I, p. 217).

Cum igitur probationes a textu allatae non sint undequaque concludentes, etiamsi simul sumantur, censeo Concilio ab ipsis afferendis abstinendum esse.

Pag. 63, linn. 33-36. Haec propositio mihi videtur sic emendanda: « Membrum corporis episcopalis aliquis constituitur *vi* communion*is* cum *eiusdem corporis* capite ». Secus, auferendam propono, utpote quae solvat, sine debitis probationibus, quaestionem adhuc legitime disputabilem. Quaedam animadversiones:

a) Non intelligitur ratio diversae locutionis « *vi* sacramentalis consecrationis », et « communion*e* cum Collegii Capite ». Si ambo sunt elementa formalia, tunc eodem modo sunt tractanda. Si vero unum tantum est elementum formale, clare indicetur quale sit.

b) Consecratio non videtur esse elementum formale, quia invenitur etiam in haereticis et schismaticis episcopis; et tamen omnes consentiunt eos non pertinere ad *corpus* episcopale, quamvis indefectibiliter perseverent in *Ordine* episcopali. Ceterum quaestio ponitur: episcopus nondum consecratus, qui tamen habet plenam potestatem iurisdictionis in suam dioecesim per captam possessionem, pertinetne ad collegium episcopale? Plurimi theologi affirmative respondent, quia habet communionem cum Romano Pontifice, iurisdictionem episcopalem possidet et iure sedet in Concilio Oecumenico.

c) Ergo elementum formale unicum pertinentiae ad corpus episcopale est communio cum eiusmet corporis caput; cessante hac communione, episcopus desinit esse membrum corporis episcopalis licet, vi consecrationis, maneat in Ordine episcopali.

d) In textu requiritur etiam « communio cum membris Collegii ». Hoc mihi videtur aliquid novum, neque necessarium: videatur in pag. 12 textus Conc. Vaticani I. Quot perplexitates haberentur: estne necessaria communio cum omnibus episcopis? cum maiore parte? Et qui non habet communionem cum episcopis, habet tamen cum Romano Pontifice (cogita exemplum S. Athanasii ab orientalibus excommunicati, sed habentis communionem cum R. Pontifice!), pertinetne ad collegium episcopale?

e) In pag. 89 commissio theologica appellat, tamquam ad argumentum, ad suffragationem diei 30 octobris 1963. Haec appellatio tamen non erat facienda, quia: 1. valor illius suffragationis, ut omnes norunt, impugnatus est ob violationem art. 30 § 2 Ordinis Concilii celebrandi; 2. dicebatur in praeambulo illius suffragationis: « Vota Patrum... nullum textum adprobant vel reiciunt... competens deinde commissio conciliaris, debite, iuxta Ordinem Concilii, perpendet singulas Patrum interventiones ». Ergo mera suffragatio numerica non potest assumi tamquam argumentum ab illa commissione cuius est, iuxta Ordinem Concilii, perpendere *rationes* hinc inde allatas!; 3. in puncto 2 suffragationis dicebatur « omnem episcopum *legitime consecratum* in communione episcoporum et Romani Pontificis... membrum esse corporis episcoporum », quod valde differt a locutione schematis: « *vi consecrationis* et communion*e* etc. ».

Pag. 63, lin. 39. Loco « ut capite eius » videtur legendum, iuxta rectam latinitatem: « ut capite *suo* ».

Pag. 62, lin. 40. « integr*e* manente » vel potius « integr*a* manente »?

Pag. 63, lin. 38. Loco « nisi simul cum Pontifice Romano, successore Petri, ut capite eius intelligatur », simplicius et clarius videtur dicendum: « nisi *sub capite* suo Pontifice Romano, successore Petri, intelligatur ». Ratio est quia non sufficit ponere ideam unionis (= simul cum R. P.), quae haberetur etiamsi, in hypothesi, Pontifex esset tantum caput honorificum, sed requiritur etiam idea hierarchicae subordinationis (cf. Vat. I, *DB* 1827) qua erga Romanum Pontificem tenentur omnes episcopi etiam in Concilio congregati (cf. *Satis cognitum* Leonis XIII). Formula supra proposita has duas ideas simul bene comprehendit.

Pag. 64, lin. 4. Loco « quam semper libere exercere valet » dicerem: « quam semper libere *per seipsum* exercere valet ». Non sufficit enim loqui de libero exercitio, sed requiritur etiam conceptus quod Summus Pontifex *per seipsum* — ergo non cum corpore episcopali — potest exercere suam plenam potestatem. Immo hic conceptus, non autem conceptus libertatis, explicat (cf. « enim » pag. 63, lin. 42) cur dicatur manere integra potestate Primatus.

Pag. 64, linn. 5-7. Auferenda censeo verba: « qui collegio apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat », utpote quae haud mediocrem difficultatem faciant: *a*) Quod *collegium* (episcopale) succedat *collegio* (apostolico) difficultatem facit historicam, nam primi episcopi co-extiterunt simul cum apostolis, veluti duo collegia parallela; *b*) quod autem collegium (apostolicum) perseveret in collegio (episcopali) difficultatem facit et historicam et dogmaticam, nam non constat primos episcopos sese considerasse tamquam membra collegii apostolici, neque dici potest perseverare idem numero collegium apostolicum in episcopis, quando episcopi non habent eadem omnino munera ac apostoli.

Pag. 64, linn. 5-10. Legitur: « Ordo autem episcoporum... subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam existit ». Quaedam animadversiones:

a) Non intelligitur cur loco « *Corpus* autem episcoporum » dicatur « Ordo »: quae vox potius indicat, saltem apud hodiernos, sacramentalitatem quam structuram iuridicam.

b) Illud « quoque » afficit subiectum « Ordo », non autem praedicatum « subiectum »; unde, iuxta rectam latinitatem, dicendum est « Ordo *quoque* episcoporum etc. ».

c) Est impossibile uti unica formula, quae aeque bene valeat pro potestate magisterii et pro potestate gubernii; sunt enim duae diversae realitates quae diverso modo procedunt. Etenim:

1. Si agitur de potestate *magisterii infallibilis*, potest admitti quod corpus episcopale existat subiectum supremae huius potestatis. Magisterium enim ordinarium est semper in actu, ex natura sua, etiam quando non celebrantur Concilia Oecumenica. Sed cum infallibilitas non suscipiat magis ac minus, incongrue haec potestas dicitur plena, quasi existeret infallibilitas minus plena.

2. Si agitur, e contra, de potestate *gubernii*, tunc corpus episcopale *non existit* subiectum permanens huius potestatis in universam Ecclesiam, sed *fit* subiectum quando Summus Pontifex id assumit ad conlegiferandum pro universa Eccle-

sia in Conciliis Oecumenicis, aut formis aequipollentibus, communicans ei hanc supremam potestatem collegialiter exercendam.

Extra Concilia, corpus episcopale non habet hanc potestatem, ne quoad substantiam quidem. In Concilio haec potestas non potest proprie vocari « plena », quia sunt quaedam quae pertinent personaliter ad Romanum Pontificem, uti Vicario Christi et clavigero supremo, quaeque proinde non possunt cum Concilio communicari.

Unde proponitur nova redactio: « *Corpus* autem *quoque* episcoporum, una cum Capite suo Romano Pontifice et numquam sine hoc capite, *in rebus fidei ac morum charismate gaudet infallibilitatis, in iis vero quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent, suprema pollet in universam Ecclesiam potestate cum collegialiter agit iuxta sui Capitis ordinationem* ».

N. B. Praeferenda videtur formula positiva « iuxta sui Capitis ordinationem » formulae negativae « quae quidem potestas independenter a Romano Pontifice exerceri nequit ». Neque valet ratio in contrarium allata in pag. 91 a commissione, nam etiam quando ordinatio statuitur a Concilio id fit praecise ex eo quod caput id statuerit, aut concesserit, aut approbaverit.

Pag. 64, linn. 14-20. Haec propositio non placet, ob rationes infra dicendas, et proponitur sequens emendatio: « Dominus *unum* Simonem ut petram et clavigerum Ecclesiae posuit (cf. *Mt.* 16, 18-19), eumque *fratrum confirmatorem in fide* (cf. *Lc.* 22, 32) *atque* Pastorem totius sui gregis constituit (cf. *Io.* 21, 15 sqq.); *potestatem* autem ligandi ac solvendi *omnibus simul apostolis,* suo capiti coniunc*tis,* tribut*am* esse constat (cf. *Mt.* 18, 18) ». *Rationes* emendationum:

a) Supprimenda est coniunctio « enim » lin. 13, quia quae sequuntur bene quidem explicant cur potestas R. Pontificis dicatur plena ac suprema, sed ex textu *Mt.* 18, 18 — iuxta votum Commissionis Biblicae ad hoc interrogatae — non constat de quanam praecise potestate agatur, an scil. de potestate doctrinali et disciplinari an solummodo de potestate remittendi peccata (prout contextus biblicus indicare mihi videtur), insuper non constat an de suprema ac plena potestate agatur. Mirum quod textus schematis nihil fecerit responsionem Commissionis Biblicae!

b) Potius quam « munus » dicitur « *potestas* ».

c) Potius quam « collegio apostolorum » dicitur « *omnibus simul apostolis* », quia ex *Mt.* 18, 18 non potest erui tributam esse potestatem Collegio, reduplicative uti tali.

d) Additur in lin. 15 « *fratrum confirmatorem in fide* », quia non decet ut, agendo de potestate plena et suprema Pontificis (ergo etiam in rebus fidei) sileatur textus *Lc.* 22, 32 qui respicit eius infallibilitatem personalem.

e) Pro lectione textus schematis afferuntur, in pag. 91 s. afferuntur diversae rationes, mihi quidem non probandae. Nam:

1. Recursus ad *Mt.* 28, 16-20 est insufficiens — testibus exegetis — ad demonstrandam in Corpore episcopali supremam ac plenam potestatem iurisdictionis permanenter existentem;

2. Appellatur ad testimonia traditionis, sed non indicantur quinam Patres de hac re particulari locuti sint;

3. Testimonia Conciliorum, uti iam diximus, non valent quia non probant, innecessaria cum sint et omnino sporadica, necessitatem existentiae perma-

nentis illius potestatis summae ac plenae in episcopis; immo Concilia numquam provocant ad textus *Mt.* 18, 18 aut *Mt.* 28, 16-20.

4. Ad rem nostram non facit prologus const. *Pastor aeternus* aiens: « ... ita in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi (*Mt.* 28, 20) esse voluit » (*DB* 1821/3050), quia hic textus nihil dicit de extensione potestatis singulorum pastorum in concreto.

5. Nec valet provocare ad schema Kleutgen Conc. Vat. I quia: *a*) illud schema numquam fuit discussum, ne in commissione quidem Vat. I: manet ergo sententia alicuius theologi; *b*) Kleutgen nullam instituit exegesim textus *Mt.* 18, 18: quae est quaestio fundamentalis in nostra quaestione; *c*) Kleutgen loquitur solummodo de episcopis, in Concilio coadunatis; ergo non de potestate permanenter existente in episcopis dispersis; *d*) Kleutgen loquitur solummodo de « supremo » munere, non autem etiam de « pleno ». Quinimmo, dicendo: « Verum etiam supremi muneris docendi et gubernandi universam Ecclesiam episcopi *expertes non sunt* », videtur intelligere apostolos quoque *participes* esse illius pontificii datum uni Petro: quod plene congruit cum Optato Milevitano aiente: « B. Petrus et praeferri omnibus apostolis meruit et claves regni caelorum communicandas ceteris solus accepit ». Ceterum inexplicabile foret cur Dominus dedisset soli Petro, quod deinde omnibus simul, nisi Petro non eadem mensura qua ceteris dedisset! Recolatur diversus contextus *Mt.* 16, 18 et *Mt.* 18, 18!

6. Relatio Zinelli, quae de sola quaestione infallibilitatis expresse agit, non semper est sibi constans. Aliquando loquitur de « suprema ac plena » potestate, aliquando de « plena »: quam plenitudinem videtur identificare cum « suprema », quia dicit: « plena ita ut coarctari non possit ab ulla humana potestate ipsa superiore, sed a iure tantum naturali et divino » (MANSI, 52, 1108 D). Quod profecto non potest dici de potestate iurisdictionis Concilii Oecumenici, cuius decreta possunt a Romano Pontifice abrogari in re disciplinae et regiminis! Insuper Zinelli loquitur de « suprema ac plena *ecclesiastica* potestate », non autem de potestate *iuris divini.*

Pag. 64, lin. 20. Loco « Collegium *hoc* » dicatur « Collegium episcoporum » quia immediate superius sermo est de apostolis, non de episcopis.

Pag. 64, lin. 26. Videntur delenda verba « *in bonum fidelium suorum* », quia *a*) superflua; *b*) si hic episcopi sumuntur tamquam corpus, directe eorum potestas dirigitur ad bonum Ecclesiae universalis; quin immo, in corpore sunt episcopi qui non habent « fideles suos ».

Pag. 64, lin. 26. Negandum videtur quod episcopi in Concilio coadunati fungantur potestate iurisdictionis *propria* (scil. non a Pontifice communicata) quoad gubernium Ecclesiae universalis. A fortiori negandum quod tali potestate fungantur extra Concilium, veluti permanenter, ut schema supponit.

Pag. 64, lin. 31. Deleantur verba « *sollemni modo* », ob eandem rationem ob quam deleta sunt verba « et extraordinario »: ne scil. videatur dirempta in sensu affirmativo quaestio utrum magisterium episcoporum dispersorum (quod certe sollemne non est) sit naturae collegialis necne.

Pag. 64, lin. 32. Loco « Romani Pontificis praerogativa est », dicatur: « *Unius* Romani Pontificis praerogativa est », ut excludatur quicumque alius (recte ita habetur in can. 222 § 1, *C.I.C.* per formulam negativam quae, suapte natura, est exclusiva), etiam Concilium Oecumenicum.

Pag. 64, lin. 39. Legatur « ab episcopis *per orbem dispersis* », quia etiam quando sunt in Concilio coadunati episcopi sunt in orbe terrarum degentes.

Pag. 64, lin. 39. Loco « dummodo Caput collegii eos... vocet » dicatur: « dummodo *Romanus Pontifex* »: etenim ipse episcopos vocat qua Vicarius Christi et Caput Ecclesiae; ista est functio eminenter potestatis vicariae. Ceterum, proprie loquendo, collegium non datur nisi postquam Pontifex episcopos vocaverit.

N. 23, pag. 65, linn. 21-24. Ut servetur littera et spiritus Enc. *Fidei donum,* ex qua idea sumitur, sic legendum videtur: « Sed qua legitimi apostolorum successores, singuli *una cum ceteris episcopis,* ea*m* sollicitudine*m* pro universa Ecclesia ex Christi institutione et praecepto *participare* tenentur etc. ». Agitur enim de obligatione quae singulos, sed una cum ceteris episcopis, tangit; et agitur de *participatione* illius sollicitudinis quae principaliter humeros Pontificis Romani aggravat.

Pag. 66, lin. 8. Auferantur verba « *inter se et* », quia non demonstratur dari obligatio ex praecepto Christi ut episcopi in laborum societatem veniant, in primis, *inter se.* Tam hoc est verum, quod in subsequentibus linn. 16-19 recurritur sapienter ad exhortationem ratione caritatis.

Pag. 66, lin. 23. Loco « in plures coaluerint coetus » dicerem: « in *diversos* coaluerint coetus ». Scil., potiusquam ad rationem numericam attendendum est ad relationem qualitativam.

Pag. 66, lin. 24. Post verba « salva fidei unitate » addenda censeo: « *atque cum Petri cathedra servata communione* ». Haec duo elementa debent esse simul salva, et sunt ambo substantialia.

Pag. 66, lin. 36. Loco « ut collegialis affectus » dicatur: « ut *fraternus* affectus »; nam a conferentiis episcopalibus omnino excludenda est ratio collegialitatis.

N. 24, pag. 67, lin. 23. Sic propositio complenda videtur: « quo renuente seu communionem apostolicam denegante *vel auferente,* episcopi in officium assumi *vel in eo permanere* nequeunt ». Additamentum eo tendit ut saltem innuatur legitimitatem ministerii episcopalis requirere communionem apostolicam non tantum in initio sed semper.

N. 25, pag. 68, lin. 16. Auferantur verba: « *inter se et* » quia continent elementum minime essentiale, ut iam bis diximus.

Pag. 68, lin. 17. Loco « res fidei et morum » dicatur cum Vat. I (*DB* 1839): « res fidei *vel* morum ».

Pag. 68, lin. 18. Loco « tamquam definitive tenendam » dicatur cum Vat. I (*DB* 1839): « tamquam definitive *ab universa Ecclesia* tenendam ».

Pag. 68, lin. 25. Auferantur verba « qua divinus Redemptor... instructam esse voluit », secus identificaretur infallibilitas corporis episcopalis cum infallibilitate Ecclesiae, quasi haec in illa exhauriretur. Cum hac gravi consequentia quod, iuxta pag. 69 lin. 5, infallibilitas Papae identificaretur cum infallibilitate corporis episcopalis, et videretur ipsi communicata a corpore episcopali.

Pag. 68, lin. 30. Loco « Qua quidem infallibilitate Romanus Pontifex, collegii episcoporum caput vi muneris sui gaudet », legatur: « *Etiam* Romanus Pontifex, vi muneris sui infallibilitatis *charismate* gaudet, quando etc. ». *Rationes* emendamentorum:

a) Formula a schemate adhibita videtur identificare infallibilitatem Pontificis cum infallibilitate corporis episcopalis.

b) Non obstantibus explicationibus datis a relatione, comma illud « collegii episcoporum caput » saporem habet inadmissibilis reduplicationis, praesertim cum immediate dicatur « vi muneris sui » quin specificetur quodnam sit istud munus. Ergo, claritatis gratia, auferantur: ceterum satis superque in schemate dictum est Romanum Pontificem esse caput collegii episcoporum.

Pag. 69, linn. 3-5. Loco « sed ut universalis Ecclesiae magister supremus, in quo charisma infallibilitatis ipsius Ecclesiae singulariter inest » legendum proponitur: « sed ut universalis Ecclesiae magister *ac pastor* (ut habetur in Vat. I *DB* 1839), charismate infallibilitatis singulariter *pollens,* doctrinam etc. ». *Ratio* emendamenti: in schemate charisma infallibilitatis concipi videtur ad instar cuiusdam formae inhaerentis Romano Pontifici; immo tamquam forma ipsi communicata ab Ecclesia, scil. a corpore episcopali!

Pag. 69, linn. 7-10. Verba « Infallibilitas Ecclesiae... exercet » videntur omittenda, utpote superflua. Iam enim in pag. 68, linn. 13-24 dicta sunt. Si autem commissio retinenda censet, saltem ita emendet, ob rationes supra allatas: « *Etiam* corpus episcoporum charismate infallibilitatis *pollet,* quando supremum magisterium etc. ».

Pag. 69, lin. 10. Loco « Istis autem definitionibus » dicatur clarius: « Definitionibus autem *Romani Pontificis aut corporis episcopalis* assensus Ecclesiae etc. ».

N. 26, pag. 69, lin. 33. Loco « in Eucharistia » dicerem: « *per* Eucharistiam ».

Pag. 70, linn. 19-21. Auferenda censeo verba « eius particulari iudicio ulterius pro dioecesi determinatas », utpote superflua. Etenim ulterior determinatio singulis episcopis licet si et in quantum ab Ecclesiae legibus eis permittantur.

Si tamen commissio censet verba retinenda, saltem mutetur « eius particulari iudicio » in « *ipsius* particulari iudicio », et « pro dioecesi determinatas » in « pro dioecesi *legitime determinatas* » (ut habebatur in schemate priore).

Pag. 70, lin. 22. Loco « Ita episcopi » legatur: « *Item* episcopi »; agitur enim de introducendo novo ordine idearum.

N. 27, pag. 71, linn. 3-4. Loco « consiliis, suasionibus, exemplis, verum etiam auctoritate etc. » legatur: « *non solum* consiliis, suasionibus, exemplis, verum etiam etc. ». Additamentum exigitur ab illo « verum etiam » cui praecedere debet « non solum ». Ita in *DB* 1505 legitur, unde haec verba desumpta fuerunt.

Pag. 71, linn. 15-19. Haec propositio « Vi huius potestatis... moderandi » melius videtur transferenda immediate post lin. 9; ita ut, quae dicuntur in linn. 10-15 de limitabilitate exercitii potestatis, applicentur quoque potestati leges ferendi, iudicium faciendi et ita porro.

Pag. 71, linn. 9-15. Haec propositio mihi non videtur admittenda nisi cum sequentibus emendationibus: « Haec potestas qua, nomine Christi, personaliter funguntur, est propria, ordinaria et immediata, licet ex Christi institutione a suprema Ecclesiae *potestate* ultimatim regatur et certis limitibus, intuitu *unitatis* ac utilitatis Ecclesiae vel fidelium, *circumscribatur* ». *Rationes* emendationum:

a) Loco a « suprema Ecclesiae auctoritate » ponimus: « a suprema Ecclesiae *potestate* » ut correspondeat potestati episcoporum;

b) Additur: « *ex Christi institutione* » ut clare appareat hanc limitationem originem habere ex voluntate Fundatoris Ecclesiae;

c) Ponimus « intuitu *unitatis* et utilitatis », quia unitas Ecclesiae est primum bonum servandum (cf. S. THOMAM, *Contra Gent.* IV, 76);

d) Schema videtur praesupponere potestatem episcoporum esse ex se illi-

mitatam, at solummodo eius exercitium esse limitabilem. Sed id admittere nequimus. Perperam distinguitur inter substantiam potestatis iurisdictionis eiusque exercitium, ut alias diximus. *Potestas* singulorum episcoporum est *natura sua,* iam in sua origine, limitata; sunt quaedam quae, natura sua, non possunt non spectare ad Romanum Pontificem; secus destrueretur structura Ecclesiae supra Petrum fundatae. Iuxta Leonem XIII *ipsa potestas* episcoporum (non ergo eiusmet exercitium) « neque plena, neque summa, neque universalis est... certis circumscripta finibus nec plane sui iuris » (Enc. *Satis cognitum*).

Pag. 71, lin. 24. Loco « antistites dicuntur » legendum est: « antistites *Ordinarii* dicuntur ». Ut habetur in *Satis cognitum,* unde haec verba sunt desumpta; et ut exigitur a logico nexu idearum. Non enim episcopi vocantur « antistites » quia ipsis est habitualis et quotidiana cura animarum; ob hanc rationem vocantur, e contra, « Ordinarii ».

Pag. 71, lin. 20. Loco « Ipsis munus pastorale, seu habitualis » legatur: « Ipsis munus pastorale ordinarium, seu habitualis etc. ». *Ratio* supra allata est.

Pag. 71, lin. 32 - pag. 72, lin. 14. Liceat dubitare num hic sit locus proprius, an potius in schemate *de munere pastorali episcoporum,* agendi de rebus asceticis, optimis quidem et verissimis, sed ad constitutionem hierarchicam Ecclesiae directe non spectantibus!

N. 28, pag. 72, linn. 18-21. Sic emendanda propono: « Potestas *Ordinis sacri* quae ex *instituto* Christi in episcopis residet, vario gradu variis subiectis in Ecclesia legitime participatur ». *Rationes* emendationum:

a) Hic non potest esse sermo nisi de potestate Ordinis; presbyteri enim et diaconi non pertinent ad hierarchiam iurisdictionis, ex sese. Ita habetur in Trid. (*DB* 960 et 966) et in *C.I.C.,* can. 108 § 3.

b) Non « ex missione » sed « ex institutione Christi », ut recte habetur in citato can. 108 § 3, *C.I.C.*

c) Melius « participari » quam « demandari » dicitur potestas Ordinis.

Pag. 73, linn. 3-4. Loco « ministerium reconciliationis et alleviationis summe funguntur » proponitur: « ministerium reconciliationis et alleviationis *ex officio exercent* ». Nam, quid significat « summe » funguntur?

Pag. 74, lin. 13. Ratione latinitatis dicatur « ut bo*nos* pastores », quia pendet ab infinitivo; vel « *boni Pastoris instar* ».

Pag. 74, lin. 15. Loco « a fide defecerunt » dicatur « a fide defecer*int* », ratione latinitatis.

Pag. 74, lin. 18. Loco « sub ministerio episcoporum et Summi Pontificis » dicatur: « sub *auctoritate* episcoporum et Summi Pontificis ». Ratio est evidens.

Cap. IV - *De laicis.*

N. 30, pag. 117, lin. 5. Loco « ad laicos, religiosos et clericos aequaliter diriguntur, laicis tamen... », proponitur: « ad laicos *sicut ad* religiosos et clericos diriguntur, laicis tamen etc. ». Sequela idearum sic melius currit.

Pag. 117, lin. 7. Loco « ratione condicionis et missionis » dicatur: « ratione *suae* condicionis et missionis ».

Pag. 117, lin. 18. Loco « ut cuncti suo modo » legatur « ut cuncti suo *quisque* modo ».

N. 31, pag. 117, linn. 31-33. In hac definitione mihi videntur supprimenda verba « christifideles » lin. 31 et « christifideles scil. » lin. 32; secus definitio esset tautologica (christifideles idem est ac baptizati), et laici definirentur per id quod

est eis commune cum religiosis et clericis. Unde sic esset definitio: « Nomine laicorum hic intelliguntur *ii* omnes, praeter membra ordinis sacri et status religiosi in Ecclesia sanciti, qui, utpote baptismate Christo concorporati etc. ».

Pag. 118, lin. 1. Loco « in populum Dei constituti » dicatur « *populo Dei aggregati* », nam populus Dei, iuxta acceptionem sancitam in cap. II, non constituitur solis laicis. Secus esset, si relicta esset laicis denominatio antiqua « plebs (sancta) Dei », « plebs Dei », quae in Liturgia (v. g. in anamnesi Missae) et in Patribus (v. g. S. Cypriano) eos a clero contradistinguebat.

Pag. 118, lin. 4. Loco « pro sua parte missionem totius populi christiani in Ecclesia et in mundo exercent » propono: « pro sua parte missionem *Ecclesiae* in *ipsa* Ecclesia et in mundo exercent ». *Rationes*: *a*) non congruit ut in eadem propositione sermo fiat de « populo Dei » et de « populo christiano » quasi sint duae res diversae; *b*) missio a Christo directe Ecclesiae commissa est.

Pag. 118, lin. 15. Loco « ratione vitae » dicatur « ratione vitae *suae* ».

Pag. 118, lin. 21. Loco « Ibi a Deo vocantur, ut suum proprium munus etc. » dicatur: « A Deo vocantur ut *ibi* suum proprium munus exercendo etc. ».

N. 32, pag. 119, lin. 17. Lectio textus prioris « et pastores *super alios* constituuntur » emendata est, forsan ob timorem sic dicti clericalismi, in « et pastores *pro aliis* constituuntur ». At redeundum est ad textum priorem, nam *a*) id requiritur ut servetur ordo logicus; praecise, enim, quia *super alios* constituuntur, subiungitur statim « vera *tamen* inter omnes viget aequalitas »; *b*) idea est omnino biblica; recolatur « oboedite *prae*positis vestris » (S. Paulus); *epi*scopus; hier*archia,* etc.

Pag. 119, lin. 21. Legitur: « inter *sacros ministros* et reliqua membra ». Redeatur ad textum priorem dicentem: « inter *sacram hierarchiam* et reliqua membra », ob rationes supra allatas.

N. 33, pag. 120, lin. 14. Loco « est participatio » dicatur « est participatio *quaedam* »; nam non est univoca.

Pag. 120, lin. 24. Sic compleatur: « nonnisi per eos sal terrae *et lux mundi* evadere potest ».

N. 34, pag. 121, lin. 12. Loco « etiam sui muneris sacerdotalis partem tribuit » proponitur: « etiam sui muneris sacerdotalis *participationem quamdam* tribuit ». Ob rationem superius allatam.

Pag. 121, lin. 17. Sic compleatur: « conversatio coniugalis, familiaris *et socialis* ».

Pag. 121, lin. 21. Sic compleatur: « quae *praesertim* in Eucharistiae celebratione etc. ».

N. 35, pag. 122, lin. 17. Loco « officia sacra pro facultate supplent » dicerem « *ad quaedam munera ecclesiastica* pro facultate *adsumuntur* ». *Rationes*: *a*) non agitur de vera supplentia; *b*) « munus » latius patet quam « officium »; *c*) agitur solummodo de muneribus iuris ecclesiastici.

N. 36, pag. 123, lin. 40. Loco « et ea quae eis competunt, ut sunt humanae societatis membra » dicerem: « et ea quae eis competunt, ut sunt *civilium* societa*tum* membra ». *Rationes*: *a*) « civilis » potius quam « humana », quia etiam Ecclesia quodam vero sensu est societas humana; *b*) in plurali, « societatum », quia praeter Statum sunt aliae legitimae societates ad quas christifideles pertinent.

Pag. 124, lin. 14. Loco « extruere contendit et libertatem religiosam civium etc. » legendum propono: « exstruere contendit *aut* libertatem religiosam

civium etc. ». *Ratio*: pariter reicienda est doctrina quae, licet servet libertatem religiosam civium, contendit tamen societatem extruere nulla habita religionis ratione.

N. 37, pag. 124, lin. 27. Legendum videtur ut in textu priore « Hoc *tamen* fiat etc. », nam nexus idearum illud « tamen » exigit.

Pag. 125, lin. 1. Redeundum videtur ad textum priorem, forsan mutatum ob timorem « clericalismi ». Dicatur ergo: « quasi rationem pro animabus *subditorum* (aut saltem: " sibi commissis ") reddituri ». *Rationes*: *a*) locutio « pro animabus *nostris* » est omnino incongrua, quia cum in antecedentibus sermo sit de « *praepositis* », terminus correlativus non potest esse « nos » (in quo venirent etiam ipsi praepositi!), sed « subditi »; *b*) est locutio biblica, immo invenitur in ipso citato textu S. Pauli *Hebr.* 13, 16: « ... et *sub*iacete eis »!

Pag. 125, lin. 7. Loco « eis in servitium Ecclesiae officia committant » dicerem, iuxta superius dicta: « eis in servitium Ecclesiae *munera ecclesiastica ipsis congruentia* committant ».

Pag. 125, lin. 15. Loco « observanter agnoscent » melius dicetur: « observanter agnosc*a*nt ».

Cap. V - *De universali vocatione, etc.*

N. 40, pag. 140, lin. 14. Loco subobscurae locutionis « in fidei baptismate » dicatur simpliciter « *in baptismate* ».

N. 41, pag. 142, lin. 27. Loco « Quibus accedunt illi *a Deo* electi laici » dicatur « Quibus accedunt illi electi laici »; non enim datur electio ex parte Dei.

Pag. 142, lin. 42 - pag. 143, lin. 9. Non placet quod sermo fiat solummodo de laboribus « duris », aut « fabrilibus ». Cuiusvis enim generis labores ad spiritualitatem vocantur. Propono igitur hanc lectionem: « Ii vero, qui *cuiusvis generis* incumbunt laboribus... verum etiam ut Christum, qui *vel fabrilibus* se exercuit et qui semper etc. ».

Cap. VI - *De religiosis.*

N. 45, pag. 157, lin. 33. Ut ratio allata in pag. 164 *B*) valeat, sic legendum puto: « ratione sui in universam Ecclesiam primatus *iurisdictionis* ».

Pag. 157, lin. 35. Loco « ei soli » recta latinitas postulare videtur « *sibi* soli ».

N. 46, pag. 158, lin. 39. Loco « ut exemplo tot sanctorum fundatorum comprobatur » melius diceretur: « ut exemplo tot sanctorum *religiosorum* comprobatur ». Nam non solum Fundatorum sed etiam aliorum Religiosorum, qui multo numerosiores sunt quam Fundatores, valet exemplum.

Cap. VII - *De indole eschatologica, etc.*

Titulus non placet. Propono: « De unione *Ecclesiae militantis* cum Ecclesia *triumphanti* ». Non est cedendum timori sic dicti « triumphalismi ». Vox « eschatologia », « eschatologicus », de qua hodie abusus fit, non est profecto clarior quam vox classica et biblica « triumphans ». Ceterum « ecclesia caelestis » minus dicit quam « ecclesia triumphans », in qua locutione bene exprimitur corona triumphi concessa victoribus post exantlatos labores in ecclesia militanti.

N. 48, pag. 181, lin. 2. Non expedit incipere caput per negationem quamdam et per praepositionem « tamen » cui nihil correspondet. Dicatur ergo sic: « In terris non consummatur sanctitas etc. ».

N. 50, pag. 183, lin. 15. Loco nimis generici « sacrificia » dicatur: « eucharisticum sacrificium » vel « sacrosanctum Missae sacrificium ».

N. 51, pag. 185, lin. 7. Loco « cum pietate recipimus » dicatur « cum pietate *haec Sacrosancta Synodus* recip*it* ».

Pag. 185, lin. 16. Sic compleatur: « non tam in actuum exteriorum multiplicitate *aut nimia pompa* quam potius etc. ».

Cap. VIII - *De Beata Maria Virgine Deipara.*

N. 52, pag. 198, linn. 4-6. Sic amplificata legenda propono: « Quapropter etiam ut *Ecclesia Mater simulque* supereminens prorsusque singulare eiusdem membrum nec non etc. ». *Ratio*: hoc modo, saltem semel, ad exsecutionem mandatur desiderium expressum a S. Pontifice Paulo VI in allocutione ad Patres Concilii, « ... ita ut nomine " Matris Ecclesiae " eam possimus ornare » (*A.A.S.,* 1964, pag. 37).

Pag. 198, lin. 14. Clarius sic legatur: « in mysterio Incarnati Verbi *eiusdemque* Corporis mystici ».

N. 53, pag. 199, lin. 13. Sic legatur: « quando Filius Dei humanam naturam *ex ea* assumpsit », ut sic appareat ratio cur superius dicatur instaurari cum Maria nova oeconomia.

Pag. 199, linn. 24-29. Non placet textus. Immaculata Conceptio affirmanda est *in recto,* tamquam dogma fidei iam definitum quia in divina Revelatione contentum; minime vero in obliquo, quasi solummodo a Patribus usu appellata. Insuper affirmanda est Immaculata Conceptio in toto suo conceptu, prout e verbis Definitionis patet. Unde sic legendum propono: « Quoniam autem B.ma Virgo haud minor poterat esse quam Dei Matrem decebat, *ipsa in primo instanti suae conceptionis, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservata est immunis. Unde* apud Sanctos Patres usu*s* invalu*it* quo Deiparam appellarunt " totam sanctam ", quasi a Spiritu Sancto plasmatam novamque creaturam formatam ».

Sic potest supprimi in pag. 201, lin. 32, utpote inutile et forsan extra suum locum logicum, comma illud « ab omni originalis culpae labe praeservata immunis ».

Pag. 200, lin. 28. Loco illius «primogenitum », quod explicatione pro legentibus indigeret, dicatur « *unicum* » vel « *unigenitum* ».

Pag. 201, lin. 21. Addatur: « data est, *simulque ei uti filius vicissim datus est discipulus* » (cf. *Io.* 19, 26-27). *Ratio*: ut completa sit significatio verborum Christi, duo aspectus sunt ponendi.

N. 54, pag. 202, lin. 2. Auferenda videtur vox « absolutam », quia non omnibus exegetis patet verba S. Pauli habere significationem absolutam.

Pag. 202, lin. 37. Loco « multiplici intercessione sua » dicatur « multiplici *interventu* suo », nam Maria intervenit modis etiam diversis ab intercessione.

Pag. 203, lin. 6. Loco « Quod tamen ita intelligendum est », claritatis gratia, proponitur: « Qu*i* tamen *titulus* ita intelligendu*s* est ».

Pag. 203, lin. 22. Claritatis causa sic legi potest: « quae *et ipsa* iure mater vocatur et virgo ».

Pag. 203, linn. 34-40. E conceptu matris non tantum aspectus generationis est explicite statuendus, sed etiam aspectus educationis sive physicae sive spiri-

tualis. Unde maternitas Ecclesiae initium sumit per *generationem* baptismalem, *alitur* per sacramenta praesertim per Eucharistiam, completur per *educationem* ope praedicationis verbi Dei. Tota propositio sic posset ampliari: « Iamvero Ecclesia, arcanam *Mariae* sanctitatem contemplans et caritatem imitans, voluntatemque Patris fideliter adimplens, *per virtutem Altissimi sibi obumbrantem* (cf. *Lc.* 1, 35 et *Act.* 1, 8) et ipsa fit mater; baptismo enim filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat; *sacramentis, Eucharistia praesertim, alit*; praedicatione *verbi Dei educat.* Et ipsa est virgo etc.

Pag. 204, linn. 5 s. Constructio litteraria non est perspicua. Propono sic legendum: « *Sicut* autem Ecclesia in B.ma Virgine perfectionem *illam* iam *attigit* qua sine macula et ruga *revera* existit, *ita* christifideles *omnes* nituntur ut etc. ».

Pag. 204, lin. 17. Loco « maxime fidei placita » legendum censeo cum textu priore « maxim*a* fidei placita ».

Pag. 204, lin. 18. Sic compleatur: « cum praedicatur *et colitur* ».

Pag. 205, lin. 12. Loco « approbavit » ponendum videtur: « appro*bat* ». Sic enim statuitur regula semper valida.

Pag. 205, lin. 14. Post verba « propter quem omnia » fortasse ceciderunt verba « *creata sunt* ».

Pag. 206, lin. 10. Potius quam « a *vera* fide » dicendum videtur: « ab *integra* fide ».

N. 56, pag. 206, lin. 34. Videtur legendum: « sive *quae* christiano nomine decorantur, sive *quae* Salvatorem suum etc. ».

Pag. 207, lin. 22. Loco « ... ardorem apostolicum... expleamus » videtur melius dicendum: « ... ardor*e* apostolic*o*... *re*pleamu*r* ».

15

Exc.mus P. D. ALFREDUS CAVAGNA

Episcopus tit. Tianus

Cap. I - *De Ecclesiae mysterio.* N. 6, pag. 11, riga 25. Si afferma che la Chiesa *ab apostolis extruitur* e non si dice nulla di Pietro. È vero che poi se ne parla al n. 8, pag. 15, riga 21, ma starebbe meglio se fosse già inserito prima.

In genere quanto si riferisce nello schema specie al capo III del Collegio Episcopale, della giurisdizione dei Vescovi derivata dalla consacrazione, ecc. e a nuove definizioni sarebbe preferibile dichiarare soltanto quanto risulta con assoluta certezza dai Padri della Chiesa e dagli scrittori ecclesiastici dei primi tempi: attenendosi alla norma data da Papa Giovanni XXIII nel discorso di apertura del Concilio, di astenersi cioè dal proclamare nuovi dogmi. Come d'altronde è così saggiamente espresso al n. 52, pag. 198 a proposito della beata Vergine Maria. Si eviterà in tal modo definizione che per lo scarso numero dei votanti finirà col non accontentare né i favorevoli, né i contrari, né i dubbiosi.

Cap. IV - *De laicis.* Pag. 136. Nella « *Relatio generalis* » a proposito dell'*Azione Cattolica* è detto: « Quod ad Actionem Catholicam attinet, vox in Capite non nominatur utpote decursu temporum vario sensu adhibita, principia autem clare statuuntur ». Sarà bene che il relatore veda anche quanto è stato osservato a proposito dello schema « *De apostolato laicorum* » a proposito dell'Azione Cattolica.

Ottimo l'aver richiamato ai laici la loro dignità cristiana e aver ripetutamente affermato (v. g. pag. 119, lin. 14) « *Omnes ad sanctitatem vocati* ». Ma rimane sempre sottinteso e spiace che non sia mai esplicitato (e questo anche per i sacerdoti) come sia indispensabile per raggiungere questa santità, secondo gli insegnamenti di nostro Signore: « Oratio et ieiunium »: si finirà col coltivare una santità solo sentimentale e immaginaria e non si otterrà mai la vera carità verso Dio e il prossimo.

16

Exc.mus P. D. TELESPHORUS IOANNES CIOLI
Episcopus Aretinus

La collegialità episcopale. (Proposta per il rinvio definitivo della discussione sull'argomento).

Tenuto conto:

a) dei contrasti verificatisi nel corso della seconda Sessione, quando venne posto sul tappeto il problema della collegialità episcopale, che non sembrano sopiti o superati in questo intervallo conciliare;

b) delle perplessità che non possono non suscitare le riserve e le stesse argomentazioni di carattere storico, teologico, scritturistico di quanti si sono espressi contro la collegialità, anche nella forma in cui viene presentata nella redazione del nuovo schema;

c) dei riflessi di modesta importanza che si avrebbero sul piano pratico e pastorale, quando la collegialità venisse affermata in forma solenne, anche se non definita, da non commisurare al disagio che si creerebbe in un'aliquota non trascurabile di Padri,

Si domanda se non sia il caso di accantonare la questione e rimandarla, per un esame più sereno, più approfondito, più completo allo studio dei competenti. Il Concilio potrebbe così dedicarsi, con maggiore serenità, e con animo più disteso, all'esame dei problemi che più direttamente e più urgentemente interessano l'azione pastorale che sono i grandi problemi dell'ora, e che, nella mente del Papa Giovanni XXIII, dovrebbero caratterizzare il presente Concilio.

Peraltro non si vede la necessità, molto meno l'urgenza, di un pronunciamento del Concilio in un senso o nell'altro. Infatti:

1. Dal punto di vista dommatico non si debbono smascherare o combattere eresie, e dal punto di vista pratico non sembra che dalla promulgazione della collegialità abbia a rafforzarsi l'autorità dei singoli Vescovi, mentre, per quanto riguarda la solidarietà che deve esistere nell'episcopato, basta richiamarsi al Vangelo, cioè alla legge della carità. È forse necessario sentirsi membri di un collegio, riconosciuto come tale da una affermazione solenne del Concilio, perché chi ha debba dare e chi non ha possa chiedere? o perché un Vescovo, guida e pastore di una diocesi, abbia ad essere riconosciuto come tale più di quanto non lo sia stato nel passato?

2. Nemmeno sembra che la proclamazione della collegialità, nella ipotesi venga fatta, possa servire ai fini di un dialogo più efficace coi fratelli separati, essendo tali e tante le distanze da accorciare che non possono far perno sul tema della collegialità. Forse, al momento attuale, l'unica cosa fattibile in questo campo,

è la distensione, che sembra già in atto, e più la creazione di un clima psicologico, che renda possibile il dialogo, da condursi quando e nelle forme che saranno indicate dalla suprema Autorità della Chiesa.

3. Ugualmente non si ritiene indispensabile una presa di posizione sulla collegialità per l'approfondimento del mistero della Chiesa, per il quale serve più l'analisi delle note prevalentemente spirituali, che non di quelle prevalentemente giuridiche.

4. Peraltro certe preoccupazioni dei Padri, favorevoli alla collegialità episcopale, quali il desiderio di vedere ampliate, di conseguenza, le facoltà dei Vescovi; diversamente regolate, o anche ridotte le competenze dei sacri Dicasteri romani, sono, in parte, cadute a seguito delle speciali facoltà già concesse dal S. Padre, che potranno essere anche accresciute e dalla stessa riforma dei Dicasteri romani, già annunziata, ai fini di una loro maggiore efficienza e rappresentatività.

Il modesto parere, sopra espresso, sembra trovar riscontro nella mente del Papa, il quale, nella Enciclica *Ecclesiam suam* mette in guardia da sterili discussioni e da incresciose scissioni: « ... siamo fiduciosi — Egli scrive — che l'opera del Concilio sarà assistita dal lume dello Spirito Santo e sarà proseguita e condotta a buon fine con tale docilità alle sue divine ispirazioni... *non già per dividere gli animi in sterili discussioni o in incresciose scissioni, ma per condurli a migliore chiarezza e concordia,* che ne abbia gloria Dio, gaudio la Chiesa, edificazione il mondo » (n. 13).

Mentre specifica quali siano i punti da approfondire nello studio della Chiesa: « Ancor prima di proporsi lo studio di qualche particolare questione ed ancor prima di considerare l'atteggiamento da assumere a riguardo del mondo che la circonda, la Chiesa deve, in questo momento, riflettere su se stessa per confermarsi nella scienza dei divini disegni sopra di sé, per ritrovare maggiore luce, nuova energia e miglior gaudio nel compiere la propria missione e per determinare i modi migliori per rendere più vicini, operanti e benefici i suoi contatti colla umanità, a cui essa stessa, per caratteri propri, inconfondibili, appartiene » (n. 7; cf. anche nn. 3 e 15).

17

EXC.MUS P. D. ALBERTUS FRANCISCUS COUSINEAU
Episcopus Capitis Haitiani

Quoad schema constitutionis *de Ecclesia,* cap. VII: *De indole eschatologica vocationis nostrae ac de nostra unione cum Ecclesia caelesti,* haec sunt animadversiones quae mihi videntur faciendae, p. 183, in textu emendato, n. 50 (olim 56, pag. 1), linn. 17 s.

Hic est textus: « ... Apostolos autem et martyres Christi, qui sui sanguinis effusione supremum fidei et caritatis testimonium dederant, in Christo arctius nobis coniunctos esse Ecclesia semper credidit eosque simul cum B. Virgine Maria et sanctis Angelis peculiari affectu venerata est (6) (B) ».

Haec est additio textui a me proposita post nomen B. M. Virginis facienda: *et B. Ioseph eius sponso necnon,* ita ut haec pars textus legi potest sequenti modo: « Ecclesia semper credidit eosque simul cum B. Virgine Maria et B. Ioseph eius sponso necnon sanctis angelis peculiari affectu venerata est (6) (B) ».

Ratio talis additionis non propter miram devotionem deprehenda est sed ad veritatem amplius manifestandam necnon iustitiam circa B. Ioseph, virum Mariae.

Quoad veritatem. a) Deus in sua immutabili sapientia voluit incarnationem Filii sui in sinu immaculato Mariae fieri operatione S. Spiritus, sed « cum esset desponsata viro cui nomen erat Ioseph » (*Lc.* 1, 18). S. Hieronymus nobis affert rationes multas ad convenientiam istius facti demonstrandam (Liv. 1, Com. de Cap. 1 S. Matt.).

Istius modi agendi divinae Sapientiae rationem habere debemus in textu supra citato (cap. VII, linn. 17 s.) et, maximo cum respectu divini ordinis in Nazareth constituto, primarium locum attribuere nomini B. Ioseph post nomen B. M. Virginis, eius sponsae.

b) Primus locus ille, in textu nostro, tanto magis S. Ioseph debetur quod partem maximi momenti tenuit, cum Maria et in unione cum ea, in Incarnationis et Redemptionis mysterio, non tantummodo relative ad opus Iesu Christo commissum sed etiam commendatus est ut de *persona ipsa Redemptoris* necnon de *Mariae persona* curaret.

Insuper, in divinis Incarnationis atque Redemptionis mysteriis partem suam gessit ut sequitur:

1. Virginitatem B. M. Virginis custodivit et protexit, accipiendo Mariam tanquam coniugem suam (*Mt.* 1, 20).

2. Ducit Mariam de Nazareth « in civitatem David quae vocatur Bethlehem... ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante » (*Lc.* 2, 4-6).

3. Cum Maria Iesum ad Ierusalem ut sisteret eum Domino, postquam completi sunt dies Purificationis (*Lc.* 2, 22).

4. Eripuit Iesum e manibus Herodis cum angelus significavit ei in somno fugere in Aegyptum cum eo et Matre eius (*Mt.* 2, 10-15).

5. Defuncto Herode, reduxit Iesum et Mariam in Nazareth (*Mt.* 2, 19-23).

6. Cum Maria, Iesu relicto in Ierusalem post diem solemnem Paschae, requisivit eum et eum invenit sedentem in medio doctorum in templo (*Lc.* 2, 41-47).

7. Praefuit extraordinariae illae familiae in Nazareth, tamquam pater, et Iesus, Verbum Dei incarnatum, erat subditus ei et Mariae, ita ut loqui de Maria et omittere Ioseph fieri posse non videtur. Hac de re, praeclarum exemplum nobis dedit S. S. Paulus VI, maxima cum pietate, in sua allocutione, durante suo religioso itinere in Nazareth. Dicebat enim se obsecrare ut possit: « Etre admis par elle, Notre Dame, la maîtresse de maison, et par son époux, le doux et fort saint Joseph, son humain et divin Fils » (*L'Osservatore Romano,* 10 ianuarii 1964).

Praeter B. V. Mariam igitur, nemo alius ac S. Ioseph vocatus fuit ad hanc intimam et directam unionem cum persona Verbi Incarnati in suo opere Incarnationis et Redemptionis.

Quoad iustitiam. His omnibus supra allatis, S. Ioseph ius est primarium locum tenere post B. M. Virginem in illo schemate constitutionis *de Ecclesia,* et habere nomen suum commemoratum immediate post B. M. Virginis nomen, loco iam citato.

Ita semper, ut mihi videtur, sentit Ecclesia, ut apparet in sequentibus:

1. B. Ioseph cultum reddidit Ecclesia, superioribus temporibus praesertim, praestanti dignitati eius congruentem.

2. Ei praerogativa et iura tribuit quibus Ioseph instituitur Patronus univer-

salis Ecclesiae (S. S. Pius IX, 9 dec. 1870), protector et potens defensor Sanctae Ecclesiae contra conatus atheismi et communismi studentis christianas nationes pervertere (S. S. Pius XI, 1937).

3. S. S. Pius XII, praeter festum 19 martii, alterum festum S. Ioseph opificis instituit kalendis maii, qua humani laboris dignitas et principia, quae eamdem efficiunt, altius insiderent animis.

4. Eodem modo cogitaverunt de S. Ioseph et maximum honorem ei reddiderunt:

a) S. S. Ioannes XXIII qui S. Ioseph patronum Concilii instituit et qui, plaudentibus Conciliariis Patribus, nomen S. Ioseph Canoni Missae inscripsit.

b) S. S. Paulus VI, qui S. Ioseph electionem, a S. S. Ioanne XXIII primo factam, tamquam patroni Concilii, sanxit his verbis fide et amore inspiratis: « Communio cum Ecclesia caelesti sit nobis propria; adsint sancti caelites, qui in variis dioecesibus peculiari veneratione coluntur et in religiosis familiis; adsint Angeli Sanctique omnes, ac praesertim Sancti Petrus et Paulus, Sanctus Ioannes Baptista, ac peculiarissimo modo Sanctus Ioseph, qui huius Concilii Patronus declaratus est ».

Eadem veneratio erga B. Ioseph monstratur in allocutione S. Pontificis nostri, die 1 maii 1964, coram plurimis opificibus: « Nous sommes heureux de la présence de ces hommes du travail. C'est une joie de les avoir près de Nous en ce jour que le calendrier moderne consacre au travail et que le calendrier ecclésiastique fait sien pour rendre au travail les honneurs qui lui sont dus et le sanctifier par l'exemple et la protection du cher et saint travailleur Joseph de Nazareth » (*L'Osservatore Romano,* 15 maii 1964).

S. Ioseph glorificatio, ut Ecclesia sic poterit magis confidere benefico praesidio eius, per Concilium Vaticani II proficienda et efficaciter statuenda est, saltem enuntiando nomen eius, loco citato, immediate post B. Mariae Virginis nomen.

Propositio. Fidenter, igitur rogo ut additio, mihi proposita in his animadversionibus, accipiatur ita ut textus de quo agitur (cap. VII, pag. 183, n. 50 in textu emendato, linn. 17 s.) sequenti modo legi possit: « ... Ecclesia semper credidit eosque simul cum Beata Virgine Maria et Beato Ioseph eius sponso necnon Sanctis Angelis peculiari affectu venerata est (6) (B) ».

18

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus tit. Leontopolitanus in Pamphylia

Schema constitutionis *de Ecclesia* est ditissimum in citationibus, praesertim biblicis. Eo magis mirandum et dolendum, quod vix et ne vix quidem expresse revocet verba firmissima Christi, quibus Ipse enuntiat fundamentum et medullam universae religionis christianae et notam essentialem et cardinem Ecclesiae: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam » *Mt.* 16, 24 s. Cf. *Mc.* 8, 34 s. *Lc.* 14, 33: « Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus ».

Utique, Concilium nostrum debet esse pastorale, suadens et alliciens, non per

negationes et condemnationes, sed per positivam declarationem veritatis. Verum ad hunc finem non expedit extenuare et subtacere veritatem. Sed potius necesse est ostendere veritatem plenam, ostendere quod abnegando se et sua (iuxta amorem corruptum per peccatum originale) pervenitur ad veram vitam, ad verum amorem. Ostendere, quod id, quod nos percipimus ut abnegationem et renuntiationem et mortem, revera est transcendere ad ordinem et pacem et gaudium iam in terris, et ad plenitudinem vitae et caritatis in aeternum.

Non tacenda et oblitteranda sunt verba Christi: sed complete exponenda: « abneget... renuntiat... perdet... ut inveniat, ut sequatur me, ut vivat ».

Utique remedium ad omnia mala est caritas. Nam ad caritatem ordinati sumus. Sed in vigenti ordine redemptionis, non potest perveniri ad caritatem, non potest caritas in actum duci nisi per crucem. Et hae veritates, cum omnino contrariae sint communi modo sentiendi, praedicandae sunt opportune importune.

Secus — prouti in praesenti schemate, prout et in plurimis huius concilii — conclusiones practicae oriuntur pulchrae primo intuitu, sed revera enervatae et vagae. Et minus apte, minus adaequate sermo fit de populo christiano, de sacerdotio, de sanctitate, de B. Maria Virgine. Et nil revera dicitur de vera vita intima Ecclesiae, quomodo nobis parta sit, quomodo in ea nos partem habeamus. Et ipsa vita supernaturalis in Ecclesia extenuatur, cum — fere oblita cruce vitae christianae — minus adimplemus in carne nostra ea quae desunt passionum Christi pro Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24).

Haec pluries dixi et oretenus et per scriptum. Sanctus Paulus, qui — nil aliud scire volens nisi Christum crucifixum et stultitiam crucis — evasit doctor gentium, nos illuminet et roboret.

19

Exc.mus P. D. GERALDUS DE PROENÇA SIGAUD
Archiepiscopus Adamantinus

A la veille de la troisième Session du Concile, nous étudions les schémas proposés au vote ou à la discussion des Pères. Devant certaines de ces propositions, nous devons avouer notre émotion et notre vive anxiété.

Nous ne retrouvons absolument pas, dans leur énoncé, ce que demandait Sa Sainteté Jean XXIII, à savoir « la précision de termes et de concepts qui fait la gloire particulièrement du Concile de Trente et du Ier Concile du Vatican ». Cette confusion dans le style et les notions produit une impression quasi permanente d'équivoque.

L'équivoque a pour résultat d'exposer au danger d'interprétations fausses, et de permettre des développements qui ne sont sûrement pas dans la pensée des Pères Conciliaires. Certes les « formulations » sont nouvelles, et parfois tout à fait inattendues. Elles le sont, nous semble-t-il, au point qu'elles ne nous paraissent pas conserver « le même sens et la même portée », que celles que l'Eglise employait jusqu'ici. Pour nous qui avons voulu nous montrer dociles à l'Encyclique *Humani generis,* notre désarroi est grand.

Ce danger de l'équivoque n'est pas illusoire. Déjà les études faites par certains « experts du Concile » à l'adresse des évêques dont ils sont les conseillers tirent des conclusions qu'on nous avait appris à juger comme imprudentes, dangereuses, sinon fondamentalement erronées. Certains schémas, et très particu-

lièrement celui de l'« Oecuménisme », avec sa « Déclaration sur la Liberté religieuse » sont ainsi, avec satisfaction et faveur, exploités dans des termes et dans un sens qui, s'ils ne les contredisent pas toujours, s'opposent du moins formellement aussi bien à l'enseignement du Magistère Ordinaire qu'aux déclarations du Magistère extraordinaire, faites à l'Eglise depuis plus d'un siècle. Nous n'y reconnaissons plus la théologie catholique ni la saine philosophie qui doit pour la raison en éclairer le chemin.

Ce qui nous parait aggraver encore la question, c'est que l'imprécision des schémas nous semble permettre la pénétration d'idées, de théories, contre lesquelles le Siège Apostolique n'a pas cessé de nous mettre en garde.

Nous constatons enfin que les commentaires qui sont faits des schémas à l'étude présentent les questions proposées comme quasi-résolues: ce qui ne peut manquer, l'expérience en fait foi, de faire pression sur les votes des Pères.

Notre propos n'est pas « d'avoir raison contre d'autres », mais il est très sincèrement de travailler au salut des âmes que la charité ne peut assurer que dans la vérité.

Nous nous permettons d'ajouter qu'un grand nombre de fidèles et de prêtres, à qui une presse extrêmement abondante présente ces perspectives « d'aggiornamento » hasardeux, se disent très troublés.

Notre prière, voudrait, dans la plus humble soumission, obtenir qu'à l'ouverture des prochains travaux du Concile, le Saint-Père veuille bien rappeler solennellement que la doctrine de l'Eglise doit s'exprimer sans ambiguité, que c'est en respectant cette exigence qu'elle apportera les lumières nouvelles nécessaires à notre temps, sans rien sacrifier des valeurs qu'elle a déjà dispensées au monde, et sans s'exposer à servir de prétexte à une résurgence d'erreurs sans cesse réprouvées depuis plus d'une siècle.

[*Subscripserunt etiam*] Muñoz Duque, ep. Nueva Pamplona; Grimault A.; Marie A.; Pereira J. V.; Grotti G. PN; de Castro Mayer A.; Lacchio S. P.; Martinez Vargas J.; Cuniberti A.

1. In proxima III sessione conciliariter, proclametur B. Mariam V. *esse Ecclesiae Matrem,* eo saltem sensu quod, ex perfecta suae voluntatis cum voluntate Christi coniunctione, vult ipsa Virgo, non qualicumque, sed vera materna caritate, quaecumque bona vult Filius eius Corpori suo mystico quod est Ecclesia, sic proprio modo Ecclesiam ab initio in finem generans; et quod eadem B. Virgo eadem vere materna caritate incessanter intercedit sive pro Ecclesia universa, sive pro singulis fidelibus, imo pro omnibus hominibus quos Deus vult salvos fieri, ita ut tamquam vera Mater sit veneranda, laudanda, deprecanda, ab Ecclesia et in Ecclesia.

2. Tertia decurrente sessione (et ulterioribus, si qua sint, sessionibus) a moderatoribus in disceptationem ponantur ea sola schemata, emendationes et huiusmodi, quae primo aspectu, clare et aperte componi possunt cum definitionibus Concilii Vaticani I, et illam venerabilem Synodum sponte *continuant,* etiam cum ipsamet Synodus omnes monet officii servandi constitutiones et decreta Romanorum Pontificum (Const. *de Fide cathol.,* DENZ. 1820), in iis praesertim capitulis et canonibus qui docent in uno Romano Pontifice, excluso quolibet alio subiecto, residere « totam plenitudinem supremae potestatis », eique subordinari « officio verae obedientiae » alios omnes pastores, « tam seorsum singulos quam simul omnes », — at contra e medio statim arceantur quaecumque propositiones

eamdem Synodum Vaticanum I *adversantur,* quasi ponentes aliud a Romano Pontifice subiectum summae potestatis, corpus scil. episcoporum.

3. Denique, extra controversiam ab initio hoc esse declaretur, Petri primatum ei fuisse a Christo *immediate* (DENZ. 1823) concreditum: id est, non mediante collegio apostolorum, quasi Dominus illi collegio qua tali summam potestatem dedisset, et Petrus ea sola ratione donatus fuisset illa potestate quia et quatenus caput esset collegii apostolici. Quapropter asseratur « verae propriaeque iurisdictionis primatum » fuisse Petro concreditum non quia et quatenus est collegii apostolici caput necessarium, sed omnino e converso Petrum caput esse collegii quia personaliter suprema in Ecclesia potestate donatus est Vicariatumque Christi obtinet, — exinde, non posse iura et officia Romanorum Pontificum Successorum contrahi et extenuari ad unum et unicum munus capitis quantumlibet necessarii corporis episcoporum.

Optamus insuper, ut solemni declaratione (intra aut extra Concilii huius celebrationem), doceantur et moneantur omnes christifideles Sacram Curiam Romanam omnino aliud esse ab instrumento mere administrativo Summi Pontificis — qui error nunc ubique perniciose grassatur —, sed esse revera illustriorem S. Romanae Ecclesiae portionem, cuius est esse omnium Ecclesiarum « Matrem et Magistram » et « typum et exemplum », ut ait Ambrosius.

Solum Deum prae oculis habentes, sinceram fidei catholicae veritatem colentes, sed et hominum nostri aevi necessitatibus attendentes, gregibus nostris pascendis impense vigilantes, ipsius Synodi decorem, splendorem, auctoritatem, fecunditatem toto corde appetentes et quaerentes, existimamus hac via quam describere conati sumus incedendum esse, ne forte, quod Deus avertat, nimia subtilitate in infinitum protrahantur disceptationes, et potius obscurentur quam luce clariore perfundantur ea ipsa doctrinae catholicae capita quae hucusque firmissime tenebantur in Romana et Universali Ecclesia.

At manet spes magna, amoto apostolica auctoritate illo periculo, fore ut, favente Spiritu Sancto, B. Mariae V. piissimo interventu, labores nostri pacifice expediteque ad felicem exitum perducantur.

20

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Schema mihi valde placet. Aliquas animadversiones tantum propono.

In generali. Mihi valde optandum videtur ut in hac dogmatica constitutione vocabulum « Ecclesia » tantum adhibeatur quando de tota christiana communitate, de toto populo Dei agatur. Ad hierarchiam vel Sedem Romanam designandum aliis vocabulis utatur.

Cap. I, pag. 11, lin. 17. Pro « per Ecclesiam », quae expressio cum sit restrictiva, legatur potius: *qui Ecclesiam constituentes in ipso manemus.*

Pag. 13, linn. 18-21. Ut bene explicatur, pag. 56, 3°, 2, gratia apostolorum est propter gratiam sanctificantem; unde legatur, lin. 18: *ita ut* Idem Spiritus... et lin. 21: *producat et urgeat.* Ex alia parte haec caritas est caritas theologalis quae primo Deo unit et ex hac unione in caritate fraterna redundat (linn. 20-21 expressio: caritatem inter fideles videtur restrictiva). Legatur: *unionem caritatis cum Deo et* inter fideles...

Pag. 15, linn. 20-22. Dicatur tantum « Subsistit in communione catholica, licet extra eius ». *Ratio*: Doctrina catholica perfecte servatur, et orthodoxi non offenduntur.

Pag. 15, linn. 23-24. Legatur « ... elementa plura, *ecclesiasticae institutionis, veritatis et sanctificationis* inveniantur ». *Ratio*: in spiritu oecumenico.

Cap. II, pag. 33, lin. 23, legere: proprietatem.

Cap. III, pag. 61, linn. 34-36: deleantur linn. 34-36. Sunt inutiles et plus minusve exactae, cum potestas Summi Pontificis non sit sacramentalis.

Pag. 61, lin. 39, legere: iugiter.

Pag. 63, lin. 1, loco « possunt », legere « debent ». *Ratio*: Orthodoxis iurisdictionem aliquam agnoscimus, etsi theologi eam diverse explicant. Eadem ratione, lin. 12, loco « possunt », melius dicatur « solent ».

Pag. 67, linn. 22-24, forsan melius has lineas delere propter Orthodoxorum iurisdictionem.

Pag. 69, linn. 1-5, melius: *ipsi Ecclesiae promissum. Ratio*: quia infallibilitas praecise est charisma, non proprietas Ecclesiae.

Cap. IV, pag. 118, linn. 6-31 denuo scribi deberent cum non parvam confusionem afferre possent neque cum eis quae postea, pag. 125, linn. 32-35 et pp. 156-157, linn. 30-42, plene consonantia sint. Nam officium proprium religiosorum non est « mundum transfigurari Deoque offerri » (linn. 13-14) cum laici hoc faciant dum omnes eorum actiones a caritate theologali imperentur.

Eodem loco, falsum est spiritum beatitudinum esse religiosorum ut sic specificum, cum omnia membra populi Dei hoc spiritu vivere necesse sit.

Praxis consiliorum evangelicorum, per vota promissa, specificant religiosos qui *per separationem a mundo* testimonium eschatologicum praebent. Mundum offerre pertinet ad sacerdotium commune omnium fidelium.

Lin. 23, agitur pro laicis de « spiritu evangelico », qui idem est ni fallor, ac spiritus beatitudinum, qui, ex alia parte, pag. 125, linn. 32-35, laicis convenire recte dicitur.

Etiam linn. 15-17 difficultatem important, dum confundere videntur inter conditiones vitae et finis activitatum laicorum. Verum est laicum in saecularibus vel rebus temporalibus conversari. Sed vitae suae duplex datur finis: *a*) ordinem temporalem spiritu christiano illuminare et ordinare (cf. linn. 27-31); *b*) Regnum Dei directe promovere (cf. linn. 21-27). Unde textus sic mutetur:

a) linn. 13-15, « ... reddunt, *dum a mundo per professionem consiliorum separati resurrectionem speratam et gloriam Regni caelestis* praenuntiant (cf. pag. 156, linn. 41-42).

b) Linn. 15-17 deleantur. Lin. 18, *Laici vero* in saeculo vivunt...

Cap. V, pag. 139, lin. 20, loco « praxi » legere « professione ». *Ratio*: sic melius definitur status eorum qui votis seu propositis se consecrant.

Pag. 139, lin. 22, loco « praxis », legere « professio »: eadem *ratio.*

Pag. 143, lin. 1. Plerumque conditiones obiectivae impediunt ne « ut humanis operibus seipsos perficiant ».

Pag. 144, lin. 24, deleatur « Multiplicibus ». Quot sunt?

Pag. 145, lin. 2, post « discipulis » addere « *omnibus* » — sic clarius.

Pag. 145, linn. 6-7, loco « paupertatem in filiorum Dei libertate suscipientes » legere « *omnia bona sua cum gaudio relinquentes* ». Praecisius.

Cap. VI, titulus sic mutetur: « *De professione consiliorum evangelicorum in Ecclesia* ». *Rationes*: *a*) cf. supra: animadversionem circa pag. 139, lin. 20; *b*) magna sunt incommoda et dogmatica et practica instituta saecularia inter « religiosos » numerari. In lingua vulgari « laici » a « religiosis » distinguuntur; atque, saltem in Gallia, pleraque membra Institutorum saecularium inter laicos et non inter religiosos se computari intendunt. Definitio status religiosi in can. 487 Institutis saecularibus non convenit. *c*) Sic vitatur parallelismus cum capitibus de Hierarchia et de laicis, quem plures Patres impugnaverunt propter dogmaticam aequivocationem. E contra instituitur parallelismus inter duo capita (V et VI) vel inter duas sectiones unius capitis.

Pag. 155, lin. 23, deleatur « religiosam » et dicatur « ita ut professionem, *quam emiserunt consiliorum, secure* »... Ad vitandum vocabulum « religiosam » propter rationem iam allatam.

Pag. 156, linn. 1-3, textus sic mutetur: (de natura et momento professionis consiliorum evangelicorum in Ecclesia). Per vota *seu proposita,* quibus *fidelis* ad tria praedicta... ». *Rationes*: *a*) Ad vitanda vocabula « status religiosi » et « religiosus » quae membris Institutorum saecularium non conveniunt. *b*) In pluribus Institutis, sodales proposita et non vota emittunt.

Pag. 156, lin. 36 et pag. 157, lin. 12, loco « status religiosus » legere « professio consiliorum » propter rationem iam allegatam.

Pag. 158, lin. 4, legere « professionem *consiliorum* » propter eamdem rationem.

Pag. 158, lin. 40, post « religiosos », addere « aliosque consilia evangelica profitentes », propter similem rationem.

Cap. VII, pag. 182, lin. 8, deest in hoc capitulo mentio indolis, ut aiunt, « cosmicae » glorificationis finalis. Textus Scripturae sunt: *Rom.* 8, 19, 22; *1 Cor.* 15, 23-28; *Eph.* 1, 10; *Apoc.* 21, 1-5. Unde aliquid addatur in fine art. 48, v. g.: « *Sed omnis creatura, etiam materialis, quae " ingemiscit et parturit usque adhuc ", in gloriam Christi Domini assumetur ita ut omnia " quae in caelis et quae in terra sunt " in Christo " instaurentur ". Et sic omnia nova erunt, caelum novum et terram novam* ».

Pag. 183, linn. 16-17: disputatur inter theologos utrum debeamus nos orationibus sanctorum qui in purgatorio sunt commendare. Textus ita intelligi posset quod quaestionem dirimere intendat. Hoc in casu res explicitius declaretur. Unde, lin. 17 pro: eorum, legere: *sanctorum,* vel: *eorum qui sancte vixerunt.*

Cap. VIII, pag. 198, lin. 22, pro: libere proponuntur, melius: *libere adhuc disputantur. Ratio*: quia forsan consensus quodam die de hac vel illa re habebitur.

Pag. 199, lin. 4 vel 7: inserere thema « *Virgo filia Sion* » quod apud Zachariam, Malachiam invenitur.

Pag. 199, lin. 32, loco « gratia plena » legere: summe « Deo grata » et gratia plena. Pro exacta traductione et in spiritu oecumenico.

Pag. 199, linn. 29-35: aliqua mentio fiat de desponsatione Virginis cum Ioseph viro justo (cf. *Mt.* 1, 18 et 19). *Ratio* est oecumenica, dum saepe saepius Protestantes dicant doctrinam catholicam de Beata quasi independentem esse a narratione evangelica, etiam quoad conceptionem virginalem.

Pag. 200, linn. 8 et 17: loco « asserere solebant » legere « asserunt » et « quasi in proverbium » deleatur. *Ratio*: Patres non tam frequenter ita loquuntur.

Pag. 202, lin. 7: post « munus » addere « erga homines ».

Pag. 202, lin. 16, legere potius: in uno corpore *mystico.* Claritatis causa vel melius linn. 15-17 sic mutentur: « ipsamque nullo modo mediatam reddit ».

Pag. 202, linn. 18-24 deleantur, et legatur: « Beata Virgo, ancilla Domini, angelicis verbis humiliter consentiendo, Christum concipiendo ». Simplicius et rectius.

Pag. 202, lin. 30, pro « restaurandam », corrigere « *instaurandam* ». *Ratio*: quia videretur insinuari quod gratia Christi gratiam protoparentis restauret.

Pag. 203, linn. 6-8: ratio debet dari cur ita res se habeat. Unde addere: superaddat, *cum omnis gratia in Corpore mystico ex Christo Capite defluat.*

Pag. 204, linn. 23-25, melius legendum: *in fide, oboedientia, patientia, caritate, imprimis... Ratio*: proprium caritatis theologalis est facere voluntatem divinam. Nam caritas est amor, cuius est idem velle.

Pag. 207, linn. 8-26 facile deleri possunt. In constitutione dogmatica locum non facile obtinent.

21

Exc.mus P. D. REMIGIUS IOSEPH DE ROO

Episcopus Victoriensis in Insula Vancouver

Cap. IV *in genere* placet propter inspirationem scripturisticam, propter indolem positivam, et quia in eo Concilium magnum passum facit per muneris laicorum in Populo Dei ex professo agnitionem.

Insuper valde laudandus est quia fundamentum praebet theologicum omnino aptum ad elaboratum schema *de apostolatu laicorum* postea recognoscendum.

Ut adhuc perfectius eluceatur in schemate munus proprium et specificum laicorum oporteret sub diversis aspectibus textum passim perficere.

1. *Aspectus biblicus.* Licet generaliter textus omnino Scripturae innititur, ipsum initium huius cap. IV aptius inciperet a proposito salvifico Dei quod S. Paulus in Epistolis ad Ephesios et ad Colossenses in lucem ponit (*Eph.* 1, 3-14; *Col.* 1, 16-17). Ita aspectus magis biblicus et minus iuridicus praevaleret in elaboratione totius materiae. Manet tamen quod caput totum visionem valde positivam laicorum in Ecclesia vocationis praebet.

2. *Vocatio propria laicorum in ordine temporali.* Optandum est ut *enucleatius* dicatur quomodo laicorum est mundum et structuras eius temporales ita ab intra perficere quo melius possit « in dispensatione plenitudinis temporum, instaurari in Christo » (*Eph.* 1, 10). Nobis videtur quod praesertim ad n. 33, pag. 120, lin. 28 fusius dicendum sit de apostolatu in ordine temporali.

3. *Consecratio mundi a laicis.* Haec notio consecrationis mundi a laicis efficiendae omnino essentialis est in apostolatu laicorum. Quamvis explicite dicuntur in pag. 121, lin. 23 verba « ipsum mundum Deo consecrant », quia in fine alicuius paragraphi ponuntur, momentum suum maximum non sufficienter apparet. Melius proponeretur in principio paragraphi (n. 34, post lin. 11), pressius inculcando responsabilitatem laicorum propriam Deo ab intra consecrandi mundum quem ipsi perficere conati sunt.

4. *Fundamentum ad praxim in alio schemate deducendum.* Particularia quae dicuntur videlicet de vita matrimoniali et familiari, etc., melius ponerentur in schemate *de apostolatu laicorum.* In hoc enim schemate inveniri debent ideae huius generis. Apostolatus laicorum solidum et proprium fundamentum sumere deberet

in cap. IV de laicis, imo in tota constitutione *de Ecclesia,* quam constitutionem schema *de apostolatu laicorum* ad applicationes efficaciter deducere conatur.

In specie. Ad n. 35, pag. 122, linn. 12-13: Verba « arguit mundum de peccato » hic superflua videntur. Deficiunt etiam a modo stricte interpretandi Scripturam qui in toto cap. IV elucet.

Ad n. 37, pag. 124, linn. 27 ss.: Inopportuna videntur ea quae dicuntur de erigendis Institutis specialibus.

22

Exc.mus P. D. IOANNES DONOVAN

Episcopus tit. Rhasensis, aux. Detroitensis

Mihi videtur quod textus « De collegio et muneribus episcoporum » melius sonaret si emendationes quae sequuntur stylisticae recipiantur.

Ex opusculo pro suffragiis ferendis expresse edito:

Pag. 11, lin. 18, loco vocis « Papa » ponatur « Romano Pontifice ». Pag. 12, lin. 2, loco vocis « Papa » ponatur « Romano Pontifice ». Pag. 12, lin. 33, loco « Papa » ponatur « Summus Pontifex ».

Cum vox « Romanus Pontifex » fere sempre adhibeatur in hoc capite quando mentio fit de successore S. Petri in primatu, hae emendationes magis totius textus stylo correspondent.

23

Exc.mus P. D. MARCELLUS M. DUBOIS

Archiepiscopus Bisuntinus

Hoc est in votis: *ut verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos* [ ] *posita, in redactione definitiva permaneant. Ratio*: multis, permultis, ... fere omnibus, haec verba, in itineribus longorum capitum, commodissimi et optimi duces erunt. Utinam!

I. Hoc schema, amplitudine et in multis locis, placet.

II. Mihi tamen videtur minus bonum in aliquibus rebus:

1. Nimis *parcum est de mediatione Mariae* (de qua tamen mediatione instanter scripserunt 350 episcopi, quando, a. 1959, episcopi totius mundi de rebus in concilio tractandis interrogati sunt. Notandum est hunc numerum — 350 — fuisse unum ex summis). Atqui Pius XII confirmabat hanc mediationem esse doctrinam « communem » (*A.A.S.,* 1942, p. 44). Grave esset parvi facere hanc Pii XII testificationem.

2. Hoc schema *videtur thesi de non-morte Mariae favere.* Etenim, multi ita interpretabuntur textum commemoratum (pag. 201 lin. 32) ex Bulla *Ineffabilis*: « ab *omni* originalis culpae *labe* praeservatam immunem ». (Evidenter, haec interpretatio falsa esset, quia Maria, sicut Iesus, certo passus est aliquas consequentias Adae peccati: v. g. dolorem moralem, famem, sitim, etc.). Itaque *propono huius textus suppressionem* in hoc loco, *in quo ad contextum minime pertinet et in quo omnino ambiguum est. Si redactor vult huius textus mentionem facere, faciat* pag. 199, lin. 25 s. Non de *morte* textus memorandus est qui *ad primum instantem vitae* Mariae spectat!

3. Pulcherrima sententia (pag. 202, lin. 1): « De Maria parva serva — ancilla — Christi Redemptoris », infeliciter in verborum mutatione (jeu de mots) ponitur.

In Evangelio enim, Maria *se* dixit « *ancillam* Domini ». Sed hic, ille « Dominus » est Deus: Deus, ut ita dicam, « simpliciter » et « totaliter ».

In textu proposito, Maria *dicitur* « *ancilla* Domini *Redemptoris* ». Sed hic, ille « Dominus » est Christus tantum et non Tres Personae.

Ita, plus minusve fraudem patimur. Oportebat hanc verborum mutationem vitare, et dicere: « *De Maria ut ancilla* Christi *Redemptoris* ».

Iamvero, quia totum schema, in suo titulo, et passim quasi in signum, opportune « Deiparam » ponit et exaltat, (Deiparam cuius notio feliciter datur — relatio, pag. 218 — ut dogma mariale « omnino fundamentale »), oporteret huic titulo addere: « *De Maria* matre... ». Maria enim *ancilla* fuit Christi Redemptoris, *quia Mater* erat (Mater Christi et mater hominum). A. v., Maria fuit Mater — quod est Eius titulus excellentissimus et munus praestantissimum — *ut* Iesum, et homines, in redemptione hominum serviret. Haec additio — *matre* — in hoc loco, theologice opportunissima videtur.

4. Duo tantum aspectus indicati sunt in *parallelismo* « Maria-Ecclesia »: earum maternitas et earum virginitas.

Oportebat etiam indicare — quod est mirabile — Mariam et Ecclesiam esse 1) *Sponsas a*) Dei, *b*) Verbi carnis facti; 2) *Reginas*; 3) *Sanctas*.

5. Me poenitet nullam mentionem explicitam tituli « Mater Ecclesiae » inveniri, tum cum B. Pater Paulus VI, identidem.

Attamen, quia Maria mater spiritualis est uniuscuiusque Ecclesiae filiorum, quomodo non possimus eam vocare matrem spiritualem totius familiae filiorum, quae est Ecclesia?

6. Pag. 207 (lin. 8 s.). Haec conclusio forsan est bona sermonis peroratio, sed videtur maximae nostri Concilii constitutionis sane paupercula conclusio.

Deest spiritus, afflatus magnus, in hoc praesertim loco necessarius. Quod tamen satis facile videtur; quod certe quidem secundum prospectus vere « catholicos », i. e. immensos, Concilii esse debet. Itaque, pro n. 57, vel melius ut *conclusio generalis*, cum simplicitate sequentes cogitationes propono, quas idonei expolire poterunt.

Iesus Christus, « pro totius mundi salute », in terris incarnatus est, passus est, mortuus est, tollens « peccata mundi », vivificans « mundum »,[1] et, in caelo et in terra semper precatur, desiderans et volens omnium hominum salutem.

Maria autem, mater huius Salvatoris, toti humano generi fuit causa salutis, uniuscuiusque membri huius generis mater spiritualis.[2]

Ecclesia tandem, mater ipsa, omnes homines vult amplecti.

Secundum mirabilem imaginem tum Mariae cum Ecclesiae, utraque sunt « Ierusalem »: vigilantes cum sollicitudine non tantum in fidelibus qui in interioribus Civitatis habitant, sed etiam in omnibus hominibus qui sanguine Filii Mariae red-

---

[1] Offert. missae, Agnus Dei, 2ª oratio ante communionem.

[2] Cf. S. Irenaeus, *Adversus haereses,* l. 3, c. 32; Oratio missae *Vultum*: « Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate fecunda, humano generi praemia praestitisti... »; et multi Pontifices romani.

[3] Cf. S. Ioannes Eudes, *Le Cœur admirable,* l. 5, c. 5.

empti in eiusdem Civitatis suburbiis incolunt,[3] i. e., et in fidelibus baptizatis — catholicis et non catholicis — et in hominibus, omnis nationis, generis, coloris, quos omnes, in Populum suum, Deus in Civitatem Suam vult intrare.

Ita, Deus et Iesus, Maria et Ecclesia omnes omnium terrarum et omnium temporum homines prospiciunt, et amant. Eorum Corda universos continent.

24

Exc.mus P. D. LEO STEPHANUS DUVAL

Archiepiscopus Algeriensis

Cap. I - De Ecclesiae mysterio n. 8 (de Ecclesia visibili simul ac spirituali), pag. 15, lin. 42. Loco « similiter ... imaginem... » dicatur: similiter Ecclesia omnes pauperes et infirmitate humana afflictos amore circumdat ac patientibus et pauperibus cum praedilectione Evangelium annuntiat in quibus imaginem ... etc. *Rationes* hae sunt:

1. Solemnis affirmatio Christi duplici vice: in Nazareth, ineunte ministerio suo publico (*Lc.* 4, 8), Praecursori suo in carcere, ei renuntiando singulare signum missionis suae divinae (*Lc.* 7, 22);

2. in nullo alio schemate invenitur haec declaratio summi momenti ad imitandum Divinum Redemptorem.

25

Exc.mus P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

N. 16 (olim n. 10), pag. 37. Textus emendatus in genere placet sed adhuc emendandus videtur praecipue ut enumeratio diversarum categoriarum non-christianorum secundum eorum gradum proximitatis ad veritatem revelatam clarius appareat. Ad novum textum redigendum sequentia notanda videntur:

1. Textus emendatus uti nunc stat postquam de Iudaeis et Islamitis locutus est, et antequam de omnium non-christianorum salute agat, omnes alias religiones non-christianas et illos qui sine ulla religione se esse profitentur, in una tantum brevi paragrapho includit. Locutio « ab huiusmodi Deus ipse non longe est » (pag. 37, linn. 34-35) eodem modo applicari videtur illis qui Creatorem agnoscunt et illis qui « in umbris et imaginibus Deum ignotum quaerunt ». Existimamus loco paragraphi « Sed et si quidam ... homines salvos fieri » (pag. 37, linn. 31-37), aliam paragraphum redigendam in qua, praeter mentionem Iudaeorum et Islamitarum, generice sed distinctius agatur: *a*) de illis qui unicum Deum personalem — uti a nobis hoc vocabulum intelligitur — colunt; *b*) de illis qui Deum quocumque alio modo agnoscunt; *c*) de illis qui Deum ignorantes in rebus creatis Supremam Veritatem sincere quaerunt.

2. Locutio « Sed si quidam Patrem Domini nostri Iesu Christi ignorantes » (pag. 37, linn. 31-32) quae immediate post mentionem Iudaeorum et Islamitarum occurrit, confusionem gignere potest. Nam si agitur de Patre Domini nostri Iesu Christi *qua* Pater, tunc neque Iudaei neque Islamitae Deum ut talem agnoscunt: ambo enim Incarnationem et Trinitatem negare videntur. Si agitur de Deo

qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, tunc discrimen inter religiones non-christianas originis semitici et alias religiones unum Deum agnoscentes, non stat praecise in hoc quod aliae ad Dominum nostrum Iesum Christum referantur et aliae non, sed potius in eo quod aliae revelationem Veteris Testamenti accipiant seu in Deum Abrahae credant, dum aliae illam revelationem ignorant.

3. Loco verborum « vel in umbris et imaginibus Deum ignotum quaerunt » eadem idea aliis verbis exprimenda videtur. Ille modus metaphoricus loquendi idea nihil essentialiter addit et aliquibus bonae fidei hominibus offensionem praebere posset. Melius diceretur, e. g. « vel Deum ignorantes in rebus creatis Supremam Veritatem (vel simpliciter " Veritatem ") sincere quaerunt ».

26

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis O. P.

Cap. I - *N. 1. Prooemium*: linn. 7-9: dicatur « Cum vero Ecclesia sit in Christo mysterium ac veluti signum in nationibus levatum et instrumentum salutis unionisque cum Deo totius generis humani », loco: « Cum vero Ecclesia sit in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ». *Ratio*: per meram enim inversionem ordinis verborum, quae facta est, non vitantur confusiones de quibus multi conqueruntur, si iam in initio solemniter nominetur Ecclesia *sacramentum,* quasi primum eius nomen. Nullibi enim probatur quod Ecclesia primo appellari debeat sacramentum, nec in Traditione, nec usu theologico aut biblica appellatione. Confusiones igitur manent quae sub hoc nomine veniunt in recenti quadam theologia, non satis explorata, nec proinde in constitutione conciliari introducenda. Quae quidem confusio apparet in relatione, pag. 18-19, ubi assignatur tanquam « effectus » huius sacramenti unitatem efficere generis humani. Iam enim concipitur Ecclesia ut sacramentum sensu stricto. Et indebite ponitur huius sacramenti effectus: Neque Ecclesia ex se producit hunc effectum unionis gratiae cum Deo nec minus unitatem generis humani. Haec unitas per naturam et creationem iam facta est, nec postea de novo fit. Et Ecclesia instituitur ad unionem salutis producendam, non quidem ex opere operato, sed ut institutum salutis continens plura instrumenta. Quae vero dicere intenduntur, scilicet naturam mysteriosam Ecclesiae eiusque missionem universalem, apte per illa alia verba exprimuntur, maxime per terminum mysterii in sensu suo proprio.

N. 3: linn. 37-38: Dicatur: « Simul sacramento panis eucharistici repraesentatur et efficitur unitas fidelium, qui de uno corpore Christi participant (cf. *1 Cor.* 10, 17) ». *Ratio*: per solam celebrationem eucharisticam non « efficitur » unitas fidelium, aut augetur; licet per meram celebrationem sacrificii Missae semper repraesentatur haec unitas omnium redemptorum, vel ipsorum non fidelium. Oportet ergo addere sacrificii participationem, sicut fert textus allatus *1 Cor.* 10, 17, et expresse dicitur postea n. 7, pag. 12, lin. 41; pag. 13, lin. 1. Vel brevitatis causa, haec sententia noviter inserta melius expungeretur, quia dicto loco expressius repetitur et aliunde servatur totus sensus allusionis ad Eucharistiam et vocationis ad unionem cum Christo, quae intenditur.

N. 5: linn. 4-5 dicatur: « Qui illud cum fide audiunt et Christi pusillo gregi

(*Lc.* 12, 32) *per cordis ad Deum conversionem adhaerent,* Regnum ipsum susceperunt ». *Ratio*: nam inter conditiones adscriptionis Regno Dei non sola fides innuenda, sed addendus terminus conversionis sive « metanoia », tam biblica et genuina sicut fides ipsa.

N. 7: pag. 12, linn. 24-25: dicatur « Homines redemit et ad novam subliemiorem conditionem evexit », loco: « Hominem redemit et in novam creaturam transformavit » (cf. *Gal.* 6, 15; *2 Cor.* 5, 17). *Ratio*: nam nova haec phrasis sat incorrecta theologice videtur. Primo, rectius dicitur « homines » quam hominem, cum totus sequens contextus ad homines in plurali, diversis appellationibus, referatur. Dein per Incarnationem et redemptionem non eo ipso omnes homines in novam creaturam transformantur. Textus enim S. Pauli allati de nova creatura directius se referunt ad iustificationem et gratiam interiorem, quam homines non illico recipiunt quia Christus resurrexit, sed participantes hanc redemptionem per liberam conversionem ex gratia. Unde aptius exprimitur sententia per priora verba, significantia tantum elevationem seu destinationem ad hoc novum esse per Christum.

N. 8: linn. 5-10: omittatur tota haec ultima sententia. *Ratio*: quia non feliciter nec latinitate nec minus theologice, exprimit hanc remotam analogiam Verbi incarnati atque unionis Christi cum Ecclesia. Comparatio enim non currit stricta inter unionem hypostaticam Verbi divini cum humana natura, ex qua humanitas Christi instrumentum coniunctum fit omnis operis salutis, atque hanc unionem « Spiritus Christi cum structura sociali Ecclesiae. Spiritus enim Christi, tum et Pater ac Verbum, realiter et specialiter non uniuntur nisi animae spirituali hominum per gratiam et inhabitationem, quae unio, etsi verissima, est accidentalis. Et prout est in uno vel altero iusto non est indissolubilis, sed destrui potest. Si autem ponatur indissolubilis unio ad totam compaginem Ecclesiae, huiusmodi unio moralis est potius seu divinae institutionis atque adsistentiae plus minusve continuae animae pastorum ac fidelium qui charismate donantur; sive praesentiae Eucharistiae in altaribus. Approximatio ergo arcta horum multiplicium et complexorum modorum coniunctionis ad unam simplicem unionem hypostaticam et ordinis ontologici Verbi Incarnati nonnisi confusiones inserere potest pro intelligentia huius dogmatis, tum et ipsius unionis Christi cum organismo Ecclesiae. Imo et visio haec quasi hypostatica Ecclesiae falsum mysticismum pantheisticae tendentiae redolet.

Igitur longe magis praestat totum hoc de coniunctione Spiritus Christi cum Ecclesiae societate in suo mysterio relinquere, nec conciliariter declarare quae nonnisi opiniones quorumdam teologorum sunt, et periculose disputantur si non caute explicentur. Sufficiat enuntiare analogiam quamdam existere per sententiam praecedentem, linn. 4-5: « Ideo ob non mediocrem analogiam... ». Quae adhuc ex parte displicet et melius omitteretur.

Lin. 20: dicatur « consistit » loco: « subsistit », quae vox potius ad subsistentiam substantialem appellat.

Cap. II - *Titulus*: dicatur: « De populo christiano » vel « de novo populo Dei », aut « de fidelium congregatione », loco simpliciter dicendi: « De populo Dei ». Et in decursu capitis, ubi adhuc restat simplex expressio, notanter n. 13 (ibi sexies occurrit: populus Dei), mutetur per aliam expressionem indicantem novitatem: Novus Israel, novus populus Dei, populus Christi... *Ratio*: quia solum hac mutata ratione titulus reddit proprium sensum capitis. Statim enim prolixe

declaratur populum hunc, Christi sanguine redemptum et sub Christo Capite in Ecclesia efformatum, non simpliciter succedere populo Dei in Israel, sed novum foedus novumque coetum Christum instituisse. Et hic sensus novi populi communiter servatur in capite.

Etenim, simpliciter populus Dei est humanitas, quae per creationem pertinet ad Deum. Iure enim quidam conqueruntur quod si secernimus populum christianum, immo catholicum, ut solum populum Dei a tota parte humanitatis, iam hanc ceteram partem facimus « populum diaboli », saltem non populum Dei. Vel alias facimus totam humanitatem actu populum christianum; quae tendentia variis modis suggeritur in textu Capitis emendato. Rursus, quia simplex formula populi Dei non plane exit limites particularismi V. Testamenti, ubi unus credebatur populus electus a vero Deo, ceteri autem erant populi reprobati, sequentes deos alienos. Ideo populus christianus quasi opponeretur ceteris. Nomen autem specificum quod huc populo christiano in Revelatione tribuitur est Ecclesia, quae de se significat hanc convocationem vel congregationem fidelium, hunc populum noviter convocatum per Christum. Nec oportebat ponere huic fidelium congregationi alium nomen, tanquam fundamentale.

Haec, aliaeque incongruentiae ex eo veniunt quod per Caput emendatum non satisfactum est argumentis, contra eius distinctam redactionem, eorum qui postulabant priorem ordinationem, et quod materia tam optima istius novi amandaretur capp. I et IV, ex quibus desumpta erat. Perinde hoc novum non gaudet perfecta interna unitate et debita cohaesione.

N. 9: alinea prima tum et secunda, linn. 1-31, pag. 30 linn. 1-10, omitti deberent, quia ut plurimum repetunt illa quae in primo Capite dicta fuere de praeparatione Ecclesiae mediante Vetere Testamento. Sufficeret ad introducendum textus prior, seu n. 3 cum additione ei apposita. Si tamen retineatur, haec verba saltem emendentur: lin. 30 pag. 29: dicatur: « Habet pro lege *speciali* mandatum *novum* diligendi sicut ipse Christus dilexit nos », loco: « habet pro lege mandatum diligendi ». *Ratio*: secus manet ambiguus sensus et daretur ansa illis dicentibus cum protestantibus christianum in novo populo nullis amplius obstringi praeceptis, nisi legi caritatis proximi.

Linn. 8-9, pag. 30: dicatur: « Ab eo etiam in Ecclesiam ut instrumentum salutis omnium adsumitur » loco: « ab eo etiam ut instrumentum redemptionis omnium adsumitur ». *Ratio*: sic saltem vitatur maior improprietas verbi instrumenti. Non enim multitudo fidelium tanquam amorphus populus habet hanc rationem instrumenti salutis omnium, sed ut constitutus in Ecclesia et per Ecclesiam, quae sola habet hanc praerogativam medii universalis salutis.

Linn. 20-25: omittatur tota sententia. *Ratio*: quia non congruit hic generalem definitionem Ecclesiae ut « congregationis fidelium » proponere, et redundantias plures habet necnon obscuritatem magnam in sensu « fidelium ». Per omissionem nedum interrumpitur sensus paragraphi, potius magis perspicua apparet reductio illa ideae novi populi Dei ad terminum Ecclesiae, istiusque extensio in historiam.

N. 10: totus numerus melius redderetur ad pristinum locum, nam materia pertinet ad illum cap. IV, ex quo abscissa est, et in quo denuo novis additis numeris (n. 34, 35) et paragraphis repeti debuit. Ad quid veniunt tractationes repetitae unius subiecti, cum textus conciliaris brevis et concisus proponi debeat? Hoc iterum provenit ex defectuose exstructo hoc capite.

N. 11: omissio totius numeri in hoc capite iterum commendatur, vel potius restitutio ad cap. IV ex quo fuit extractus, cum evolvat doctrinam illuc spectantem. In quocumque tandem loco retineatur, sequentes emendationes proponuntur, restituentes ut plurimum priorem textum, qui non melior effectus sed magna ex parte in deterius post emendationem versus est.

Lin. 4, pag. 32: dicatur: « Totius vitae christianae praecipuum fontem », loco: « totius vitae christianae fontem et culmen ». *Ratio*: sunt siquidem, iuxta omnes, alii fontes vitae christianae, atque in eadem linea sacramentali, licet secundario, cetera sacramenta maxime baptismus.

Linn. 6-9: dicatur: « Divinam victimam, *verbis consecrationis a sacerdote in altari positam per manus eius Deo offerunt,* et hac maxime oblatione ac sacra communione partes activas in liturgia agunt », restituendo textum priorem, loco textus emendati. *Ratio*: nova redactio sine solido fundamento omisit illa verba quae non intendebant suggerere specialem sententiam theologorum circa Missam, ut dicitur, sed debite sublineare essentialem distinctionem sacerdotium inter hierarchicum et concursum aliqualiter sacerdotalem fidelium in hoc maxime sacramento, iuxta superius admissa ab ipso textu novo, n. 10, lin. 21-30. Sufficiat additio de sacra communione.

Linn. 28-31: dicatur: « Tandem coniuges christiani, virtute sacramenti, quo repraesentatur mysterium unitatis et amoris inter Christum et Ecclesiam (cf. *Eph.* 5, 32) », restituendo priorem textum loco actualis. *Ratio*: nam subobscure et minus explorata ratione dicuntur coniuges per matrimonium « participare » realiter amorem Christi et Ecclesiae ad invicem. In loco S. Pauli fit mentio tantum de significatione mysterii. E contra, feliciter corrigitur sequens sententia de sanctificatione coniugum.

Linn. 35-36: dicatur: « Ex hoc enim christiano connubio » loco: « ex hoc enim connubio ». Nam verbum « casto » rectius substituitur per christianum, quam ex toto omittitur.

Pag. 33, linn. 13-34: sincere profitemur textum antiquum concinnitate et praecisione praestare, novumque, post tot verba mutata et addita, potius aggravare textum totamque declarationem. Petitur inde simpliciter restitutio prioris redactionis. Sufficiatque additio subsequentis alinea linn. 35-42, pag. 34 linn. 1-3, quae aptius deservit ad maiorem declarationem subiecti.

N. 13: linn. 24-25: dicatur addendo: « Caput novi et universalis populi fidelium *qui est Ecclesia* ». *Ratio*: ut clarius appareat identificatio novi populi Dei cum Ecclesia. Nam licet paulo infra fiat huiusmodi identificatio, sed praesertim in hoc contextu de universalitate eius, quae intelligenda est eadem Ecclesiae catholicitas, convenit dicta identificatio.

Lin. 1, pag. 35: omittatur: « Efficaciter et ». *Ratio,* nam sufficiat dicere quod Ecclesia perpetuo tendit ad recapitulationem humanitatis et totius mundi in Christo, non quod efficaciter hoc faciat, cum nunquam evenit talis conversio omnium hominum. Secus periculum adest concipiendi, ut plures faciunt, dictam recapitulationem improprie et per meram praesentiam Ecclesiae et ontologicam quandam unionem omnium in Christo et in Ecclesia. Iam enim hac ratione emendantes cap. I omiserunt expressionem Ecclesia ut « pleroma ».

Lin. 24: omittatur: « Omnes asciscuntur homines ». *Ratio*: non solum quia aggravat sententiam, sed quia non rectum sensum facit. « Adsciti » communiter sonant illi actu aggregati alicui coetui. Iam vero non christiani, de quibus est

quoque sententia, non sunt actu Ecclesiae incorporati. Sufficiunt reliqua dicta, quod nempe « ad eam variis modis pertineant » vel ordinentur, vocatione vel potentia plus minusve proxima.

N. 14: linn. 29-41, pag. 36 linn. 1-4: restituatur tota haec prima alinea in suum textum priorem, solum forsan servando vocem « innixi »: « Docet sancta Synodus, Sacra Scriptura et traditione innixa... ». *Ratio*: quia ceterae inductae emendationes aut superfluae sunt aut non rectum sensum habentes. Si enim titulus est: « de fidelibus catholicis », ad quid opus est addere quod « synodus ad catholicos animum vertit »? Similiter patet quod agatur de Ecclesia « peregrinante », cum nonnisi haec Ecclesia semper peregrinans instituta est, ceterae sunt aut praeparationes aut consummatio. E contra, « institutum necessarium ad salutem », terminus proprius est in Traditione et theologia ad designandam institutionem novae oeconomiae salutis in Ecclesia a Deo et Christo, ut fuse declaratum fuerat. Quare inutilem reddit nunc probationem argumentando ex necessitate Mediationis Christi et ex supposita praesentia continua Christi in Ecclesia, sive mysterica sive sacramentali generali; quam plures moderni autumant et de qua nihil constat praeter praesentiam realem localem Eucharistiae et universalem praesentiam virtualem adsistentiae per gratias et charismata, quae est eadem praesentia Spiritus. Sufficiat inde hoc probare, ut textus prior melius et sobrius facit, ex revelata necessitate baptismi tanquam ianuae ad intrandum in Ecclesiam; in qua aequivalentia cum necessitate baptismi satis indicatur agi de medii necessitate ex institutione, nec opus est amplius addere.

De eo autem quod homines nequeunt salvari extra Ecclesiam si scienter eam reiiciunt, longe praecisior formulatio est in textu priori. Emendatus textus totum hoc asserit modo hypothetico et subiunctivo: *possent,* « *nollent* », addens explicatio in Relatione quod « est casus fere irrealis ». Quocum indubie portam aperit interpretationi laxiori plurium circa conscientiam sinceram, et fere nunquam vincibiliter erroneam. Quae elucubrationes in hoc casu inanem et vanam facerent hanc doctrinam de necessitate intrandi in Ecclesiam adeoque ad indifferentismum ducerent.

Linn. 4-21: restituatur tota paragraphus ad suam priorem redactionem, uno forsan mutato verbo: « Reapse et proprie... Ecclesiae » etc., loco: « Reapse et simpliciter loquendo... » etc. Et lin. 13 servetur: « incorporetur ». *Ratio*: siquidem textus prior, presse sequens textum solemnem Enc. *Mystici Corporis,* nitide statuit tres conditiones unanimiter prolatas ut quis de facto incorporetur Ecclesiae tanquam membrum eius actuale, et sensu pleno ac proprio. Textus vero emendatus primo plano ponit ideam incorporationis *plenae,* ad quam adiungit conditionem quartam status gratiae et caritatis. Solum deinde, lin. 13, indirecte et obiter innuitur haec incorporatio simpliciter cuiusque catholici. Quia vero quilibet catholicus, licet peccator retinet incorporationem essentialem et est membrum Ecclesiae, de hoc erat declaratio principalis danda. Nam distinctio membri vivi et per caritatem plene incorporati, amplius in tota parte ultima paragraphi evolvitur. Sola ergo repetitio verbi « incorporetur » loco: « pertineat », videtur vere emendare textum. Nec valet reicere terminologiam de membris Ecclesiae, cum necessario et communiter in constitutione fiat sermo de *incorporatione* ad Ecclesiam, quae vox appellat ad *membra* eius.

Linn. 21-25: insistenter rogatur ut restituatur integer prior textus correspondens, etiam quoad secundam sententiam omissam in textu emendato. *Ratio*:

prima enim sententia, de catechumenis, adhuc clarior exstat in prima redactione. Sed secunda sententia praetermissa absolute restituenda rogatur, quippe quae fideliter reddat recentem interpretationem Magisterii de viis salutis eorum qui extra Ecclesiam sunt *per votum implicitum eius,* reticito licet hoc nomine (cf. DENZ.-SCHÖN. 3869-72).

Ratio vero adhibita ad eius omissionem in Relatione respectiva non valet. Nullatenus enim declaratio tam maximi momenti enuntiatur in sequenti n. 15, ut dicitur. Aliquid sane indicatur altero n. 16, loquendo de non christianis, pag. 37 linn. 37-41, pag. 38 linn. 1-6. Sunt tamen duo generalia asserta, quae hanc solutionem problematis non continent. E contra, heic solutio in sua universalitate datur de salute omnium extra Ecclesiam degentium: sive per votum explicitum ut in catechumenis, sive per votum implicitum, ut in christianis separatis, baptizatis vel non, et pro non christianis. Servanda est ergo haec sententia quae conditiones pertinendi voto implicito ad Ecclesiam egregie declarat, in oppositione ad plurium hodiernorum cavillationes quae hunc votum interpretantur de quadam ordinatione ontologica ad Ecclesiam vel voto obiectivo inscripto in sola humanitate post Christum, sine fide spe nec caritate.

N. 15: tota haec paragraphus commendatur restituenda ad suum priorem et breviorem textum. Emendata autem forma plures variationes inducit quae aggravant ipsum, aut superfluae redactiones et quandoque dubiae veritatis. Illa enim et fusius denuo repetuntur in schemate de Oecumenismo. Non ergo opus est hic minutatim omnia repetere, aut dubia facta de christianis seiunctis repetere, uti de martyrio, quae debitae probationi subici deberent.

Si tamen in nova forma retineatur, duo speciatim rogantur emendanda.

Linn. 39-40: omittatur: « Quo Christo coniunguntur ». *Ratio*: nam de hac coniunctione bis in eadem paragrapho fit sermo; emendatores tertio vocem heic addunt, sed in confuso contextu et ambigua intentione. Omnibus enim noti sunt effectus baptismi. Coniunctio autem quam efficit cum Christo non manet semper plena seu iustificans, nec sufficit ad incorporationem ad Ecclesiam, deficientibus aliis conditionibus.

Lin. 6, pag. 37: dicatur: « Imo vera *quandoque* in Spiritu Sancto coniunctio » loco: « imo vera quaedam... etc. ». *Ratio*: quia sic tolluntur dubietates de hac coniunctione. Nam totus contextus ad unionem spiritualem gratiae sanctificantis sese refert, quem Spiritus Sanctus potest efficere in christianis dissidentibus, ut Relatio fatetur. In hoc sensu est vera et plus quam *quaedam.* Sed hoc nequimus dicere generaliter omnibus. Si enim non possumus dicere omnes catholicos esse in gratia, vel quinam sint iustificati, cum definitiones Tridentini hoc vetant, quo modo diceremus protestantes generaliter esse iustificatos? Totum clarificatur per particulas « imo... quandoque », quae indicant casus existere, licet rariores et indeterminatos.

N. 17: Lin. 40: dicatur: sacrificio eucharistico *maxime* perficere » loco: sacrificio eucharistico perficere ». *Ratio*: non enim sacerdotes aedificant Ecclesiam tantum offerendo divinum Sacrificium, sed et per alia sacramenta et munera sacerdotum.

Cap. III - In hoc capite plura docentur, quae sunt eximia laude digna. Inter ea memorare oportet praesertim profundam explanationem triplicis potestatis, qua ornati sunt episcopi, atque eorumdem sollicitudinem in bonum Ecclesiae universae. Inde sequitur conclusio, quae erit Ecclesiae valde profutura, scil. episcopos

esse vocatos ut, una cum Romano Pontifice, eorum capite, Ecclesiam universam aedificent atque per orbem diffundant.

Sed cum quis vult necessitudines Romani Pontificis et episcoporum ad invicem definire, statim conspicit doctrinam schematis pati graves difficultates, quarum aliquas proponere intendo summatim, facta earumdem ampliori explanatione in animadversionibus ad secretariam Concilii missis.

1. Doctrina de collegio episcoporum, prout in schemate proponitur, adversari videtur menti Concilii. Saepe dictum fuit Concilium nolle proscribere ullam theologorum sententiam, de qua usquemodo et sub ductu Magisterii Ecclesiae, libere disceptatur inter theologos (cf. item cap. VIII, n. 52, pag. 198, linn. 18-22). Iam vero theologos non convenire in docenda collegialitate episcoporum, imo quamplurimos illorum eamdem collegialitatem negasse et negare adhuc, omnibus notum est.

Schema etiam hortatur christifideles universos, ut *singulari prorsus ratione religiosum voluntatis et intellectus obsequium praestent Romani Pontificis authentico Magisterio etiam cum non ex cathedra loquitur* (cap. 3, n. 25, pag. 68, linn. 3-6).

Attamen si Concilium sancire vult doctrinam propositam in schemate, hortatio eiusmodi erit vana, ne dicam nociva, cum quisque perspiciat plures Romanos Pontifices contrariam doctrinam iterato proposuisse in documentis magni ponderis atque indubie patefecisse illos voluntatem obligandi omnes fideles ad doctrinam eiusmodi recipiendam et ad praxim deducendam. Doctrina de collegialitate episcopali non potest sanciri, quin eo ipso reprobentur illi Romani Pontifices. Quod sane, si fieret, inauditum quid eveniret in historia Conciliorum.

Concilium Vaticanum II cura maxima vitare nititur quidquid reprobationem sapiat, etiamsi agatur de privato quolibet auctore; multo ergo magis vitare debet reprobationem eximiorum Pastorum, quos Christus dedit Ecclesiae suae.

2. E collegialitate in hoc capite exposita non solum sequitur plures Romanos Pontifices errasse quomodocumque; sed errasse determinate in re, quae *iure divino,* pertinet ad essentialem constitutionem Ecclesiae; et id non semel aut sententiis obiter dictis, sed pluries et in doctrina directo intenta. Memorentur gravissimae quaestiones ortae ob negligentiam Honorii I in tuenda doctrina fidei de duplici Christi voluntate. Romani autem Pontifices, qui doctrinam enuntiaverunt contrariam collegialitati episcoporum, eam non proposuerunt negligenter, sed optime scientes quid docerent et quid a fidelibus postularent accipiendum docili mentis obsequio. Et sic demum pervenitur ad extremum consectarium, scil. Romanos Pontifices, qui dati sunt a Christo Magistri Ecclesiae suae, fecisse quantum in se fuit ad instaurandam et confirmandam in Ecclesia doctrinam obiective haereticam, utpote repugnantem iuri divino.

3. Distinctio inter *potestatem* episcopalem, quae derivetur a Christo immediate (cf. n. 21, pag. 62, linn. 38-40), et eius *exercitium,* quod dicitur positum in arbitrio Romani Pontificis (cf. n. 22, pag. 64, linn. 11-13 et 37 ss.) difficulter intelligitur, quia impossibile est assignare rationem cur *potestas,* accepta directe a Christo, pendeat ab alio quoad validum exercitium. Romanus Pontifex posset requisita nonnulla praecipere ad liceitatem, sed nihil amplius; et ita quidquid episcopi facerent ubique terrarum, esset valide constitutum.

Non servat iura Primatus, quia potestas est, *natura sua,* quid activum, ordi-

natum ad actum, seu conferens ius agendi. Si *potestas* recipitur independenter a Romano Pontifice, etiam ius agendi.

Aliunde, iuri unius respondet in omnibus aliis officium illud non impediendi, imo et expeditum usum permittendi. Quia officium est iuri correlativum, cum ius oritur immediate a Christo, etiam officium. Proinde si episcopi, cum singuli tum in collegio coadunati, habent immediate a Christo *potestatem et ius agendi,* Romanus Pontifex tenetur *e voluntate Christi* permittere *exercitium* illius, i. e., non potest exercitium collegiale potestatis impedire, sed e contra *debet ob Christi voluntatem* illud fovere et promovere. Proinde attenta voluntate Christi, *Romanus Pontifex non potest ipse solus exercere potestatem supremam in universam Ecclesiam, sed necessario debet communicare illam cum collegio episcoporum.*

4. Si ergo Concilium vult non tantum verbis affirmare hic aut illic quod Romanus Pontifex est liber ad vocandum seu non vocandum episcopos ad actum ullum collegialem, sed insuper hanc eamdem libertatem inserere contextui cohaerenti atque rationibus munire, necesse est omnino emendare sequentes textus: n. 20, pag. 62, lin. 39 (ubi tollere oportet vocabulum *exercendum*); n. 21, pag. 62, linn. 38-40; n. 22, pag. 63, linn. 33-36 et pag. 64, linn. 4-10 et linn. 24-27 (praesertim vocabulum *fungi,* quod pertinet ad exercitium alicuius muneris).

* * *

Caput III, revisum et auctum iuxta vota Patrum in aula conciliari prolata, longe superat antiquum, omnemque promeretur laudem.

I. *Synthesis doctrinae de episcopatu.* Eius doctrina, episcopatum quod attinet, hisce punctis continetur:

1. Christus Dominus *duodecim* a se electos discipulos vocavit, ac constituit apostolos, eosque ad modum collegii instituit, cui unum ex eis praeposuit, scil. Petrum (n. 19).

2. Huic apostolorum collegio cum Petro capite succedunt episcopi cum capite Romano Pontifice successore Petri, atque ideo episcopi una simul cum eorum capite Romano Pontifice, unum pariter Corpus exsistunt *ad modum collegii* (nn. 20-22).

3. Istud ergo episcoporum collegium una cum capite suo Romano Pontifice est substantialiter sive essentialiter idem ac collegium apostolorum una cum capite suo Petro, quod in illo continuo perseverat (n. 23).

4. Et a fortiori manet substantialiter unum idemque episcoporum collegium una cum capite suo Romano Pontifice, sive consideretur in Concilio Oecumenico congregatum, sive dispersum per universum orbem (cf. n. 23).

5. Consequenter, huiusmodi collegium episcoporum una cum Romano Pontifice, et nunquam sine illo, est *subiectum plenae ac supremae potestatis in universam Ecclesiam,* sive consideretur adunatum in Concilio Oecumenico, sive dispersum per orbem extra Concilium (cf. n. 22).

6. Haec autem suprema potestas collegialis huiusce collegii potest collegialiter *exerceri* sive in Concilio Oecumenico sive extra Concilium, Romano Pontifice ad actionem collegialem invitante et approbante (*ibid.*).

7. Romanus tamen Pontifex, *qua Vicarius Christi et Successor Petri, habet ex se,* et non solum ut caput corporis episcoporum, *plenam, supremam et universalem potestatem in totam Ecclesiam,* eamque libere et independenter a corpore episcoporum *exercere* potest (*ibid.*).

8. Quae quidem suprema potestas, tum Romani Pontificis solius, tum universi collegii episcoporum una cum illo, tam in Concilio quam extra Concilium, est *propria, ordinaria et immediata* (*ibid.,* et n. 27).

9. Membrum autem corporis episcopalis constituitur aliquis vi consecrationis sacramentalis et communionis cum collegii capite atque membris (n. 22).

10. *Eademque sacramentali consecratione* eis confertur *officium pastorale* cum triplici munere, scilicet sanctificandi, docendi et regendi (nn. 20-21), sive potestas ordinis et iurisdictionis in Ecclesiam (nn. 21, 23-24); atque ideo talem potestatem accipiunt *immediate a Deo,* vi nempe sacramenti ordinis sive sacramentalis consecrationis (n. 21).

12. *Exercitium* tamen utriusque potestatis *ultimatim* regitur et moderatur a suprema Romani Pontificis auctoritate, cuius est singulos episcopos eligere eisque singulas portiones dominici gregis regendas committere (nn. 23, 27).

13. Licet ergo episcopi, utpote apostolorum successores, *ipsa sua sacramentali consecratione* missionem et potestatem accipiant docendi omnes gentes et praedicandi Evangelium omni creaturae, eosque baptizandi et sanctificandi, idest *potestatem ordinis et iurisdictionis in universam Ecclesiam,* praedictam tamen potestatem *exercere* non possunt nisi in communione cum Romano Pontifice, videlicet nisi ab ipso ulterius accepta missione *canonica* (n. 24).

14. Cum quo tamen stat potestatem singulorum episcoporum in singulas dioeceses eis commissas esse propriam, ordinariam et immediatam, et quidem *iure divino, utpote vi sacramentalis consecrationis et una cum officio pastorali eis communicatam* (n. 24).

15. Neque huiusmodi potestas tam singulorum quam omnium episcoporum simul sumptorum elidit aut minuit potestatem propriam, ordinariam et immediatam Romani Pontificis in omnes et singulas Ecclesias, sed potius eam supponit et executioni mandat; eademque ratione suprema potestas Pontificis non absorbet neque minuit potestatem episcoporum singillatim vel collective sumptorum, sed potius ei fundamentum et robur praebet (nn. 22, 27).

II. *Animadversiones quaedam in praedictam doctrinam de episcopatu.*

1. Et primo quidem animadvertere placet totam istam doctrinam de episcopatu esse apprime ordinatam, ita sane ut qui primum punctum de collegialitate duodecim apostolorum admittat, teneatur cetera omnia, logica et veluti intestina quadam necessitate, excipere.

Simul tamen desiderari videntur nonnullae praecisiones et elucidationes, quibus omnis ambiguitas et obscuritas praecludatur.

2. Ita, punctum illud fundamentale de collegialitate duodecim apostolorum posset ac deberet severius comprobari et magis in tuto poni.

Equidem verum est Christum Dominum *duodecim* discipulos vocasse et elegisse, eosque apostolos suos nominasse, praeposito Petro ut eorum capite. Verum est etiam *duodecim* apostolos esse totidem fundamenta Ecclesiae tam terrestris quam caelestis, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (*Eph.* 2, 20; *Apoc.* 21, 14).

Sed numerus iste duodenarius, qui saepissime occurrit in Sacris Litteris tam Antiqui quam Novi Testamenti, videtur *eumdem sensum proportionaliter habere* ac duodenarius numerus Patriarcharum, Prophetarum et Tribuum Israel quibus correspondent, quasque diiudicabunt in fine saeculi sedentes cum Christo super thronos duodecim (*Mt.* 19, 28; *Lc.* 22, 30).

Atqui duodecim Patriarchae et duodecim Prophetae non constituebant unum collegium, multoque minus duodecim tribus Israel; proindeque non sunt intelligendi neque concipiendi *ad modum collegii.*

Ergo neque duodecim apostoli, *saltem directe et primario ac litterali sensu,* sunt *ad modum collegii* concipiendi et intelligendi.

Cum quo tamen stat quod hi, *per quamdam accommodationem,* possunt *ad modum collegii cuiusdam* intelligi ac nominari, prout revera factum est pluribus in documentis inde a pluribus saeculis. Quod tamen non videtur sufficiens ad fundandam et solidandam doctrinam proponendam in constitutione conciliari.

His adde quod nomen et conceptus collegii indolem sapit *iuridicam* nec satis dogmaticam, ideoque minus aptum videtur ut adhibeatur in Constitutione *doctrinali,* in qua, postulantibus pluribus Patribus, omnis *iuridismus* vitari debet.

Itaque doctrina de duodecim apostolis ad modum collegii videtur opinio quaedam theologica sat quidem probabilis, si placet, sed non omnino certa neque solide fundata in divina revelatione, ut possit tuto proponi in constitutione dogmatica conciliari.

Quod si ita est de collegialitate duodecim apostolorum, eodem iure asserendum videtur doctrinam de collegialitate corporis episcoporum apostolis succedentium non excedere limites merae opinionis theologicae plus minusve probabilis sed non omnino certae ac solide probatae.

3. Admissa tamen collegialitate apostolorum et episcoporum illis succedentium, non quidem quantum ad *speciales praerogativas fundatorum* Ecclesiae, sed solum quantum ad officium *ordinarium* Pastorum [1] cum triplici munere sanctificandi, docendi et regendi, sive cum duplici potestate ordinis et iurisdictionis, adhuc remanet obscurus et non satis probatus *modus quo potestas iurisdictionis, idest docendi et regendi, communicatur et traditur episcopis.*

Schema docet utramque potestatem tradi et communicari eodem modo, idest una cum consecratione sacramentali eiusque vi, ideoque *immediate ab ipso Christo operante in et per sacramenta.*

Haec autem doctrina, potestatem *iurisdictionis* quod spectat, nondum est solide probata, sed inter opiniones theologicas utcumque probabiles adnumeratur. Verba namque Liturgiae, quae adducuntur: « tribue eis cathedram episcopalem ad *regendam* Ecclesiam tuam et plebem universam » (Sacramentarium leonianum, cit. pag. 39, nota 5, in fine), intelligenda sunt de portione populi christiani eis commissa a suprema auctoritate Romani Pontificis, ut patet in actuali Sacramentario Romano, et ideo nominat tantum missionem *canonicam* a Summo Pontifice acceptam, de qua fit sermo in schemate (n. 24, pag. 23, linn. 19-23). Novum enim Sacramentarium authentice interpretatur antiquum.

Praeterea, verba illa *non pertinent ad formam ordinationis seu consecrationis episcopalis,* sed ea tantum quae immediate praecedunt, nempe: *comple* in sacerdote tuo *ministerii tui summam,* et ornamentis totius glorificationis instructum caelestis unguenti rore *sanctifica* », ut solemniter declaravit Pius XII in Constitutione Apostolica *Sacramentum ordinis,* die 30 nov. 1947 (Denz.-Schön. 3860). Porro Sacramenta causant ex opere operato *ea tantum quae eorum forma significant.*

---

[1] « Quomodo Petri auctoritatem in Romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem *ordinariam* haereditate capiunt » (Leo XIII, Enc. *Satis cognitum*: *Acta,* ed. Bonne Presse, t. 5, p. 44).

Cum ergo adducta verba non sint essentialia neque de forma ordinationis sive consecrationis episcopalis, *frustra afferuntur* ad probandam communicationem potestatis iurisdictionis immediate *vi ipsius consecrationis.*

Sunt ergo verba mere liturgica quae, docente eodem Pio XII, non habent ex se valorem dogmaticum, neque praevalere possunt documentis doctrinalibus Magisterii traditis in Encyclicis Litteris aliisve gravioribus scriptis, « *Sacra Liturgia,* inquit, *catholicam fidem absolute suaque vi non designat neque constituit;* sed potius, cum sit etiam veritatum caelestium professio, quae supremo Ecclesiae Magisterio subiicitur, argumenta ac testimonia suppeditare potest, non parvi quidem momenti, ad peculiare decernendum doctrinae caput » (Enc. *Mediator Dei,* die 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39, 1947, pag. 541).

Et clarius in Indice Encyclicae adiecto: « *magis lex credendi statuit legem supplicandi quam lex supplicandi legem credendi* » (*ibid.,* pag. 597).

Iam vero ipsemet Pius XII expresse docet quod « Episcopi nec nominati nec confirmati a Sede Apostolica, immo contra expressas eius ordinationes electi et consecrati, *nulla fruuntur potestate magisterii et iurisdictionis, cum iurisdictio episcopis per unum Romanum Pontificem obtingat,* quemadmodum in Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* hisce verbis monuimus: " Sacrorum Antistites... *ad propriam cuiusque dioecesim quod spectat,* utpote veri Pastores assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt et regunt; id tamen dum faciunt, non plane sui iuris sunt, sed *sub debita Romani Pontificis auctoritate* positi, quamvis *ordinaria* iurisdictionis *potestate* fruantur, *immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita* " (Enc. *Mystici Corporis,* diei 29 mensis iunii 1943: *A.A.S.,* 35, 1943, pp. 211-212). Quam doctrinam, datis postea ad vos Litteris *Ad Sinarum gentem,* iterum memoravimus: " iurisdictionis potestas, quae Summo Pontifici iure ipso divino *directe* confertur, episcopis ex eodem provenit iure, at *nonnisi per Petri Successorem,* cui quidem non tantum christifideles, sed episcopi etiam omnes et oboedientiae obsequio et unitatis vinculo subiici et adhaerere tenentur " (Enc. *Ad Sinarum gentem,* diei 7 mensis octobris 1954: *A.A.S.,* 47, 1955, p. 9) » (Enc. *Ad Apostolorum Principis,* diei 29 mensis iunii 1958: *A.A.S.,* 50, 1958, pp. 610-611).

Idemque repetit in pluribus Allocutionibus, v. g.: Ad praedicatores quadragesimales (2, 17, 1942), Ad auditores Rotae Romanae (2, 10, 1945), et Ad Iuristas catholicos (6, 12, 1953): « *I Pastori ricevono dal Papa immediatamente la loro giurisdizione e la loro missione* ».

Huic ergo doctrinae iterato firmiterque propositae a Magisterio ordinario standum est. Cui etiam calculum adiecerunt complures Ecclesiae Patres, ut S. Ambrosius, S. Leo Magnus, S. Albertus Magnus, S. Bonaventura, S. Thomas Aquinas et S. Robertus Bellarminus. Dedecet autem omnino ut contraria sententia in hac constitutione conciliari approbetur et proponatur, quia *tunc Magisterium Ecclesiae solemne esset contra Magisterium eius ordinarium.*

4. Quod si vel ipsa iurisdictio et missio in singulas portiones Ecclesiae non communicatur neque traditur episcopis singulis vi solius consecrationis, sed per electionem et designationem Romani Pontificis, a fortiori non traditur neque communicatur ipsis vi solius consecrationis potestas iurisdictionis neque missio in universam Ecclesiam, ut videtur supponi et doceri in n. 24 schematis. *Vi ergo solius consecrationis episcopalis solum traditur et communicatur episcopis consecratis plenitudo Sacramenti et potestatis ordinis, non iurisdictionis.*

5. Remanet etiam obscura et ambigua doctrina tradita n. 22, de *modo* quo quis membrum corporis episcopalis efficitur et constituitur. Verum quidem est singulum episcopum, eo ipso quod episcopus est, ad Ordinem vel corpus episcoporum aliquo modo reapse pertinere, idque vi consecrationis, qua episcopus revera constituitur.

Non tamen sufficit ad plenam et legitimam cooptationem in corpus episcoporum, nisi ulterius accedat communio sive communicatio cum eorum Capite aliisque membris, ut ibidem dicitur. Haec autem communio postulat *electionem vel confirmationem in episcopum ex parte Romani Pontificis,* cuius auctoritate episcopi *assumuntur,* ut docet Concilium Tridentinum (DENZ.-SCHÖN. 1778), itemque unionem in vinculo pacis et caritatis.

Insuper, videtur quod ad *plenam* cooptationem in collegium episcopale requiritur ex parte singulorum membrorum eius ut habeant potestatem non solum ordinis, sed et *iurisdictionis.* Nisi enim singula membra potestatem iurisdictionis pro sua quaeque parte habeant, totum eorum Corpus procul dubio non habebit plenitudinem talis potestatis.

Quae tamen iurisdictionis potestas non obtinetur vi solius consecrationis (supra, n. 3), neque simplici electione vel assumptione ex parte Romani Pontificis, neque sola unione in vinculo caritatis et pacis: idest, non obtinetur sola consecratione et communione, quia episcopi *mere* titulares utramque habent, *quin tamen potestate iurisdictionis fruantur,* eo quod non habent portionem assignatam sibique propriam regendam christiani gregis.

Hoc ergo punctum schematis imperfectione et obscuritate laborat, cum tamen sit tanti momenti et apprime exponendum.

6. Eadem de causa manent obscura et ambigua ea, quae consequenter dicuntur, de potestate iurisdictionis ipsius corporis vel collegii episcoporum iam constituti in universam Ecclesiam. Textus enim (n. 22, pag. 21, linn. 6-25) docet eam haberi vi incorporationis episcoporum omnium in praedictum collegium, idest vi consecrationis sacramentalis et communionis cum collegii capite atque membris, quibus talis incorporatio perficitur.

Hoc autem non sufficere ad habendam potestatem iurisdictionis, patet ex modo dictis n. 5. Neque satis est mera successio *materialis* e collegio apostolorum, sed omnino requiritur successio *formalis,* quae sine capite potestatem illam largiente et communicante non datur.

Equidem expresse et iterato docetur *usum sive exercitium* potestatis tam singulorum quam omnium episcoporum regi et moderari a suprema Romani Pontificis auctoritate (nn. 22-23; n. 27, pag. 26, linn. 4-6). At hoc non videtur sufficere, quia *insuper et per prius ipsa potestas debet eidem submitti ac subordinari,* iuxta illud *C.I.C.,* can. 108, 1: « *Ex divina institutione* Sacra Hierarchia ratione ordinis constat episcopis, presbyteris et ministris; *ratione iurisdictionis,* Pontificatu Supremo et *episcopatu subordinato* ».

Ex divina nempe institutione, non ex solo iure ecclesiastico, totus episcopatus, i. e. tam singuli episcopi quam omnes simul *subordinantur Papae* quantum ad *totam* iurisdictionem, videlicet non solum quoad usum vel exercitium, sed *etiam quantum ad ipsam potestatem.*

De hac enim, et non de solo eius exercitio, docet Leo XIII: « Romani Pontificis *potestas* summa est, universalis planeque sui iuris; episcoporum vero [*pote-*

stas] *certis circumscripta finibus, nec plane sui iuris* » (Enc. *Satis cognitum,* ed. cit., p. 52: Denz.-Schön. 3309).

Et ideo « aperte repugnat constitutioni divinae, iurisdictioni Romanorum Pontificum episcopos subesse *singulos,* ius esse; *universos,* ius non esse. Haec enim *omnis* est causa ratioque fundamenti, ut unitatem stabilitatemque *toti* potius aedificio quam *partibus* eius singulis tueatur » (*ibid.,* p. 50: Denz.-Schön. 3309). Ipsa namque dependentia et subordinatio potestatis singulorum et omnium episcoporum a suprema potestate Romani Pontificis, est *causa interna et adaequata* unitatis et stabilitatis totius corporis Ecclesiae, quin necesse sit confugere ad causam quandam externam et charismaticam Spiritus Sancti, ut facit textus schematis (n. 22, pag. 21, linn. 24-25; n. 27, pag. 26, linn. 15-16).

Nimirum, « episcoporum ordo tunc rite, *ut Christus iussit,* colligatus cum Petro putandus est, *si Petro subsit eique pareat*: secus, in multitudinem confusam ac perturbatam necessario delabitur » (Leo XIII, *Enc. cit.,* p. 48: Denz.-Schön. 3308).

7. Quod si potestatem illam iurisdictionis accipiant episcopi ipsa sacramentali consecratione eiusque vi, et non immediate a Romano Pontifice, non satis apparet *cur et quomodo* usus eius vel exercitium positum sit in libero arbitrio Papae, ut ab eo regatur certisque limitibus circumscribatur, ut dicitur n. 23, pag. 22, lin. 10; n. 27, pag. 26, linn. 4-6.

Nam huiusmodi potestas, cum sit essentialiter activa, ideoque ad actionem vel exercitium essentialiter ordinata, natura sua postulat ac exigit ut ad exercitium traducatur. Hoc autem importat quoddam nativum et inalienabile *ius* ad praedictum actum vel exercitium peragendum; et quidem *divinum,* cum sit de ratione praedictae potestatis, quae de iure vel institutione divina dicitur. Iuri autem divino episcoporum tali potestate instructorum vi ipsius sacramentalis consecrationis, respondet ex parte Pontificis Romani *officium eiusdem ordinis, divini scilicet,* usum vel exercitium eius conferendi, et non impediendi neque limitandi pro suo libito.

Teneretur ergo Romanus Pontifex officio et obligatione divini ordinis *a quo excusari et dispensari non posset,* liberum concedere exercitium potestatis iurisdictionis omnibus et singulis episcopis in omnes et singulas portiones totius christiani gregis.

Quamvis igitur distinctio inter potestatem et exercitium eius sit fundata in re valdeque utilis in pluribus casibus, in re tamen praesenti non est proficua neque apta ad problema solvendum, quin immo ad inconvenientia ducit, videlicet ad tollendam vel minuendam universalitatem et plenitudinem potestatis primatialis Romani Pontificis in omnes et singulos fideles et Pastores, horumque plenam atque universalem *subordinationem ac dependentiam ab illo,* iuxta doctrinam definitam a Concilio Vaticano I, quae hic recolitur et iterato proponitur (n. 18, pag. 18, linn. 11-21; n. 22, pag. 21, linn. 22-34).

Neque enim potestas iurisdictionis, de qua est sermo, *meram aptitudinem vel idoneitatem* ad eius exercitium importaret *absque ullo iure vel exigentia,* quemadmodum nonnulli dictitare videntur, ut respondeant utcumque praedictae difficultati, sed *verum ius* vi verbi nominare videtur, iuxta illud Tullii Ciceronis: « ut [C. Cassius] imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto, *ius potestatemque* habeat » (*In M. Antonium Philippica XI,* 12; *Opera,* ed. J. Olivet, t. 6, p. 538. Genevae 1758).

8. Quod autem dicitur de potestate iurisdictionis eiusque exercitio tam sin-

gulorum quam omnium episcoporum, eadem ratione dici debet de potestate eiusque exercitio totius corporis vel collegii episcopalis, quae hac de causa vocantur potestas collegialis et exercitium collegiale. Potestas nempe collegialis in universam Ecclesiam haberetur a collegio episcoporum vi sacramentalis consecrationis et communionis cum collegii capite atque membris inter se, licet eius exercitium collegiale regeretur ac moderaretur a Romano Pontifice.

Difficultas enim manet proportionaliter eadem. Quia talis potestas collegialis videtur essentialiter importare *verum ius* ad eius exercitium item collegiale ex parte collegii episcoporum, *verumque officium* et obligationem ex parte Romani Pontificis conferendi illud exercitium absque ulla restrictione sive limitatione. Quod tamen videtur offendere verum eius primatum universalem iurisdictionis in totam Ecclesiam atque in omnes fideles et pastores.

9. Imo et augetur difficultas ex eo quod potestas collegialis collegii episcoporum dicitur plena, suprema et universalis in totam Ecclesiam, haud secus ac potestas ipsius Romani Pontificis. Quo fit, ut ipsum collegium episcoporum sit *subiectum praedictae potestatis,* sicut et Romanus Pontifex (n. 22, pag. 21, linn. 7-15). *Non est autem plena neque suprema, si exercitium eius ab alia potestate regitur, moderatur et limitatur,* ut est potestas ipsius Romani Pontificis per se et personaliter considerati, quemadmodum ibidem conceditur, pag. 21, linn. 25-34.

His adde quod tunc haberetur *duplex subiectum proprium* duplicis potestatis plenae, supremae et universalis in totam Ecclesiam Christi, nempe Romanus Pontifex solus et collegium episcoporum; pariterque plena et suprema potestas iurisdictionis unius Pontificis itemque collegii. Potestas enim, cum non sit substantia sed accidens, multiplicatur numero secundum numerum subiectorum *propriorum* quibus inest.

Hoc autem secum fert *duplex inconveniens,* idque gravissimum: aliud *generale* pro omni societate rite constituta, nempe « rerum ordinem mutuasque necessitudines perturbari si bini magistratus in populo sint eodem gradu, neutro alteri obnoxio » (Leo XIII, Enc. *Satis cognitum,* ed. cit., p. 52; Denz.-Schön. 3309); aliud *speciale pro ipsa Ecclesia,* cuius forma regiminis divinitus instituta non est collegialis neque dyarchica, sed *monarchica,* ut patet ex damnatione Martini de Barcos ab Innocentio X et quorumdam orientalium a S. Pio X (Denz.-Schön. 2999, 3555), itemque Valentini Eybel a Pio VI, nempe « Christum non instituisse directe in Ecclesia formam *monarchicam* » (Apud Monachos Solesmenses, *La Iglesia,* t. I, n. 49, p. 54; Buenos Aires 1961).

10. Neque difficultas plene solvitur ex eo quod in collegio episcoporum necessario includitur, ut caput eius, ipse Romanus Pontifex, atque ideo duplex illud subiectum plenae supremaeque potestatis non esset adaequate distinctum, sed *inadaequate tantum,* nempe Romanus Pontifex solus ex una parte, et Romanus Pontifex una cum corpore episcoporum ex alia.

In cuius confirmationem adducitur auctoritas Concilii Vaticani I de primatu Romani Pontificis (nn. 18, 22), et C.I.C. de Concilio Oecumenico in quo totum corpus episcoporum una cum Papa congregatur (n. 22).

Utrumque proponit C.I.C. hisce verbis: « *Romanus Pontifex,* B. Petri in primatu Successor, habet non solum primatum honoris, sed *supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam,* tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in his quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent » (can. 218, 1).

Et iterum de Concilio: « *Concilium Oecumenicum suprema pollet in universam Ecclesiam potestate* » (228, i).

Nimirum, Romanus Pontifex solus non est subiectum adaequate distinctum a seipso una cum corpore episcoporum in Concilio Oecumenico adunatorum vel per universum orbem dispersorum; et similiter potestas suprema Romani Pontificis solius non est adaequate distincta a suprema potestate eiusdem una cum potestate corporis episcoporum in Concilio vel extra Concilium consideratorum.

11. Hoc utique verum est. Sed alia est realis quaestio, nimirum undenam corpus episcoporum habeat potestatem illam collegialem plenam et supremam in universam Ecclesiam, sive in Concilio sive extra Concilium considerentur; et an potestas collegialis praedicti collegii sit *maior* quam potestas non collegialis solius Romani Pontificis.

Schema docet hanc potestatem haberi, ipsa incorporatione episcoporum ad collegium eorum; quae quidem fit sacramentali consecratione et communione cum collegii capite atque membris. Et sic collegialiter instituti et considerati, collegium episcoporum efformant, quod succedit collegio apostolorum, illudque continuat (n. 22).

Sed tunc redit, aggravata, difficultas supra considerata, nn. 3-6, *de modo et ratione transmissionis potestatis iurisdictionis* ad singulos episcopos, ac de eius *subordinatione* potestati supremae Romani Pontificis. Non enim eam acciperent immediate a Papa, sed sola vi consecrationis independenter ab eo. Et sic potestas illa collegialis non esset subiecta, *ut potestas,* potestati Papae, licet ipsi subiiceretur *exercitium* eius. Quod sane non videtur sufficere.

Obstat enim articulus professionis fidei propositae et impositae Armenis a Clemente VI, die 29 septembris 1351, qui sic se habet: « si credidisti, credis vel credere es paratus... quod Beatus Petrus plenissimam potestatem *iurisdictionis* acceperit super omnes fideles christianos a Domino Iesu Christo; et quod *omnis potestas iurisdictionis,* quam in certis terris et provinciis et diversis partibus orbis specialiter et particulariter habuerunt *Iudas Thaddaeus et ceteri apostoli, subiecta fuerit plenissimae auctoritati et potestati quam super quoscumque in Christum credentes in omnibus partibus orbis B. Petrus ab ipso Domino Iesu Christo accepit; et quod nullus apostolus vel quicumque alius super omnes christianos nisi solus Petrus plenissimam potestatem accepit* » (DENZ.-SCHÖN. 1052).

Ergo *ipsamet potestas collegialis,* quam habet corpus episcoporum ut contradistinguitur a Romano Pontifice, non competit illi ex seipso, vi nempe solius consecrationis sacramentalis, neque ex seipso et ex Romano Pontifice quasi ex aequo, sed ex solo Romano Pontifice, cuius est Concilium Oecumenicum convocare, praesidere et confirmare, itemque collegium episcoporum per orbem dispersorum ad actionem collegialem invitare ac eam approbare, ut ipsemet textus schematis expresse fatetur (n. 22, pag. 21, linn. 27-34).

12. Ceterum, in Concilio Oecumenico conveniunt et sedent *ut iudices et cum voto deliberativo* abbates generales et superiores generales Ordinum et Congregationum religiosarum exemptarum, *quin tamen sint episcopi.* Non ergo pertinent ad collegium episcoporum cum episcopi non sint, neque potestatem sedendi et iudicandi in Concilio Oecumenico habent ex consecratione episcopali qua revera carent, sed *ex sola participatione potestatis Romani Pontificis eis libere ab ipso communicatae.*

Itaque non est identificandum collegium episcoporum cum Concilio Oecu-

menico. Quod si tot abbates et superiores generales non episcopi sedent et iudicant ex sola potestate eis immediate communicata per Romanum Pontificem, eorumque vota et iudicia eiusdem valoris aestimantur, retinentur et accipiuntur ac vota et iudicia episcoporum, concludendum est potestatem quoque episcoporum eodem modo se habere ad Romanum Pontificem et ad Concilium ipsum, ita nempe ut illam *immediate accipiant ab ipso Pontifice Summo, eiusque vi ad universalem Ecclesiam porrigatur.* Ipse enim solus, vi muneris qui qua Vicarius Christi et Caput supremum totius Ecclesiae, potestatem habet plenam et supremam in universam Ecclesiam, ceteri vero sive episcopi sive non episcopi, tam singillatim quam collective sumpti, *nonnisi per illum et ex illo.*

Dicendum est ergo Concilium Oecumenicum suprema pollere in universam Ecclesiam potestate (can. 228, 1), vi Romani Pontificis eam ipsi communicantis, ex cuius sola convocatione, praesidentia et approbatione vel confirmatione totum Concilium vim habet et robur, ut dicit ipsum schema cum Concilio Vaticano I (n. 22, pag. 21, linn. 29-30; Conc. Vat. I, DENZ.-SCHÖN. 3063-3064).

Eo vel magis quod ipsa institutio Conciliorum Oecumenicorum est iuris Ecclesiastici et non iuris divini. Quo fit, ut potestas collegialis quae eidem tribuitur sit iuris quoque ecclesiastici, non divini.

Neque a fortiori, vel saltem a pari, actus collegialis collegii episcoporum per orbem dispersorum extra Concilium est de iure divino, sed de iure mere ecclesiastico. Et ideo Romanus Pontifex non tenetur consulere corpus episcoporum ad definitionem aliquam dogmaticam pronuntiandam, neque de facto id semper fecit. Consuluit quidem et iudicium exquisivit pro definitionibus Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. Mariae Virginis, non autem pro definitione visionis beatificae conferendae animabus sanctis plene purgatis ante diem iudicii universalis (BENEDICTUS XII, DENZ.-SCHÖN. 1000-1001).

13. Ex quo illud etiam consequitur, potestatem iurisdictionis collegialem, i. e. totius collegii episcoporum una cum Romano Pontifice, sive in Concilio Oecumenico adunatorum sive per orbem dispersorum, *non esse formaliter maiorem* potestate solius Romani Pontificis separatim et secundum se considerati, *sed mere materialiter tantum*; idest non maiorem *intensive,* ac si esset plus potestatis in collegio episcoporum cum Papa quam in Papa solo, sed *extensive tantum,* quatenus sunt *plures potentes,* nimirum Papa et omnes episcopi simul, licet inaequaliter. « Quia — ut ait Thomas de Vio Caietanus, O.P. — potestas sua continet in se omnium reliquorum potestates, ut earum causa universalis. Nulla enim est *potestas iurisdictionis* in Ecclesia quae non sit in Papa » et a Papa. (*De comparatione auctoritatis Papae et Concilii,* cap. 6, n. 75, p. 45; ed. V. Pollet, O.P. Romae 1936): quandoquidem « aliae potestates sunt *participationes* ipsius in partem sollicitudinis datae ». Et ideo « non plus potest Papa et Ecclesia quam Papa solus, licet plures sint potestates Papae et Ecclesiae quam Papae solius » (*ibid.,* cap. 9, n. 137, pp. 69-70).

Potestates namque singulorum et omnium episcoporum in Concilio vel extra Concilium non se habent ad potestatem Papae sicut partes integrales neque subiectivae eius, quia potestas Papae non est sicut genus aequaliter participatum a speciebus, neque sicut totum integrale ex partibus integralibus constitutum, sed *sicut totum potestativum sive analogum,* cuius tota ratio atque perfectio continetur in uno primo et principali quod vocatur analogatum princeps, in aliis autem sicut in partibus eius potentialibus, idest imperfecte et inaequaliter secundum prius

et posterius. Totius enim potestativi « haec est natura, quod *totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem aliqua participatio ipsius* » (S. THOMAS, *in IV Sent.,* d. 24, q. 2, a. 1, qla 1, ad 2). Unde sicut post creationem sunt *plura entia* quam ante creationem, nempe creaturae et Deus, *non autem plus entis,* quia tota entitas et perfectio creaturarum est a Deo participata, et in ipso solo est tota perfectio et plenitudo entis; ita potestas episcoporum et Papae sunt plures potestates quam potestas solius Papae, *non tamen* importat *plus potestatis,* quia tota potestas invenitur plenissime in Papa solo, et ab eo immediate derivatur ad omnes et singulos episcopos, in quibus nonnisi participative habetur.

14. Licet ergo Papa dicatur subiectum plenae, supremae ac universalis potestatis iurisdictionis in totam Ecclesiam, itemque Concilium Oecumenicum vel collegium episcoporum (n. 22, pag. 21, linn. 7-15), non tamen ex aequo eademque ratione. Quia Romanus Pontifex est subiectum eius *proprium et principale atque ex seipso*; dum collegium episcoporum in Concilio Oecumenico vel extra Concilium consideratum et ut a Papa contradistinctum, est subiectum tantum *appropriatum et secundarium vel adnexum, atque per participationem et dependentiam ab illo.* Non enim est alia potestas plena et suprema Papae solius et Papae cum collegio episcoporum, sed una eademque (cf. THOMAM DE VIO CAIETANUM, *Apologia tractatus de camparatione auctoritatis Papae et Concilii,* cap. 12; ed. cit., n. 679, p. 282); quae tamen in Papa est primario et per se, in collegio vero episcoporum ut a Papa contradistinctum secundario et per quandam extensionem vel participationem a Papa.

Eo simili modo quo unus habitus operativus vel una virtus, quae habitus operativus est ideoque ad modum cuiusdam potentiae considerari potest, simul potest esse *in duplici potentia animae* sicut in duplici subiecto *quo.* Non tamen ex aequo sive aeque principaliter, sed secundum prius et posterius, ita quidem ut *in una sit sicut in subiecto proprio et principali, in alia vero sicut in subiecto appropriato et adnexo vel secundario* (cf. S. THOMAM, *Summa theol.,* I-II, q. 56, a. 2).

Ita, habitus scientiae est sicut in subiecto *quo* in intellectu speculativo possibili simulque in memoria et cogitativa: sed in intellectu possibili sicut in subiecto *proprio et principali,* in memoria vero sensitiva et cogitativa sicut in subiecto *secundario vel adnexo* (cf. S. THOMAM, *op. cit.,* I-II, q. 50, a. 4, ad 1; q. 56, a. 5 c). Et similiter virtus prudentiae est *primo et principaliter* in intellectu practico, *secundario autem et per modum cuiusdam praeparationis vel extensionis in* cogitativa sicut in subiecto *adnexo* (cf. S. THOMAM, *op. cit.,* II-II, q. 47, a. 3 ad 3).

Proprie tamen et *formaliter* loquendo, unius virtutis vel habitus operativi non est nisi una potentia animae sicut subiectum *quo,* nempe illa potentia in qua est primo, principaliter et proprie. Unde, etiamsi separetur a subiecto secundario vel adnexo, manet tamen virtus vel habitus, quia manet subiectum proprium, primarium vel principale: sicut in anima separata a corpore manent actu potentiae eius spirituales, intellectus nempe et voluntas, et consequentes habitus scientiae in intellectu subiectatus (S. THOMAS, *op. cit.,* I, q. 89, a. 5), licet non maneant actu potentiae organicae, nempe memoria sensitiva et cogitativa, quae subiectum erant secundarium tantum.

Et pari modo, plena et suprema potestas Ecclesiae manet in Papa solo, etiamsi separatim consideretur a reliquo corpore episcoporum, quia Papa est subiectum proprium et principale illius potestatis; sed si episcoporum collegium consideretur

separatim a Romano Pontifice, talis potestas non adesset, quia est merum subiectum secundarium eius, et plena supremaque potestas nequit esse per se in subiecto mere secundario vel adnexo.

III. *Conclusio.* Uno verbo, caput istud de episcopatu nimis obscurum et diffusum est, nec satis elaboratum. Plura enim continet ambigua et disputationi obnoxia. Non satis cohaeret cum Magisterio Ecclesiae ordinario. Et relate ad doctrinam de episcopatu propositam specialiter a Leone XIII et a Pio XII, regressum potius quam progressum importat. Agnoscit quidem primatum iurisdictionis Romani Pontificis, eique subordinatum profitetur *exercitium* potestatis iurisdictionis tam singulorum quam omnium episcoporum, etiam collegialiter consideratorum sive in Concilio Oecumenico sive extra Concilium; at non satis aperte proponit subordinationem Romano Pontifici *ipsius potestatis* iurisdictionis episcopalis sive personalis sive collegialis, immo innecessario nec satis accurate tradit collegium episcoporum esse quoque *subiectum supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam,* licet una cum capite suo Romano Pontifice.

Loco ergo verborum (n. 22, pag. 21, linn. 11-15): « Ordo autem episcoporum, qui collegio apostolorum, in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, una cum Capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite, *subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam exsistit* », rectius diceretur: Ordo autem episcoporum, qui collegio apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, *subordinatus est capiti suo Romano Pontifici, a quo dependet, tum quoad potestatem iurisdictionis, tum quoad usum vel exercitium eius.*

Appendix. Textus S. Thomae, quibus docet episcopos immediate accipere potestatem iurisdictionis a Romano Pontifice.

1. « Potestas superior et inferior *dupliciter* possunt se habere. *Aut* ita quod inferior potestas *ex toto oriatur a superiori, et tunc tota virtus inferioris fundatur supra virtutem superioris*; et tunc simpliciter et in omnibus est magis obediendum potestati superiori quam inferiori: sicut etiam in naturalibus causa prima plus influit supra causatum causae secundae quam etiam ipsa causa secunda, ut in libro *De causis,* in principio, dicitur. Et sic se habet potestas Dei ad omnem potestatem creatam: sic etiam se habet potestas Imperatoris ad potestatem proconsulis: *sic etiam se habet potestas Papae ad omnem spiritualem potestatem in Ecclesia, quia ab ipso Papa gradus dignitatum diversi in Ecclesia et disponuntur et ordinantur*; unde eius potestas est quoddam Ecclesiae fundamentum, ut patet *Mt.* 16, 18-19. Et ideo in omnibus magis tenemur obedire Papae quam episcopis vel archiepiscopis, vel monachus abbati, absque ulla distinctione.

Possunt *iterum* potestas superior et inferior ita se habere, quod *ambae oriantur ex una quadam suprema potestate,* quae unam alteri subdit secundum quod vult: et tunc una non est superior altera *nisi in his quibus una supponitur alii a suprema potestate,* et in illis tantum est magis oboediendum superiori quam inferiori; et *hoc modo se habent potestates et episcopi et archiepiscopi, descendentes a Papae potestate* » (*In II Sent.,* dist. 44, Expositio textus).

2. « Ea quae circa singularia operari oportet, non eodem modo omnibus competunt. Unde sicut post generalia medicinae praecepta oportet adhiberi medicos, quibus praecepta universalia medicinae singulis infirmis, secundum quod debent,

aptentur; ita in quolibet principatu praeter illum qui universaliter praecepta legis tradit, oportet esse aliquos qui ea singulis, secundum quod debent, adaptent.

Et propter hoc etiam in Caelesti Hierarchia sub *Potestatibus* qui indistincte praesunt, ponuntur *Principatus* qui singulis provinciis distribuuntur, et sub his *Angeli* qui singulis hominibus in custodiam deputantur... Unde et *ita esse debet in praelatione Ecclesiae militantis,* ut apud *aliquem* esset praelatio *indistincte in omnes,* et *sub hoc* essent *alii* qui super *diversos distinctam potestatem acciperent.*

Et quia usus clavium requirit aliquem praelationis potestatem per quam ille, in quem usus clavium communicatur, efficitur materia propria illius actus, ideo ille qui habet *indistinctam* potestatem super omnes, potest uti clavibus in quemlibet. Illi autem qui sub eodem *distinctas* potestates acceperunt, non in quoslibet uti possunt clavibus, sed *in eos tantum qui eis in sortem venerunt,* nisi in necessitatis articulo, ubi nemini sacramenta sunt deneganda.

Ad primum ergo dicendum quod ad absolutionem a peccato requiritur *duplex potestas,* scilicet potestas *ordinis* et potestas *iurisdictionis.*

Prima quidem potestas est aequaliter in omnibus sacerdotibus, non autem secunda. Et ideo, ubi Dominus, *Io.* 20, 22, dedit *omnibus* apostolis *communiter* potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate quae consequitur *ordinem.* Unde et sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur.

Sed *Petro* dedit *singulariter* potestatem remittendi peccata, *Mt.* 16, 19, ut intelligatur quod *ipse prae aliis habet potestatem iurisdictionis.*

Potestas autem *ordinis,* quantum est de se, se extendit ad *omnes* absolvendos. Et ideo *indeterminate* Dominus dixit (*Io.* 20, 22): *quorum remiseritis peccata,* intellegens tamen quod *usus* illius potestatis esse deberet praesupposita potestate Petro collata secundum ipsius ordinationem.

Ad secundum dicendum quod etiam clavis materialis non potest aperire nisi seram *propriam,* nec aliqua virtus activa potest agere nisi in materiam *propriam.* Materia autem *propria* potestatis ordinis efficitur aliquis per *iurisdictionem.* Et ideo non potest aliquis clave uti ad eum in quem iurisdictio non datur » (*In IV Sent.,* dist. 19, q. 1, a. 2, ql. 1 c et ad 1 et 2; ed. F. Moos, O.P., nn. 72-78.)

3. « Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi Rex in regno. Sed episcopi assumuntur in *partem* sollicitudinis, quasi iudices singulis civitatibus praepositi: propter quod etiam solos eos in suis litteris fratres vocat, reliquos autem omnes vocat filios. Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in Papa, quia potest facere prout vult, causa tamen exsistente legitima. Sed in episcopis est taxata secundum ordinationem Papae. Et ideo possunt facere secundum quod eis taxatum est, et non amplius » (*In IV Sent.,* dist. 20, a. 4, qla. 3c; ed. cit., n. 125).

4. « In regno, quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes Regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates, quae sunt participationes quaedam regiae potestatis » (*In IV Sent.,* dist. 24, q. 2, a. 1, qla. 1 ad 3).

5. « Ubicumque sunt multa regimina ordinata in unum, oportet esse aliquod universale regimen super particularia regimina... Bonum autem commune est divinius quam bonum speciale. Et ideo supra potestatem regitivam quae coniectat bonum speciale, oportet esse potestatem universalem respectum boni communis; alias, non posset esse colligatio ad unum.

Et ideo, cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiae, supra potestatem

episcopalem qua unaquaeque specialis Ecclesia regitur, et haec est potestas Papae » (*In IV Sent.*, dist. 24, q. 3, a. 2, qla. 3c).

6. « Quamvis *omnibus* apostolis data sit *communiter* potestas ligandi et solvendi, tamen, ut in hac potestate *ordo* aliquis significaretur, primo soli Petro data est (*Mt.* 11, 19), *ut ostendatur quod ab eo in alios ista potestas debeat descendere.* Propter quod etiam ei dixit singulariter (*Lc.* 22, 32): confirma fratres tuos, et (*Io.* 21, 17): pasce oves meas » (*ibid.*, ad 1).

7. « Patres in Concilio congregati nihil statuere possunt nisi auctoritate Romani Pontificis, sine quo etiam nec Concilium congregari potest » (*Contra impugnantes Dei cultum et religionem*, P. I., cap. 3, n. 159; ed. R. Spiazzi, O.P.).

8. « Oportet igitur ministrum cui fit confessio, iudiciariam potestatem habere vice Christi, qui constitutus est iudex vivorum et mortuorum (*Act.* 10, 42). Ad iudiciariam autem potestatem duo requiruntur, scil. auctoritas cognoscendi de culpa et potestas absolvendi vel condemnandi. Et haec duo dicuntur duae claves Ecclesiae, scilicet scientia discernendi et potentia ligandi et solvendi, quas Dominus Petro commisit, iuxta illud *Mt.* 16, 19: Tibi dabo claves regni caelorum. Non autem sic intelligitur Petro commisisse ut ipse solus haberet, sed *ut per eum derivarentur ad alios* » (*Summa contra Gentiles*, lib. IV, cap. 72; ed. C. Pera, O.P., n. 4075).

9. « Manifestum est igitur regimen Ecclesiae sic esse dispositum ut unus toti Ecclesiae praesit... Hinc est quod *Petro* dixit ante ascensionem (*Io.* 21, 17): pasce oves meas, et ante passionem (*Lc.* 22, 32): tu iterum conversus, confirma fratres tuos, et *ei soli* promisit (*Mt.* 16, 19): Tibi dabo claves regni caelorum; ut *ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda*, ad conservandam Ecclesiae unitatem » (*ibid.*, ca. 76, nn. 4105, 4108).

10. « Est alia quaestio, quia alibi habetur (*Io.* 20, 23): quorum remiseritis peccata remittentur eis; hic vero solum hoc dicit Petro.

Dicendum quod *immediate dedit Petro; alii vero a Petro accipiunt.* Ideo ne credatur ista solum dici Petro, dicit: quorum remiseritis peccata remittentur eis. Et hac ratione *Papa, qui est loco S. Petri, habet plenariam potestatem, alii vero ab ipso* » (In *Mt.* 16, 19, n. 1309; ed. R. Cai, O.P.).

11. « Duplex est in spiritualibus potestas: una quidem sacramentalis, alia iurisdictionalis.

Sacramentalis quidem potestas est quae *per aliquam consecrationem confertur.* Omnes autem consecrationes Ecclesiae sunt *immobiles, manente re quae consecratur*; sicut etiam patet in rebus inanimatis, nam altare semel consecratum non consecratur iterum nisi fuerit dissipatum. Et ideo talis potestas *secundum suam essentiam remanet in homine qui per consecrationem eam est adeptus quamdiu vivit,* sive in schisma sive in haeresim labatur.

Sed quia potestas inferior non debet exire in actum nisi secundum quod movetur a potestate superiori, ut etiam in rebus naturalibus patet, inde est quod tales *usum* potestatis amittunt, ita scil. quod *non liceat* eis sua potestate *uti.* Si tamen usi fuerint, eorum potestas *effectum habet in sacramentalibus,* quia in his homo non operatur nisi sicut instrumentum Dei. Unde effectus sacramentales non excluduntur propter culpam quamcumque conferentis sacramentum.

Potestas autem *iurisdictionalis* est quae *ex simplici iniunctione hominis confertur.* Et talis potestas *non immobiliter adhaeret.* Unde in schismaticis et haere-

ticis non manet. Unde non possunt nec absolvere nec excommunicare nec indulgentias facere, aut aliquid huiusmodi. *Quod si fecerint, nihil est actum.*

Cum ergo dicitur tales *non habere potestatem spiritualem, intelligendum est* vel *de potestate secunda*; vel, si referatur ad primam potestatem, non est referendum ad ipsam *essentiam* potestatis, sed ad *legitimum usum eius* » (*Summa theol.*, II-II, q. 39, a. 3c).

* * *

De nonnullis pertinentibus ad collegialitatem in quibus schema non videtur plene sibi cohaerens.

1. Mens est totius capitis tertii, ubi agitur de sacra hierarchia, quod collegium episcopale, quamvis potestatem supremam habeat immediate a Christo, eam tamen exercere non potest nisi cum placuerit Romano Pontifici, eius capiti, ita ut idem Romanus Pontifex nulla causa sit obstrictus obligatione vocandi episcopos ad actum ullum collegialem. Sed huic doctrinae, de qua non est iterum iudicandum, obstant quaedam in ipso schemate.

a) Dicitur enim quod « munus apostolorum pascendi Ecclesiam ab ordine sacrato episcoporum *exercendum* » est (n. 20, pag. 61, linn. 37-39). Vis huius vocabuli *exercendum* augetur, si quis respiciat ad aliud doctrinae caput, firmiter in schemate propositum, scilicet Christum instituisse collegium duodecim apostolorum (n. 19), et voluisse permanentiam eiusdem in collegio episcopali (n. 22, pag. 64, linn. 4-7).

Hinc videtur statim oriri difficultas. Si munus apostolorum erat munus collegiale, si hoc munus — ut dicitur — *exercendum* est rursus si non exercetur nisi a collegio episcopali, quia — ut dicitur — in solo collegio illud munus perseverat: plane patet Romanum Pontificem, sicuti non potest impedire apostolicam collegialem successionem, qua gaudent episcopi, ita etiam non posse impedire *exercitium* collegiale muneris, quod successione acceperunt, cum illud munus *exercendum* sit. Et ita libertas Romani Pontificis, qui pro libito posset vocare aut non vocare episcopos ad actum collegialem, evanescit.

b) Eadem libertas iterum in discrimen adducitur ob alia verba, quorum sensus est saltem ambiguus. Dicitur enim quod episcopi in collegio *funguntur* potestate, qua ornati sunt, in bonum suorum fidelium, immo totius Ecclesiae (n. 22, pag. 64, linn. 26-27).

Difficultas oritur, quia vocabulum *fungi* et similia significant *exercitium* alicuius muneris, ut patet inspicienti quodlibet latinitatis lexicon, et ut apparet etiam in ipsis documentis Concilii: possunt videri schema *de Ecclesia,* cap. n. 27, pag. 71, linn. 10-11; n. 28, pag. 73, lin. 4; *De pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* cap. II, n. 33, 3), pag. 20, lin. 29; schema propositum *de sacerdotibus,* n. 9, pag. 7, lin. 28. Aliunde pars illa in qua inveniuntur verba citata videtur agere de *potestate* collegii, nam quod attinet *exercitium* illius videtur incipere a verbis « suprema in universam... exercetur » (pag. 64, linn. 29-32), ubi recensentur *actus* in quibus potestas illa ostenditur, vocante aut aliter approbante Romano Pontifice.

Videtur ergo necessarium revidere textum, ne oriatur aliqua confusio in re tam gravi.

2. Difficulter etiam perspicitur cohaerentiam inter duos sequentes textus:

a) « Episcopalis consecratio cum munere sanctificandi, munera quoque con-

fert docendi et regendi, quae tamen natura sua nonnisi in communione cum collegii capite et membris *exerceri* possunt » (n. 21, pag. 62, linn. 38-41, pag. 63, lin. 1).

b) « Membrum corporis episcopalis aliquis constituitur vi sacramentalis consecrationis et communione cum collegii capite atque membris » (n. 22, pag. 63, linn. 33-36).

In priori loco, ut patet, communio non est necessaria nisi ad *exercitium* magisterii et regiminis, quorum *potestas* data est simul cum potestate sanctificandi vi consecrationis episcopalis. In altero autem loco consecratio et communio requiruntur ex aequo, et ideo communio necessaria erit non tantum ad usum seu *exercitium,* sed etiam ad ipsam potestatem habendam.

Si quis dicat textum alterum esse intelligendum ad mentem prioris, inconveniens sequitur sat grave. Etenim, secundum doctrinam schematis, collegium, quatenus est iuris divini, non confert episcopis nisi solam potestatem, eiusdem usu omnino posito in arbitrio Romani Pontificis; quapropter *exercitium* potestatis collegialis non est iuris ecclesiastici. Hinc sequitur necessario quod si collegium spectemus quoad ea quae sunt iuris divini, ad illud pertinent ex aequo omnes episcopi valide consecrati sive invicem communicent sive non, quia — ut dicitur — communio non est necessaria, nisi ad *exercitium* potestatis, iam datae per validam consecrationem. Insuper, cum collegium, attento iure divino, consistere nequeat nisi coadunatum circum Romanum Pontificem, dicendum est omnes episcopos, valide consecratos, reapse circum Romanum Pontificem congregari, nec posse ab eo recedere, quoad illa quae sunt iuris divini, sicut neque possunt propriam consecrationem delere, aut qualitercumque amittere.

Si ad vitandas sequelas huiusmodi malit quis ordinem permutare atque primum textum intelligere sub lumine alterius, neque etiam tunc utriusque dissonantiam, ne dicam repugnantiam, vitabit. Nam si communio requiritur ad habendam *potestatem,* quae per consecrationem confertur, tunc illi qui non sunt in communione cum capite atque membris collegii, nullam acciperent potestatem, i. e., non possent valide consecrari: quod omnibus patet esse falsum. Hanc sequelam nemo « effugere potest, nisi distinguendo viam qua confertur *potestas* sanctifica, et qua conferuntur aliae duae *potestates.* Sed facta distinctione huiusmodi, iam non licet affirmare quod *potestas* magisterii et regiminis confertur episcopali consecratione, quia communio non est pars episcopalis consecrationis seu sacramenti episcopatus (n. 21, pag. 62, linn. 5-6).

Textus igitur, prout iacent, minime concordari possunt. Aliunde, nemo non videt hic tangi medullam quaestionis circa collegium episcoporum.

Demum, difficile est perspicere internam consonantiam earum affirmationum quae fiunt in solo textu priori. Dicitur enim primo quod episcopalis consecratio confert triplex munus sanctificandi, docendi et regendi. Et statim post affirmatur quod potestas docendi et regendi *natura sua exerceri non possunt* nisi in communione cum collegii capite et membris. Haec praecisio « *natura sua* » spectat solum potestates docendi et regendi, ut evidenter constat cum e directa inspectione textus tum e *Relatione* de eodem numero, pag. 86 (H).

Candide fatemur nos distinctionem factam capere non posse. Si omnes tres potestates conferuntur eadem via, i. e., in et per episcopalem consecrationem, quid est in causa ut potestas sanctificandi exerceri extra communionem possit, aliae vero duae communionem postulent, idque *natura sua?* Ratio affirmandi potesta-

tem magisterii et regiminis pendere a Romano Pontifice quoad validum exercitium, idque *natura sua,* nulla alia cogitari potest, nisi quod eadem potestas accipiatur non vi consecrationis, sed ab eodem Romano Pontifice; unde sequitur quod a Christo procedit *mediate tantum.*

Leo XIII, postquam firmiter edixerat episcopos accipere potestates docendi et regendi a Romano Pontifice, potuit congruenter docere: « *ex quo plane intelligitur* excidere episcopos *iure* ac *potestate* regendi, si a Petro eiusve successoribus scientes secesserint » (*Satis cognitum*: *A.S.S.,* 28, 1895-1896, p. 733). Et iterum: « nemo *igitur* nisi cum Petro cohaereat participare *auctoritatem potest,* cum *absurdum sit* opinari, qui extra Ecclesiam est, eum in Ecclesia praeesse » (*ibid.,* pag. 734).

27

Exc.mus P. D. IACOBUS FLORES MARTIN
Episcopus Barbastrensis

Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania, quasdam observationes praesentare vult relate ad ea quae de collegialitate episcoporum asseruntur.

1. Maximam congratulationem exprimere volo pro laboribus exantlatis in redactione novi schematis et quidem pro felici exitu quo mirabili modo concordia stabilita fuerit ut dogma de Romani Pontificis Primatu cum hac doctrina de collegialitate optime cohaereat.

2. Perplacet omnino ut asseratur etiam universalis collegialitas episcoporum et plenam et supremam eorum potestatem, una cum Romano Pontifice, numquam sine eo, et ita ut Romanus Pontifex semper libere et independenter exercere eam valeat, etiam solus.

3. Placeret declarari numquam de facto futurum fore ut ex una parte sit iudicium Romani Pontificis et ex alia iudicium episcoporum. Spiritus enim Sanctus faciet in unam convenire sententiam semper, si de re agatur doctrinali in re dogmatica, vel de convenientia in re practica.

4. Displicet n. 22, dum in fine dicat: Membrum corporis episcopalis aliquis constituitur vi sacramentalis consecrationis et communione cum collegii capite atque membris.

Licet enim manente communicatione cum capite, intelligatur datam fuisse legitimam missionem, tamen consecratio non potest dici esse radicem et rationem ingressus in *corpus episcopale.*

Collegialitas enim dicit veram participationem in munus universale docendi, regendi, sanctificandi. Haec vero participatio in auctoritate acquiri non potest nisi missione; « *missio* » est necessaria et antecedens. Sine missione dari potest consecratio, sed non legitima...

In consecratione statim interrogatio fit « Habetis mandatum Apostolicum? Habemus ».

Collegium est continuatio collegii apostolici. Apostoli sunt « *missi* ». Et sine missione non habetur missus. Radix ergo ultima est missio, pro collegialitate. Nec aliter posset historia Ecclesiae intelligi, quomodo ad Concilium vocari potuerunt qui episcopi non sunt, quomodo titulares episcopi non semper vocati fuerint, immo et alii.

Ita etiam clare intelligi potest cur et quando habeatur possessio collegialitatis, in radice, cum et quomodo collegialitas non habeatur actu aequaliter, perennis, ad universum mundum uno modo, alio modo in propria dioecesi, nisi dependenter a Romano Pontifice. Est tamen vera collegialitas: quia habetur vera potestas in totam Ecclesiam in radice et in amore, in oratione in sollicitudine omnium ecclesiarum, sed eo modo in rem deduci debeat, quo Romanus Pontifex, caput totius collegii, velit, suadeat, commendet etc.

Dicatur ergo n. 22: Membrum corporis episcopalis aliquis constituitur vi missionis acceptae a Romano Pontifice pro aliqua ecclesia episcopaliter regenda.

Pro n. 28. Optarem ut daretur aliqua magis synthetica definitio *sacerdotii,* proprie ministeriali, quatenus a sacerdotio laicorum distincto per aliquot positivas rationes illud determinantes.

Pro n. 29: *De diaconatu in Ecclesia.*

Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare: Immo si loquamur verbis Actuum Apostolorum etiam ministrare mensis. Sunt vere ministeria non presbyteralia. Difficile definitur et ideo difficile iura, obligationes ex natura rei deduci possunt.

Certo duo sunt problemata diversa. Unum certo de necessitate in Ecclesia hominum qui ministeria plura ad Ecclesiae utilitatem, ad sacramenta ministranda, ad plura administranda non sacra, ad oeconomiam Ecclesiae dirigendam etc. Qui certe non erunt caelibes.

Estne tamen necessarium quod diaconos, qui servitium sacrum exercent, qui in pluribus rebus pro Ecclesiae bono laborant caelibes sint.

Ratio liturgica et historica per se dicerent pro sententia affirmativa: Cogitate B. Stephanum merito praecipue castitatis ad id munus electum fuisse. Estote nitidi, puri, mundi, casti, sicut decet Dei Ministros.

Paucis abhinc diebus Beatissimus Pater subdiaconis alloquens in Collegio de Propaganda Fide aiebat: « Vos acceptantes ascriptionem tali servitio Domini obtulistis Domino immolationem vestram, privatis vosmetipsos ab omni sensu, ab omnibus iuribus cordis humani, ad servandum amorem supremum illum, adeo vivum, adeo potentem ut faciat eum capacem vestram existentiam ». Quo innuitur evidenter legem caelibatus imponi debere. Si autem et subdiacono, a fortiori diaconis.

Quomodo ergo solvenda quaestio? Meo quidem iudicio conferendo laicis ordinem aliquem, quo fiant de foro Ecclesiae sed remaneant aliquo gradu inferiori.

Credimus autem, quum toties debuerimus agere multa ecclesiastica ministeria, in persecutionibus, in difficultatibus et si fuissemus sacerdotes, vel e contra ac si non fuerimus sacerdotes, novus ordo instituatur quo multa ministeria et officia pro bono Ecclesiae, pro bono animarum etc. quando conveniens videatur in regionibus ubi conveniat acceptio ordinum, si et quatenus conveniat et nec nimio clericalismo cedamus, contra quod clamavit aliquando aliquis exc.mus Dominus.

28

Exc.mus P. D. BRUNO FRATTEGIANI

Archiepiscopus Camerinensis

Cap. VII schema placet. Quod autem attinet ad eschatologiam consummatam, dum satis fieri videtur expositioni dogmaticae de nostra beata spe et de adventu Domini, fere nullus apparet respectus pastoralis huius veritatis, in quam laetabunda confluit tota nostrae fidei confessio (Credo ... carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen). Huius, inquam, veritatis et realitatis in quam protenditur expectatio Ecclesiae inde a *Maranatha* primaevae generationis christianae (*1 Cor.* 16, 22), in quam immo Ecclesia suspirat afflante Spiritu Sancto: « Et Spiritus et Sponsa dicunt: Veni... Veni, Domine Iesu » (*Ap.* 22, 17. 20).

Fere nullus apparet respectus pastoralis, praesertim si consideretur longe maior pars quae eschatologiae inchoatae declarandae destinatur: centum sexaginta circiter alineae contra vix decem.

Eschatologiam consummatam dico *ten synteleian tou aionos* (*Mt.* 28, 20; cf. et *Mt.* 13, 39. 40. 44; *Hebr.* 9, 26), consummationem scil. temporis, cum — ita schema — « Dominus venerit in maiestate sua et omnes angeli eius cum eo (cf. *Mt.* 25, 31) et, destructa morte, illi subiecta fuerint omnia (cf. *1 Cor.* 15, 26-27) ».

Eschatologiam inchoatam, quamvis hoc termino et « plenitudinem temporis » intellegam (cf. *Gal.* 4, 4 et *Mc.* 1, 15), tempus scilicet in quo vivimus ex beneplacito Patris complantati Christo in unitate Spiritus Sancti (tempus Ecclesiae), eam eschatologiam dico, qua — ut verbis utar schematis — « alii hac vita functi purificantur, alii vero glorificantur intuentes clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est » (49). Inchoatam dico, cum de solis animabus agatur quae, vel ipsa sui a corporis separatione, quamdam mortis et peccati victoriam denuntiant, utique labilem sed non minus amaram; et etiam sua pro nobis intercessione qua Christo sacerdoti conformantur (*Hebr.* 7, 25) de nostra anxietate quodammodo participant deque gemitu creaturae, quae vanitati subiecta (ipsa de cetero cogitemus corpora sanctorum!) ingemiscit et parturit revelationem filiorum Dei expectans (*Rom.* 8, 19-20).

Bene quidem est quod gaudium caelestis visionis et misericordiam purificationis post mortem sedulo annuntiamus, et exemplum et consortium et subsidium sanctorum ex una parte et pium suffragium ex altera praedicamus; sincere dolentes quod haec pergrata non sint dilectissimis fratribus confessionum reformatarum, omnia et singula ut sacrosanctum fidei patrimonium firmissime retinemus.

At vero — ut omittam ipsum maximi momenti aspectum oecumenicum (euh quot recusationes ex abusibus profluxerunt!) — tum sub respectu kerygmatico tum sub respectu practico (in utroque enim respectus pastoralis consistere debet) haec dumtaxat praedicare non sufficit.

Aspectus kerygmaticus: Non sufficit expectantibus adoptionem perfectam et redemptionem corporis (*Rom.* 8, 23) unam salutem animarum praedicare. Dei gratia non sumus Socratis vel Platonis, sed Christi et apostolorum discipuli et legati. Sacrae Scripturae et Patribus intimius adhaerentes, cum gaudio Spiritus Sancti resurrectionem carnis et adventum Domini et regnum Dei in quotidiana catechesi proclamare debemus. « Gaudete in Domino semper... Dominus prope

est » (*Phil.* 4, 4-5); « Nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus » (*Rom.* 13, 11). Haec Pauli iubilantis monita ad solam eschatologiam inchoatam applicare idem esset ac lucem praeconii paschalis obnubilare. Tota praedicatio Ecclesiae debet esse iucundum praeconium paschale, quod per Crucem lucem annuntiet. Tota vita Ecclesiae sancta vigilia paschalis, donec dies elucescat et Lucifer oriatur in cordibus nostris.

Aspectus practicus: innuitur in schemate ubi Patres monentur ut « si qui abusus, excessus vel defectus hic illicve irrepserint, eos arcere aut corrigere satagant ac omnia ad pleniorem Christi et Dei laudem instaurent » (51). Vehementius Summus Pontifex Paulus VI « abditas causas » indigitans ob quas hodie ii qui a longe sunt « conturbantur Deumque esse negant », in litteris enc. *Ecclesiam suam* haec affirmat: « nonnunquam (hae causae) inde oriuntur, quod poscitur ut ordo rerum divinarum altiore purioreque ratione proponatur quam ea, quae in quibusdam imperfectis sermonis cultusque modis invaluit; quos ut emendatiores magisque perspicuos reddamus, pro viribus studendum est nobis, quo satius sacra, quorum sunt indicia, explicent ».

Nunc autem si quod caput nostri sermonis cultusque altiore purioreque ratione indiget, i. e. procul dubio quod venerationem sanctorum et pium suffragium attinet. Hic, ut omnia paucis perstringam, apud multos — ne dicam apud plures — viget *individualismus* (omnes quae sua sunt quaerunt, alienati a vita liturgica communitatis ecclesiasticae), *terrenismus* (potius gratiae pro incolumitate corporis quam Gratia implorantur), *pharisaeismus* (plus tribuitur operibus et candelis — faventibus rectoribus ecclesiarum — quam Dei misericordiae et gratiae Christi; cum S. Ignatio laudo candelas accensas, sed... ne quid nimis); neque deest apud simpliciores *periculum superstitionis* (hoc simulacrum pluris aestimatur quam illud etc.).

Haec quidem omnes optime novimus. His mordicus obsistamus oportet, praedicantes beatam spem et adventum Domini, interim sancte et religiose communicantes et memoriam venerantes gloriosae et beatae, semper Virginis Mariae et omnium sanctorum, iis in oratione et caritate coniuncti qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis.

Aliqua forte breviter addenda de sancto mysterio praedestinationis religiose considerando et prudenter praedicando.

29

EXC.MUS P. D. ANTONIUS FUSTELLA

Episcopus Tudertinus

Quoad *de Ecclesia* haec noto:

1. Pag. 8, lin. 9: « ... effuso Spiritu *est* manifestata, *et* in fine ... consummabitur », est lingua latina valde dura. Forsitan, auferendo « est » et « et », phrasis melius currit, quin sensus mutet.

2. Pag. 29, lin. 30: melius est ut specificentur obiecta « diligendi » a parte populi Dei; dicatur e. g. « diligendi Deum et homines ».

3. Pag. 60, linn. 34 ss.: desideratur ut *Relator* dicat clare differentiam inter « condidit » et « aedificavit »: differentia quae non bene constat ex dictis in

pag. 82. Dicat relator an verba condidit et aedificavit habeant significationem diversam an non.

4. Pag. 198, linn. 17 ss.: « quin tamen in animo habeat ... neque quaestiones theologorum ... », videtur sat infelix attributio sic magna theologorum inquisitioni: melius est dicere « non datur tota doctrina mariologica, nec dirimuntur sententiae quae libere in Ecclesia proponuntur... ».

30

EXC.MUS P. D. IOANNES GAY

Episcopus Imae Telluris et Pointapitrensis

A propos du Sacerdoce ministériel. Suggestions sur l'aspect communautaire (ou organique ou « collégial ») du Sacerdoce du prêtre.

(Ces suggestions très schématiques sont inspirées surtout du cours *Le Sacerdoce chrétien,* professé à Lyon par le Père R. Didier, 1962-1963). Cf. aussi *Caractère collégial du Presbytérat* en « Etudes sur le Sacrement de l'Ordre ».

1. Il convient d'abord de noter que la Théologie classique et la conception courante du presbytérat ont un accent individualiste qu'il importe de corriger. Quelques exemples:

a) Dans la Théologie scholastique l'Ordre est conçu comme un *pouvoir personnel,* essentiellement le pouvoir sur le corps sacramentel du Christ et d'une manière dérivée sur son corps mystique: en effet il semble que chaque prêtre a le premier pouvoir totalement et le second seulement d'une manière liée. Il y a dans ce raisonnement de graves anomalies. En réalité le corps sacramentel du Christ est ordonné à son corps mystique et non l'inverse.

Si donc le prêtre n'a pas un pouvoir personnel direct sur le Corps mystique — nul ne prétend qu'il soit de soi centre et chef d'Eglise — c'est une mauvaise définition du sacerdoce que celle d'un pouvoir personnel (de célébrer l'Eucharistie). Il y a quelque chose de plus radical: la participation du presbytérat au pouvoir de son Evêque sur son Eglise.

b) Les notions d'incardination et de juridiction sont des notions canoniques importantes: par là l'Eglise reconnait qu'il s'agit de pièces essentielles de sa « pratique » du presbytérat. Mais en notions n'ont pas dans la Théologie classique de répondant, de fondement.

c) Parmi les traits distinctifs de la spiritualité sacerdotale classique je ne crois pas que l'on fasse une place à une condition communautaire (pas même dans une société de prêtres comme St. Sulpice; cf. « Le Sacerdoce » de P. Pourrat). En tous cas la place est infime par rapport à celle que l'on fait par exemple à la chasteté (qui pourtant si on cherche bien est enracinée d'une manière moins ancienne et moins dogmatique dans la Tradition).

Si parfois on fait le lien entre chasteté et vie de communauté c'est pour mettre la seconde au service et en conséquence de la première (cf. *Informations Catholiques Internationales,* n. 205, page 32 qui fait allusion à de nombreuses propositions) alors que dans l'histoire comme en droit c'est peut-être le contraire qui est vrai (il faudrait par exemple examiner l'œuvre d'Augustin).

Je pense que les deux traits devraient avoir au moins autant d'importance

dans la conception et la spiritualité presbytérale (dans le discernement aussi des vocations).

d) Contre cette situation une réaction diffuse et désordonnée s'est élevée de la base. La plupart des séminaires pourraient en fournir des témoignages. Cette réaction s'exprime surtout dans divers instituts de prêtres qui ont très peu de choses caractéristiques hormis cette spiritualité communautaire qui est sans doute un bien propre mais oublié du clergé diocésain. (Il faudrait sans doute voir sur cet aspect les livres du Chanoine Boulard, l'expérience de la Mission de France etc.).

2. *Arguments de Théologie positive* sur le caractère organique du Presbytérat. La question de l'origine du presbytérat et de sa distinction d'avec l'épiscopat reste dans ses détails extrêmement discutée (cf. surtout Benoît: *Exegèse et Théologie,* II, pp. 232-246); Gregory Dix.

Il y a des points d'accord: les presbytres sont une institution qui prolonge une institution judaïque: celle des « Conseils d'Anciens »; ces « presbytres » forment un corps, ils jouissent d'une autorité *collective.*

Ce conseil d'anciens est soumis à l'Apôtre ou au Collaborateur d'apôtre fondateur de la communauté. Il est (ultérieurement) dirigé par un épiscope-président. On voit donc que si les premières articulations de l'épiscopat et du presbytérat sont peu claires, il est assuré que le presbytérat se caractérise dès l'origine comme un corps subordonné.

3. Les anciens documents liturgiques sur l'ordination des prêtres.

« *Ordo* » y apparaît dans son sens primitif qui est un *sens collectif*: classe, collège (cf. en latin classique « ordo équestre et sénatorial ») il ne s'agit pas d'un pouvoir individuel mais d'un rang.

« Le presbytérat » est un « collège » soudé par un « esprit commun »; cet esprit commun qui n'est ni « egemonikon », ni « archierakikon », apparaît subordonné à celui de l'évêque, comme celui des 70 anciens l'étaient à celui de Moïse. Le rôle du presbytérium est de conseiller l'évêque, d'imposer les mains sur l'oblation avec l'évêque, de marquer son approbation à l'ordination d'un presbytre, de présider éventuellement l'agapê, et selon un usage qui va se généraliser, de célébrer l'Eucharistie dans les futurs en dépendance de l'évêque.
bation à l'ordination d'un presbytre, de présider éventuellement l'agapê, et selon un usage qui va se généraliser, de célébrer l'Eucharistie dans les futurs en dépendance de l'évêque.

Esquisse théologique. Pourquoi et comment parler d'une « collégialité » du presbytérat? Toutes les réalités chrétiennes ont une dimension communautaire. Il suffit de rapporter cet axiome que le Salut se définit comme l'appartenance au Corps mystique du Christ, à l'Eglise, autant que comme participation personnelle à la vie de Dieu par la grâce.

Le Concile a certainement mis un vigoureux accent sur ce point dans le schéma sur l'Eglise, en particulier du Sacerdoce du peuple chrétien: Si chaque chrétien a le devoir de s'engager dans l'œuvre prophétique de diffusion du message, dans l'œuvre sacerdotale de sanctification et d'offrande de la vie, en faisant cela il ne fait pas œuvre individuelle, isolée, mais il *participe* à l'être et à l'action du Corps mystique du Christ.

Le sacerdoce ministériel est ordonné à la croissance, à l'organisation, à l'unité du Corps mystique. Son ministère vise toujours une communauté, un peuple, non une succession discontinue d'individus.

Le degré suprême du sacerdoce ministériel, l'épiscopat a « en corps », un Collège — « ordo episcoporum » — la responsabilité de la totalité de l'Eglise Terrestre, parce que celle-ci est une et apostolique.

Le Pape est le centre de ce Collège, ce qui n'empêche pas tous les membres du Collège Episcopal d'être sur un pied d'égalité en tant qu'ils sont investis de la plénitude du sacerdoce ministériel.

Je n'essaierai pas de détailler l'articulation des pouvoirs du collège apostolique et de son centre, le Pape. Si nous passons au niveau des communautés particulières où se réalise l'Eglise Universelle, au niveau des diocèses nous trouvons une articulation comparable mais pas exactement similaire.

L'évêque est le chef, la tête de son diocèse, de la portion du peuple de Dieu qui relève directement de son ministère. Pour être ce chef il lui suffit d'être en communion avec le Pape et tout le collège épiscopal.

S'il est entouré de collaborateurs, de « prêtres », ceux-ci sont subordonnés: le presbytérat est un rang subordonné de participation au sacerdoce ministériel.

Voilà la différence entre la relation Pape-évêques et de la relation Evêques-prêtres: le Pape est le centre du collège épiscopal; il n'en est pas le Père, l'origine. L'Evêque est le père, l'origine du sacerdoce de ses prêtres.

Mais il y a aussi une similitude: parce que les évêques partagent tous avec le Pape le degré suprême du sacerdoce, la responsabilité ministérielle du même peuple qui est foncièrement un, l'Eglise Catholique, ils forment un collège co-responsable de l'Eglise Catholique, sous la présidence du Pape, et s'exprimant par lui.

Parce que les prêtres d'un diocèse reçoivent tous du même évêque *part* de son pouvoir, qui est entier, sur le Corps mystique, parce que la mission de collaborateur reçue par chacun d'eux s'adresse au même peuple: le diocèse de leur évêque, les prêtres d'un diocèse constituent aussi un collège, un collège subordonné, non « souverain », un « corps » unifié par une origine et une fin communes.

Conséquences pastorales. Si les prêtres forment bien en droit un Presbyterium autour de l'évêque et en dépendance de lui, les conséquences pastorales sont immenses. J'en vois quelques-unes.

Le Collège épiscopal a besoin de degrés intermédiaires pour s'exprimer efficacement: les « conférences ». Elles sont appuyées, mesurées approximativement sur les vastes ensembles humains: nations, continents. Elles ont une certaine autorité quoiqu'elles ne soient pas « œcuméniques ». De même les corps intermédiaires, dans un clergé (Doyennés, Zones) sont extrèmement importants pour sa vitalité. Il ne convient pas qu'ils soient seulement des entêtes juridiques ou administratives, puisque ce sont les lieux de réalisation d'une communauté qui est réelle. Il convient peut-être que l'évêque leur délègue certaines capacités.

Tout cela d'ailleurs existe je crois « juridiquement ». Mais ce qui manque me semble-t-il c'est que soit perçue la signification théologique et l'immense portée pastorale de cette communauté sacerdotale, et qu'elle nourrisse une mystique.

Quant à remédier à cet état de chose, il s'agit de ... gouvernement.

31

Exc.mus P. D. ANASTASIUS GRANADOS GARCIA

Episcopus tit. Cidramenus, aux. Toletanus

Animadversiones in cap. III constitutionis de Ecclesia.

Huiusmodi cap. III, cuius scopus est « doctrinam de episcopis... coram omnibus profiteri et declarare » (pag. 59-60, linn. 28-30 et 1-3), in re substantiali deficere videtur, nimirum in conceptu hierarchiae.

In prooemio, n. 18, exordium faciendo a populo Dei, in praecedenti capite longe lateque descripto, gressus fit ad constitutionem hierarchicam Ecclesiae his verbis: « Christus Dominus, ad populum Dei pascendum semperque augendum, in Ecclesia sua varia ministeria instituit, quae ad bonum totius Corporis tendunt. Ministri enim, qui sacra potestate pollent, fratribus suis inserviunt, ut omnes qui de populo Dei sunt, ideoque vera dignitate christiana gaudent, ad eumdem finem libere et ordinatim conspirantes, ad salutem perveniant ».

Conceptus ergo hierarchiae sic esset: Ministri, sacra potestate praediti, in servitium populi Dei, ut membra huius populi, ad eumdem finem libere et ordinatim conspirantes, ad salutem perveniant.

Haec, quae sufficerent in societate humana ad legitimam auctoritatem describendam, omnino deficiunt pro hierarchia definienda.

Agentes nempe de hierarchia, duo prae oculis habere oportet, quae semper in tuto collocanda sunt:

a) Auctoritatem hierarchicam via prorsus directa per missionem a Christo in apostolos eorumque successores fuisse transmissam — « non dal basso all'alto, ma dall'alto al basso » —, ut verbis utamur Pii Papae XII « Dacché piacque » (cuius textum infra dabimus);

b) Talem missionem populum Dei generare; ideoque auctoritatem hierarchicam, nixam in missione divina, quae ideo data est ut homines « vitam habeant et abundantius habeant » (*Io.* 10, 10), esse vere paternam.

Haec doctrina quidem obiter in constitutione innuitur; e. g. pag. 31, lin. 22: « Sacerdos quidem ministerialis, potestate sacra qua gaudet, populum sacerdotalem *efformat* ac regit ». Pag. 71, linn. 40-42: « Subditos, quos *ut veros filios suos* fovet et ad alacriter secum cooperandum exhortatur, audire ne renuat ». Pag. 74, lin. 5: « Fidelium vero, quos *spiritualiter* baptismate et doctrina *genuerunt* (cf. *1 Cor.* 4, 15; *1 Pt.* 1, 23) curam tamquam *patres in Christo* agant ».

Tamen, dispositio materiae et modus loquendi in schemate adhibitus potius populum in recto considerant, cui, ut libere et ordinatim in finem communem conspiret, assignatur auctoritas, nempe hierarchia. Longe haec videntur distare a mente Summi Pontificis Pauli VI, qui nuper, die 2 iunii 1964, clare proclamabat: « Ecclesia nascitur ex apostolis, nascitur ex hierarchia ».

Ut denuntiata « democratica aequivocatio » capitis vitetur, sequens prooemium propono:

« Christus Dominus, ut populo sanguine suo acquisito iugiter et vitaliter provideret, varia ministeria in Ecclesia sua instituit. Inter quae eminet sacra hierarchia: in ea siquidem Christus missionem suam messianicam visibiliter perennem reddit, et perennis idcirco vita atque virtus a Spiritu Sancto suppetit, quae Ecclesiam conservat augetque. Ab ipso namque episcopi constituuntur, quorum mini-

sterio non modo filii generantur, sed etiam patres, sacerdotes videlicet, ad eam regendam nutriendamque » (LEO XIII, Enc. *Divinum Illud*: DENZ.-SCHÖN., n. 3328).

Appendix. Allocutio Pii Papae XII ad Praelatos Auditores ceterosque Officiales et Administros Tribunalis S. Romanae Rotae necnon eiusdem Tribunalis Advocatos et Procuratores, die 2 octobris 1945. *A.A.S.,* 37, pp. 259-261 - « Dacché piacque ».

« La fondazione della Chiesa come società si è effettuata, contrariamente all'origine dello Stato, non dal basso all'alto, ma dall'alto al basso; vale a dire che Cristo, il quale nella sua Chiesa ha attuato sulla terra il Regno di Dio da lui annunziato e destinato per tutti gli uomini di tutti i tempi, non ha affidato alla comunità dei fedeli la missione di Maestro, di Sacerdote e di Pastore ricevuta dal Padre per la salute del genere umano, ma l'ha trasmessa e comunicata a un collegio di Apostoli o messi, da lui stesso eletti, affinché con la loro predicazione, col loro ministero sacerdotale e con la potestà sociale del loro ufficio facessero entrare nella Chiesa la moltitudine dei fedeli, per santificarli, illuminarli e condurli alla piena maturità dei seguaci di Cristo...

L'origine della Chiesa, all'opposto di quella dello Stato, non è di diritto naturale. La più ampia e accurata analisi della persona umana non offre alcun elemento per concludere che la Chiesa, al pari della società civile, avrebbe dovuto naturalmente nascere e svilupparsi. Essa deriva da un atto positivo di Dio, al di là e al di sopra della indole sociale dell'uomo, per quanto con questa in perfetta armonia; perciò la potestà ecclesiastica — e quindi anche il corrispondente potere giudiziario — è nata dalla volontà e dall'atto, con cui Cristo ha fondato la sua Chiesa ».

32

EXC.MUS P. D. GORDON IOSEPH GRAY

Archiepiscopus S. Andreae et Edimburgensis

Cap. II. *De populo Dei.* Pag. 31, linn. 22-23, loco « populum sacerdotalem efformat ac *regit* » ponatur « populum sacerdotalem efformat ac pascit », nam verbum « regit » nimis sapit dominationem, quae ministerium sacerdotale non decet.

[*Subscripserunt etiam*] James Donald Scanlan, arch. Glasgovensis; James Black, ep. Pasletanus; Ioseph McGee, ep. Gallovidianus; Stephanus McGill, ep. Ergadiensis et Insularum; William Hart, ep. Dunkeldensis; James Ward, ep. tit. Sitensis.

33

EXC.MUS P. D. IOANNES CARMELUS HEENAN

Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Cap. III, s. 29, pp. 74-75. Infrascriptus arch. Vestmonasterien., praeses totius hierarchiae Angliae et Cambriae et nomine eorum, suppliciter exoptat aliquam clarificationem circa sensum verborum in lin. 13 (pag. 75) ubi tractatur de possibilitate diaconatum conferendi « iuvenibus idoneis ».

1. Minime clarum est quid vocabulo « iuvenis » intendatur. Etenim quaeritur utrum in lin. 13 verba ita interpretari debeant quod propositio est diaconatum conferendi iuvenibus *iam in matrimonio constitutis.*

Quaeritur insuper utrum iuvenis (puta: seminarista) diaconato iam accepto potest in illo statu permanere et, tempore opportuno, matrimonium inire.

2. Propterea postulatur: ut exitus uniuscuiusque suffragationis (36, 37, 38, 39-a et 39-b) publice declaretur antequam ad proximam procedere permittatur, ita ut, aliis verbis, mens patrum cognosci possit de materia sub n. 36 antequam vota registrarentur de materia sub n. 37... et ita porro.

34

EXC.MUS P. D. IOSEPH HILTL

Episcopus tit. Constantinensis, aux. Ratisbonensis

Humillime infrascripto patri conciliari liceat, quae sequuntur proponere:

Occasione suffragationum de cap. III *de Ecclesia,* in specie *de Episcopatus institutione,* nonnulli Patres conciliares in schedulis ex inadvertentia « *non placet* » signaverunt, quod in aula rite promulgatum est:

ita in suffragatione 2 non placet 191
in suffragatione 3 non placet 106
in suffragatione 4 non placet 115
in suffragatione 5 non placet 50
in suffragatione 9 non placet 156 etc.

Exquiri oportet, quomodo talis suffragatio in causa fidei proxima *concordat cum fide catholica?*

a) Cum Decreto *Tridentini* Const. *De ecclesiastica hierarchia* cap. IV et can. 7 (DENZ. 1768 et 1777).

b) Cum Vaticano I (Constitutio dogmatica I « *Pastor aeternus* » *de Ecclesia Christi* (DENZ. 3061).

c) Cum Encyclica Leonis XIII *Unitas Ecclesiae* (DENZ. 3303).

d) Cum Encyclica Pii XII *Mystici Corporis* (Denz. 3814).

Accedit, quod tales suffragationes *negativae* promulgantur coram *observatoribus,* et publicantur in « *Ufficio Stampa* » (lingua germanica) necnon in C.I.C. (*Centrum informationis catholicum*).

Quid dicent *laici* catholici, qui tales promulgationes per nefas legunt?

Nonnulli Patres conciliares non videntur *comprehendere damnum* et *scandalum* exinde oriturum. Interrogo, an non melius esset in hoc casu, *se abstinere* a suffragatione.

35

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus generalis S. I.

Schema de Ecclesia, cap. VIII, de B. Maria Virgine. Multum sane placet hoc caput, pietate simul et doctrina refertum. Duo adverto, de quibus ut patet non omnes consentient:

1. Pag. 201, linn. 33-34: maluerim ut non addita fuerint verba ex Bulla

Ineffabilis « ab omni ... immunis ». In toto contextu, clare enuntiatur dogma Immaculatae Conceptionis. At Orthodoxi, qui re vera saltem implicite Mariam ab omni labe immunem profitentur (cf. in Liturgia slavica « tota sine macula » [libros nunc prae manibus non habeo ad quos possim remittere]), nolunt admittere definitionem Pii IX utpote Conciliis ante separationem celebratis posteriorem. Ne sine fructu offendantur, ne explicite citetur illa definitio.

2. Quamquam vox « Mediatrix » B. Mariae applicata, cum recte declaratur in nullam reprehensionem incurrit, estque iamdiu apud sanctos et pios quosque in usu, semper timui et adhuc timeo ne apud fideles multos nata sit confusionem gignere. Non possumus omittere factum, longe maiorem partem catholicorum esse homines vix cultos, ne dicam incultos, ideoque summopere opportunum esse monitum eiusdem huius schematis, pag. 206, linn. 1-3, de vitandis verbis quibus B. Maria V. suo Filio aequalis praedicari videtur. Quot contionatores indigent hoc monito; quot fideles in hac re errant!

Crediderim proinde expedire aliud verbum ac « Mediatrix » praeponere, ut puta « Advocata » vel quid simile, ita ut vox « Mediatoris » soli Christo reservetur.

36

Exc.mus P. D. HENRICUS THEOPHILUS KLONOWSKI

Episcopus tit. Daldianus, aux. Serantonensis

De collegialitate episcoporum. Describatur qualis sit potestas collegii episcoporum; clare et definitive delineantur limites seu conditiones quo modo exerceatur haec potestas.

Sicut auctoritas episcoporum in uno coadunatorum cum Papa participat in suprema auctoritate Ecclesiae in definiendo infallibiliter veritates fidei et morum, pari modo participat in regimine Ecclesiae cum Papa, sine laesione etiam minima supremae auctoritatis Vicarii Christi et Successoris Sancti Petri, petrae Ecclesiae.

37

Exc.mus P. D. IOSEPH KÖSTNER

Episcopus Gurcensis

Animadversio, quam humiliter propono, respicit pag. 203, lin. 34 usque ad 40 quae sic sonant: « Iamvero Ecclesia, eius arcanam sanctitatem contemplans et caritatem imitans, voluntatemque Patris fideliter adimplens, per verbum Dei fideliter susceptum et ipsa fit mater: praedicatione enim ac baptismo filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat.

Additamentum textus emendati in linn. 37-38: « praedicatione enim ac » minus placet, quia dat ansam ad interpretationem falsam, acsi Sancta Synodus baptismi collationi in illa aetate faveret, in qua quis iam aptus est ad praedicationem audiendam et intelligendam. Tali sententiae auctore Karl Barth in theologia protestantica magis magisque consentitur.

Proinde proponitur: *a*) aut textus prior, qui sonat (lin. 35): « in baptismo enim filios ... generat »; *b*) aut textus sequens: « baptismo filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat *eosque praedi-*

catione et sacramentorum collatione ad mensuram aetatis Christi (cf. *Eph.* 4, 13) *perducit* ».

In textu *b*) etiam momentum praedicationis omni ex parte extollitur, quod sine dubio erat in intentione auctorum textus emendati.

38

EXC.MUS P. D. ALBERTUS LEMÉNAGER
Episcopus Yarmuthensis

Pag. 199, lin. 9. Loco « Cum ipsa tandem... », dicatur « Cum ipsa tandem, *praecelsa Filia Sion,* post diuturnam expectationem... ». *Ratio*: ne desideretur in textu schematis illa biblica et pulcherrima designatio B. Mariae Virginis.

39

EXC.MUS P. D. CORNELIUS LUCEY
Episcopus Corcagiensis et Rossensis

Pag. 181. Loco tituli propositi legatur *de communione omnium qui Christi sunt. Ratio*: titulus existens est et involutus et traditioni absonus. *De communione Sanctorum* praeferendum esset ex parte traditionis, sed non ex parte usus hodierni vocis « Sancti ».

Pag. 181, lin. 18. Legatur « omnes tamen, *quantumvis gradu modoque diverso,* in eadem Dei... ». *Ratio*: ut diversitas inter fideles in terris militantes et sanctos cum Deo in caelo appareat.

Pag. 182, linn. 32-37. Ponatur « Nam bona ... *consecuti sunt* ... haec etiam in patriam recepti *persequi* non desinunt... ». *Ratio*: textus est, nescio quo pacto, obscurus. Quid significat « bona »? « bona *opera* » vel « bona *recepta* »?

Pag. 183, lin. 14. « ... temporibus, *sicut etiam gentes fere omnes, quasi persuasio humanae naturae insita sit,* defunctorum... ». *Ratio*: sic veritas supernaturalis veritati naturali et fere universali inniti videtur.

Pag. 183, lin. 24 « ... sunt *alii* quoque... » *Ratio*: quia quidam ex ipsis Apostolis et martyribus (lin. 17 seq.) reapse Christi virginitatem et paupertatem imitati sunt.

Pag. 184, lin. 26. « ... ad Christum *Deum* ... et per Ipsum ad *Deum Patrem...* ». *Ratio*: ne obliviscatur quod Christus Ipse Deus est.

Pag. 184, lin. 33. « ... et *fidelis populus,* sanguine... ». *Ratio*: « universum genus humanum » non participat in Liturgia nec est, eheu, in « unam Ecclesiam congregatum ».

Pag. 184, lin. 39. « ... oppressi, *etiam in catacumbis ipsis sacra facientes, sic* Ecclesia... ». *Ratio*: ut connexio cum Martyribus in luce ponatur.

Pag. 185, lin. 17. « ... potius in *sinceritate* amoris nostri *actuosi* consistere... ». *Ratio*: ne amor emotionalis subintelligatur.

Pag. 185, lin. 27. « ... quem *Deo Patri per Christum* in Spiritu... ». *Ratio*: « Christo et Deo » vitandum est quia innuit Christum Ipsum Deum non esse.

Pag. 185, lin. 40. « ... adorabit *Aeternum Deum Patrem* et Agnum... ». *Ratio*: ut Deus Filius, Iesus Christus, ut Deus aequo et Deus Pater agnoscatur.

Pag. 197, lin. 10. Legatur: « ... revelatur et *mystice* continuatur... ». Incarnatio *historice* non continuatur, e. g. usque ad hodiernum diem.

Pag. 198, lin. 5. « ... membrum *Sanctae Matris* Ecclesiae... ». Ut parallelismus in « maternitate » clarius appareat.

Pag. 198, lin. 7. « ... eamque *populus Dei catholicus...* semper profes*sus* est ». Ad evitandam repetitionem « Ecclesia ».

Pag. 198, lin. 16. « ... matrem Christi *electam et matrem christifidelium e cruce constitutam, quin* tamen... ». Maria est mater Christi et mater christifidelium in diversis sensibus vocis « mater ».

Pag. 198, lin. 29. « ... oeconomia... dilucide *innuunt* et veluti... »; « magis ... *describunt* » est exaggeratio quoad Vetus Testamentum.

Pag. 199, lin. 1. « ... qualiter in Ecclesia *intelliguntur* ». « Leguntur » mihi videtur esse aliquatenus debile.

Pag. 200, lin. 36 seq. Omittantur omnino. Si vero, propter rationes in Relatione (pag. 213) allatas includi deberet, legatur lin. 40 « sed Mater eius, *fide et amore plena,* omnia haec... ».

Pag. 201, lin. 24. « ... non ante *omnes gentes docere* quam... ». Iamiam a Christo Iudaeis et Apostolis manifestatum est.

Pag. 202, lin. 9. « ... minuit, sed *supponit.* Omnis... ».

Pag. 202, lin. 34. « ... sustinuit *et ad universos christifideles mystice extendit,* usque ad... ». Ut clarius appareat quod Maria non S. Ioannem tantum sed omnes christifideles in suam accepit.

Pag. 203, lin. 6. « ... Quod tamen *munus mediatricis* ita... ». Sic clarius. *Titulus* Mediatricis non idem est ac *munus*; sed quomodo iustificatur titulus nisi muneri innititur?

Pag. 204, linn. 19-20. Sensus huius sententiae non elucet.

Pag. 206, linn. 5-7. Omittatur haec sententia. Et dedecet et irritat.

Pag. 207, lin. 26. « ... gaudio *totius societatis caelestis* perveniat ». Ut unitas et consummatio totius Ecclesiae innuatur.

Quibus cum emendationibus schema mihi valde placet utpote nihil innovans et nihil hucusque acceptum repudians. Ex parte pastorali, ille cultus Marialis fovendus est qui exhibet Beatam Virginem maximopere ut Matrem Dei et advocatam nostram et ut exemplar omnium virtutum christianarum. Multi scribunt et loquuntur ac si vera devotio marialis consistit in elaborandis novis marialibus privilegiis; non sic schema.

40

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Cap. I: De Ecclesiae mysterio: *placet iuxta modum. Modi,* quos propono ut introducantur in textu, sunt ii qui sequuntur:

Pag. 7, lin. 9, legitur « ... cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ». *Mutetur* hoc modo: « ... cum Deo unionis totiusque, *quae inde sequitur,* generis humani unitatis ». *Ratio mutationis*: quia Ecclesia dici nequit veluti sacramentum seu signum et instrumentum *cuiuscumque generis humani unitatis,* sed solum *unitatis supernaturalis, quae sequitur ex intima cum Deo hominum unione.*

Pag. 8, lin. 33, legitur « ... omnia traham ad meipsum (*Io.* 12, 33). Quoties

sacrificium... ». *Mutetur* hoc modo: « ... Omnia traham ad meipsum (*Io.* 12, 32). *Nec tamen nos reliquit orphanos* (cf. *Io.* 14, 18); quoties *enim* sacrificium... ». *Ratio* mutationis: Quia oportet ut appareat Christum ipsum sua propria virtute principaliter agere, ne dicatur, catholicos Ecclesiam exhibere ut sustitutricem Christi absentis et locum Eius plane tenentem, cum revera Ecclesia tantum ministerialiter cooperetur actioni principali ipsius Christi.

Pag. 9, linn. 17-18, legitur: « in eisque orat et testimonium adoptionis filiorum reddit (cf. *Gal.* 4, 6; *Rom.* 8, 15-16 et 26) ». Opto ut *mutetur* hoc modo: « in eisque orat et testimonium adoptionis filiorum reddit (cf. *Rom.* 8, 15-16 et 26), *quoniam misit Deus Spiritum Filii sui in corda fidelium clamantem*: *Abba Pater* (*Gal.* 4, 6). *Ratio* mutationis: quia sic magis explicite ponitur ratio doctrinae tam clare exhibitae in textu pulcherrimo epistolae ad Galatas, et quia in hoc textu coniunctim ponitur actio supernaturalis Patris et Filii et Spiritus *utriusque* in cordibus fidelium, quae quidem actio *ad extra* communis est tribus personis, haec autem communitas simultanea divinae actionis ad extra non apparet in doctrina nn. 2, 3 et 4, sed in his numeris talis actio poterat interpretari quasi successiva, Patris deinde Filii ac tandem Spiritus Sancti.

Pag. 10, linn. 20-21, legitur: « ... constitutus apparuit (cf. *Act.* 2, 36; *Hebr.* 5, 6; 7, 17-21), atque Spiritum a Patre promissum... ». Opto ut *mutetur* hoc modo: « ... constitutus apparuit (cf. *Act.* 2, 36; *Hebr.* 5, 6; 7, 17-21), *mansurum se cum suis fidelibus usque ad consummationem saeculi pollicitus est* (cf. *Mt.* 28, 20), atque Spiritum a Patre promissum... ». *Ratio* additionis: quia sic explicite excluditur obiectio eorum qui dicunt, secundum doctrinam catholicam, Ecclesiam esse substitutricem Christi absentis et e caelo in eam respicientis et pro ea orantis.

Pag. 10, linn. 40-41, tollantur hae duae lineae. *Ratio* mutationis est, quia imago *ovilis* (*aulees*) ad designandum populum fidelem in tota sacra Scriptura solummodo adhibetur in *Io.* 10, 1 et 10, 16-a: « qui non intrat per ostium in *ovile* ovium » et « alias oves habeo quae non sunt ex hoc *ovili* ». Iam vero in his duobus locis imago *ovilis* adhibetur ad designandam *Synagogam,* ad corrigendos Pharisaeos qui iuvenem a nativitate caecum et a Christo sanatum eiecerant e synagoga quia agnoverat Christum ut Prophetam (*Io.* 9, 16; 10, 6). Verba autem quae in 2ª parte versus 16 leguntur: « et illas oportet me adducere, et fiet unum *ovile* et unus pastor » (*Io.* 10, 16-b), in textu originali graeco, iuxta unanimem transmissionem graecorum et latinorum, omnimoda certitudine critica legitur: « et illas oportet me adducere, et fiet unus *grex* (mia poimne) et unus pastor ». Ergo vox « *ovile* » est mendum *vulgatae* et apud Patres latinos incepit apparere solum saeculo v propter influxum versionis *Vulgatae.* Igitur quamvis imagines « *gregis* » et « *pastoris* » saepissime in Scripturis Veteris et Novi Testamenti adhibeantur ad designandum Populum Dei et Christi Ecclesiam, tamen imago « *ovilis* » solummodo bis occurrit apud *Io.* 10, 1 et 16 a, ad designandam Synagogam, non autem ad designandam Ecclesiam. (Conferantur exegetae et in specie M. P. LAGRANGE, *Evangile selon St. Jean*).

Pag. 11, linn. 3-4, legitur: « cuius oves, etsi a pastoribus humanis gubernantur ». *Mutetur* hoc modo: « cuius oves, etsi *per pastores humanos a Deo statutos* gubernantur, indesinenter tamen... ». *Ratio* mutationis: Quia sic clare exhibetur *indoles ministerialis* pastorum humanorum, et supernaturalis vel hierarchica origo auctoritatis ipsorum, ne credatur eorum auctoritatem posse esse *mere humanam.*

Pag. 11, linn. 20-27, legitur: « Saepius quoque Ecclesia dicitur aedificatio Dei

(*1 Cor.* 3, 9). Dominus ipse se comparavit lapidi, quem reprobaverunt aedificantes, sed qui factus est in caput anguli (cit. S. Script.). Super illud fundamentum Ecclesia ab Apostolis exstruitur (*1 Cor.* 3, 11) ab eoque firmitatem et cohaesionem accipit ». *Mutetur* hoc modo: « Saepius Ecclesia dicitur aedificatio Dei (*1 Cor.* 3, 9), quae super fundamentum *divinitus statutum* ab Apostolis exstruitur (cf. *1 Cor.* 3, 11). Dominus autem ipse se comparavit lapidi, quem reprobaverunt aedificantes, sed qui factus est in caput anguli (*Mt.* 21, 42 par.; cf. *Act.* 4, 11; *1 Pt.* 2, 7; *Ps.* 117, 22), *a quo* tota exstructio firmitatem et cohaesionem accipit ». *Ratio* mutationis: quia hoc modo accuratius exhibetur et exprimitur sensus proprius locorum Scripturae, qui citantur, ac praesertim quia hoc modo non dirimitur disputatio exegetica circa interpretationem imaginis « caput anguli »; nam etsi aliqui eam interpretantur de parte fundamenti, alii eam intelligunt de « lapide *summo* angulari » qui ponitur in suprema cuspide arci, ex quo tota extructio firmatur.

Pag. 11, post lin. 41 et ante lin. 42, addatur *nova paragraphus,* in qua explanata appareat *imago domus,* applicata Ecclesiae, in sensu *familiae,* post expositionem schematis *imaginis domus* in sensu *aedificationis* (pag. 11, linn. 20-41). *Nova paragraphus,* quam propono, poterat componi a *commissione de doctrina,* vel, si placuerit, poterat esse haec, quae sequitur: « Ecclesia autem in sacra Scriptura exhibetur etiam veluti *familia* Dei vivi (*Rom.* 9, 26).[1] Etenim in Ecclesia *omnes filii Dei sumus per fidem* (*Gal.* 3, 26); *renati* nempe *ex semine incorruptibili per verbum Dei,* seu *ex aqua et Spiritu Sancto* (*1 Pt.* 1, 23; *Io.* 3, 5), vere *ex Deo nati sumus*; propter *caritatem, quam dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus* (*Io.* 1, 12; *1 Io.* 3, 1). *Si autem filii, et heredes* sumus *Dei, coheredes autem Christi,* spem habentes *liberari a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei* (*Rom.* 8, 17. 21). In hac autem *Dei familia Moyses quidem fidelis erat* in ea *tanquam famulus, Christus vero tanquam Filius in domo sua*: *quae domus sumus nos; nam quos* Deus *praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit Ipse Primogenitus in multis fratribus* (*Hebr.* 3, 2-6; *Rom.* 8, 29). Inde merito nos docuit Iesus orare dicens: *Sic ergo vos orabitis*: *Pater noster qui es in caelis* (*Mt.* 6, 9); atque Ecclesia ipsa, ore sacerdotis, hostiam immaculatam Deo offerens, pie deprecatur: *Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut placatus accipias* (Canon Missae) ».[2]

Pag. 15, linn. 22-26, ubi legitur: « licet extra eius compaginem elementa

---

[1] In Catechismo Conc. Tridentini, *De Symbolo fidei,* art. 9, legimus: « Domus Ecclesia idcirco appellatur, quia est veluti *una familia,* quam unus Paterfamilias moderatur ».

S. THOMAS, 4 d. 7, q. 2, a. 1, sed contra, docet: « Per characterem (baptismi) quasi adscribimur ad *familiam* Iesu Christi ».

Ex recentiori Magisterio Ecclesiae: PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* ait: « Ecclesia, inquimus, magna illa Christi *familia* » (D. 2217).

PIUS XII, Sermo: « Perperam, ait, secernitur Ecclesia iuridica ab Ecclesia caritatis: sed illa Ecclesia iure fundata, cuius caput Pontifex est, eadem est Ecclesia Christi, Ecclesia caritatis, universaque christianorum *familia* » (*A.A.S.,* 31, p. 250).

IOANNES XXIII, Alloc. *Laetamur admodum,* ait: « Iesus, Verbum Dei, ... in Incarnationis mysterio factus est *primogenitus frater in nova familia hominum* ipsius sacrificio redimendorum. *Quae familia est ipsa Ecclesia* una, sancta, catholica, apostolica ... » (*A.A.S.,* 52, p. 293). Et iterum, Alloc. *In sollemnis* (*l. c.,* p. 1007).

[2] Saepe *in Liturgia* sic appellatur. In oratione Tridui sacri: « Respice quaesumus, Domine, super *hanc familiam tuam...* ». Pariter in orationibus: Dominicae Passionis; Dominicae

plura sanctificationis et veritatis invenientur, quae ut dona Ecclesiae Christi propria, ad unitatem catholicam impellunt ». Magis placeret ut mutaretur hoc modo: « licet *etiam* extra eius compaginem elementa plura sanctificationis et veritatis inveniantur, *haec tamen,* ut dona Ecclesiae Christi propria, ad unitatem catholicam impellunt; *ad quam omnes sive Ecclesiae sive religiosi coetus adducantur oportet, ut in uno Christi grege illam, quam vere exoptant, vitam habeant et abundantius habeant* » (cf. *Io.* 10, 10. 16). *Ratio mutationum.* Additur vox *etiam,* quia non est necesse ut Concilium agnoscat *talia elementa* deesse in Ecclesia Catholica. Voces *haec tamen* ponuntur loco vocis *quae* ut clarius exprimatur eadem idea schematis. *Verba postrema*: *ad quam omnes,* usque ad finem, adduntur, 1) ut in fratribus seiunctis bona excitetur voluntas quaerendi et inveniendi unitatem in vera Christi Ecclesia; 2) ut in fidelibus catholicis zelus animarum oecumenicus augeatur.

Eadem *verba postrema,* si placuerit, poterant magis explicite redigi hoc alio modo: *ad hanc unicam veram Christi Ecclesiam omnes, sive Ecclesiae sive religiosi coetus, adducantur oportet, ut vitam habeant et abundantius habeant, atque ita tandem fiat unus grex et unus Pastor* (*Io.* 10, 10. 16). Loco scribendi « unum ovile » scribimus « unus grex », iuxta textum originalem graecum, omnimoda certitudine critica firmatum.

Pag. 15, lin. 38, legitur: « ad humilitatem et abnegationem etiam exemplo suo divulgandam ». Magis placeret ut explicite adderentur verba haec: ... etiam exemplo suo divulgandam, *qua Christus, totius Ecclesiae exemplar et Magister, « humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem »* (*Phil.* 2, 8). *Ratio* mutationis vel additionis est, quia hoc modo verum motivum exprimitur movens ad Ecclesiae exemplum commendandum, iuxta illud: « imitatores mei estote sicut et ego Christi » (*1 Cor.* 11, 1).

Pag. 16, linn. 9-11, legitur: « Ecclesia... sancta simul et semper purificanda, poenitentiam et renovationem continuo prosequitur ». *Mutetur* hoc modo: « Ecclesia... sancta *et ad homines semper sanctificandos disposita, poenitentiam et purificationem eorum continuo prosequitur* ». *Ratio* mutationis: quia sic vitatur quaestio valde disputata inter Patres et Theologos, qua aliqui omnino negant Ecclesiam posse dici peccatricem, alii vero hoc concedunt. S. Augustinus, diversis vitae suae temporibus, utramque sententiam tenuit. Mutatio, quam proponimus, magis consona est cum doctrina Pii XII, *Mystici Corporis,* § 65 (*A.A.S.,* 35, p. 225); haec autem communior sententia est Patrum et Theologorum, qui illud « sine macula aut ruga » (*Eph.* 5, 27) interpretantur, non solum de Ecclesia caelesti, sed etiam de Ecclesia peregrinante.

Cap. V, *de vocatione ad sanctitatem*: *placet iuxta modum.* Opto ut *modi* introducantur, qui sequuntur.

Pag. 141, linn. 12-26, optima dicuntur de ratione, qua Ecclesiae Pastores suum ministerium exsequi debeant. Cum vero in nullo alio schemate agatur de hac re, forte hic opportunum esset maiori exstensione quaedam exponere de propria et personali episcopi sanctitate, virtutibus, etc. Nam etiam ipsi et in primis ipsi ad

---

I Quadrag.; Fer. III post Domin. I; Fer. II post Domin. II; Sab. post Domin. II, orat. super populum; etc. Necnon in sacra Ordinatione Sacerdotum, Instruct. ad ordinandos: « ... ut praedicatione atque exemplo aedificetis *domum, id est familiam Dei* ».

personalem sanctitatem vocantur, ut possint cum S. Paulo dicere: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi » (*1 Cor.* 4, 16; 11, 1; *Phil.* 3, 17; *1 Thes.* 1, 6).

Pag. 142, post lin. 12, necessarium esse videtur aliqua inserere de exercitio sanctitatis *Religiosorum*. In hoc enim n. 41 agitur (« De multiformi unius sanctitatis exercitio »). In decursu autem expositionis sermo fit de exercitio sanctitatis: *a*) Episcoporum, *b*) Sacerdotum, *c*) Clericorum, *d*) Coniugum, *e*) Operariorum, *f*) Indigentium vel patientium. Ideo occurrit quaestio: Qua de causa nihil dicitur de religiosis?

Si dicitur: quia de religiosis iam habetur cap. VI: ad hoc respondetur: etiam de laicis datur cap. IV.

Schematis de Ecclesia, cap. VI, *de religiosis*: *placet iuxta modum*. Opto enim ut addantur *modi* qui sequuntur.

Pag. 158, linn. 35-36, legitur: « praesertim ad genus vitae virginalis ac pauperis ». Opto ut *mutetur hoc modo*: praesertim ad genus vitae virginalis, pauperis et *obedientis*. *Ratio additionis*: quia in vita religiosorum *obedientiae* votum et virtus perfectius holocaustum hominis ipsius continent. Obedientae vero, non solum erga Patrem, sed etiam erga homines, exemplar fuit Christus, qui « humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem crucis » (*Phil.* 2, 8), et qui « descendens cum eis (Maria et Ioseph) venit Nazareth: et erat subditus illis » (*Lc.* 2, 51).

Pag. 159, linn. 15-22: haec « Conclusio » omittenda videtur. *Ratio* omissionis est, quia Cap. agit de religiosis, conclusio vero ad fideles omnes respicit.

Hac vel simili ratione haec Conclusio mutari posse videtur: « Unusquisque ergo religiosus sedulo curet, ut in propria vocatione, a Deo accepta, permaneat, in eaque excellat, constanti et perfecta sui Instituti Constitutionum regularumque observantia. Haec est enim pro Religiosis unica recta ac secura via divinam voluntatem exsequendi, ad uberiorem Ecclesiae sanctitatem, ad maiorem gloriam unius et individuae Trinitatis, quae in Christo et per Christum est omnis sanctitatis hominum fons et origo.

Ad cap. VIII.

1. Hoc caput omnino placet dignumque est ut magnis extollatur laudibus, quas brevitatis causa nunc omitto. *Tres animadversiones* facimus ad illud perficiendum.

Prima. In pag. 206, linn. 5-7 haec legimus: « Sedulo arceant quaecumque sive in dictis sive in factis fratres seiunctos in errorem circa veram Ecclesiae doctrinam inducere possent ». *Hoc monitum non placet. Primo,* quia pro quacumque Ecclesiae doctrina valet; non tantum pro ea quam catholici tenent et praedicant de B. Virgine Maria. *Secundo,* quia catholici praedicatores et scriptores, cum de B. V. Maria loquuntur vel scribunt, veram semper doctrinam explicare tenentur et ad hoc vel maxime attendere debent. Non ergo oportet ut attendant, utrum fratres, qui cultum Mariae debitum denegant, offendantur necne; neque oportet ut veram doctrinam catholicam occultent ideo quia forte ab iisdem fratribus non recte interpretetur. Dilectissimis enim fratribus seiunctis, quod et ipsi volunt, cum caritate, sinceritate et veritate, clare et integre doctrina catholica semper exponenda et enucleanda est. *Tertio,* quia hoc monitum quandam contra catholicos accusationem innuit, quam putamus falsam esse.

Altera animadversio. De cultu B. Virginis Mariae. In pag. 205, linn. 24-30, legimus: « Sacrosancta Synodus ... omnes Ecclesiae filios admonet, ut cultum erga

B. Virginem generose foveant, praxes autem et exercitia pietatis erga eam, saeculorum decursu a Magisterio commendata, magni faciant ». Petitur ut post verbum « commendata » addantur haec verba: *praesertim quotidianam Ss.mi Rosarii recitationem. Rationes pro additione.* Taedio sane ac iniuria vos afficerem, venerabiles Patres, si nunc afferre vellem innumeras, quae adsunt, rationes, propter quas Ss.mi Rosarii praxis aestimanda et commendanda est. Aliquas tamen innuere opportunum videtur. Recenter enim, ut fertur, aliqui ministri Domini, huc illuc, asserere ausi sunt, praedictam praxim iam obsoletam et quasi inutilem evasisse, neque ab Ecclesia nostri temporis multum aestimari. Attamen notum est nostro tempore exsistere insignes et laude dignos Ss.mi Rosarii propagatores, qui, ut P. Peyton, fidelium multitudines, etiam in magnarum urbium plateis, ad hunc cultum in honorem Ss.mae Dei matris celebrandum cum fructu congregant.

Nota omnibus sunt plurima ac praeclara Summorum Pontificum documenta, praesertim Leonis XIII, qui glorioso nomine « Ss.mi Rosarii Pontifex » insignitus est, quibus hanc praxim exposuerunt et enixe fidelibus commendaverunt. Notae praeterea in toto mundo sunt B. V. Mariae apparitiones apud Lourdes et Fatima, in quibus ipsa B. Christi Mater postulare dignata est Ss.mi Rosarii recitationem ad mundi mala medenda. Hae autem apparitiones, etsi de fide minime sint habendae, attamen nemo prudenter illas falsas dicere audebit.

Certo certius sperare pie poterimus, mundum per Iesum Christum abundantiores salutis fructus obtenturum, inde a tempore quo omnes familiae omnesque christifideles quotidie Ss.mum Rosarium debita ratione recitent.

Tertia animadversio. De Maria hominum matre. Ubique terrarum christifideles Mariam cum gaudio et amore suam spiritualem matrem appellant.

S. S. Papa, Paulus VI, feliciter regnans, die 11 octobris 1963, in Basilica Sanctae Mariae Maioris, haec sapienter verba protulit: « la Madre di Gesù Cristo, e perciò Madre di Dio e Madre nostra... Fa', o Maria, che questa sua e tua Chiesa, nel definire se stessa, riconosca te per sua Madre... Guarda noi tuoi figli... Monstra te esse Matrem... ».

Pius vero XII in praeclara Encyclica *Mystici Corporis* docuit, « Ipsa fuit, quae... arctissime semper cum Filio suo coniuncta, eundem in Golgotha, ... pro omnibus Adae filiis... aeterno Patri obtulit; ita quidem, ut quae corpore erat nostri Capitis mater, spiritu facta esset, ob novum etiam doloris gloriaeque titulum, eius membrorum omnium mater » (*A.A.S.,* 35, 1943, p. 247).

Hanc Pii XII doctrinam in memoriam revocabat *em.mus card. Bea,* in allocutione radiophonica, occasione diei mundialis mariani, 13 maii 1961, asserens: « Maria fuit prima collaboratrix in opere redemptionis suo consensu, nomine humani generis in incarnatione divini Verbi, Salvatoris hominum, praestito; supra Golgotha ipsa illum obtulit caelesti Patri in nomine humanitatis; et propter has duas rationes illa constituta est omnium hominum Mater » (*Docum. Cathol.* 58, 1961, p. 831).

Textus ipse de B. V. Maria, qui nunc discutitur, variis modis hanc eandem veritatem asserit atque proclamat:

Pag. 198, linn. 7-9: « eamque (Mariam) catholica Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, *filiali* pietatis affectu se prosequi semper professa est ».

Pag. 198, lin. 16: « officia erga Deiparam, *matrem* Christi et *fidelium...* ».

Pag. 202, lin. 19: « tamquam Mater Dei et *Mater hominum* praedestinata... ».

Pag. 202, lin. 24: « hanc ob causam *mater nobis* in ordine gratiae exstitit ».

Pag. 202, lin. 31: « Eius in gratiae oeconomia *maternitas* indesinenter perdurat, inde a consensu quem in Annuntiatione praebuit ».

Pag. 202, linn. 39 s.: « *Materna* sua caritate de fratribus Filii sui... curat ».

Pag. 203, lin. 32: « ad (fideles) gignendos et educandos *materno amore* cooperatur ».

Pag. 206, linn. 12-14: « et ad *filialem* erga *Matrem nostram* amorem eiusque virtutum imitationem excitamur ».

Pag. 206, linn. 28-30: « Universi christifideles supplicationes instantes ad Matrem Dei et *Matrem hominum* effundant, ... ».

Haec omnia valde placent. Optandum tamen esse videtur ut in aliqua paragrapho clarius et abundantius doctrina de Maria, *ut hominum Matre,* directe exponatur. Etenim argumenta, quibus Pius XII ductus est ad Assumptionis dogma proclamandum, pariter ad probandam spiritualem Mariae maternitatem valere videntur. Huiusmodi argumenta Pius XII, die 30 octobris 1950, in Consistorio semipublico, de Assumptione B. V. Mariae definienda, ad synthesim redigebat his verbis: « Si enim catholica Ecclesia universa, nec fallere nec falli potest, cum divinus eius Conditor, qui veritas est, apostolis edixerit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (*Mt.* 28, 20); inde omnino consequitur, hanc veritatem, quam sacri Antistites eorumque populi firmissima mente credunt divinitus esse revelatam » (*A.A.S.,* 42, 1950, p. 775).

Quapropter, cum etiam sacri Antistites eorumque populi firmissima mente teneant doctrinam de spirituali maternitate B.mae Mariae Virginis, ideo tandem supplicare audemus, ad mentem plurimorum Patrum, ut hoc cap. VIII hac vel alia simili petitione claudatur: Cum ex divina Scriptura, ex cathedra Traditione, ex sacra Liturgia et ex communi christifidelium sensu constet, cumque ex intima B. Virginis Mariae coniunctione cum divino suo Filio, unico Mediatore ac Redemptore hominum, in opere redemptionis humani generis peragendo atque ex mariana gratiarum mediatione probe eruatur: Mariam, Deo sic misericorditer providente, veram dici et merito esse hominum spiritualem Matrem: Ad maiorem Dei gloriam et Christi Redemptoris exaltationem, ad Beatissimae semper Virginis Mariae honorem totiusque mundi salutem; haec Sancta et Oecumenica Synodus humiliter rogat Patrem Nostrum feliciter regnantem, Paulum Papam VI, ut viam parare dignetur, qua Ipse, tanquam Supremus totius Ecclesiae Pastor, valeat quamprimum definire doctrinam, quae tenet: « Beatissimam Virginem Mariam esse veram spiritualem hominum Matrem », de fide esse tenendam.

Faxit Spiritus Sanctus!

41

Beat.mus P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. L'introduction du nouveau texte est plus concise, plus claire et en meilleur latin que celle du précédent schema. Transformations d'ordre stylistique. Il faut conserver le mot « sacramentum » à propos de l'Eglise.

Chapitre I.

2. Le n. 2 a bien fait d'insister sur le sens eschatologique de l'Eglise. L'« Ecclesia ab Abel » ne peut se dire que de l'Eglise dans son Eschaton, du rassemblement de tous les justes.

Ce numéro est mieux organisé, plus logique que le numéro correspondant du précédent schema.

3. Le n. 2 a parlé de la prédestination en Dieu. Le n. 3 parle de la prédestination dans le Christ et la précise dans le sens du mystère de l'Eglise. Le Christ, Rédempteur et Ressuscité, attire à Lui les hommes, pour faire partie de son Règne. L'insistance sur l'Eucharistie, principe de l'union au Christ et de l'union des fidèles entre eux, donne plus de sens concret à l'Eglise et de profondeur sacramentelle.

Le rappel du discours de Paul VI à l'inauguration de la seconde session vient compléter ce qui est dit, ici, du Christ, alpha et omega de l'univers.

4. Le n. 4 parle du Saint Esprit. Cela nous rappelle que l'Eglise est rattachée au mystère trinitaire. De plus, l'action de l'Esprit est décrite plus dans son rapport à la Communauté qu'à l'individu.

Cette mention du Saint Esprit, de son rôle et de ses effets est excellente, et en conformité avec l'Ecriture. On a bien fait de restituer le texte de *Io.* « fons aquae salientis in vitam aeternam ».

5. Le n. 5 est nouveau. Il soulève une question actuelle sur l'Eglise-Règne de Dieu. L'Eglise est le Règne commençant de Dieu, se développant sur cette terre. Elle est le Règne de Dieu en germe. Le Règne est l'Eglise consommée. Il ne faut pas identifier totalement Eglise et Règne, ni ne les séparer totalement. L'Eglise est elle-même ce Règne qui doit se dilater pour se consommer dans la Jérusalem céleste. Cela maintient l'Eglise en état de dynamisme et de poussée vers son Eschaton. Elle n'est pas quelque chose de fini, d'achevé. Elle est en marche vers son accomplissement.

La Mission du Saint Esprit correspond à l'extension de l'Eglise, et par le fait même, à la dilatation du Règne de Dieu.

6. On a bien fait de mettre le n. 6 ici, avant celui qui parle du Corps mystique. C'est plus logique. Un développement sera réservé au Corps mystique, qui est une image et plus qu'une image et nous donne une plus grande intelligence de la nature de l'Eglise.

Les images sont organisées dans ce numéro vers plus d'intériorité, jusqu'à la consommation finale de l'union dans la gloire.

7. Dans le n. 7 les textes de l'Ecriture sont ramassés dans un sens qui émeut et convainc. Ce numéro ne renie rien de la théologie du Corps mystique dévelopée par Pie XII dans son *Mystici Corporis,* qui se fondait surtout sur le Corps visible, social qu'est l'Eglise. Mais il insiste surtout sur l'union personnelle des fidèles au Christ par les sacrements, en particulier le baptême et l'Eucharistie. La notion de corps social peut venir après qu'on ait affirmé la solidarieté profonde des fidèles par les sacrements. Elle complète la notion intérieure. C'est alors que peut se faire le développement de la relation de Corps mystique et de la tête qu'est le Christ. Ce qui est fait d'une manière pertinente dans ce n. 7, et logique.

Bien pour la suppression du mot plerôma dans ce n. 7. Le sens est développé. Cela est nécessaire (p. 14, lignes 28-32).

8. Utile èt éclairante l'analogie dévelopée, dans le n. 8, entre l'Eglise et le Verbe incarné. Il ne faut, cependant, pas l'urger. L'Eglise est unique sous deux aspects.

On a bien fait d'ajouter *spes* après foi et charité. Cette vertu fait vivre l'Eglise dans l'attente de la plénitude et de la perfection.

On a bien fait aussi de remplacer le « Romano Pontifice » par « Successor Petri » (p. 13, ligne 21). La succession est mieux remarquée avec Pierre, Chef du Collège apostolique.

Bien pour le paragraphe sur la pauvreté et les pauvres. Il répond aux désirs exprimés par les PP. dès la première session du Concile (p. 15, lignes 27 sq.).

Bien pour l'affirmation de la gloire divine. La passion et la mort du Christ ne sont pas une fin en soi.

Chapitre II.

Avant de parler du n. 9, quelques remarques sur le nouveau chapitre II dans son ensemble.

Il est significatif de mettre ce chapitre en son lieu et place, ici, avant les différents membres, surtout hiérarchiques de l'Eglise. Le gouvernement, le commandement, pour importants qu'ils soient, ils restent secondaires, par rapport au lien personnel et intime avec le Christ, à l'état chrétien proprement dit. Ce chapitre donnera les points communs à tous les membres du Corps mystique avant de les dénombrer.

On aurait pu insister davantage sur le rôle du Peuple de Dieu dans l'histoire du salut.

Valeur œcuménique de ce chapitre, parce qu'il replace la pensée chrétienne dans une ligne traditionnelle.

9. L'Eglise suite d'Israël, dans le n. 9. Mais ce numéro dit la nouveauté de l'Eglise, sa dignité particulière, sa loi, sa fin.

Bien, d'insister sur la qualité messianique de ce peuple: cela le rend espérance pour tous les hommes et principe d'unité. Porte fermée pour tous les messianismes terrestres qui cherchent à engluer le cœur de l'homme.

Le peuple de Dieu est concrètement l'Eglise dans ses misères et ses forces de rénovation.

10. Il faudrait préciser ce sacerdoce ministériel des fidèles, et en lui-même et dans son rapport avec le sacerdoce commun des fidèles. Certes le sacerdoce des fidèles diffère « essentia non gradu » de celui des prêtres. Mais la question qui se pose est la suivante: ils sont tous les deux participation à l'unique sacerdoce du Christ. Quel est le rapport des deux? Le sacerdoce des fidèles est-il métaphorique ou réel? Et s'il est réel, quel est son rapport au sacerdoce des prêtres?

Si l'on précise encore davantage la théologie du laïcat, qui est donnée ici pour la première fois, l'on n'aura plus peur des ingérences des laïques dans les affaires de la Hiérarchie. Dire les droits et les devoirs des laïques sans excès et sans compromis.

Le n. 10 insiste sur l'Eglise-Communauté sacerdotale, avec raison, rappelant par là les paroles de St. Pierre: « gens sancta... ».

11. Le n. 11 a évité certaines questions à propos des « verba consecrationis » qui sonnent, comme au Concile de Trente les « vi verborum ». L'a-t-on évité pour ne pas avoir à parler de l'épiclèse. De toutes façons, ce n'est pas le lieu.

Le mariage ne représente pas seulement l'union du Christ et de l'Eglise, mais y participe.

Pour le sacrement de confirmation il est dit: « perfectius Ecclesiae vinculantur ». Que veut dire *vinculantur?* que veut dire *perfectius?* Le sacrement de confirmation ajoute-t-il quelque chose de réel, d'ontologique à l'effet baptismal, ou bien simplement il établit le baptisé dans l'état de témoin? Le germe reçu dans

le baptême, est-il raisonnable qu'il ne puisse s'expliciter tout seul? Mais alors qu'est donc la grâce de Dieu reçue dans le premier des sacrements? N'y aurait-il pas ici à essayer de voir du côté du triple caractère une lumière sur le lien des trois sacrements à caractère et leur rapport à la Communauté-Eglise?

12. Bien pour la participation du peuple chrétien au *munus propheticum* du Christ. L'insistance du texte 12 sur le *sensus fidei,* sur son importance dans la construction de l'Eglise, sur l'infaillibilité des fidèles *in credendo,* est nécessaire. Mais on aurait voulu un approfondissement plus grand du lien qui existe entre cette infaillibilité diffuse de l'Eglise (Hiérarchie et fidèles compris), et l'infaillibilité *in docendo* du Magistère.

Le choix des textes de la *1 Cor.,* de la *1 Thess.* à propos des charismes a été très heureuse. L'Esprit est libre dans ses dons. Et les fidèles reçoivent des charismes.

13. Unité de l'Humanité et différences de cultures. Tout cela ne sera pas perdu dans le peuple de Dieu mais sublimé et valorisé. Les particularités seront sauvegardées dans l'Eglise.

Ce qui est dit dans ce n. 13 sur le Christ et l'Humanité dans l'unité du Saint Esprit est le bienvenu.

Ce n. 13 est à serrer davantage et à diminuer de volume.

14. Le n. 14 a bien fait de mettre « S. Synodus in Scriptura et traditione innixa », pour ne pas mettre le Magistère sur la même ligne que l'Ecriture et la Tradition.

Le texte aurait pu préciser si l'Eglise est de nécessité de moyen pour le salut, et de quelle nécessité il s'agit (moyen positif ou autre)?

Le texte tend à définir l'Eglise par le lien de charité qui existe entre ses membres. La définition du membre sera différente de celle qui fut enseignée traditionnellement jusqu'à présent.

La théologie du *votum* qui unit à l'Eglise n'est pas suffisamment approfondie. Il faudrait l'approfondir pour voir si elle est appliquable aux non-catholiques de bonne foi.

Notons la bonne affirmation: « eam (Ecclesiam) per Summum Pontificem atque episcopos regente ».

15. On a bien fait d'insister dans le n. 15 sur les Communautés séparées comme telles. Cela met plus de lien avec le schema *de Oecumenismo,* et établit dans ce schema le rapport proprement dit entre Eglise et Eglises.

Effort louable pour reconnaître tout ce qu'il y a de positif dans les Eglises séparées ou Communautés ecclésiales. Il y a là une raison œcuménique et objective.

On a bien fait de supprimer « pia omnium Mater » à propos de Ecclesia (p. 36, ligne 33). On aurait pu garder *Mater.*

16. La manière de parler des juifs et des musulmans dans ce n. 16 est bonne.

Note de ce schema qui revient ici: affirmation répétée du salut universel, et de l'unité de la famille humaine, et chrétienne.

On aurait pu marquer le rapport des catholiques aux athées et la situation privilégiée des premiers. Le schema sur l'activité missionnaire de l'Eglise développera cet aspect de la vie de l'Eglise. On a bien fait de le supprimer de ce schema.

Bien que le schema XIII parlera de la vérité à prendre, où qu'elle soit, ce schema présent a bien fait d'y insister. Ce sont les « semina veritatis » dont par-

lent les PP. sur lesquels insiste ce schema; par là, en en parlant, il affirme qu'il veut être complet.

17. Le n. 17 est nouveau. Il est bon d'insister une fois de plus sur le fait que l'action missionnaire ne détruit pas le positif et le bon qui se trouvent dans les peuples et les cultures, mais leur donne plus de consistance.

On pourrait, peut-être, insister dans ce schema, et dans ce texte, sur l'idée que la Mission fait partie de l'essence de l'Eglise.

La finale du texte est belle: rappel de la Sainte Trinité, le salut universel et le retour de toute la création au Père, Créateur et Source.

Chapitre III.

18. Le n. 18 est changé dans des ajouts importants, épithètes, adverbes et surtout le mot *visible,* quand on parle de l'Eglise en rapport avec le Successeur de Pierre. Il y a aussi les suppressions significatives et conformes à l'histoire. La parole Coryphée à propos du Pape est inopportune, bien qu'elle puisse, à la rigueur, être dite.

19. Le n. 19 a transformé « ad instar Collegii » en « ad modum Collegii », avec raison.

Il a supprimé l'appellation des Apôtres comme « fondement » de l'Eglise, le texte des *Eph.* 2, 20 étant insuffisamment probant.

On a bien fait de remplacer « tutela » par « ductu » (p. 60, ligne 22).

L'ajout du Saint Esprit à propos de la mission des Apôtres est la bienvenue (p. 60, lignes 25 sq.).

20. Ce n. 20 ne veut pas, avec raison, majorer le sens des textes de l'Ecriture. Ce texte pose le problème de la succession apostolique, ex institutione divina. Quel en est le fondement scripturaire? Quelle valeur solennelle le Concile donnera à cette affirmation?

21. Le n. 21 est très important. Il traite de la sacramentalité de l'Episcopat. Il serait souhaitable que sur ce sujet, comme sur d'autres, il n'y ait pas de définition dogmatique.

Par ailleurs, les prêtres participent-ils le sacerdoce unique du Christ auquel participent Evêques et prêtres, ou bien participent-ils le sacerdoce de l'Evêque qu'il reçoit en plénitude?

On a bien fait de mettre « plenitudo sacramenti Ordinis » à la place de « supremus gradus ordinis » (p. 62, lignes 31-32). En elle, l'élu reçoit les *munera* de sanctifier, d'enseigner et de régir. Mais le texte ne dirime pas encore la question de savoir si l'Evêque reçoit, par sa consécration le pouvoir de gouverner un diocèse particulier. Est-ce alors par l'institution canonique. De même dans ce texte il n'est pas dit que l'Evêque est aggrégé au Collège par sa consécration. Le sacrement ne suffit pas, il faut le rattachement à la Tête visible de l'Eglise.

22. Dans ce n. 22, la notion de Collège est répétée jusqu'à huit fois, dans son sens organique. Pourquoi? Je l'ai dit dans la Salle Conciliaire, le Collège épiscopal ne peut être conçu sans sa Tête, le Successeur de Pierre: rattaché à Pierre et soumis à Pierre: deux qualités qui lui donnent sa valeur, et dans son enseignement et dans son action. Ainsi compris, le Collège ne fait plus peur à l'autorité pontificale. Sans elle, il n'a pas de consistance.

Le Concile dans le texte insiste avec raison sur les affirmations et la pratique des Conciles à propos de la Collégialité et à la tradition de la consécration de l'Evêque par trois Evêques.

On a bien fait de garder à la fin du numéro les paroles « saltem libere accipiat », et cela pour donner raison de quelques faits historiques importants, touchant certains Conciles eux-mêmes de l'Eglise ancienne.

On a évité d'offenser les adversaires de la Collégialité.

Certaines transformations sont les bienvenues: p. e. à la place de *per se* (p. 64, ligne 1) on a mis « vi muneris sui »; à la place de « alii » (p. 63, ligne 15) on a mis « ceteri », etc.

On a évité certaines questions qu'il est préférable de laisser à la réflexion des Théologiens: p. e. l'acte collégial extra-conciliaire est-il un acte ordinaire? Le Magistère universel des Evêques à travers le monde est-il proprement un acte collégial?

23. Ce n. 23 nous donne le fondement de la sollicitude universelle des Evêques. Par ailleurs, l'affirmation que les Eglises particulières sont des portions de l'Eglise universelle. Celle-ci est formée d'un « Corpus Ecclesiarum ».

En parlant de l'organisation de plusieurs diocèses dans une assemblée organisée organiquement et que préside un Patriarche:

1) On aurait pu parler ici de l'institution historique patriarcale (en tant que telle), qui, à travers le temps, a été pour le bien de la foi et l'union des chrétiens.

2) On aurait pu aussi interpréter dogmatiquement, comme on le ferait pour les Conférences épiscopales modernes au sein de la Collégialité, l'institution patriarcale.

3) On aurait pu, me semble-t-il, en dire le bien qu'elle mérite, puisque les Eglises apostoliques qui ont des Patriarches à leur tête, ont des richesses spirituelles, théologiques et des usages liturgiques et disciplinaires qu'elles ont toujours mis au service du Corps mystique du Christ.

4) Le Concile pourrait dire qu'il favorise cette institution historique, pour lui redonner à notre époque le pouvoir de rayonnement qu'elle a eu à toutes les époques.

5) Il y aurait là une raison œcuménique valable pour notre temps auprès de nos frères non-catholiques.

24. Certains ajouts importants dans le n. 24: p. e. *canonica* après *missio* (p. 67, ligne 17).

Le texte n'insiste plus sur les langues de feu, mais sur la force du Saint Esprit, avec raison.

25. Le n. 25 répond mieux que celui de l'ancien schema à son titre. Il parle bien du *munus docendi* des Evêques, en insistant sur leur témoignage et leur enseignement, sur le respect dû à leur magistère ordinaire, et en précisant l'infaillibilité du Corps épiscopal, uni au Pape, dans l'exercice de son magistère suprême.

Si ce texte parle encore, comme l'ancien, du magistère du Pape, c'est qu'il est impossible de parler de l'enseignement des Evêques sans parler en même temps de celui du Pape, et parce que le texte veut donner un ensemble sur le Magistère vivant de l'Eglise. De plus le « ex sese » de Vatican I avait fait tant de difficultés aux non-catholiques, entre les deux Conciles qu'il fallait trouver l'occasion de l'expliquer.

Le « ex sese » est remis dans un contexte qui lui donne sa valeur: intervention actuelle de Dieu et lien organique avec l'Eglise. Le charisme de l'infaillibilité de l'Eglise elle-même est incarné, personnalisé dans le Pape, qui enseigne, non

comme personne privée, mais comme Chef de l'Eglise et du Collège des Evêques. Cette longue explication a valeur œcuménique.

Enfin, aussi bien le Souverain Pontife que le Corps des Evêques uni au Successeur de Pierre, ne peuvent enseigner que la Révélation elle-même.

Certaines transformations ont été apportées à ce nouveau texte, et elles sont bonnes: p. e. *praecones* à la place de *praedicatores; nomine Christi* à la place de *ore Christi; eique religioso animi obsequio adhaerere debent* à la place de *eique ut chordae citharae; infallibiliter* à la place de *infallibili oraculo,* etc.

26. Très bon n. 26 où toute une théologie de l'Eglise particulière qui se forme autour de l'Eucharistie est développée. On insiste, avec raison, sur l'Evêque-source ministérielle de toutes les activités de sanctification (prédication, sacrements, prière et exemple). Notons que le texte dit que l'Evêque est le ministre « originarius » de la Confirmation. C'est probablement pour respecter la manière de faire des Orientaux.

27. Le n. 28 remédie à un manque qui était regrettable dans le précédent schema: il parle des prêtres. Ce texte traite du sacerdoce dans son rapport au culte. C'est bon. On pourrait insister aussi sur l'unité du sacerdoce dont les tâches multiples sont confiées à un nombre de prêtres, sub ductu episcopi.

On n'insiste pas suffisamment sur la qualité de « médiateur » du prêtre: idée essentielle qui eût rattaché entre eux, d'une manière logique et profondément réelle, les deux sacerdoces, ministériel et commun.

Dans la seconde partie, on parle de la collégialité presbytérale (idée importante). Puis on passe à l'Eglise locale, qui se développe autour de l'Eucharistie. Cette Eglise locale rend visible l'Eglise universelle.

Dans la troisième partie, on a bien fait de parler du sacerdoce religieux, pour donner une vue complète de la juridiction et de la *potestas episcopalis.*

Dans la quatrième partie, on devrait reprendre d'une manière dogmatique la valeur du dialogue entre le prêtre et les fidèles et aussi les non-croyants. Le rôle du prêtre qui participe à la mission de l'Eglise doit être un rôle missionnaire. On trouve des points sur ce sujet dans le *de Laicis* (n. 37) et dans le schema sur la formation cléricale. Ici, un tel développement aurait donné à notre présent schema plus de perfection.

J'ajoute qu'on a bien fait de mettre le sacerdoce du prêtre en rapport avec celui du Christ, par le truchement du sacrement de l'ordre. Cela parait dans toutes les activités sacerdotales: sacrements ou parole.

Il y aurait lieu de refaire tout ce n. 28 pour y ajouter les idées complémentaires développées plus haut.

28. La question du diaconat qui a soulevé un grand intérêt dans la Salle conciliaire, pour ou contre, n'est autre que la question du diaconat de la primitive Eglise; dans l'Eglise d'Orient, il existait, et existe encore, a rendu et rend encore actuellement des services utiles.

Je souhaite, pour ma part, étant donnée la tradition de mon Eglise, que le diaconat soit rétabli, comme état permanent, diaconat marié. En cela aucun danger pour le sacerdoce célibataire. Chez nous, bien qu'existent et le diaconat marié et le sacerdoce célibataire et le sacerdoce marié, la tendance des jeunes lévites est pour le célibat dans le sacerdoce. Qu'on laisse la liberté aux jeunes, après les avoir informés de la nature des deux états, marié ou célibataire.

Chapitre IV.

29. Dans le n. 30 la doctrine se double d'un ton parénétique et de conseils. On a bien fait de remplacer « condicio et missio » par « status ». Cela a valeur analogique avec l'état sacerdotal ou religieux.

On parle ici, et avec raison, de charismata à propos des laïcs. On l'a déjà fait dans le chapitre *de populo Dei*, et on remet l'accent sur l'activité organique dans l'Eglise de *tous* ses membres.

30. Le n. 31 est beau, bien que souffrant de quelques amplifications et de quelques longueurs. Il insiste sur la vocation de consécration du monde par les laïcs, sanctification du monde « velut ab intra ».

Il est très beau de voir un Concile traiter, de cette façon positive, et pour la première fois, des laïcs et de leur rôle dans l'économie du salut.

31. Dans le n. 32, heureux changement du sous-titre. Bien aussi pour l'insistance sur l'unité et la diversité dans un même Corps.

L'insistance sur « communis » prépare le chapitre sur la sainteté: « communis filiorum gratia », « communis vocatio », « communis dignitas membrorum », etc.

Par ailleurs, le rattachement du laïc au Christ et à la participation aux fonctions du Christ, sacerdotale, prophétique et royale, le place déjà dans une atmosphère respirable.

Les corrections sont bonnes et à garder.

32. Le n. 33 nous donne la définition de l'apostolat des laïcs: participation de la mission salvifique de l'Eglise. Pourquoi ce texte affirme que les laïcs pourraient être appelés à l'apostolat de la Hiérarchie et non pas hiérarchique? Certains laïcs pourraient être appelés par la Hiérarchie à exercer certains « munera ecclesiastica ».

L'insistance est bonne sur la notion de témoignage des laïcs. Ils sont l'Eglise comme les clercs et témoignent pour ou contre, par leur vie. C'est là une chose ordinaire et non occasionnelle.

33. Le n. 34 est plein de spiritualité et de théologie. Il insiste sur le fait que toute la vie du laïc doit être hostie spirituelle.

34. Le n. 35 insiste aussi sur le témoignage. Il constitue toute une théologie du témoignage chrétien, mais un peu trop développée et amplifiée. L'ensemble du développement est mis dans une perspective eschatologique. Ce numéro fait bien d'insister sur le rôle de la famille pour la transmission de la foi.

35. On aurait voulu dans le n. 36 un texte plus court et dans lequel on eût traité de l'idée traditionnelle de royauté spirituelle qui est, ici, à peine énoncée. Et pourtant c'eût été pour notre monde une idée très actuelle. On ne domine le monde qu'en ayant dominé sa propre âme, son propre domaine. C'est là la liberté dont le principe est énoncé le vendredi-saint dans la liturgie latine: Mort où est ta victoire: le triomphe sur la mort.

Le texte attire l'attention, avec raison, sur la distinction de l'Eglise et de la société temporelle qui sont appelées à collaborer ensemble pour le bien de l'homme.

36. Le n. 37 est bien balancé: rapport de la Hiérarchie aux laïcs et rapport des laïcs à la Hiérarchie, dans les droits et les devoirs. Le tout est spirituellement et théologiquement fondé. On regrette quelques répétitions (confier aux laïcs quelques offices au service de l'Eglise).

Il ne s'agit pas de la simple soumission des laïcs mais de leur responsabilité et de leurs droits d'initiative. L'atmosphère familiale qui doit régner entre laïcs et Hiérarchie est assez bien notée: ce qui permettrait à la Hiérarchie de profiter de l'expérience des laïcs.

37. L'aspect christologique est net dans le n. 38. L'ancien texte était trinitaire. On aurait pu en conserver la tonalité, comme ce schema *de Ecclesia* nous la donne souvent. La citation de l'Epitre à Diognète sur le chrétien qui doit être dans le monde comme l'âme dans le corps, est la bienvenue.

Chapitre V.

38. On a bien fait de séparer le chapitre des religieux de celui de l'appel universel à la sainteté, étant donné le chapitre du *de populo Dei,* où l'on a affirmé que tous les enfants de Dieu étaient appelés à se sanctifier, que la sainteté n'était pas un monopole des religieux. En tout cas, qu'on en reste au texte tel qu'il est ici, en deux chapitres, ou qu'on fasse des deux un seul et même chapitre, je voudrais encore renvoyer aux notes sur le chapitre sur l'appel universel à la sainteté de l'ancien schema que je consignais au Secrétariat du Concile le 5 décembre 1963. Je ferai ici quelques remarques de détail:

Le n. 39 fait bien de fonder toute sainteté en Dieu. Cette sainteté qui est, d'ailleurs, tout d'abord la sainteté de l'Eglise. Cette sainteté qui est envisagée aussi comme ontologique (communiquée par Dieu) et non point simplement morale (acquise par l'homme élevé par la grâce).

Par ailleurs, le texte fait bien d'insister sur les conseils qui sont le fait des chrétiens en général, dans leur état de vie ordinaire ou dans un état ou condition admis par l'Eglise.

Je note aussi, avec plaisir, l'insistance sur la Trinité en parlant de la sainteté de l'Eglise. Et par là de nouveau, l'importance œcuménique de ces affirmations.

39. La sainteté est mise dans le n. 40 en rapport direct avec l'obéissance à la volonté de Dieu. Le texte insiste avec raison sur le fondement ontologique de la sainteté: amour de Dieu et du prochain, et sur le fait que tout fidèle est appelé à la perfection de la sainteté.

40. Le n. 41 qui décrit la sainteté des différents ordres de fidèles du Corps mystique, décrit le chemin de la perfection pour chacun d'entre eux. Il en oublie certains: les veuves, les Vierges. La liturgie latine leur a consacré une messe spéciale pourtant.

41. Le n. 42 fait bien de parler du martyre dans une époque dans laquelle la persécution de l'Eglise est un fait et la confession courageuse du Christ, une nécessité; de la virginité comme un élément du groupe des conseils; de la pauvreté et de l'humilité, thèmes déjà reconnus de ce schema sur l'Eglise.

Chapitre VI.

42. Le n. 43 affirme l'origine divine des conseils que les religieux vivent dans leur état de vie confirmé par l'Eglise. Il ne manque pas de rappeler ce que l'état cénobitique a profité à l'Eglise. Il insiste enfin sur l'importance de la vie religieuse pour la vie et la mission de l'Eglise dans le monde.

Ce numéro aurait pu dire que la vie religieuse est comme le signe efficace de l'avènement du Règne de Dieu sur terre.

43. L'état religieux, dit le n. 44, ne fait pas partie de la structure hiérarchique de l'Eglise. Il appartient cependant à sa fin et à sa sainteté. L'état religieux s'insère dans ce mystère profond de l'Eglise, Corps du Christ.

Par ailleurs, l'état religieux est finalisé sur le Règne de Dieu: son sens eschatologique.

44. Le n. 45 qui parle de l'exemption des religieux a un ajout important qui regarde les Patriarches.

Ces rappels sporadiques des Patriarches (à deux reprises), au lieu de confirmer l'institution patriarcale, la rendent comme un fantôme qui apparait de temps à autre pour les besoins de la cause. Il faudrait, me semble-t-il, donner, même dans un schema dogmatique, plus de place à cette institution qui relève de la Tradition la plus lointaine. Les Patriarches sont les représentants des Eglises apostoliques. Leur autorité qui a été pour la cohésion (au religieux et au civil) des chrétiens de leurs Communautés, fut réduite par le Motu proprio *Cleri Sanctitati* de 1957, et ce, certainement pas pour le bien du christianisme en Orient.

Je note aussi dans ce n. 45 l'insistance nouvelle sur l'aspect liturgique de la consécration monastique.

45. Le n. 46 fait bien de louer l'état religieux. Il a changé le mot « professio » en celui de « consecratio », et avec raison, dans le sous-titre. L'ajout « sive fidelibus, sive infidelibus » note l'esprit missionnaire de certains instituts religieux. On a changé des vocables en d'autres, et avec raison. Le texte fait bien d'exalter la liberté que donne l'état religieux dans l'obéissance à Dieu et la pratique des trois vœux.

L'ajout enfin sur les Frères et les Sœurs est bonne pour désigner l'ensemble de ceux qui s'occupent de la défense du Règne de Dieu dans la charité.

46. Le n. 47 insiste, pour terminer, sur le mystère de la Sainte Trinité. Avec raison. Ce schema sur l'Eglise baigne dans une atmosphère trinitaire, dès ses premiers mots. Ici la Trinité se présente comme la source de toute sainteté.

Chapitre VII.

47. Le n. 48 fait bien de rappeler des vérités enseignées dans le *de Novissimis*. Il est urgent de rappeler à nos contemporains d'un monde de la technique, matérialisé, pour leur signifier la volonté du Christ et de l'Eglise. Ce texte est christologique, ecclésiologique. Notre vocation essentiellement eschatologique est bien exprimée dans ce numéro, surtout à travers les multiples références à la sainte Ecriture. Quant au titre général de ce chapitre, je préfère le titre actuel qui correspond davantage au contenu qui y est développé.

48. Dans le n. 49, le fondement doctrinal de tout ce chapitre: l'Eglise de la terre et l'Eglise du ciel forment le même peuple de Dieu, la même Eglise-Corps mystique du Christ.

Le texte est assez habile. Dans cette matière, il faut rester en contact avec l'Ecriture, pour éviter et les excès des affirmations, et pour éviter de pécher par défaut.

Bien pour le lien entre les saints et les viatores et pour la description de la Communion des Saints dans le Christ.

49. Le retour, dans le n. 50, à l'histoire de l'Eglise ancienne, pour parler du martyre, du culte des Anges à plusieurs reprises, montre le lien que le texte entend mettre avec les sources et les origines de notre foi. Par ailleurs, le texte parle ici, et avec raison, des vierges et de la virginité du Christ et de sa pauvreté: thèmes qui reviennent à travers ce schema *de Ecclesia*.

L'insistance que notre relation vécue avec les habitants du ciel nous conduit

davantage au Christ et développe en nous la présence du Christ et par nous dans son Eglise, est la bienvenue.

50. Le n. 51 pourrait avoir une influence œcuménique certaine. Insistant, par des considérations pastorales, sur le culte des saints, le texte défend les fidèles contre certains excès, en leur disant que ce culte ne consiste pas dans la multiplicité des gestes, mais dans l'amour intense et intime. Il affirme par ailleurs que le culte des saints ne s'oppose pas à l'amour de Dieu et l'amour de Dieu n'est pas diminué par le culte des saints. Deux cultes qui diffèrent essentiellement.

Je noterai ici, une fois de plus, le retour constant à la Sainte Trinité.

Chapitre VIII.

51. Je voudrais tout d'abord dire que le titre général de ce chapitre me plaît. Il s'agit, en effet, de Marie Mère de Dieu: principal et fondamental titre de Marie, duquel tous les autres découlent. Par ailleurs, cette maternité ne peut être conçue que par rapport au mystère central du Christ Verbe incarné dont l'Eglise n'est que le prolongement sur terre. C'est le même mystère du Christ qui continue dans l'Eglise. La Mère du Christ est la Mère de ceux qui constituent le peuple de Dieu dont le Christ est la Tête.

Par ailleurs, la présence de ce chapitre dans la Constitution *de Ecclesia,* montre que Marie, ayant une place particulière, en tant que Mère de Dieu, dans le Corps mystique, fait quand même partie de l'Eglise. Elle est fille de l'Eglise, rachetée par le sang du Christ, mais, étant la Mère du Verbe incarné, elle est aussi Mère des fidèles. Marie fait partie du Mystère de l'Incarnation.

Enfin ce chapitre à la fin du *de Ecclesia,* en est comme la couronne et la synthèse.

Le n. 52 met la Vierge Marie dans la lumière du mystère du Verbe incarné, ce mystère qui est lui-même dans le dessein éternel du Père. Bientôt il mettra Marie en connexion avec la Trinité: deux thèmes: conseil de salut universel, dessein éternel et Trinité source de tout, qui se développent dès les débuts de cette Constitution.

Par ailleurs, le texte a bien fait de rappeler la rédemption de la Sainte Vierge, mais d'une manière sublime, pour dire que Marie n'est pas en dehors de cet ordre de la Rédemption, et pour signifier l'union intime de Marie avec le Christ.

Ce chapitre n'entend pas donner une doctrine complète sur la Sainte Vierge.

Dans le texte révisé, je suis d'accord pour les ajouts et les corrections. Par ailleurs, je suis d'accord pour la suppression dans le texte révisé, des paroles « sub ductu magisterii » (p. 198, ligne 22).

52. Dans le n. 53, rôle de Marie dans l'économie de la Rédemption vu à travers les Livres sacrés. Il n'est pas sans intérêt d'ajouter dans le texte révisé les mots « sicut oportet »: les textes de l' E. T. doivent être lus sous la lumière de la pleine révélation et l'esprit de la tradition.

L'Annonciation est présentée ici d'une manière positive: la Vierge était prête, par la grâce de Dieu, à recevoir le Verbe, à cause de son Immaculée Conception et de son éloignement de toute morsure du serpent... Elle ne fut pas passive devant l'appel de Dieu.

Le texte développe, avec bonheur, la doctrine de la nouvelle Eve, parce qu'elle est traditionnelle et met en relief, par opposition, le rôle de Marie dans l'économie du salut.

Puissance de Marie sur le Cœur de son Fils qui lui fait produire le premier

« signum » en lequel il a manifesté sa gloire. Foi de Marie: elle a rendu Marie la première bienheureuse. Présence de Marie aux pieds de la Croix, significative de son amour pour le Christ et les membres du peuple de Dieu. Deux dogmes affirmés: Immaculée Conception et Assomption.

Je suis pour toutes les transformations survenues dans ce numéro. Elles précisent la pensée et lui donnent plus de fondement scripturaire.

53. Le n. 53 contient bon nombre de répétitions des textes précédents. Il demande à être réduit.

On a bien fait de mettre, dès le début de ce paragraphe, qu'il n'y a qu'un Médiateur. C'est de ce Médiateur que découle la valeur de toutes les vertus. A partir de ces affirmations doctrinales, le n. 54 parle de la familiarité de Marie avec Jésus, et de la foi et de la charité dont elle a animé toutes ses actions. C'est pour cela qu'elle est appelée notre Mère. Elle le reste après son Assomption, parce qu'elle vit toujours dans la charité.

Marie type de l'Eglise, vierge et Mère à la fois.

La dévotion à Marie pousse à entrer plus avant dans le Mystère du Verbe incarné.

Je note enfin deux points: ce texte est important parce qu'il nous détermine les relations de l'Eglise et de la Vierge; parce qu'aussi, s'enfonçant dans la Tradition, il retrouve les images qui s'appliquent à Marie et à l'Eglise.

Je suis ici aussi pour les ajouts du texte révisé, sauf celles de Médiatrice, pour laquelle il faut plus d'explications que celles données (pag. 203, lignes 4 sq.). Les formules ont été employées plus haut: celle qui intercède, celle qui prie, celle qui souffre pour nous, celle qui compatit, etc. Elles peuvent avantageusement, me semble-t-il, suffire, sans entrer dans des discussions théologiques qui n'ont pas encore mûri la dénomination de médiatrice appliquée à la Vierge.

54. La fin du n. 55 reprend certaines affirmations sur l'imitation de Vierge développées dans le paragraphe précédent.

Par ailleurs, après *simillimam,* appliquée à la sainte Vierge, je voudrais, pour éviter toute équivoque, ajouter « in natura sua humana sancta ». Cela va sans dire. Cela vaut mieux en le disant.

Deux cultes essentiellement différents, offerts à Marie et à Dieu.

Le texte a bien fait d'attirer l'attention des théologiens et des pasteurs pour éloigner les fidèles, dans leur enseignement et leur travail apostolique, des fausses dévotions et des exagérations qui portent préjudice à la dévotion elle-même et qui offensent aussi nos frères chrétiens non catholiques. L'enseignement marial doit être christocentrique.

Je note enfin que je suis pour toutes les additions du texte révisé.

55. Le n. 56 de la Constitution *de Ecclesia* est dense. En lui s'expriment bon nombre d'idées: Marie glorieuse, motif de notre espérance et de consolation pour le peuple de Dieu; Marie et l'union des chrétiens; Marie et la conversion de ceux qui ignorent le Christ; Marie exemple de fidélité, de force, de prudence, de bonté et d'ardeur apostolique, dans la vie quotidienne.

42

REV.MUS P. D. MARTINUS MICHLER

Abbas nullius B. M. V. de Monteserrato Fluminis Ianuarii

Commissioni theologicae Concilii sequentes mutationes proponimus faciendas in schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia*:

Pag. 8, ad linn. 24-25: loco « atque obedientia sua redemptionem effecit » suggerimus ponatur « atque passione et exaltatione sua redemptionem effecit ». *Ratio*: cum agatur de compendio quodam operis redemptionis a Christo peractae, verbum debet fieri mysterii eius glorificationis, quod etiam effecit redemptionem humanam: cf. *Rom.* 4, 25 (vide etiam *S. Th.* III, q. 55, a. 1, etc.).

Pag. 10, lin. 10: suggerimus hic ut aliqua mentio habeatur aliorum « operum » Christi praeterquam eius « miraculorum ». Textus enim vult illustrare « opera » Christi, de quibus sermo est paulo ante; atqui maiora fecit Dominus quam miracula. Propterea adderemus textui: « *Sed et etiam omnia alia opera eius* (*theandrica*) *quibus intus in animabus operabatur vel Ecclesiae fundamenta ponebat erant velut fermentum Regni in mundo* (cf. *Mt.* 13, 33) ».

Loquimur, ut patet, de gestis quibus Dominus, v. g., Spiritum infundebat discipulis (cf. *Io.* 20, 22), sacramenta instituebat etc.

Pag. 10, ad linn. 14-15: praeferenda videtur alia citatio evangelica, ubi, scil., clarius exprimatur epiphania Regni Dei *in Persona* Christi. *Mc.* 10, 45 magis alludit ad servitium quod Christus praestabat hominibus quam directe ostendit eius *subiectionem Patri.*

Pag. 10, ad linn. 36-39: enumeratio imaginum biblicarum Ecclesiae se praefert taxativo modo (« sive... sive »), omittit tamen imagines aliquas Evangelii, uti v. g., illas haustas *ex vita maritima* (navis, rete), quae non parvi momenti sunt in illustrando mysterio Ecclesiae.

Pag. 15, lin. 23: in hoc textu adderemus determinationem « *visibilem* » voci « compaginem » (cf. pag. 36, lin. 8), ut ostendatur elementa illa sanctificationis et veritatis non esse omnino *extra* Ecclesiam.

Pag. 33, n. 12: mirum est non alludere textum ad vocationem totius populi Dei ad testimonium Christi *verbo* reddendum. Agitur enim de populo quem generavit Verbum Dei et de expositione charismatis prophetici populi Dei, quod certe non exhauritur in testimonio vitae et caritatis sed et includit ministerium verbi.

Pag. 34: de aspectu *regali* populi Dei verbum non est in hoc capite, quamvis exponatur, v. g., in capite « de laicis » (pp. 122-123). Bonum esset iam hic inveniri germina expositionum sequentium, propter characterem ipsum generaliorem huius capitis.

Pag. 34, ad linn. 34 ss.: ad vitandam speciem quandam « triumphalismi » melius fortasse esset dicere: « *Ecclesiae est... subtrahere... fovere et assumere* etc. ».

Pag. 67, lin. 26: loco vocis « praecipuum » praeferendum ducimus scribere « primum », ne statim dicatur prioritatem esse dignitatis, quae non apte componeretur cum doctrina de episcopo « Summo Sacerdote ».

Pag. 73, linn. 20 ss.: presbyteri fere exclusive videntur considerari in munere parochorum. Alia officia quae eis saepe committuntur non videntur locum habere in perspectiva textus.

Pag. 74, lin. 35: legatur: « *quaedam* sacramentalia ministrare ». *Ratio*: Diaconi non erit certe *omnia* sacramentalia ministrare.

Pag. 118: textus, inde a lin. 32 usque ad 20 sequentis paginae, aptius inveniretur in capite « de populo Dei ».

Pag. 140: nimiae citationes biblicae expositionem minus claram reddunt. Et si adhuc licet suggestionem maioris ponderis facere, diceremus totum hoc cap. VI inserendum esse intra caput « de populo Dei », exceptis mentionibus quae fiunt diversorum aspectuum specificorum spiritualitatis, et sanctitatis diversarum condicionum, qui apte ponerentur in respectivis capitibus de hierarchia et de laicis.

Pag. 155, ad linn. 16-17: melius quam « tum... tum » esset: « *non tantum... sed et* » quia sic clarius apparet non agi de *disiunctione* inter profectum personalem et bonum Corporis mystici.

Pag. 156, lin. 3: auferatur « tria praedicta ». *Ratio*: ne nimis insistatur in charactere ternario consiliorum, quasi exclusive essent paupertas, castitas et obedientia. Iam sufficit huiusmodi specificationem semel factam esse in pagina anteriori (ad linn. 2-3). Habentur enim formae vitae religiosae in Ecclesia, ut v. g., Ordo monasticus, ubi aliter exprimitur professio consiliorum evangelicorum.

Pag. 181: titulus capitis est nimis longus. Suggerimus praeterea ut ponatur modo impersonali, quia sic magis convenit indoli generali totius schematis.

Pag. 182, lin. 14: loco « christifideles » ponatur « *christiani* ». *Ratio*: Beati iam non sunt « fideles ».

Pag. 184, linn. 37 ss.: legatur: « Quam ob rem Ecclesiae filii Ecclesiae caelesti sese iungunt communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper Virginis Mariae, sed et beati Ioseph eiusdem Virginis Sponsi, et beatorum Apostolorum et Martyrum et omnium Sanctorum ». *Ratio*: ut verbum fiat de S. Ioseph, sicut hodie in Canone. Tunc tamen supprimi debent illa quae praeparabant allusionem ad antiquum Canonem: « iam nascentis... perpauci adhuc et dira persecutione oppressi ».

Quoad *caput de B. Maria Virgine*: Proponimus habeatur in hoc capite allusio quaedam ad *Apoc.* 12, ad illustrandam sive glorificationem Mariae sive eius condicionem typi Ecclesiae vel etiam eius maternitatem spiritualem erga illos « qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Iesu Christi » (*Apoc.* 12, 18). Agitur enim de textu qui, omnibus hodie consentientibus, certe includit aliquem sensum mariologicum (etsi non excludat ulteriorem sensum ecclesiologicum) et qui sic saepe citatur a Magisterio Summorum Pontificum et a Liturgia. Mirum esset omnia loca mariologica Novi Testamenti inveniri in hoc capite nulla allusione facta ad *Apoc.* 12.

En praecipuae animadversiones quas reverenter submittimus Commissioni doctrinali Concilii nomine Commissionis Theologicae Coetus Episcoporum Brasiliae (C.N.B.B.).

43

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN-HIEN
Episcopus Dalatensis

1. Multum mihi placet schema *de Ecclesia* de novo elaboratum, cum ratione methodi in expositione adhibitae, tum ratione ipsius contenti doctrinalis.

Methodus adhibita, nempe evolutione materiae in praevalente providentialis oeconomiae prospectu, pastorali Concilii fini maxime accommodatur, simulque oecumenico et missionali eius intento; insuper constanti uberrimoque usui investi-

gabilis thesauri Sacrae Scripturae ab exordio Genesis ad conclusionem Apocalypsis, locum praebet.

Contentum doctrinale vere est dives: reapse refert, modo quidem aeque librato et in dimensione plena, omnes essentiales aspectus mysterii ministeriique Ecclesiae ab antiqui Foederis praeparationum adumbratione, ad ultimam Novi efflorescentiam, in caelo cum Christo triumphante. Placent nominatim expositiones de Regno Dei, de Ecclesia simul visibili ac invisibili, de populo Dei nunc in aerumnis, at simul cum Ecclesia caelesti communicans, ad ipsamque tendens in spe, de parte B.M.V. in Christi eiusque Ecclesiae mysterio assignata: haec omnia apte proposita videntur, absque ullo detrahente minimismi vel indebito maximismo. Item placet textus mutatus de Spiritus Sancti munere (pag. 14, n. 3).

2. Liceat aliqua pauca notavisse quae potius ad stylum pertinent. Pag. 11, lin. 18, scribatur: « Qui per Ecclesiam in ipso manemus, *et sine ipso* (vel), *sine quo* nihil possumus facere ».

Pag. 12, linn. 5-13, post « Sponsa immaculata Agni immaculati », loco seriei « quam... » ponatur: « Hanc Sponsam Christus dilexit..., sibi sociavit... ac tandem bonis... ».

Cap. II: *De populo Dei.* N. 10, pag. 30, lin. 36: De sacerdotio communi. Optarem ut vocabulum « commune » in hoc numero sicut et vox « universale » in n. 36, pag. 121, lin. 7, cap. IV *de laicis,* mutaretur in « *Regale seu laudatorium* ». *Rationes* sunt: 1. Melius concordaret cum Sacrae Scripturae textibus: « Vos estis... genus electum, *regale* sacerdotium » (*1 Pt.* 2, 9); « Sacrificium *laudis* honorificabit me » (*Ps.* 59, 14, 23; cf. *Ps.* 106, 22; 115, 17).

2. Magis conveniret cum mentalitate populorum orientalium et forse Afrorum. In religionibus enim non christianis, requirebantur varii gradus socialis dignitatis sacrificium offerentium pro maiori minorive excellentia divinitatum quibus illud debebatur. Sic divinitatibus gradus inferioris sacrificatio ad patresfamilias vel subalterni gradus officiales pertinebat, dum illud munus principem vel regem respiciebat quando agebatur de oblatione Domino caeli, Deo supremo facienda, nam suae dignitatis summae vi, totam gentem seu societatem in se recapitulans, ipse solus, nomine totius nationis, sacrificandi ius et officium habebat.

Cum venit Christus, totum humanum genus in se recapitulans, ad eum solum pertinet ius et officium Deo Patri, totius humanae societatis nomine, dignae laudis sacrificium digne offerendi. Christifideles per baptismum Christo Regi incorporati, eiusdem potestatis participes facti sunt: ideoque « *regale* » dicendum videtur sacerdotium quod omnibus christianis, vi unionis cum Christo Rege communiter vel universaliter concreditur.

Porro omne sacrificium sive laudis sive hostiae viventis, sive testimonii, ad Dei glorificationem refertur, proinde munus illud offerendi dici posset sacerdotium *laudatorium.*

3. Praeterea in schemate, in hoc cap. II, pag. 31, lin. 25, adhibetur vox « regalis »: « vi regalis sui sacerdotii » item in cap. III, n. 36, pag. 122, lin. 24: *servitium regale.* Unde optarem ut in n. 10, lin. 36, ponatur « De sacerdotio regali seu laudatorio » et in pag. 31, lin. 16, addantur verba: « Sacerdotium autem *regale seu laudatorium quod est omnibus fidelibus commune* et sacerdotium ministeriale... ».

Item in n. 11, lin. 31, ponatur « De exercitio sacerdotii *regalis seu laudatorii* »

necnon in cap. IV, *de laicis,* n. 34, pag. 121, lin. 7: « De participatione laicorum in sacerdotio regali seu laudatorio et cultu ».

Pag. 33, n. 12, lin. 23, dicerem « hanc peculiarem *infallibilitatem*... exercet ».

In cap. III, *de episcopatu,* n. 21, pag. 62, linn. 39-40: cum schematis textus hic expresse deroget dictis Pii XII in Encyclica *Mystici Corporis*: « Ordinaria iurisdictionis potestate (fruuntur episcopi), *immediate sibi ab eodem Summo Pontifice impertita* », bonum esset rem notasse in subsequenti relatione de praesenti numero (pag. 86).

Cap. VIII, *de B. M. V.,* n. 53, pag. 198, linn. 34-35: « clarius pedetentim in *apricum* profertur... ». Textus « in apricum » etsi classicus, nimis rarus videtur quam ut apte adhibeatur in textu conciliari; plerique, ni fallor, vix eum intellegent! Videtur potius adhiberi vox « *in lucem* », aequaliter classica et omnibus magis obvia.

Item in pag. 199, lin. 27, « ab omni *peccato naevo* seu labe ». Esset orthographicum mendum « pecc*ati* ». Vox « naevum » vix intellegetur sine ad dictionarium recursu! Videtur aliud nomen adhibendum, v. g. « *macula, nota...* ».

44

Exc.mus P. D. IOLANDUS NUZZI

Episcopus Campaniensis

Cap. III.

1. Quoad titulum: loco « De constitutione hierarchica Ecclesiae » melius esset: « De constitutione Ecclesiae », quia verbum « hierarchica » videtur superfluum.

Constitutio cuiusvis societatis necessario « ordinata » esse debet, hoc est « hierarchica ». Unio subiectorum omnium aequalium et absque auctoritate « vera » societas non esset.

2. Textus schematis, in hoc capite et in ceteris, valde brevior esse posset et deberet.

3. N. 18, cui « Prooemium », velut status quaestionis vel compendium totius cap. III praesentatur: et bene se habet, tamen aliqua brevia desiderantur circa presbyteros, diaconos, aliosque adlaboratores episcopatus in genere.

4. Nn. 19, 20, 21 in tribus paragraphis unius eiusdem numeri utiliter cogi possent.

5. Hoc ipsum valet de nn. 22 et 23, in quibus conceptus ac propositiones iterantur quae iam antea expressa fuerant. Hic agitur de constitutione non vero de aliquo tractatu.

Constitutio velut lex sollemnis adfirmationibus claris, certis vel definitionibus clarescere debet.

In lin. 10, pag. 21, vocabulum « ordo » melius substitui posset cum vocabulo « corpus ». Quo certiores aequalioresque in usu verborum nobis fuerimus eo clariores textus conciliares erunt, atque eo minores inevitabiles disceptationes inter futuros theologos et interpretes!

6. Linn. 19-23, pag. 23, omittendae. Constitutio non debet sua propria commentaria continere.

7. In nn. 25-27 tractantur tres aspectus potestatis episcoporum: longe melior forma affirmationum vel definitionum modo claro brevioque.

8. In titulo provisorio n. 26 verbum « munere » ponendum post « episcoporum » sicut et in nn. 25 et 27.

9. Si episcopi una cum Papa sunt et repraesentant, quod verum est, omnia quae in nn. 19-27 exponuntur ac statuuntur, tunc oportet conceptum et momentum collaborationis « omnium » christifidelium ratione habita quidem cum episcopis et Papa.

Omnibus christifidelibus suum locum in constitutione Ecclesiae apertis verbis explicare necesse est, ut falsa ac damnosa opinio quo Ecclesia solis constituatur ecclesiasticis auferatur.

10. Consequenter nn. 28 et 29 retractandi essent: *a*) clariori luce exponere distinctionem inter episcopos ex una parte et omnes alios baptizatos ex alia; *b*) ita ut episcopus videatur et intellegatur sicut vertex et centrum « suae » ecclesiae; *c*) fideles omnes cum ipso adlaborare eo modo et ea forma debent quibus ab episcopo postulantur et a Deo vocantur: presbyteri, diaconi, catechistae et omnes collaboratores in apostolatu.

11. Pro quaestione de diaconibus meminisse oportet quod « suprema lex salus animarum » et quod « sacramenta propter homines » et minime contra.

Idcirco quaestio de « caelibatu » pro ipsis auferenda: difficile fieri non debere quod Iesus facile fecit si consideratur quod innumerabiles animae Sanguine Christi redemptae sacramentis salutis privantur. Iam in tantis locis hoc accidit, propter legem ecclesiasticam. Hic valde utilis et peropportuna meditatio super verba D. N. Iesu Christi in *Mt.* 23, 15 ss.

12. In n. 29 enumerantur attributiones diaconis conferendae: adiungenda essent officia varia in curiis episcopalibus, munus docendi in seminariis et huiusmodi.

13. Insuper pro fructuosa utilitate omnium meliorum christifidelium affirmandum esset « principium temporaneitatis », renovabile, officii diaconatus. Hoc modo quae abundanter a Spiritu Sancto in cordibus fidelium effunduntur magis magisque pro vitalitate totius Ecclesiae prodessent.

14. Constitutio Ecclesiae explicitam mentionem de mulieribus continere debet. Et ipsae locum valde momentosum in vita Ecclesiae habent. Maior pars attributionum diaconis conferendarum optime etiam a mulieribus perfungi posset; ceterum, multa mulieres (e. g. moniales, sorores, piae matronae necnon antiquae diaconissae etc.) exsecutae sunt et exsequuntur in apostolatu Ecclesiae, semper.

15. Linn. 40 ss., in pag. 27, et linn. 14 ss., in pag. 28, sunt verba, quae mutatis mutandis omnibus christifidelibus applicanda.

16. In hac unitaria ac viva Ecclesiae visione, populi Dei, praesens cap. III de « constitutione Ecclesiae » post prooemium, in duos articulos dividendum: 1) De episcopatu; 2) De populo Dei.

45

EXC.MUS P. D. IOSEPH PONT Y GOL
Episcopus Segobricensis-Castellionensis

De n. 2, spec. pag. 8, linn. 6-10. Scopus numeri videtur esse extollere actiones quibus Deus Pater confert ad exsistentiam Ecclesiae.

Unde, postquam actum est de prima elevatione hominis ad ordinem supernaturalem, et de actuali oeconomia salutis, nominatim erga omnes homines (pag. 7, linn. 27-30), erga electos (pag. 8, linn. 1-4) et erga credentes (pag. 8, linn. 4-5), *videtur complenda enumeratio expositione doctrinae de voluntate Patris erga bea-*

tos. Quo casu, cum omnes beati a primo usque ad novissimum, constituant Ecclesiam universalem inde ab Abel, recte finitur paragraphus doctrina de « Ecclesia ab Abel ».

Descriptio Ecclesiae quae invenitur in linn. 6-10 videtur exulare a scopo huius numeri. Forsitan congruentius aptaretur initio n. 5, quo casu nexus idearum esset: Postquam actum est de actuositate trium Personarum Trinitatis relate ad exsistentiam Ecclesiae (nn. 2-4), sermo fit de ipsa Ecclesia « quae iam ab origine mundi praefigurata... et in fine saeculorum gloriose consummabitur. Huius Ecclesiae mysterium in eius fundatione manifestatur... ».

De n. 3, spec. de linn. 25-33. Scopus numeri videtur esse enumeratio eorum quibus Verbum Incarnatum influit in Ecclesiam.

Unde, asserendum quidem est incrementum seu sustentationem etiam Ecclesiae provenire a Christo. Et optandum ut exprimerentur modi quibus Christus tale incrementum fovet, eo modo e. g. quo in constitutione *de S. Liturgia* explicantur modi quibus Christus est praesens in Ecclesia (n. 7, a lin. 1). Ita appareret Christus quasi centrum totius vitae Ecclesiae quod maxime manifestatur « quoties sacrificium crucis, quo pascha nostrum immolatus est Christus (*1 Cor.* 5, 7), in *altari celebratur* (...) » de cuius pane participantes fideles unum corpus in Christo constituunt.

Expungenda videtur illa longior descriptio Ecclesiae linn. 25-33.

De n. 5, pag. 9-10. Iterum elaborari debet numerus sub his praesuppositis:

a) « Regnum Dei » evangelicum non potest intellegi structura administrativo-politica sed βασιλεία τοῦ Θεοῦ i. e., actus dominii qui tantum revera datur si adsit respondens actus submissionis. Speciatim non potest admitti quod regnum Dei, in praesenti numero, concipiatur veluti realitas supernaturalis interna quae manifestatur per humanitatem Christi et per Ecclesiam (« Hoc vero Regnum in verbo, operibus et praesentia Christi hominibus elucescit », nn. 9-10), cum sit, e contra, *res* ad quam tendit operatio Christi et Ecclesiae tamquam ad terminum.

Mens textus:	Regnum Dei Hum. Christi-Ecclesia	} salus.
Mens tradenda:	Spiritus Sanctus Hum. Christi-Ecclesia	} Regnum Dei.

Regnum Dei est finis, vel terminus, prout etiam dicitur in n. 9, pag. 29, lin. 31.

b) Elementum fundamentale in « Regno Dei » messianico et definitivo est praesentia Spiritus Sancti, qui homines de facto capaces reddit perfectae submissionis erga Deum: *Mt.* 12, 28 exprimit coniunctionem inter praesentiam operativam Spiritus Sancti et adventum Regni Dei; *Mt.* 11, 12-13 indicat terminus a quo huius praesentiae operativae: baptismus Ioannis, i. e., descensus Spiritus Sancti super Iesum.

N. 7, pag. 14, linn. 15-22. Repetitio eorum quae inveniuntur in n. 4.

N. 7, pag. 14, linn. 23-32. Repetitio eorum quae inveniuntur in n. 6, pag. 12, linn. 2-13.

N. 13, pag. 34, lin. 18: « Ad populum Dei... »; cum ibi agatur de universalitate vocationis *ad Ecclesiam Christi,* dicatur: « Ad *novum* populum Dei ».

N. 13, pag. 34, lin. 20. Propositum voluntatis Dei in missione Ecclesiae non est tantum unificatio generis humani, sed praesertim salus hominum; unde, post

verba: « propositum adimpleatur voluntatis Dei, qui », addatur sequentia: « omnes homines vult salvos fieri (*1 Tim.* 2, 4) », et prosequatur textus.

N. 14, pag. 36, linn. 5-12. Ut elementa visibilia praebeantur quasi medium quo fideles recipiunt Spiritum Sanctum, dicendum esset: « qui integram eius ordinationem omniaque media salutis in ea instituta *recipientes* et... *iuncti*... communionis, Spiritum Christi *habent* (vel accipiunt, vel de Spiritu Sancto participant, vel ex Spiritu Sancto vivunt) ».

N. 17, pag. 38, lin. 26: « ... missionem annuntiandi veritatem salutarem Ecclesia *ab* apostolis accepit... ». Cum autem voces Ecclesia et populus Dei in cap. II non intellegantur « de grege fidelium, prout ab Hierarchia contradistinguitur, sed de toto complexu omnium, sive Pastorum, sive fidelium, qui ad Ecclesiam pertinent » (pag. 56), videtur tollenda contrapositio, signata in textu per praepositionem « ab », inter Ecclesiam et Apostolos, et dicendum « Ecclesia *in* apostolis ».

N. 19, pag. 60, linn. 22-23: « sub ductu Domini »; dicatur: « sub ductu *praesentis* Domini ». Collegialitas, a fortiori illa Duodecim, includit missionem, potestatem et *praesentiam* Domini in collegio; propter quam praesentiam Collegium qua tale habet quasdam praerogativas sibi proprias, v. g., infallibilitatem.

N. 22, pag. 64, linn. 3-4: « ... quam semper libere exercere valet... ». Cum vox « libere » intelligi *possit* de solutione ab omni norma obligante, et in textu tantum significetur « Episcopi eum cogere non possunt », expressio illa posset ista substitui: « nullius hominis imperio subiectam ».

N. 25, pag. 67, lin. 27. Forsitan posset citari textus Pauli, *1 Cor.* 1, 17, saltem in nota.

N. 25, pag. 68, linn. 23-30, cum nota L a): (Infallibilitas Ecclesiae identificatur cum infallibilitate Ecclesiae docentis). In textu recte agitur de infallibilitate in definiendo; in nota L a) exprimitur intentio doctrinalis textus, quasi assertio omnimodae identitatis inter infallibilitatem Ecclesiae et hierarchiae.

Sed praeter infallibilitatem hierarchiae docentis est in Ecclesia infallibilitas populi credentis, ut dicitur in n. 12 (cf. q. 2-2, q. 1, a. 4; confirmatur per doctrinam q. 4, a. 8).

Unde, textus notae L a) ita corrigendus videtur: « Infallibilitas qua Christus Ecclesiam *in definiendo* instructam esse voluit... ».

N. 29, pag. 75, linn. 12-14: « viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri possit ». Deest praecisio. Nam potest quaeri: istis viris imponitur, quantum fieri possit, lex caelibatus vel non. Si utique, non possunt transire ad (novas) nuptias; secus, utique. Ad tollendam impraecisionem textus deberet esse: « viris maturioribus *sine lege caelibatus* ».

46

Exc.mus P. D. IOSEPH PRONTI
Episcopus Nucerinus Tadinensis

De constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de episcopatu. Caput istud de episcopatu, etsi doctrinam bene ordinatam continet logica connexione sane dispositam, non satis clarum apparet nec mature elaboratum. Plura enim ambigua continet et disputationi obnoxia. Haec praesertim consideratione digna videntur.

1. Nomen et notio collegii indolem sapit *iuridicam* nec satis dogmaticam,

ideoque minus aptum videtur ut in constitutione *doctrinali* adhibeatur, in qua, pluribus postulantibus Patribus, omnis iuridismus vitandus.

2. Admissa collegialitate apostolorum et episcoporum illis succedentium, non quidem quantum ad *speciales praerogativas fundatorum* Ecclesiae, sed solum quantum ad officium *ordinarium* Pastorum cum triplici munere sanctificandi, docendi et regendi, sive cum duplici potestate ordinis et iurisdictionis, adhuc obscurus remanet et non satis probatus *modus quo potestas iurisdictionis, idest docendi et regendi,* communicatur et traditur episcopis.

Schema docet utramque potestatem tradi et communicari eodem modo, i. e. una cum consecratione sacramentali eiusque vi, ideoque *immediate ab ipso Christo operante in et per sacramenta.*

Haec autem doctrina, potestatem *iurisdictionis* quod spectat, nondum est solide probata, sed inter opiniones theologicas utcumque probabiles adnumeratur. Verba namque Liturgiae, quae adducuntur: « Tribue eis cathedram episcopalem ad *regendam* Ecclesiam tuam et plebem, universam » (Sacramentarium leonianum), intellegenda sunt de portione populi christiani eis commissa a suprema auctoritate Romani Pontificis, ut patet in actuali Sacramentario Romano, et ideo nominat tantum missionem *canonicam* a Summo Pontifice acceptam, de qua fit sermo in schemate (n. 24). Novum enim Sacramentarium authentice interpretatur antiquum.

Praeterea, verba illa *non pertinent ad formam ordinationis seu consecrationis episcopalis,* sed ea tantum quae immediate praecedunt, nempe: « Comple in sacerdote tuo *ministerii tui summam,* et ornamentis totius glorificationis instructum caelestis unguenti rore *sanctifica* », ut sollemniter declaravit Pius XII in Constitutione Apostolica *Sacramentum ordinis,* die 30 nov. 1947 (Denz.-Schön. 3860). Porro Sacramenta causant ex opere operato *ea tantum quae eorum forma significant.*

Cum ergo adducta verba non sint essentialia neque de forma ordinationis sive consecrationis episcopalis, *frustra afferuntur* ad probandam communicationem potestatis iurisdictionis immediate *vi ipsius* consecrationis.

3. Quod si ipsa iurisdictio et missio in singulas portiones Ecclesiae non communicatur neque traditur episcopis singulis vi solius consecrationis, sed per electionem et designationem Romani Pontificis, a fortiori non traditur neque communicatur ipsis vi solius consecrationis potestas iurisdictionis neque missio in universam Ecclesiam, ut videtur supponi et doceri in n. 24 schematis. *Vi ergo solius consecrationis episcopalis solum traditur et communicatur episcopis consecratis plenitudo sacramenti et potestatis ordinis, non iurisdictionis.*

4. Remanet etiam obscura et ambigua doctrina tradita n. 22, de *modo* quo quis membrum corporis episcopalis efficitur et constituitur. Verum quidem est singulum episcopum, eo ipso quod episcopus est, ad Ordinem vel corpus episcoporum aliquo modo reapse pertinere, idque vi consecrationis, qua episcopus revera constituitur.

Non tamen sufficit ad plenam et legitimam cooptationem in corpus episcoporum, nisi ulterius accedat communio sive communicatio cum eorum capite aliisque membris, ut ibidem dicitur. Haec autem communio postulat *electionem vel confirmationem in episcopum ex parte* Romani Pontificis, cuius auctoritate episcopi *assumuntur,* ut docet Concilium Tridentinum (Denz.-Schön. 1778), itemque unionem in vinculo pacis et caritatis.

Insuper, videtur quod ad *plenam* cooptationem in collegium episcopale requiritur ex parte singulorum membrorum eius ut habeant potestatem non solum ordinis, sed etiam *iurisdictionis*. Nisi enim singula membra potestatem iurisdictionis pro sua quaeque parte habeant, totum eorum corpus procul dubio plenitudinem talis potestatis non habebit.

Quae tamen iurisdictionis potestas non obtinetur vi solius consecrationis (supra, n. 2), neque simplici electione vel assumptione ex parte Romani Pontificis, neque sola unione in vinculo caritatis et pacis: idest, non obtinetur sola consecratione et communione, quia episcopi *mere* titulares, utramque habent, *quin tamen potestate iurisdictionis fruantur,* eo quod non habent portionem assignatam sibique propriam regendam christiani gregis.

5. Quod si potestatem illam iurisdictionis accipiant episcopi ipsa sacramentali consecratione eiusque vi, et non immediate a Romano Pontifice, non satis apparet *cur et quomodo* usus eius vel exercitium positum sit in libero arbitrio Papae, ut ab eo regatur certisque limitibus circumscribatur, ut dicitur n. 23 et n. 27.

Nam huiusmodi potestas, cum sit essentialiter activa, ideoque ad actionem vel exercitium essentialiter ordinata, natura sua postulat ac exigit ut ad exercitium traducatur. Hoc autem importat quoddam nativum et inalienabile *ius* ad praedictum actum vel exercitium peragendum; et quidem *divinum,* cum sit de ratione praedictae potestatis, quae de iure vel institutione divina dicitur.

Teneretur ergo Romanus Pontifex officio et obligatione divini ordinis *a quo excusari et dispensari non posset,* liberum concedere exercitium potestatis iurisdictionis omnibus et singulis episcopis in omnes et singulas portiones totius christiani gregis.

Quamvis igitur distinctio inter potestatem et exercitium eius sit fundata in re valdeque utilis in pluribus casibus, in re tamen praesenti non est proficua neque apta ad problema solvendum, quin immo ad inconvenientia ducit, videlicet ad tollendam vel minuendam universalitatem et plenitudinem potestatis primatialis Romani Pontificis in omnes et singulos fideles et pastores, horumque plenam atque universalem *subordinationem ac dependentiam ab illo,* iuxta doctrinam a Concilio Vaticano I definitam, quae his recolitur et iterato proponitur (n. 18; n. 22).

6. Immo et augetur difficultas ex eo quod potestas collegialis collegii episcoporum dicitur plena, suprema et universalis in totam Ecclesiam, haud secus ac potestas ipsius Romani Pontificis. Quo fit ut ipsum collegium episcoporum sit *subiectum praedictae potestatis,* sicut et Romanus Pontifex (n. 22). *Non est autem plena neque suprema, si exercitium eius ab alia potestate regitur, moderatur et limitatur,* ut est potestas ipsius Romani Pontificis per se et personaliter considerati, quemadmodum ibidem conceditur.

His adde quod tunc haberetur *duplex subiectum proprium* duplicis potestatis plenae, supremae et universalis in totam Ecclesiam Christi. Hoc autem secum fert *duplex inconveniens,* idque gravissimum: aliud *generale* pro omni societate rite constituta, nempe « rerum ordinem mutuasque necessitudines perturbari si bini magistratus in populo sint eodem gradu, neutro alteri obnoxio » (LEO XIII, Enc. *Satis cognitum,* DENZ.SCHÖN. 3309); aliud *speciale pro ipsa Ecclesia,* cuius forma regiminis divinitus instituta non est collegialis neque dyarchica, sed *monarchica,* ut patet ex damnatione Martini de Barcos ab Innocentio X et quorundam orientalium a Pio VI, nempe « Christum non instituisse directe in Ecclesia formam

monarchicam » (Apud Monachos Solesmenses, *La Iglesia,* t. I, n. 49, p. 54, Buenos Aires 1961).

Hisce positis, rationibus hinc inde mature perpensis, concludendum censemus *non constare*: *a*) Constitutionem Ecclesiae iuris divini esse collegialem; *b*) Episcopatum catholicum esse collegium, *stricto sensu,* semper in *actu*; *c*) in Ecclesia esse duo subiecta plenae supremaeque potestatis adaequate distincta, nempe Romanus Pontifex ex una parte, et Romanus Pontifex una cum corpore episcoporum ex alia.

Itaque, cum doctrina de collegialitate episcoporum studiis exegeticis, historicis, liturgicis nec non iuridicis adhuc indigeat, eiusque consectaria in praesens pacifica non sint, pluribusque scateat difficultatibus, eam non esse definiendam humiliter censemus.

* * *

Propositum *De B. Maria Virgine* schema vere peropportunum existimatur cum multorum Sacrorum Antistitum in votis iam fuerit; quo tamen communi expectationi plenius respondeat et necessitatibus Ecclesiae aptius sane provideat, breviter has animadversiones iudicio Patrum Concilii proponendas duxi.

Adnotatio generalis. Parum etiam consideranti in mentem occurrit quantum nostra hac aetate, quae merito « aetas mariana » nuncupatur, doctrina de B. Maria Virgine profecerit eiusque cultus ubique floruerit, ope praesertim Magisterii Summorum Pontificum.

Quapropter in schemate indicationes ac elementa desiderantur quae pressius fundamentum dogmaticum demonstrent, quo securius nitatur intima, suavis erga Deiparam Virginem devotio.

Concilium hoc Vaticanum II, quod auspice B. Maria Virgine suum initium habuit atque die festo eius Conceptionis Immaculatae primam sessionem conclusit, peropportune praecipua et momentosa capita doctrinae de B. Virgine sollemniter declarabit; idque sane et christifidelium menti, studiis ad rem iam rite peractis plane respondet, nec non exigentiis unionis omnium Ecclesiarum.

Nam « minimismum », ut aiunt, in theologia mariana nequaquam causae unitatis favet, dum e contra ei prorsus obest.

Apud orthodoxos enim magnopere existimatur theologia mariana, et efficax quoad unionem colloquium cum asseclis Reformationis Protestanticae ne concipitur quidem nisi sub luce veritatis: « omnis exigentia unitatis arcto nexu ligatur exigentiae completae veritatis »; haec sunt ipsissima verba a Bosch, Pastore Reformationis, nuperrime prolata.

Pressius nunc quaedam capita delibantur. 1. Ex corde vota proferuntur ut tamquam doctrina catholica, etsi absque dogmatica definitione, declaretur Mariam omnium gratiarum Mediatricem; minus placet adhibitam genericam formulam « in omnibus nempe gratiis hominibus conferendis adesse maternam caritatem Beatae Virginis » iuxta Litteram Apostolicam *Parta humano* Leonis XIII, cum ipse Papa Leo XIII, in Litteris Encyclicis *Octobri mense,* expresse edicat: « ... nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri... ».

Factum mediationis, cum certum sit, aperte declaretur; et *quomodo* mediatio fiat silentio praetereatur.

2. Expresse quoque declaretur Mariam Cooperatricem esse Redemptioni — minus recte Corredemptricem dicerem —, idque iuxta communem doctrinam quam pluries Summi Pontifices docuerunt.

Si Concilium Vaticanum II doctrinam sive de Maria Mediatrice sive de Maria Cooperatrice expresse non declaraverit, falsis vel minus rectis interpretationibus ansam praebuerit: quod menti eiusdem Concilii minime certe respondet.

3. Inter B. Virginem et Ecclesiam magis ac magis enucleentur relationes; non sufficit affirmare: Mariam esse « Typum » Ecclesiae; oportet etiam « quomodo » et « cur » explicare; habentur ad rem complura atque eximia sanctorum Patrum testimonia: quae omnia quam maxime proderunt cum vitae gratiae in veritate totius Mystici Corporis Christi, tum causae unitatis christianae: unitas Ecclesiae non datur absque Maria; ipsa enim sicuti intime coniuncta est Ecclesiae, cuius est typus, ita optima erit fautrix unitatis in veritate.

4. Parum est meminisse in schemate imitationem tantum Mariae Virginis; oportet enim, ut opportune foveatur inter christifideles practica devotio mariana, de vera unione animae cum Maria accurate loqui: per Mariam ad Iesum. Ita, sic Deo statuente, in actuali oeconomia sanctificationis et salutis, tuto obtineri potest authentica unio spiritualis cum Christo in Deo.

5. Utillimum — ne necessarium dicam — sacerdotibus omnibus erit si Sacrosanctum hoc Concilium nonnullas praecipuas rationes praebuerit, quibus ipsorum sacerdotale munus ac personalis ascetica (disciplina) B. Virgini Mariae arcto nexu peculiariter ligantur.

Iesus, enim, quatenus homo est sacerdos, quatenus nempe est filius Mariae, quae reapse veluti fundamentum habetur sacerdotii Christi, de cuius sacerdotio nos participes sumus.

Saepius hanc veritatem si cogitemus, nos scil. sacerdotes esse Mariae et per Mariam, sicuti Iesus, numquam certe deerunt nobis magni ponderis argumenta pro sanctificatione nostra una cum Maria, Matre ipsius nostri sacerdotii.

Hoc denique magnopere proderit iis omnibus quibus peculiare onus in seminariis incumbit efformandi sacrorum alumnos in sortem Domini vocatos.

47

Rev.mus P. D. IOANNES PROU

Superior generalis Congr. gallicae O.S.B.

1. Ad n. 48, pag. 181, lin. 22, post verba « et cum benedictis connumerari mereamur (cf. *Mt.* 25, 31-46) » haec addantur: « *neque sicut servi inutiles, in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium* (*Mt.* 8, 12) *eiici valeamus* ». *Ratio additionis haec est*: in relatione generali (pag. 196, lin. 10) sic legitur: « Simul autem desiderio Summi Pontificis, necnon et plurium Patrum satisfactum est: ut nempe ad principales veritates " de Novissimis " saltem alluderetur ».

Mirum omnino videtur inter « principales veritates de Novissimis » doctrinam catholicam, a Concilio Lugdunensi II definitam (Denz. 464; cf. etiam 531, 693), de poenis inferni et aeterna damnatione eorum qui in peccato mortali moriuntur nullum locum obtinuisse. Quae omissio in conciliari constitutione gravissimi momenti foret quia in exemplum a nonnullis adduceretur ne deinceps in praedicatione evangelica ullum verbum de tam gravi materia fiat. Quod iam ita apud non paucos verbi divini praecones in infaustam consuetudinem adductum est ut doctrinae christianae elementum, cuius valor practicus ad salutem animarum procurandam neminem fugit, paulatim evacuetur. Haec recolo, non quod mysterium divinae iusti-

tiae nimis protrahi in evangelica praedicatione oporteat, sed nemo est qui non videat illud haud reticendum esse et magnopere ad explanationem verbi divini christifidelibus faciendam pertinere.

2. Ad n. 50, pag. 183, lin. 16, verba « ...ut vicissim se orationibus eorum sedulo commendando » ita compleantur: « atque vicissim se orationibus eorum *qui pro Christo persecutionem passi sunt,* sedulo commendando ». *Ratio additionis haec est*: certum est enim christianos orationibus sive martyrum, sive confessorum, i. e., eorum qui pro Christo poenas corporales subierunt maximas, sese commendasse. At contra non videtur certum eamdem consuetudinem erga omnes christianos defunctos viguisse. Adhuc controvertitur inter theologos quaestio de intercessione animarum in Purgatorio degentium imploranda, et praxis liturgica est ab hac consuetudine omnino aliena. Melius est ergo Concilium talem controversiam non dirimere et solas fidei veritates inconcussas declarare.

3. Ad n. 50, alin. 4, pag. 184, linn. 33-37, verba haec: « ... et universum genus humanum, sanguine Christi redemptum et in unam Ecclesiam congregatum, uno cantico laudis sanctissimam Trinitatem adorat et magnificat » ita mutentur: « ... et universus *hominum coetus sanguine Christi redemptorum gratiaque divina* in unam Ecclesiam *congregatorum,* uno cantico laudis sanctissimam Trinitatem adorat et magnificat ». *Ratio emendationis haec est*: in textu schematis proposito, non tantum affirmatur « universum genus humanum sanguine redemptum » esse, quod quidem verissimum est etiamsi non omnes fructus huius redemptionis actualiter participent; sed etiam universum genus humanum dicitur « in una Ecclesia congregatum », quod veritatem excedit: nam omne genus humanum, ut tale, non est effective in una Ecclesia congregatum; soli tantum homines qui ad ipsam vinculo aliquo actuali adhaerent in ea congregari dicendi sunt.

4. Ad n. 52 (B), pag. 198, linn. 4-9: « Quapropter etiam... prosequi semper professa est » ita compleatur: « Quapropter etiam ut supereminens prorsusque singulare membrum Ecclesiae, *maternum officium ubique et semper in illa exercens,* necnon eius in fide et caritate typus et exemplar spectatissimum salutatur eamque, *sicut matrem amantissimam,* catholica Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, filiali pietatis affectu se prosequi semper professa est ». *Ratio huius additionis haec est*: scopus huius capitis est enucleatio relationum quae inter Mariam et Ecclesiam habentur. Sed prima praecipuaque omnium relationum B. Mariae Virginis ad Ecclesiam est relatio maternitatis, dummodo, utique, talis maternitas bene intelligatur et compossibilis reddatur cum alia relatione, videlicet inhaesionis, vi cuius Maria dicitur et est ipsius Ecclesiae membrum. B. Virgo Maria, quia Mater Dei est, et quidem Mater Dei Redemptoris, Matrem omnino perfectam esse oportet. Primum et fundamentale ipsius munus, ad quod omnia alia ordinantur est maternum munus. Ubicumque intervenit, Maria, in toto Christi mysterio, Mater est.

Cum ergo Maria ad Ecclesiam Christi comparatur, etsi certissime membrum ipsius sit, tamen totum munus quod exercet in Ecclesia et erga Ecclesiam est munus maternum. Quia Ecclesiae est mater, et qua mater, est etiam eius exemplar, adiutorium, regina, etc. Sed omnes istae relationes veram habitudinem Virginis Mariae ad Ecclesiam non exprimunt nisi prout relationem primariam, maternam videlicet, integrant vel consequuntur. Ideoque schema doctrinale quod primatum Maternitatis, etiam erga Ecclesiam, Virgini Mariae non conferret, graviter deficiens remaneret et clavem synthesis marialis omitteret.

Certum est Mariam esse ipsius Ecclesiae membrum. Certum est etiam Mariam

esse Matrem Capitis Ecclesiae, imo eius fuit Mater ut Ecclesiae caput fieret. Certum est tandem Capitis Matrem secundum carnem esse etiam, spiritualiter sed realiter, Mater omnium Christi fratrum ipsius sanguine redemptorum. Hoc sensu vere dici potest totius Ecclesiae Mater in quantum generando Christum corporaliter etiam omnes fratres Christi spiritualiter genuit. In quantum Mater Dei est, quodammodo transcendit Ecclesiam, etsi in quantum redempta, membrum eius sit, et ita nihil prohibet Ecclesiam virginalem Dei Matrem ut matrem etiam suam venerari.

5. Ad n. 54 (B), pag. 202, linn. 18-25: « Cum itaque B. Virgo... Mater nobis in ordine gratiae extitit » ita emendentur: « Cum itaque B. Virgo, divinae Providentiae consilio, *Mater Dei ita effecta sit ut Verbum Dei incarnatum humani generis perfectus Mediator Redemptorque fieret,* hanc ob causam mater nobis in ordine gratiae extitit ».

48

EXC.MUS P. D. IOSEPH RUOTOLO
Episcopus Uxentinus - S. Mariae Leucadensis

Lo studio dello schema *de Ecclesia* (ultima edizione) mi ha suscitato gravi apprensioni circa i nn. 21 e 22. Difatti:

1. Il n. 21 presenta come provate due asserzioni: *a*) l'episcopato è un sacramento distinto dal presbiterato; *b*) la consacrazione episcopale conferisce anche il « munus regendi ». Questa dottrina ha molti seguaci ai nostri giorni, sebbene non manchino coloro che dubitano specialmente del « munus regendi », fondando le loro asserzioni sulla tradizione ecclesiastica.

Tuttavia l'asserzione è mitigata dall'aggiunta (n. 24 E) che la facoltà di giurisdizione si può esercitare dopo la « missio canonica » della suprema autorità della Chiesa. Secondo il mio umile parere le proposizioni congiunte dei nn. 21 e 24 potranno essere accettate dalla quasi totalità dei Padri.

2. Non così si può dire del n. 22. In esso si affrontano due questioni: *a*) la collegialità dell'episcopato; *b*) la giurisdizione di tale collegio su tutta la Chiesa.

Secondo il mio modesto parere la collegialità, che in senso largo si può ammettere, non esige tale ampia giurisdizione. La dottrina, come è esposta nello schema, pur essendo stata difesa da alcuni Padri durante la seconda sessione del Concilio, sembra completamente nuova. La votazione del 30 ottobre 1963 sulla collegialità con poteri su tutta la Chiesa ebbe voti contrari 336 e l'altra su tali poteri « ex iure divino » non fu approvata da 408 Padri.

3. Da alcune dichiarazioni fatte nelle ultime adunanze della C.E.I. da Padri componenti la commissione teologica risulta che tali proposizioni, pur avendo ottenuto la maggioranza favorevole dei voti, hanno incontrato forte opposizione.

4. Inoltre la discussione circa il n. 22 mi sembra non sia conforme alle norme date dal Santo Padre Giovanni XXIII di venerata memoria e ribadite da Vostra Santità. È stato detto e ripetuto che il presente Concilio non intende emanare nuove definizioni dommatiche, perché ha come finalità precipua la pratica pastorale.

Nello stesso schema e precisamente nel cap. VIII « De Beata Maria Virgine Deipara » è scritto (pag. 210): « Ulteriores quaestiones, quae adhuc a theologis investigantur et aliquando controvertuntur hic non dirimuntur, sed suae legitimae libertati relinquuntur ». Perché non si fa lo stesso circa il n. 22?

5. Non mi fermo a considerazioni soggettive su eventuali pericolose conseguenze della dottrina proposta nel n. 22. Oso soltanto pregare Vostra Santità che il suddetto n. 22 non sia discusso nelle prossime congregazioni conciliari, ma tutta la questione sulla natura della collegialità episcopale e relativi poteri sia lasciata alla libera discussione dei teologi dopo la chiusura del Concilio Vaticano II.

49

EXC.MUS P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Animadversio in cap. III schematis *de Ecclesia,* « de constitutione hierarchica Ecclesiae », n. 19, pag. 60, lin. 14.

Non potest *simpliciter* poni « ad modum collegii » instituit, cum non pateat hoc esse de doctrina catholica. Dicatur: « Quod Apostolos in unitate quadam speciali, mystica quidem, actione suaipsius divina connexa et perfusa, *quam collegium nuncupare* theologiam lubet, instituit ».

Admiratu maxime est, quod, postquam tot et tanti probati Patres conciliares contra collegium steterunt, sive contra ipsam sententiam, sive contra falsas interpretationes conatas, vel propter periculum falsarum interpretationum, commissio tamen verbum istum *simpliciter* usurpet et tamquam doctrinam a Concilio acceptandam Patribus proponat. Si in aliis, ut in cap. de B. M. V. compromissum inveniebatur, tunc etiam in hac re disputata modus compromissi redigi oportet, cum de collegio nihil absolutum declarandum sit.

Additamentum. Si ita, modo compromissi, prima vice qua occurrit terminus « collegium » indicatur, omnes sequentes numeri, ubi de collegio locutio est, admittuntur, nec in eis quidquam immutari oportet.

50

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SANTIN
Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Cap. II, n. 13, ultimum comma. Adiungatur: bona fide respondentes.

Cap. IV, n. 32, pag. 119, linn. 17-20: vera aequalitas inter fideles et pastores quoad dignitatem et actionem circa aedificationem Corporis Christi, non est.

« De universali vocatione » et « de Religiosis » duo capita forment.

Non adprobo quod locutio (Ecclesia) « militans » plene expungatur. Bene dicitur « peregrinans » sed etiam nota et proprietas militiae fundata est in Scriptura, in traditione, in usu populi christiani et etiam Summus Pontifex iterate in suis sermonibus his diebus habitis locutus est de Ecclesia militante.

51

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE
Episcopus Anneciensis

N. 1. Introductio.

A) Pag. 7, linn. 3-6: « omnes homines ... annuntiando ». 2 difficultates:

1. Sententia male exstruitur, quatenus dicitur *Christum* esse lumen gentium, et deinde additur *Synodum* exoptare illuminare omnes homines.

2. Verba ex *Mc.* 16, 15 non sunt ad rem. Synodus enim hoc loco debet annuntiare non Evangelium in genere, sed doctrina de Ecclesia in specie.

Proponitur ergo: « ... congregata, vehementer exoptat ut omnes homines claritate eius, super faciem Ecclesiae resplendente, illuminentur ».

B) Pag. 7, linn. 7-13: « Cum vero ... intendit ». Difficultates:

1. « Cum vero » indicat aliquam oppositionem cum sententia praecedente; sed de facto hic habetur connexio consecutiva: « Quare ».

2. Verbum « intendit », lin. 33, nimis distat a subiecto quod subintelligitur, nempe Sacra Synodus.

3. « fidelibus suis », lin. 12. Cf. S. Augustinus, *In Io., tract.* 123, n. 5: « Qui hoc animo pascunt oves Christi ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Christum... Oves meas, et sicut meas pasce, non sicut tuas; gloriam meam in eis quaere, non tuam, dominium meum, non tuum, lucra mea, non tua ».

Proponitur: « Quare, praecedentium Conciliorum argumento instans, pressius christifidelibus et mundo universo declarare intendit naturam missionemque universalem Ecclesiae ut est in Christo veluti sacramentum seu signum simul et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque humani generis unitatis ».

C) Pag. 7, linn. 13-18: « Condiciones huius temporis ... consequantur ».

1. Latinitas (« Condiciones huius temporis... urgentiorem vim addunt, ut nempe... »!) meliorari posset.

2. Recte quidem oculis habentur hodierna adiuncta quae huic muneri Synodi, declarandi nempe doctrinam de Ecclesia, novam vim addunt. Sed non recte haec adiuncta limitantur facto quod hodie homines variis vinculis socialibus, technicis et culturalibus arctius iunguntur. Necesse videtur hoc loco etiam aliquid explicite innuere de studiis et inceptis oecumenicis.

Proponitur: « Hoc modo Sacrosancta Synodus plurimum in Domino confidit se etiam maxime conferre hodiernis incoeptis et studiis quibus ii, qui Christo Domino addicuntur nomineque christiano gloriantur, voluntatem eius de unitate credentium in Ecclesia servanda melius agnoscant et efficacius compleant; simulque cunctos homines adiuvare intendit, qui hodie variis vinculis socialibus, technicis, culturalibus arctius coniunguntur, ut illam etiam altiorem unitatem quaerant, quae solum in Christo per Ecclesiam consequi potest ».

N. 2. Aeterni Patris de universali salute consilium.

A) Pag. 7, linn. 29-30: citatio *Col.* 1, 15 hoc loco non est ad rem: in Christum insistit, cum de Patre agi debeat. Hic textus citatur etiam, et melius, in n. 7, pag. 13, linn. 26-29. Notetur etiam repetitio: « primogenitus ... primogenitus » (pag. 8, lin. 3). Haec citatio ergo *deleatur*.

B) Pag. 8, linn. 1-5: « Omnes autem ... in sancta Ecclesia ».

1. « *Omnes autem electos ... Credentes vero...* ». Ita ponitur quaedam oppositio inter omnes electos, ex una parte, et credentes, ex altera parte: Pater praescivit omnes electos; credentes *vero* statuit convocare in Sancta Ecclesia. Talis oppositio in casu non intelligitur; nam electos illos, quos Pater praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, non sunt nisi ipsi credentes in Christum, quos statuit convocare in Sancta Ecclesia. Sententia ergo ita sonare deberet: « Omnes autem electos, *quos* Pater ante saecula praescivit... *ipsos* convocare statuit in Sancta Ecclesia... ».

2. Altera difficultas ex eo oritur quod citatio *Rom.* 8, 29 idem dicit ac citatio *Eph.* 1, 4-5. 10 in n. 3, pag. 8, linn. 21-22. Citatio *Eph.* 1 in n. 3 facile omitti potest. In hoc casu, opportune adderetur post « *Rom.* 8, 29 »: « Cf. *Eph.* 1, 4-5. 10 ». Si vero censetur in omni casu textum *Eph.* 1, 4-5. 10 esse citandum in hoc capite, tunc melius esset illum citare in praesenti sententia, pag. 8, linn. 1-4, loco *Rom.* 8, 29. Tunc textus ita sonaret: « ... intuitu Christi Redemptoris. Omnes autem quos elegit in ipso ante mundi constitutionem et praedestinavit in adoptionem filiorum in ipsum, quia in eo omnia instaurare sibi complacuit (cf. *Eph.* 1, 4-5. 10), ipsos convocare statuit in Sancta Ecclesia... ».

C) Pag. 8, linn. 12-13: « omnes iusti, inde ab Adam, ab Abel iusto usque ad ultimum electum ». Non negatur Adam poenitentiam fecisse, et ita salvationem obtinuisse. Sed locutio traditionalis loquitur de Ecclesia ab Abel iusto; quae locutio fundatur in Novo Testamento: in *Hebr.* 11, 4, Abel apparet ut primus credentium; in *Mt.* 23, 35 agitur de « sanguine Abel iusti » (cf. *Lc.* 11, 51; *Hebr.* 12, 24). Adam vero opponitur Christo, novo Adamo.

Difficultas solvi potest, si resumantur verba S. Augustini, *Enarr. in Ps.* 118, *serm.* 29, 9 (*PL* 37, 1589): « Omnes iusti, quorum " primitiae Abel sanctus immolatus est ", in Ecclesia ».

N. 3. De missione et munere Filii.

A) *Animadversio generalis*: *De repetitionibus quae in hoc numero inveniuntur si cum numeris sequentibus confertur.* Omnia quae in hoc numero dicuntur repetuntur alibi in constitutione. Unde iste numerus inducit multas inutiles repetitiones. *Probatur assertio*:

Pag. 8, linn. 17-21: « venit ... complacuit ». Res iam in n. 2 (pag. 7, lin. 30 ad pag. 8, lin. 4) habetur, cum citatione *Rom.* 8, 29, qui idem dicit ac *Eph.* 1, 4-5. 10 citatus in n. 3.

Pag. 8, linn. 22-23: de inauguratione Regni Dei et de incremento Ecclesiae iterum et melius sermo est in n. 5 (pag. 9 lin. 33 ad pag. 10, lin. 34).

Pag. 8, linn. 33-39: de momento Eucharistiae in efformanda Ecclesia iterum sermo est in n. 7 (pag. 12 lin. 19 ad pag. 13 lin. 7), ubi res completius et melius tractatur. Nam in n. 3 non intelligitur cur solum de Eucharistia sermo sit et non etiam de baptismate, quod simul cum Eucharistia (quamvis alio modo) est sacramentum constituens et augens Ecclesiam; eo vel magis quod in n. 3 (pag. 8 linn. 29-30), ad introducendam ideam de sacramentorum momento in constituenda et augenda Ecclesia, provocatur ad *Io.* 19, 34, de aqua et sanguine ex vulnerato Christi latere in cruce profluentibus. Ad mentem vero exegetarum et praesertim traditionis Patrum, ibi Ioannes inculcare vult momentum non solum Eucharistiae (sanguis) sed etiam baptismatis (aqua).

Pag. 8, lin. 39 ad pag. 9, lin. 2: « Omnes homines ... tendimus ». De voca-

tione omnium hominum ad Ecclesiam iterum et melius, et in meliore contextu, sermo est in n. 13 (pag. 34, linn. 17-18).

Conclusio. Optima solutio esset ut totus n. 3 deleatur, utpote necessario inducens ad inutiles repetitiones. Ratio est quia *Missio Filii in Ecclesia,* de qua n. 3 agere vult, explicari non potest quin tangantur omnes quaestiones de relatione inter Christum et Ecclesiam (agitur enim de Filio incarnato), in specie de Corpore Christi mystico, de quo agit n. 7. Ergo missio Filii ad Ecclesiam explicari debet imprimis ubi de Corpore Christi mystico, et non separatim.

Sequentes animadversiones ad singula puncta n. 3 fiunt pro casu in quo, nonobstante praedicta animadversione generali, placeret n. 3 servare.

B) Pag. 8, linn. 17-25: « Venit igitur ... redemptionem effecit ». Ea quae, cum citatione *Eph.* 1, 4-5. 10, de Patre qui nos elegit ac praedestinavit dicuntur hoc loco repetitionem inducunt cum eis quae iam in n. 2 (pag. 7 lin. 30 ad pag. 8 lin. 3) dicta sunt per citationem *Rom.* 8, 29. Oportet ergo:

a) *Eph.* 1 hoc loco delere, et sententiam consequenter aptare.

b) In n. 2 vero (pag. 8 lin. 3) ita procedendum videtur:

1. aut post « *Rom.* 8, 29 » addatur: « Cf. etiam *Eph.* 1, 4-5. 10 »;

2. aut potius et melius inducere explicite *Eph.* 1, 4-5. 10 et addere: cf. etiam *Rom.* 8, 29. Ratio est quia *Eph.* 1 melius quam *Rom.* 8, 29 eandem ideam exprimit.

Conclusio: pag. 8, linn. 18-23, loco « Venit igitur ... voluntatem Patris impleret » dicatur: « Filius igitur, missus a Patre, ut voluntatem eius impleret, regnum... ».

C) Pag. 8, lin. 25: idea nova introducitur: in praecedenti agebatur de inauguratione Regni Dei in terris; nunc autem de visibili excrescentia Ecclesiae. Hoc utiliter indicari posset *novam paragraphum* incipiendo, et addendo in initio: « Ecclesia *vero,* seu... ».

D) Pag. 8, linn. 27-33: « Quod exordium ... Quoties sacrificium ».

1. « iterum », lin. 28: ratio huius verbi in textu non apparet: *deleatur.*

2. Citatio *Io.* 19, 34 (linn. 29-30): ut clarius appareat hanc citationem esse vere ad rem de exordio et incremento Ecclesiae, opportunum videtur addere, ad mentem Patrum, et traditionis in genere (v. g. AUGUSTINUS, *En. in Ps.* 138, 2), in sanguine et aqua ex latere Christi fluentibus significari baptismum et Eucharistiam ut sacramenta quibus Ecclesia constituitur, vel quibus « Ecclesia tua mirabiliter nascitur (aut: renascitur) et nutritur », uti habetur in quadam Secreta Sacramentarii Gelasiani (cf. G. MOHLBERG, *Liber Sacramentorum Romanae Ecclesiae ordinis anni circuli,* Romae 1960, n. 470, p. 77; P. BRUYLANTS, *Les oraisons du missel romain,* II, Lovanii 1952, ad apparatum criticum numeri 1002, p. 228 s.).

3. Id quod dicitur hoc loco: « exordium et incrementum Ecclesiae » significari per sanguinem et aquam de latere Christi (*Io.* 19, 34) et per verba Domini: Ego si exaltatus fuero... (*Io.* 12, 32) posset quandam difficultatem facere si confertur cum eo quod dicitur in n. 5 (pag. 9, linn. 35-37), ubi asseritur Christum initium Ecclesiae suae fecisse praedicando faustum nuntium. Melius videtur ut in textu ansa tali obscuritati non detur.

4. In omni casu, si servantur *Io.* 19, 34 et *Io.* 12, 32, oportet citationes *invertere,* tum ut ordo chronologicus servetur, tum ut aptius fiat transitus ad sententiam sequentem de momento Eucharistiae in fundatione Ecclesiae.

5. « Quoties sacrificium... » (lin. 33): *a*) nexus cum praecedentibus non apparet; *b*) si sermo est de Eucharistia ad indicandum eius momentum in formatione Ecclesiae, aliquid etiam de baptismate, saltem breviter, dicendum videtur, sicut recte fit in n. 7 (pag. 12, lin. 29 ad pag. 13, lin. 8).

Conclusio: textus pag. 8, linn. 25-33 hoc modo retractetur: « Ecclesia vero, seu regnum Christi iam praesens in mysterio, ex virtute Dei in mundo visibiliter crescit, uti Dominus praedixerat dicens: " Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum " (*Io.* 12, 32). Hoc autem fit imprimis per sacramenta baptismatis et Eucharistiae, praesignata, ut etiam Patrum traditio intellexit (v. g. AUGUSTINUS, *Enarr. in Ps.* 138, 8: *PL* 37, 1785), in aqua et sanguine ex latere Christi, lancea in cruce percusso, fluentibus (cf. *Io.* 19, 34; *1 Io.* 5, 6) quibus Ecclesia formatur, quia in eis " mirabiliter nascitur et nutritur ".

Nam " nos pisciculi secundum ἰχθύν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus " (TERTULL., *De baptismo,* 1, 3). Quoties vero sacrificium crucis... ».

N. 4. De Spiritu Ecclesiam sanctificante.

A) *Animadversio generalis.*

1. Plura quae in hoc numero dicuntur postea alibi, et saepe melius, repetunt v. g. *a*) idea expressa pag. 9, linn. 5-10 (« Opere autem ... ad Patrem ») iterum habetur in n. 7 (pag. 12, linn. 25-27). *b*) Quod habetur pag. 9, linn. 21-24 iterum repetitur in n. 7 (pag. 13, linn. 12-22). *c*) Quod habetur pag. 9, linn. 24-27 apparet iterum in n. 7 (pag. 14, linn. 15-22) et in n. 12 (pag. 12 (pag. 33, lin. 35 ad pag. 34, lin. 3). Quoad repetitiones inutiles res ergo hic se habet sicut pro n. 3 supra dictum est.

2. In specie, vix possibile agi videtur « De Spiritu Ecclesiam sanctificante » sicut intentio est in n. 4, quin sermo etiam fiat:

a) de hoc, servatis servandis, Spiritus se habet in Ecclesia sicut se habuit in Christo;

b) de hoc quod Spiritus datur et operatur imprimis in sacramentis. Pro baptismate res aliquomodo exprimitur in n. 7, ubi de Corpore Christi mystico (pag. 12, linn. 33-14); sed hoc non sufficit.

c) Id quod dicitur in n. 7, pag. 14, linn. 15-22: de Spiritu Sancto aliquo modo anima Ecclesiae, connaturaliter potius in n. 4 dici deberet.

In casu vero quo iste n. 4 servaretur, nonobstantibus repetitionibus cum n. 7 sequentia saltem corrigi deberent:

B) Pag. 9, lin. 7: « missus est Spiritus Sanctus die Pentecostes, ut... ». *Dicatur*: « ... in terra faciendum ( ), Christus, Spiritu Sancto unctus, eundem Spiritum a Patre, die Pentecostes, misit ut... ». *Ratio*: ut affirmetur principium generale Scripturae et traditionis, quod, servatis servandis, Spiritus se habet ad Ecclesiam, sicut se habet ad Christum.

C) Pag. 9, lin. 18: post « reddit (cf. ...) », addatur: « Ipse in sacramentis operatur et communicatur: " Nulla enim potest esse plena benedictio nisi per infusionem Spiritus Sancti ". Qui etiam Ecclesiam... » (citatio est ex S. AMBROSIO, *De Spiritu Sancto* I, 7, 89: *PL* 16, 755). *Ratio*: in hodierno schematis textu insufficienter omnino momentum Spiritus Sancti in vita sacramentali Ecclesiae, quod ad mentem Scripturae, et Traditionis tum Patrum, tum liturgiarum summum est, extollitur. Res sane non parvi ponderis facienda tum sub aspectu theologico et spirituali, tum aspectu oecumenico. Dissidentes enim, etiam recentius, non sine

ratione catholicis exprobant quasi hanc doctrinam parvipendant (cf. O. CLEMENT, *Vers un dialogue avec le catholicisme,* in: *Contacts* 16 (1964) pag. 18: « Encore une fois la pneumatologie est négligée (a Concilio) et l'on ne trouve rien sur la structure épiclétique du sacrement, donc de l'Eglise »). Hoc modo etiam explicite agnoscitur id quod certe recti inest in doctrina dissidentium de epiclesi in Missa, quatenus (quidquid sit de accurato momento quo fit transsubstantiatio) omnino certum est sacrificium non fieri sine praesentia et operatione Spiritus Sancti. Textus S. Ambrosii est specialis momenti, quia principium generale affirmat.

D) Pag. 9, lin. 29: post « Veni! (cf. *Apoc.* 22, 17) », transferatur affirmatio generalis, quae legitur in n. 7, pag. 14, linn. 15-22, nempe: « Unde tale et tantum est officium Spiritus Sancti erga Ecclesiam ut a Sanctis Patribus comparari potuerit cum munere quod principium vitae seu anima in corpore humano adimplet ». *Ratio* est quia haec affirmatio multo aptius videtur stare in praesenti loco.

N. 5. De Regno Dei.

A) Pag. 10, linn. 8-10: « *Miracula* etiam ... comprobant ». Proponitur: *Opera* etiam Christi (cf. *Mt.* 11, 2), quibus « caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur » (*ibid.* 11, 5), necnon peccatores a peccatis solvuntur et a daemoniis vexati liberantur, quia diabolum fortem fortior Iesus vincit (cf. *Lc.* 11, 22-23), regnum iam in terris pervenisse comprobant: « Si in digito Dei... ». *Ratio*: ne « opera Christi » (de quibus lin. 1) ad miracula restringi videant, et ne miracula (de quibus lin. 8) ad solas daemonum eiectiones reducantur. Regni Dei adventum in terris non tantum ex miraculis comprobatur, sed etiam ex evangelizatione pauperum et ex peccatorum remissione.

B) Pag. 10, lin. 14: « Filii hominis, qui venit ». Dicatur: « Filii hominis, qui, *summa potestate praeditus* (cf. *Mc.* 1, 22. 27; 2, 10. 28, etc.), venit *tamen* " ut ministraret ... " ». *Ratio*: In hodierno textu, *Mc.* 10, 45 non probat adventum Regni Dei in persona Christi, cum ibi agatur potius de eius humilitate quam de eius regali potestate in mundo.

C) Pag. 10, linn. 27-28: « huiusque Regni in terris germen et initium constituit ». Potius dicatur: « huiusque regni in terris *visibilis manifestationis* germen et initium constituit. Interea... ». *Ratio*: ex textu schematis posset intelligi ipsum regnum Dei crescere, et Ecclesiam simpliciter cum hoc regno identificari. Sed ipsi exegetae catholici melioris notae ab his affirmationibus refugiunt (v. g. J. SCHMIDT, *Das Evangelium nach Markus,* in *Regensburger N. T.,* 2, ed. 4ª, Regensburg 1958, p. 38: R. SCHNACKENBURG, *Gottes Herrschaft und Reich,* Freiburg i. Br. 1959, pp. 149-162). Illi censent Regnum, ut est aliquid Dei, esse in se perfectum; Ecclesia autem, potius quam ipsum Regnum, est manifestatio visibilis Regni Dei, quae manifestatio crescit et postea consummabitur.

N. 6. De variis Ecclesiae imaginibus.

Pag. 10, lin. 33: « in Vetere Testamento revelatio Regni... ».

1. Hic supponitur Regnum Dei iam in Vetere Testamento revelatum esse; in numero praecedenti agebatur tantum, pro Vetere Testamento, de « promissione ».

2. Revelatio de regni Dei natura et mysterio reservanda potius Christi praedicationi videtur quam libris Veteris Testamenti.

3. Assertio huius sententiae melius intelligeretur sub forma generali, de revelatione divina Veteris Testamenti in genere, vel de revelatione divini consilii in V. T., quam de revelatione Regni in specie.

Conclusio: loco « revelatio Regni, dicatur « revelatio divina », vel « revelatio divini propositi », vel « revelatio divini consilii ».

N. 7. De Ecclesia ut Corpore mystico Christi.

N.B.: De repetitionibus quae in hoc numero inveniuntur si confertur cum nn. 3 et 4, vide ea quae supra ad hos numeros dicta sunt.

A) In initio, connexio huius numeri cum numero praecedente desideratur. Talis connexio sequentibus verbis introduci posset: « Inter omnes vero imagines, quibus in Sacra Scriptura Ecclesiae natura eiusque intima cum Christo coniunctio illustratur, singulari quadam altitudine et vi eminet locutio Sancti Pauli, qua Ecclesia ut Corpus Christi describitur. Dei enim Filius... ».

B) Pag. 12, linn. 25-28: « Communicando ... constituit ». Bene quidem hoc numero conceptus de Ecclesia Corpore Christi describitur secundum terminologiam S. Pauli, qui conceptum Ecclesiam esse Corpus Christi numquam extendit ad iustos Veteris Testamenti, neque ad beatos aut angelos, sed eum limitat ad homines nunc viventes et credentes in Christo. Nam pro S. Paulo Ecclesiam esse Corpus Christi directe includit eam esse visibilem et praesentem in mundo, et eam manifestare Christum in mundo. Quae omnia dici non possunt de iustis V. T. neque de beatis.

Sed alibi in hac constitutione (v. g. in cap. VII, n. 50: pp. 183-184) Corpus Christi secundum traditionem posteriorem Patrum et Scholasticorum, multo latius quam in S. Paulo, sumitur. Quod quidem legitime fieri potest: sufficit enim ut in hoc casu accurate explicetur quid sub nomine Corporis venit. Attamen duplex ista terminologia permixte adhibere non licet, nisi, in singulis casibus, ad evitandas non parvas obscuritates, sensus in singulis intentus, accurate explicetur in contextu immediato. Quod in Constitutione non fit.

C) Pag. 14, lin. 14: post « qui est Caput nostrum ( ) », addatur: et impleamur in omnem plenitudinem Dei (cf. *Eph.* 3, 19). *Ratio*: haec verba non sunt ad rem ubi nunc citantur (pag. 14, linn. 31-32), et connaturaliter citari possunt praesenti loco.

D) Pag. 14, linn. 19-22: « ut Eius officium ... adimplet ». Haec verba transferantur supra n. 4, pag. 9, lin. 25, uti suo loco dictum est.

E) Pag. 14, linn. 30-32: « ut ipsa protendat ... Dei ». Loco horum verborum dicatur: « ... suis donis replet, ut per ipsam mysterium multiformis sapientiae Dei universo mundo innotescat (cf. *Eph.* 3, 10): nam propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia (Leo XIII, *Satis cognitum*: A.S.S., 28, pag. 710; Pius XII, *Mystici Corporis*: *l. c.*, pag. 199) ». *Rationes*:

1. Citatio *Eph.* 3, 19 in hoc loco non est ad rem, ut iam notatum est sub *C*.

2. In constitutione *de Ecclesia* taceri non potest textus *Eph.* 3, 10, ubi explicite inculcatur conceptus Ecclesiam manifestare gloriam Dei in mundo.

3. Affirmare oportet rem magni momenti, in ipso nempe conceptu Corporis Christi dicto de Ecclesia contineri Ecclesiae visibilitatem: quod fit verbis Leonis XIII, a Pio XII repetitis.

4. Ut fiat nexus cum n. 8 sequenti, de Ecclesia simul visibili et spirituali.

N. 8. De Ecclesia visibili simul ac spirituali.

Pag. 15, lin. 25: « ad unitatem catholicam ». Dici debet: « ad *plenam* unitatem catholicam ». *Ratio*: antequam textus schematis emendaretur, logice in praesenti sententia deerat adiectivum « plenam ». Nam in textu non emendato (in n. olim 8, nunc 13: pp. 34-36) dicebatur membra Ecclesiae esse « reapse et simpliciter » catholicos (cf. pag. 35, linn. 40-41 columnae sinistrae). Sed in textu emendato hoc iam nondum affirmatur: dicitur enim catholicos solos « plene » Ecclesiae societati incorporari (cf. pag. 36, lin. 4). Unde supponitur non catholicos posse aliquo modo vere et actualiter Ecclesiae incorporari, quamvis non « plene ».

Hoc admisso in pag. 36, iam non sustinetur assertio pag. 15, linn. 19-26, ubi dicitur non catholicos ex donis sanctificationis quae forte habent « ad unitatem catholicam impelli ». Oportet dicere eos ex his donis ad *plenam* unitatem catholicam impelli. Si non catholici dicuntur iam aliquo modo Ecclesiae incorporati, dici non possunt pure et simpliciter extra unitatem catholicam.

N. 9. Novum Foedus, novusque populus.

A) Pag. 29, lin. 30 s.: « *Habet pro lege mandatum diligendi sicut ipse* Christus dilexit nos ». Dicatur: « Habet pro lege mandatum diligendi *Deum super omnia et proximum* sicut ipse Christus dilexit nos ». *Rationes*: Textus evidenter alludit ad verba Christi: « mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos ». Sed ex contextu tota lex christianorum videretur in hoc « mandato novo » limitari, i. e. ad caritatem fraternam, ac si « primum et maximum mandatum », amoris scil. Dei, abrogatum esset. In hoc ergo contextu « primum mandatum » taceri non potest, cum de lege christiana modo universali agatur.

B) Pag. 30, lin. 13: « *Dei Ecclesia aliquando appellatur* ». Vox « aliquando » *deleatur*. *Ratio*: haec appellatio « Ecclesia Dei » *una vice* tantum adhibetur: *Neh.* 13, 1. Accedunt tamen duo textus ubi « Ecclesia Domini » invenitur: *Num.* 20, 4 et *Deut.* 23, 1. 2. 3. 8.

C) Pag. 30, linn. 16-18: « *Ecclesia Christi nuncupatur* ( ), *quippe quam Ipse sanguine suo acquisivit* ( ) ». Dicatur: « *Item Ecclesia Dei, vel etiam* Ecclesia Christi nuncupatur, quippe quam Ipse sanguine suo *Deo* acquisivit ». *Rationes*: in N. T. appellatio consueta pro Ecclesia christiana remanet « Ecclesia Dei » (tredecies); sub hoc respectu ergo, usus N. T. usui V. T. opponi non potest. Appellatio vero « Ecclesia Christi » non invenitur, nisi semel in plurali (« omnes Ecclesiae Christi », *Rom.* 16, 16), et semel indirecte (« Ecclesiam meam », *Mt.* 16, 18).

Textus schematis invocat *Act.* 20, 28, ubi tamen dicitur « regere Ecclesiam *Dei* ». Additur « quam acquisivit », i. e. Deus acquisivit (cf. *Is.* 43, 21 LXX; *1 Pt.* 2, 9): additur tamen in Vulgata « sanguine suo », ubi textus forte intelligendus est « sanguine proprii (Filii) ».

Ex dictis concludendum est: « Deus » taceri non potest in hoc contextu. Appellatio « Ecclesia Dei » commemorari debet etiam pro Ecclesia christiana, et « acquisitio » huius Ecclesiae debet aliquo modo referri ad Deum.

D) Pag. 30, lin. 20: post « instruxit » addatur: « eamque, nunc gloriosus apud Patrem, sua praesentia et operatione invisibili iugiter sustentat ac vivificat ». *Ratio*:

1. In hodierno textu explicatur cur Ecclesia, iure merito, dicatur Ecclesia Christi. Sed rationes quae proponuntur respiciunt tantum actionem Christi prae-

teritam, dum in terris degebat: acquisivit, replevit, instruxit. Nihil vero hoc loco dicitur de praesentia et operatione continua semperque in actu Christi nunc gloriosi in Ecclesia. Haec doctrina hoc loco debet explicite exprimi, quia est ratio maximi fortasse momenti cur Ecclesia vere sit Ecclesia Christi.

2. Hoc modo etiam recte fit necessaria connexio inter hunc articulum et const. *de sacra Liturgia,* quae, in art. 7, tantum hanc doctrinam premit.

E) Pag. 30, linn. 20-24: « *Congregatio eorum qui in Iesum, salutis auctorem et unitatis pacisque principium, credentes aspiciunt, est Ecclesia a Deo* convocata et instituta... ». Dicatur potius: « Congregatio*nem* eorum qui in Iesum... credentes aspiciunt, De*us* convoca*vit* et constit*uit* Ecclesi*am*... ». *Ratio*: haec schematis sententia definitionem aliquam Ecclesiae proponere videtur: « Congregatio eorum... *est* Ecclesia... ». Atqui talis Ecclesiae definitio valde insufficiens esset: omnes et cuncti, qui in Iesum credunt, Ecclesiam constituerent, et haec « Ecclesia » multo latior quam Ecclesia catholica appareret. Talis modus Ecclesiam concipiendi cum mente Concilii non concordat.

N. 10. De sacerdotio communi.

Pag. 31, lin. 20: loco « essentia », proponitur: *natura.*

Videtur enim quod sacerdotium commune et sacerdotium ministeriale, nihil aliud sunt, quoad essentiam, quam duae participationes, natura differentes et non tantum gradu, sacerdotii Christi.

N. 11. De exercitio sacerdotii communis in sacramentis.

Pag. 31, lin. 37: « *charactere* ». Ut omnis ambiguitatis species tollatur, ponatur: « charactere *sacramentali* ».

N. 13. De universalitate seu catholicitate unius populi Dei.

A) Pag. 34, lin. 23: « *quem constituit heredem universorum* » (*Hebr.* 1, 2) ». Loco horum verborum dicatur: « in quo sibi complacuit instaurare omnia (cf. *Eph.* 1, 10) ». *Ratio*: Ne bis eadem repetantur, cum eadem idea et eadem citatio lin. 39 recurrat. Alia citatio proponitur, quae aptior in hoc contextu videtur (cf. « Caput » lin. 24).

B) Pag. 34, lin. 25: « tandem ». Dicatur *demum* vel *denique* vel *etiam.* Nam « tandem » iam adest lin. 22.

C) Pag. 34, linn. 27-28: « *credentibus principium est congregationis et unitatis in doctrina Apostolorum*... (cf. *Act.* 2, 42 gr.) ». Ponatur: « ... credentibus, perseverantibus in doctrina Apostolorum et communione, fractione panis et orationibus (cf. *Act.* 2, 42 gr.), principium est congregationis et unitatis ». *Ratio*: testimonium Scripturae, si in fine sententiae ponitur, omne pondus affirmationis trahit in affirmationem secundarium; melius ergo videtur affirmatio principalis in fine reponi.

D) Pag. 34, lin. 30: « *suos cives, regni quidem non terrestris, sed caelestis* ». Alia locutio proponitur: « ... suos cives, quorum municipatus quidem non super terram, sed in caelis est (cf. *Phil.* 3, 20 in princ.) ». *Ratio*:

1. Ut nimiae repetitiones vitentur. Cf. lin. 33 « Cum autem Regnum Christi de hoc mundo non sit ».

2. Locutio « Regnum caeleste » hoc loco falsam interpretationem locutionis evangelicae « Regnum caelorum » supponere videtur (« Caelorum » dicitur pro « Dei »).

3. Affirmatio est ambigua « non terrestris »: Regnum non est de hoc mundo, sed tamen in hoc mundo.

4. Alia ergo expressio proponitur ex *Phil.* 3, ubi vox *polituuma* (Vulg. « conversatio ») translatur « municipatus », secundum Tertullianum, *De corona milit.* 13; *C. Marc.* III, 24; *De resurr. carnis,* 47. Cf. Cassianum, *Collat.* III, 6 et 7.

E) Pag. 34, linn. 39-40: « ... (*Hebr.* 1, 1), *et in cuius civitatem dona et* munera adducunt (...) ».

Primo, corrigatur referentia: *Hebr.* 1, 2. Deinde affirmatio « in cuius civitatem... » est valde ambigua. Hic videtur Ecclesia sibi vindicare dona et munera gentium. Textus allati de civitate Ierusalem eschatologica vel caelesti loquuntur: quae civitas cum Ecclesia simpliciter identificari nequit. Saltem dicendum videtur dona et munera *Christo* adduci. Pro « in cuius civitatem » dici posset « in cuius civitate »; sed adhuc melius haec expressio ambigua omitteretur: « et ei dona et munera sua adducunt ».

N. 14. De fidelibus catholicis.

A) Pag. 36, linn. 12-15: « *Non salvatur tamen ... qui in caritate non perseverans ... remanet* ».

1. Declaratio negativa et minax non placet. Idem dicatur modo positivo.

2. Fidem et spem omittere non oportet: « Ut autem quis salvetur, oportet eum in fide, spe et caritate perseverantem, in Ecclesiae sinu non tantum " corpore ", sed " corde " remanere ».

B) Pag. 36, linn. 18-20: « *cui si ... non respondent, nedum salventur, severius iudicabuntur* ».

Ut minae vitentur et modo magis pacato loquatur, dici posset: « cui tamen si cogitatione, verbo et opere respondent, salutem aeternam adipiscentur (vel: vitam aeternam hereditabunt) ».

N. 16. De non christianis.

Pag. 37, linn. 40-41: « Eiusque voluntatem per conscientiae dictamen agnitam ». Ut idem vocabulis magis biblicis dicatur, proponendum videtur: « Eiusque voluntatem, quam habent " scriptam in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiam ipsorum " (*Rom.* 2, 16) operibus... ».

Vel simpliciter: « Eiusque voluntatem quam habent " scriptam in cordibus suis " (*Rom.* 2, 16), operibus... ».

In n. 28. *De presbyteris eorumque relatione ad Christum, ad episcopos, ad presbyteratum et ad populum christianum.*

1. *Observationes generales*: *a*) Textus nimis brevis si comparatur cum textibus de episcopis, de laicis, de religiosis. In hac forma magnam afferet presbyteris deceptionem, post illam secundae sessionis, declarationis ad lucem non perventae propter obscuras rationes.

b) Sine sufficienti connexione cum schematibus pastoralibus *de pastorali episcoporum munere, de sacerdotibus, de institutione sacerdotali.* Vehementer optanda videtur illa mirabilis unitas Constitutionum Tridentinarum de rebus similibus.

c) Iam lectori tituli, non apparet sufficiens elucidatio verae positionis presbyterii in structura Ecclesiae, et consequenter manifestatur in expositione ordo materiarum cui deest sufficiens aequilibrium. De facto sermo fit de presbyterio

tantummodo ut locus vel exigentia communicationis fraternae inter presbyteros. Non satis exponitur imprimis intima ac organica unio cum episcopo, nec in lucem ponitur connexio cum consilio divino de Ecclesia. Et hoc mirum in schemate doctrinali, magna pars considerationum quae remanent in ordine mere practico, sine clariore referentia ad esse sacerdotale.

2. *Propositiones.*

1) Titulus novus: *De presbyteris in presbyterium cum episcopo adunatis.*

§ 1. Mysterium volens Deus manifestare hominibus dilectionis qua mittens Filium suum in mundum, pro omnibus obtulit illum, corpus suum, Ecclesiam sanctam congregavit, super fundamentum collegii Apostolorum et episcoporum fundavit, episcopisque adiecit, pro bono Ecclesiarum particularium presbyteros in presbyterium adunatos.

§ 2. Presbyterium est forma ab origine veniens ac manifestans in Ecclesia particulari unitatem sacerdotii, quae est signum et agens unitatis Ecclesiae. Presbyteri ergo sunt providi cooperatores Ordinis episcopalis (72) eiusque complementum et organum; ad populo Dei inserviendum vocati, unum presbyterium constituunt. In hac reali et mutua relatione sacerdotii episcopi et presbyterorum manifestatur plenitudo sacerdotalis, sicut « unguentum in capite » quod in totum corpus diffunditur. In sacerdotio intime connectuntur consecratio, congregatio et ad omnes homines missio salutaris a Christo et Patre. Quas omnes efficit Christus per Spiritum Sanctum suum in episcopum et unitum presbyterium.

§ 3. Presbyteri uniti episcopo, ut necessarii cooperatores, de eius sacerdotio et missione participantes, eum ut Patrem agnoscant illique oboediant. Episcopus vero, propter fragilitatem, pluribus filiis indigens, eos ut amicos consideret, non iam servos, illisque omnia concredat in ministerio proprio quae Christus sibi commisit in bonum totius Ecclesiae; paternam plenitudinem exoptet diffundere in novos filios quos ipse et presbyteri dignos diiudicaverint gratiae, dignitatis et ministerii sacerdotalis. Semper et omnibus prae oculis praesto sit et unicuique presbytero pars propria in bonum totius Ecclesiae et toti presbyterio vinculum firmum unitatis, cooperationis, consensus spiritualis. Sic manifestabitur et dignitas sacerdotii presbyterorum, et efficacia et unitas cum episcopo, ita ut quaecumque mandavit Dominus episcopis, quaecumque dixerit Sancta Synodus de episcopis, haec adiumenta sint ad intelligendum et vivendum sacerdotium presbyterorum.

§ 4. Ergo, quamvis presbyteri pontificatus apicem non habeant (64) et in potestate sua ab episcopo pendeant, quamvis diversas et particulares missiones ab episcopo receperint in praeterito, recipiant in praesenti, quamvis alias partim diversas recipere poterint in posterum unam et illam intimam missionem significant qua Pater introduxit in mundum primogenitum eumque ad mortem et resurrectionem duxit et Christus in mundum universum et determinatas mundi regiones episcopos apostolorum successores fontes et ministros reconciliationis humanae constituit. In diversis presbyterorum personis ac missionibus quae Ecclesias particulares aedificant unicum apparet et exercetur sacerdotium Christi.

§ 5. Primaria functio huius unici sacerdotii est annuntiatio evangelii, nam per dispensatores mysteriorum suorum praedicat Christus ubique terrarum omnique creaturae. In ministerio verbi presbyteri cooperant cum episcopo ut sermo Dei currat et clarificetur, gratiosum Dei donum hominibus manifestat, cum omnipotenti misericordia quae Christus suscitavit ac omnibus communicat remissionem peccatorum et vitam in Christo novam. Cum vero verbum Dei iis qui sunt a

longe annuntiaverint presbyteri cum episcopo, ab iisdem docendum erit credentibus ut veri discipuli fiant, participes mortis et resurrectionis dominicae, parantes Domino plebem perfectam ad Eucharistiam et exercitium redemptionis, revelantes omnibus virtutem Verbi.

§ 6. Secunda et intime connexa cum praecedenti functio huius sacerdotii Christi est ministerium sacrificii eucharistici, orationis publicae ac sacramentorum. Nam, vi sacramenti Ordinis (65) secundum imaginem Christi Summi et Aeterni Sacerdotis (...) ad divinum cultum consecrati et ad divinum ministerium ordinati, veri sunt sacerdotes Novi Testamenti (66). Quod munus sacrum maxime exercent in Eucharistico cultu, quo in persona Christi agentes (67) Eiusque mysterium proclamantes, cum fidelibus, devotione et vita Capiti suo coniunctis, unicum Sacrificium Novi Testamenti, Christi scilicet sese Patri immaculatam hostiam semel offerentis (...) in sacrificio Missae usque ad adventum Domini (...) repraesentant et applicant (68). Muneris unici Mediatoris Christi participes in suo gradu ministerii presbyteri pro peccantibus vel aegrotantibus ministerium reconciliationis et alleviationis summe funguntur. Necessitates ac preces populi fidelium ad Deum Patrem afferunt (...), Eumque in spiritu et veritate in medio gregis adorant (...).

§ 7. Tertia functio unici sacerdotii Christi per presbyteros exercita consistit in regimine populi Dei. Presbyteri enim exercent pro sua parte auctoritatis munus Christi Pastoris et Capitis et servitium operantur unitatis in singulis localibus fidelium congregationibus sibi commissis; miserationem Christi Pastoris repraesentant eiusque sollicitudinem pro parte suscipiunt animarumque cura quotidiana exercent. Qua cura servitium educationis fidelibus praestant intuitu pleni exercitii sacerdotii universalis et apostolatus laicorum in omni parte activitatis humanae.

§ 8. Quae presbyterorum deditio manifestationi unici sacerdotii Christi in servitium et vitam Ecclesiae per opera quae sunt de missione episcoporum consecrationem implicat qua, segregati in apostolatum, presbyteri, speciatim ritus latini, relinquentes mundum, testificantur opus cui consecrantur maius esse operi mundi a Deo creati. Opus redemptionis exercentes in cooperatione, presbyteri huic mundo afferunt virtutem evangelicam sine qua nec malum evadere potest nec in servitium venire hominum.

§ 9. Cum hoc corpore episcoporum et presbyterorum etiam sacerdotes religiosi ratione ordinis et ministerii coaptantur et bono totius Ecclesiae pro sua vocatione et gratia inserviunt.

§ 10. Vi communis sacrae Ordinationis et missionis presbyteri omnes inter se intima fraternitate nectuntur, quae sponte ac libenter sese manifestet in mutuo auxilio tam spirituali quam materiali, tam pastorali quam personali, in conventibus et communione vitae, laboris et caritatis.

§ 11. Fidelium vero, quos spiritualiter baptismate et doctrina genuerunt (...) cura tamquam patres in Christo agant. Forma facti gregis ex animo (...) suae communitati locali ita praesint et inserviant, ut ista digne vocari possit illo nomine, quo unus et totus populus Dei insignitur, Ecclesiae scilicet Dei (...). Memores sint se sua quotidiana conversatione et sollicitudine fidelibus et infidelibus, catholicis et non catholicis, faciem ministerii ecclesiastici exhibere, omnibusque testimonium veritatis et vitae reddere debere, et ut boni pastores illos quoque quaerere (....) qui baptizati quidem in Ecclesia catholica a praxi sacramentorum, vel imo a fide defecerunt. Illos vero qui non sunt Christi in desiderium adducere unici Salvatoris ac Domini.

§ 12. Intellegant presbyteri unici Mediatoris participes effecti sibi melior in dies quaerenda cum Christo intima unio, assimilatio, mens concors. Hoc est presbyterorum potius munus et officium; haec est maior gratia sacerdotalis.

§ 13. Quibus omnibus perpensis tenet Sancta Synodus sacram potestatem tum ordinis tum iurisdictionis, quae ex missione Christi in episcopis residet, vario gradu variis subiectis in Ecclesia legitime demandari. Sic ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exercetur ab illis qui iam ab antiquo episcopi, presbyteri, diaconi vocantur (63). Tenet denique presbyteros, etsi secundi Ordinis vocantur, qui verbo et doctrina laborant (...), credentes quod legerint, docentes quod crediderint, imitantes quod docuerint (69), maximam habere et omnino necessariam partem in aedificatione Ecclesiae. Tenet genus humanum hodie magis magisque in unitatem oeconomicam et socialem coalescens eo magis necesse habere ut sacerdotes pristinam formam presbyterii manifestantes coniuncta cura et ope sub ministerio episcoporum et Summi Pontificis, omnem rationem dispersionis elidant, ut in unitatem familiae Dei totum genus humanum adducatur.

N.B.: Trium primarum paragraphorum omnino nova est redactio.

§ 4 fere omnino nova, quibusdam verbis ex textu actuali, pag. 72, lin. 25, depromptis ut ostendatur parentela idearum magis logice et magis menti hodiernorum et quaestionibus aptius expressarum.

§ 5 omnino nova redactio magis aptata aspirationibus sacerdotum.

§ 6 magnam partem ex textu actuali deprompta, pag. 72, linn. 27 s. demptis iis quae de ministerio verbi dicunt.

§ 7 redactio nova ideis in pag. 73, linn. 11-15 et linn. 20-21 respondens, sed formulatione minus restrictiva quam in textu actuali secundum quem videretur unicum obiectum regiminis sacerdotalis in unitate congregationis efficienda consistere.

§ 8 nova omnino paragraphus de separatione presbyterorum, de qua absolute necessarium loqui.

§ 9 de religiosis sacerdotibus, vide textum pag. 73, linn. 39-42.

§ 10 pag. 75, linn. 1-4.

§ 11, *ibid.* linn. 5-15.

§ 12 nova omnino redactio de unione spirituali presbyteri cum Christo.

§ 13 declaratio finalis modo solemniori proposita, pro prima parte ex pag. 72, linn. 18-24 deprompta; pro secunda parte ex pag. 73, linn. 7-11; pro tertia parte ex pag. 73, linn. 12-20; hoc novi affert redactio quod, ad spem afferendum presbyteris extollitur magnitudo sacerdotii, secundi ordinis.

Ad n. 39. Prooemium.

A) Pag. 139, linn. 10-17: ut expositio magis organice procedat, ordo dictorum ita mutari posset: « ... ad gloriam, haec autem Ecclesiae sanctitas in gratias fructibus, quos spiritus in fidelibus producit, incessanter manifestatur et manifestari debet; in Ecclesia enim omnes, sive ad hierarchiam pertinent sive ab ea pascantur, ad sanctitatem vocantur, iuxta illud apostoli: " Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra " (*1 Thess.* 4, 3). Eadem Ecclesiae sanctitas multiformiter exprimitur... ». *Rationes*:

1. Linn. 10-14 (« Ideo in Ecclesia ... vestra »), quae, utiliter sane, additae sunt, optimo loco positae non sunt. Etenim:

a) Sensus coniunctionis « Ideo » (lin. 10) difficile perspicitur;

b) Propositio « Haec autem Ecclesiae sanctitas » (linn. 14 ss.), nexum cum linn. 10-14 non habet, sed cum linn. 1-10;

c) Sub respectu styli, « Haec est enim » (lin. 13), « Haec autem... » (lin. 14) non bene sonat.

2. In lin. 17 « multiformiter », idea nova evolvitur: hoc melius appareret in nova phrasi.

B) Pag. 139, lin. 24: « ab Ecclesia sancitis ». Dicatur: *In* Ecclesia sancitis. *Ratio*: in locutione « ab Ecclesia », vox « Ecclesia » accipitur in alio sensu ac in lineis praecedentibus, quia nunc agitur tantum de auctoritate ecclesiastica, non autem de Ecclesia tota, de qua agebatur. Posset etiam dici: « ab auctoritate ecclesiastica sancitis ».

Ad n. 40. De universali ad sanctitatem vocatione.

A) Pag. 140, linn. 9-10: « et ut invicem se diligant sicut Christus eos dilexit (cf. *Io.* ...) ». Proponi posset alia redactio: « et proximum diligant, ambulantes in dilectione sicut et Christus dilexit eos et tradidit semetipsum pro eis (cf. *Eph.* 5, 2) ». *Rationes*:

1. Melius deleretur « ut »: ita melius appareret quod amor proximi separari nequit ab amore Dei.

2. Christiani *se invicem* diligere debent, sed hoc non sufficit, quia etiam omnes homines, etiam inimicos (cf. *Mt.* 5, 43-48 par.) diligere debent. In hoc contextu mandatum se invicem diligendi memorare non sufficit: textus agere debet de mandato proximum diligendi in tota sua extensione. Ideo proponitur allusio ad alium textum Scripturae.

B) Pag. 140, linn. 32-34: « qua sanctitate, in societate quoque terrena, altiora bona humaniori modo promoventur ». Ut idea clarius appareat, proponitur: « qua sanctitate, in societate quoque terrena, modus vivendi humanior promovetur ». *Ratio*: textus schematis nimis ambiguus videtur et intellectu difficilis. « Bona », de quibus agitur, suntne « altiora » respectu ad « vitae christianae plenitudinem et caritatis perfectionem » (linn. 31-32)?

Ad n. 42. De via et remediis ad sanctitatem.

A) Pag. 144, linn. 2-5: « Vinculum enim perfectionis... perducit ». Alia verborum dispositio proponitur: « caritas enim omnes quodammodo virtutes amplectitur, regit, informat ad finemque perducit, atque adeo iure " vinculum perfectionis " dicitur (cf. *Col.* 3, 14) ». *Rationes*:

1. Sensus coniunctionis « *enim* » non facile perspicitur in textu schematis; nexus cum praecedentibus clarius appareret si diceretur « Caritas enim... ».

2. Textus dicit caritatem « *omnia sanctificationis media* » regere; sed inter illa « omnia sanctificationis media » iam actum est de « sacramentis, praesertim Eucharistiae, et sacris actionibus... ». Difficile intelligitur caritatem « sacramenta, praesertim Eucharistiam, et sacras actiones », etc. regere. Textus ergo aequivocus est et linguam Scholae sapiens. Potius quam de « omnibus sanctificationis mediis », agatur de *omnibus virtutibus,* sicut in S. Paulo, *Col.* 3, 12-14; sicut etiam in textu Pii XII, ad quem refertur, ubi de caritate dicitur: « omnes quodammodo amplectitur virtutes; atque adeo iure meritoque " vinculum perfectionis " dici potest ».

B) Pag. 144, linn. 23-27: « Sanctitas Ecclesiae item speciali modo fovetur

multiplicibus consiliis, quae Dominus in Evangelio discipulis suis observanda proponit. Inter quae eminet pretiosum gratiae divinae donum... ».

Optamus ut simpliciter dicatur: « Sanctitas et caritas Ecclesiae item speciali modo apparet ex pretioso gratiae divinae dono, quod... ». *Rationes*:

1. Multiplicia consilia a Domino discipulis suis in Evangelio proposita esse nullo modo constat. Praeter casum continentiae perfectae, Dominus, quando discipulis viam vitae ostendit, semper praecipit, nunquam « consilia » tantum proponit; ita v. g. in sermone montano, ubi praecepta, non consilia, inveniuntur. De hac re, cf. v. g. M. J. Le Guillou-G. Lafont, *L'Eglise en marche* (Cahiers de la Pierre-qui-Vire), *DDB* 1964, pp. 162 ss. Affirmatio ergo illa, utpote non fundata, vel saltem disputabilis, omittenda videtur.

2. In virginitate ostendatur non tantum « sanctitas » Ecclesiae, sed etiam explicite eiusdem « caritas ».

C) Pag. 145, linn. 9-10: verba « in re perfectionis ultra mensuram praecepti » melius *omitterentur*. *Ratio*: verba illa iustificari possunt, sed sunt ambigua et difficultates suscitant, quia facile intelligerentur ac si perfectio consilia profitentibus reservaretur: talis sensus est evidenter contra mentem Concilii.

Cap. VI. De religiosis: de titulo et divisione.

1. In nn. 43-46 de facto agitur principaliter de iis qui in C.I.C. « *religiosi* » vocantur (can. 487). Sed tamen de aliis etiam agitur. Certe includuntur membra « institutorum saecularium », de quibus disputatur si sunt « religiosi », et qui negant se religiosos esse. Textus in quaestionibus disputatis intrare non vult (pag. 162, init.); sed videtur hanc quaestionem de facto dirimere. Agitur etiam de solitariis (pag. 155, lin. 14 et pag. 161), de societatibus cum votis privatis (cf. pag. 157, lin. 21 cum relatione pag. 164), et etiam de societatibus sine votis (cf. pag. 165, nota A). Haec omnia non sine difficultate intrant sub titulo canonico « de religiosis », quorum appellatio per « vota » definitur (n. 44, § 1).

2. Materia tractanda sub alio respectu considerari posset, sub respectu scilicet *theologico,* et non tantum canonico. Talis respectus videretur magis conveniens in constitutione dogmatica *de Ecclesia.* Sub hoc respectu, ii de quibus agitur considerarentur in eorum relatione ad « consilia evangelica », quae omnes, etsi variis modis, profitentur. Ad illos designandos, titulus « de religiosis » minus aptus videtur. Melius diceretur: « De iis qui consilia evangelica profitentur »; vel adhuc melius (considerato titulo cap. V « De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ») adhiberetur titulus n. 43: « *De professione consiliorum evangelicorum in Ecclesia* ».

3. Quoad materiae divisionem, si « de religiosis » sub respectu canonico agitur, necessario caput speciale eis reservare oportet; si vero de professione consiliorum sub respectu theologico agitur, multo melius videtur caput unicum facere « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia », in quo prima sectio ageretur « de universali vocatione ad sanctitatem », et secunda sectio tractaretur, quasi de casu particulari, « de professione consiliorum evangelicorum in Ecclesia ».

Ad n. 43. De professione consiliorum evangelicorum in Ecclesia.

A) *Titulus.* Si titulus huius numeri ponitur ut titulus sectionis *B*), hic poni posset: (*De consiliis evangelicis*).

B) Pag. 155, lin. 9: « Ad ipsam quoque (Ecclesiam) pertinet ». Proponi posset: « Ad Ecclesiae quoque magisterium pertinet... ». *Ratio*: vox « Ecclesia »

(« ipsam ») hoc loco non adhibetur eodem sensu ac lin. 7: ibi agebatur de Ecclesia tota, nunc de Magisterio solo.

C) Pag. 155, lin. 11: « ... constituere. Quo factum est... ». Ante « Quo factum est » restituatur optamus phrasim ex primo schemate *de Ecclesia,* ed. 1962, cap. V, n. 18, pag. 32, lin. 29 ss.): « ... constituere. Spiritus Sancti namque gratia multos fideles urgere numquam desinit, ut et vitam supernae Ierusalem, quantum in carne possibile est, inchoatam ducant, et propinquiorem Christi imitationem prosequantur. Quo factum est... ». *Rationes*:

1. In textu prout iacet, nexus idearum (« Quo factum est »!) difficile apparet. Linn. 11 ss. nexum intimum habent cum eis quae deleta sunt.

2. Haec propositio momentum magnum habet:

a) quia ibi agitur de *influxu Spiritus Sancti,* qui vocationes ad consilia profitenda suscitat; multum interest, inde ab initio expositionis, indicare consilia profitentes non sua sponte mere humana viam consiliorum arripere;

b) ibi etiam, iam ab initio, summatim indicatur aspectus *eschatologicus* illius professionis, necnon finis eius, quae est *imitatio Christi.* De his in n. 44, alinea 3, fuse agetur, sed opportune, iam ab initio, indicatur sensus *theologicus* illius status, qui non est tantum status canonicus.

Ad n. 44. De natura et momento status religiosi in Ecclesia.

A) *Titulus.* Ne intretur in quaestionibus canonicis disputatis de « statu religioso », ponatur: *De natura et momento professionis consiliorum in Ecclesia.*

B) Pag. 156, lin. 3: « religiosus ». Ponatur: *christifidelis.* Eadem ratione.

C) Pag. 156, linn. 13 s.: « consecratur ». Dicatur: *mancipatur. Ratio*: ut servetur terminologia theologica et traditionalis, quae adhibet « consecrare » loquendo de actu Dei, vel de actu Ecclesiae quae in nomine Dei agit; pro actu subiecti qui semetipsum offert, dicendum est: « se mancipare », « se devovere ». Ita semper S. Thomas (cf. E/1177).

D) Pag. 156, linn. 14-17: « Tanto autem perfectior ... coniunctus ». Haec affirmatio opportune *deleretur. Ratio*: ea quae dicuntur sunt vera quidem, sed plus minusve ambigua. Facile concluderetur, v. g., institutum in quo vota « perfectiora » emittuntur esse perfectius quam aliud in quo vota perpetua non adsunt, et ideo iuvenem qui perfectionem quaerit Institutum perfectius praeferre debere. Tales comparationes, quibus aliquod Institutum declaratur melior, perfectior quam aliud, vitandae sunt.

E) Pag. 156, linn. 27-29: « Unde et Ecclesia ... tuetur et fovet ». Proponitur: Unde et *in* Ecclesia propr*ia* indol*es* variorum Institutorum (religiosorum) *protegitur et fovetur. Ratio*: vox « Ecclesia » adhibetur in schemate pro hierarchia; atqui hierarchia non est Ecclesia simpliciter.

Si in munere hierarchiae insistendum sit, poni posset « unde et pastores Ecclesiae ... tuentur et fovent ».

Adiectivum « religiosorum » melius omitteretur, eadem ratione ac in *A*).

F) Pag. 156, lin. 36 « status religiosus ». Dicatur *Professio consiliorum* eadem ratione ac in *A*).

G) Pag. 157, lin. 12: « Status ergo religiosus ». Ponatur: *Consiliorum ergo professio.* Semper eadem ratione.

Ad n. 45. Sub auctoritate Ecclesiae.

A) *Titulus*. Loco « Sub auctoritate Ecclesiae » ponatur: « Sub auctoritate hierarchiae ». *Ratio*: ne vox « Ecclesia » de sola auctoritate ecclesiastica adhibeatur.

B) *Secunda alinea* (pag. 157, lin. 30 ad pag. 158, lin. 3) agit de « exemptione ». Circa hanc materiam vide quid in relatione de n. 28 (pp. 103-104) huius schematis dicitur: « De relationibus *iuridice* determinatis et in specie *de exemptione* illorum (religiosorum), vi cuius Romanus Pontifex eis directe missionem suam assignat, non videtur hic agendum, cum in schemate *dogmatico* exspectatur *theologica* expositio... ».

Saltem dicendum videtur quod coordinatio huius schematis est imperfecta.

C) Pag. 158, linn. 4-9: « Ecclesia autem ... profitentium vota suscipit ». Cum textus hodiernus aliquas difficultates moveat, mutationes quaedam proponuntur: « *In* Ecclesia autem professio *consiliorum* non tantum *iuridica* sanctione ad status canonici dignitatem erigit*ur*, sed *ad* statum Deo consecratum etiam actione liturgica *elevatur*. Ipsa enim Ecclesia, *per legitimos suos ministros*, profitentium vota suscipit... ». *Rationes*:

1. Quod in hodierno textu de « *Ecclesia* » dicitur, solam hierarchiam respicit, cuius est « sanctio » iuridica (lin. 5) atque « auctoritas a Deo » (lin. 8). Ecclesia cum hierarchia confundi non debet. Unde in I sententia, dicitur « *In* Ecclesia », et verba voce passiva adhibentur. In II vero sententia, subiectum manet « Ecclesia », sed loco « auctoritate sibi commissa » dicitur: « per legitimos suos ministros ». Ita confusio vitatur.

2. In lin. 5, « sua sanctione » remanere nondum potest. Sola vox « sanctione » non intelligeretur; ideo additur « iuridica ». Ex hoc parallelismus perficitur inter duas sententiae partes: « sanctione iuridica » - « actione liturgica ».

3. Lin. 4, loco « professio(nem) religiosa(m) » dicitur « professio consiliorum » ne intretur in quaestiones disputatas de statu « religioso ».

4. Omnino necessarium videtur textus aptari his quae in const. *de sacra Liturgia* inveniuntur. Ibi enim consecratio virginum et professio religiosa inter Ecclesiae *sacramentalia* connumerantur (n. 80). De sacramentalibus autem haec doctrina proponitur: « *Sacramentalia* praeterea sancta Mater Ecclesia instituit. Quae sunt sacra signa quibus, in aliquam sacramentorum imitationem effectus praesertim spirituales significantur et ex Ecclesiae impetratione obtinentur... » (n. 60); « Itaque liturgia sacramentorum et sacramentalium id efficit ut fidelibus bene dispositis omnis fere vitae eventus sanctificetur gratia divina manante ex mysterio paschali » (n. 61).

Hac spectata doctrina iam a Concilio promulgata, assertio pag. 158, linn. 6-8 non videtur sufficiens: actione Ecclesiae liturgica professio religiosa ut status Deo consecratus exhibetur.

a) Verbum « exhibere » de se est ambiguus; nam significationes varias admittit, inde a « patefacere » usque ad « efficere ». Sed in hodierno textu, qui de cetero addidit particulam « ut », vix aliter intelligi potest quam in sensu « monstrare » « patefacere ».

b) « consecratum » in hoc contextu iterum est vox ambigua. Nam in hoc capitulo adhibetur illa vox non tantum in sensu suo theologico, in quo ad actum Dei vel Ecclesiae reservari debet, sed etiam in sensu « latiore » quo aliquis seipsum « consecrare » dicitur (= se mancipare, se devovere). Cf. supra, nota *C*), ad n. 44 (pag. 156, linn. 13 s.). In hoc contextu, ubi de actione Ecclesiae liturgica

agitur, haec ambiguitas sustineri non potest. Clare et explicite affirmari debet actionem liturgicam (in sacramentali) « sacrum facere », et non tantum « sacrum ostendere ».

Ad controversias tamen vitandas, formulam proponimus quae non sit nimis explicita: actio liturgica professionem consiliorum *ad* statum Deo consecratum *elevat* (potius quam: statum a Deo consecratum efficit).

Hanc emendationem retineri optamus, ne discrepantia videatur haberi inter constitutionem *de Ecclesia* et constitutionem *de sacra Liturgia.*

Ad n. 46. Aestimanda est consecratio per consilia evangelica.

A) *Titulus*: « Aestimanda est consecratio per consilia evangelica ». Redeatur ad titulum priorem *Aestimanda est professio consiliorum evangelicorum. Ratio*: ne adhibeatur vox « consecratio » sensu improprio, sed potius servetur sensus theologicus vocis ad designandam actionem Dei, vel actionem Ecclesiae nomine Dei agentis, qua quis « consecratur »; « sacratio » enim a Deo venit, non ab homine qui seipsum devovet.

B) Pag. 158, lin. 16: « Sollicite attendant religiosi ». Ponatur: « Sollicite attendant *consilia profitentes* ». *Ratio*: ut respectus theologicus servetur, et ne in quaestiones canonicas controversas intretur. Cf. locutionem lin. 26.

C) Pag. 158, lin. 40: « religiosos ». Dicatur: « consilia profitentes ». Eadem ratione.

D) Pag. 159, linn. 11-12: « fideli et humili praedictae consecrationis praxi ». Dicatur potius: « Constanti et humili fidelitate in praedicta consecratione ». *Ratio*: locutio « consecrationis praxi » vix intelligitur, et supponere videtur significationem impropriam vocis « consecratio », quae in constitutione dogmatica non est commendanda.

52

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ŠEPER

Archiepiscopus Zagrabiensis

Caput *de consummatione sanctitatis in gloria Sanctorum.*

1. Titulus capitis forsan mutandus est, et quidem in: « De consummatione sanctitatis *in gloria Dei* » vel simpliciter: « De consummatione sanctitatis in gloria ». *Ratio* est: caput in sua prima parte in indole eschatologica vocationis universalis ad sanctitatem, de qua in uno e praecedentibus capitibus, insistit. Finis autem omnium ultimus est gloria Dei. Si vero in ipso titulo capitis insistere velimus in eo de quo caput potissimum agere intendit, praeferrem titulum: « De unione Ecclesiae peregrinantis cum Ecclesia caelesti ».

2. Coniunctio christifidelium viatorum cum sanctis in caelo in textu quoad aspectum historicum, tam imitationis (sancti ut exemplum) quam confirmationis in fide (sancti ut signum sensu apologetico) et quoad aspectum psychologico-moralem (caritas nostra erga sanctos caelites) sat bene describitur. Haec tamen non sufficere videntur ut habeatur enucleatio illius realitatis supernaturalis quae nomine communionis sanctorum vocari solet. Hic forsan esset locus ut, saltem breviter, sermo instituatur de mysterio eucharistico Corporis et Sanguinis Domini quod tamquam sacrificium et esca — iunctim sumpta — vere est unitatis omnium

in Christo sacramentum et efficax instrumentum: nam communionem sanctorum significat et efficit.

3. Pag. 59, linn. 28 s.: « Equidem viatorum unio cum fratribus qui in pace Christi e mundo exierunt... ». Forsan melius esset propositionem invertere: « Equidem fratrum qui... cum viatoribus unio... ». *Ratio* est: unio ex parte singulorum viatorum spectata certe fragilis est, ex parte vero sanctorum defunctorum stabilis et numquam deficiens. Vel ponatur ita: « Equidem *Ecclesiae viatorum* unio cum fratribus... ».

4. Pag. 60, linn. 14-18: haec enuntiatio, quae valorem intercessionis sanctorum ab eorum gradu caritatis (ideoque etiam gratiae) in vita terrena dependentem declarat, logice irreprehensibilis est, tamen — si traditionem et experientiam historicam populi christiani prae oculis teneamus — de exclusiva veritate huius asserti dubitare licet. Nonne potius videtur Deum — in certis necessitatibus aut temporibus — libera sua voluntate et prorsus gratis unum sanctum prae alio uti patronum validiorem populo christiano manifestare? Haec Dei oeconomia analoga esse videtur oeconomiae liberae et prorsus gratuitae qua Deus charismata (gratias gratis datas) in Ecclesia peregrinante distribuit.

5. Quoad n. 56 in genere. Placet omnino quod sermo fit de veneratione sanctorum quatenus vita eorum a viatoribus imitanda est necnon quatenus haec vita fidei christianae confirmationem praebet. Sed hi aspectus non attingunt sanctos quatenus in gloria Dei vivunt, sed quatenus sunt *personae historicae* quae olim in terra vivebant. Valor apologeticus sanctorum non ex eo repetitur quod nunc sunt in gloria (hoc solummodo fide percipitur), sed ex eo quod in vita terrena virtutes heroicas exercebant (hoc nobis modo historico et mediis cognoscendi humanis innotescit). Sancti sub hoc respectu considerati potius ad Ecclesiam peregrinantem quam ad triumphantem pertinent.

6. Pag. 61, lin. 3: « ipsisque debitas rependamus gratias ». Si agitur de bonis quae sancti in vita sua terrestri gesserant, potius dicendum videtur: « Deo pro ipsis rependamus gratias ». Si vero agatur de bonis quae sancti in gloria viventes nobis expostulant, hoc incisum potius ad finem eiusdem propositionis (lin. 6) ponendum videtur, sc. post verba: « ... ad eorum orationem, opes, auxiliumque confugiamus ».

53

Rev.mus P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI
Minister generalis O.F.M.

Schematis paginis 218 lectis ac studiose pervolutatis, facere non possum quin commissionis theologicae industriam et correctiones emendationesque in « textum priorem » allatas admirer. Liceat tamen in textum emendatum nonnullas animadversiones et proposita deferre.

Cap. I: de Ecclesiae mysterio: in genere placet. Valde placet n. 6, pp. 10-12, de variis Ecclesiae *imaginibus*.

Ad pag. 15, linn. 15-16: opinor ex *Mt.* 28, 28 etc. argumentum non trahi ad affirmandum: « eique [i. e. Petro] ac ceteris apostolis diffundendam et *regendam* commisit ». Sufficeret hic dicere *diffundendam*.

Ad pag. 16, linn. 8-9: loco « Ecclesia in proprio sinu peccatores complectens » dicerem: « Ecclesia in proprio sinu tam *iustos* quam peccatores complectens ».

Cap. II: de populo Dei: placet omnino.

Ad pag. 31, linn. 21-30: placet omnino additio, in qua clare exprimitur qua ratione sacerdotium ministeriale a sacerdotio universali fidelium differat.

Ad pag. 35, linn. 37-39: loco « necessitatem Ecclesiae... simul confirmavit » proponerem « simul *affirmavit* ».

Ad pag. 37, lin. 15: claritatis causa loco « filiosque ad purificationem et renovationem exhortatur » dicatur « filiosque *suos* »; ita statim intelligeretur agi de catholicis.

Cap. III: de constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de episcopatu: uti iacet, nondum omnino placet.

Ad pag. 59, n. 18 (prooemium): placet.

Ad pag. 60, n. 19, lin. 14: « ad modum collegii instituit ». Locutio « ad modum collegii » aequivoca manet et obscura; praeterea fere dissolvitur verbis quae sequuntur « cui (collegio) ex iisdem electum Petrum praefecit ». Petrus primus vocatus est, atque, primatu potitus, in singularem evasit locum. Equidem collegium vix exsistere potest in corpore cuius iam antecessum, Petri iure praecipuo, tollitur aequilibrium.

Adnotatione (pag. 81, *C*) quidem dicitur « Vocabulum *collegium* non sensu iuridico de coetu perfecte aequalium intelligitur; sed de coetu stabili, a Domino instituto ». Haec tamen definitio, utpote maximi ponderis et cardo notionis collegii, in ipsum textum constitutionis traducenda esset, ut praecaverentur quaevis dubitatio et interpretatio parum accurata, praesertim n. 22, pag. 63 « De collegio episcoporum eiusque capite ».

Ad pag. 60, n. 19, lin. 20: secundum meum submissum iudicium vox « *gubernarent* » non nititur locis citatis quattuor Evangelistarum; proponerem ut vox « *gubernarent* » hinc tolleretur.

Ad pp. 62-63, n. 21: « De episcopatu ut sacramento ». Placet quod textus (pag. 62, linn. 33-35) loquitur de *plenitudine* sacramenti Ordinis, quae confertur consecratione episcopali, et non « de supremo gradu sacramenti Ordinis ».

Placet etiam quod in textu (pag. 63, linn. 10-12) dicitur « soli episcopi per sacramentum Ordinis novos electos in corpus *episcopale* assumere possunt », praetermissa igitur quaestione utrum solus episcopus possit sacerdotes ordinare.

Ad pp. 63-64, n. 22: « De collegio episcoporum eiusque capite » haec quae sequuntur animadvertere liceat. Uti iacet n. 22 non placet. Nemo est quin pp. 63-64 legens percipiat studium quacumque ratione affirmandi et probandi « collegium episcoporum » veritatem pacificam esse. Vox « collegium » in hoc solo numero sexies exhibetur, vox « collegialis » (i. e. indoles, ratio, potestas, actio, actus) quater; necnon in nn. 19, 23, 25 hae voces adhuc sexies inveniuntur: id quod nimium esse videtur.

Ex altera parte, lector schematis sentit sollicitudinem cavendi ne « collegio episcoporum » nimium concedatur atque affirmationes prius enuntiatas leniendi, uti « una cum Capite suo Romano Pontifice et numquam sine hoc capite » (pag. 64, linn. 8-9) et alia huiusmodi, e. g., pag. 63, linn. 37-42.

Spectatis acribus decursu annorum 1963-1964 contentionibus quibus seu pro theoria relative recenti collegialitatis episcoporum seu contra eam certabatur, contentionibus quae, utpote utrobique haud semper aequae et moderatae, sacerdotes et multos episcopos, immo religiosos et ipsum populum christianum aedificare nequeunt, colligi potest quaestionis maturitatem nondum venisse. Nonne

igitur prudentius Concilium a quaestione tam controversa abstineret, quemadmodum in eodem schemate, in cap. VIII « De B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae » (pp. 197-207) a quaestionibus adhuc controversis abstinuit?

Post has animadversiones indolis generalis videntur in particulari adnotanda:

1. Deest in cap. III definitio, saltem descriptiva, notionis « collegii ».

2. Nescio an proprie vereque urgeri possit (pag. 63, linn. 14-19) parallelismus inter Petrum cum ceteris apostolis et successores Petri cum episcopis. Apostoli namque a Domino potestatibus privilegiisque prorsus singularibus ornati sunt et die Pentecostes in homines omnino extraordinarios provecti, ut Ecclesia firmiter et stabiliter oriretur. Quod si parallelismus retinendus videtur, verba ita temperari possent: « Sicut, statuente Domino, S. Petrus et ceteri apostoli unum collegium apostolicum constit*uerunt, ita quodammodo* Romanus Pontifex, successor Petri, et episcopi, successores Apostolorum, inter se coniunguntur ».

3. Argumenta ad demonstrandam « ordinis episcopalis indolem et rationem collegialem » (pag. 63, linn. 19-29) vaga sunt nec ad persuadendum satis apta. Convenit etiam clare enuntiare « Concilia coadunata » (*ibid.,* pag. 23) et ipsa « Concilia Oecumenica » (*ibid.,* pag. 28) iuris esse ecclesiastici.

Delenda censeo quae dicuntur (pag. 63, linn. 29-32) de usu « plures advocandi episcopos » ad consecrationem episcopalem. Id collegialitatis non est indicium, sed, ni fallor, cautio idcirco adhibita ut validitas huius ritus tanti momenti in tuto collocetur.

4. Quoad sententiam: « Ordo autem episcoporum... *subiectum* quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam exsistit » (pag. 64, linn. 9-11), haec animadvertere liceat: Si corpus episcoporum dicitur esse « subiectum plenae potestatis », voces « Ordo », « collegium » et « corpus » mihi videntur sensu iuridico usurpari, contra illud pag. 81, *C*): « Vocabulum *collegium* non sensu iuridico ... intelligitur ».

5. In sententia (pag. 64, linn. 16-20) « Illud autem ligandi ac solvendi munus ... collegio quoque Apostolorum, suo Capiti coniuncto, tributum esse constat (*Mt.* 18, 18) », omitterem citationem *Mt.* 18, 18, cui, ni fallor, deest vis probativa. Imprimis verba dicuntur « discipulis », qui non necessario « apostoli » sunt. Praeterea, numerus pluralis hic haud *collegialis,* sed *distributivus* aut *collectivus* esse videtur.

6. Locutio « *Propria potestate* » (pag. 64, lin. 26) mihi infelix videtur. Dicitur: « In ipso (i. e. collegio), episcopi, primatum et principatum capitis sui fideliter servantes, *propria potestate* in bonum fidelium suorum, *immo totius Ecclesiae* funguntur, Spiritu Sancto etc. ». Itaque ea locutione uniri videntur duo elementa quae conciliari nequeunt: *primatus* Summi Pontificis et *propria potestas* episcoporum in bonum *totius* Ecclesiae.

7. « Ita ut *verus actus collegialis* efficiatur » (pag. 64, linn. 42-43). Haec locutio non placet, utpote quae postulet verbum *collegialis* sensu iuridico adhiberi: id quod expresse negatum est in pag. 81, *C*). Liceret forsan dicere « ita ut actus *quodammodo collegialis* habeatur ».

54

EXC.MUS P. D. FULTON SHEEN

Episcopus tit. Caesarianensis, aux. Neo-Eboracensis

Tria capita mihi liceat Patrum considerationi subiicere:

1. Descriptio relationis Ecclesiae ad Trinitatem (cf. cap. I, passim) et ad nos (cf. cap. II-VII) ad Ecclesiam « ab intra » pertinere videtur.

2. Dictamina tertiae partis Litterarum Encyclicarum *Ecclesiam Tuam* sequentes, descriptio Ecclesiae « ad extra » (indoles nempe missionaria Ecclesiae: cf. cap. II, 17) reproponenda mihi videtur sub aspectu « dialogi ».

3. Hoc bene concordat cum dispositione quae a Summis Pontificibus, nostris hisce temporibus, erga universum mundum ostenditur.

* * *

I. Ianuis clausis *Io.* 20, 26. Haec est descriptio Ecclesiae immediate post Resurrectionem. Apostoli mundum timebant. At repente Dominus Noster ipsis apparuit eisque imperavit: « Ite in mundum universum... Sicut misit me Pater et Ego mitto vos » (*Io.* 20, 21).

Nunc autem, venerabiles Patres, agit: nonne vobis videtur hoc schema *de Ecclesia* exaratum fuisse ianuis clausis? Nonne hoc schema dicendum est potius quoddam colloquium cum nobismetipsis, quam cum hominibus nostrorum temporum? Nonne verum est schema hoc, *mel* Ecclesiae membrorum vocari posse potius quam *sal* terrae?

Ecclesia et mundus sese correlative habentur. Ecclesia namque filios suos ita sibi generat de mundo, sicut granum sinapis incrementum accipit ex humo (*Mt.* 13, 31). Similiter mundus ab Ecclesia vivificatur, eo modo quo massa a fermento vivificatur (*Mt.* 13, 33).

Ecclesia non est insula peregrina in mundo huius fluctuantis saeculi; ipsa namque definienda esset non modo uti *Ecclesia congregata,* sed etiam uti *Ecclesia congregans,* non solum uti *Ecclesia convocata,* sed etiam uti *Ecclesia convocans.*

II. Praesens schema responsabilitatem Ecclesiae erga mundum ostendere debet. Quomodo autem vinculum hoc (inter Ecclesiam et mundum) describi potest?

Uti *missio?* Hoc vero modo describitur in capite secundo, paragrapho decima septima. Attamen terminus « missio » quasdam difficultates sublevat: 1) olim — fateor — colonialismum sapiebat; 2) temporibus posterioribus, terminus « missio » significavit non-Europaeus, non-albus, vel simpliciter alienigena; 3) quandoquidem « missio » ita consociata fuit uni cuidam Sacrae Romanae Congregationi potius quam Ecclesiae universae, ut opus supererogationis evaserit.

Notae dignum est Paulum VI, pacifice regnantem, quemque novimus « missionem » Ecclesiae peramanter diligere, perraro in Litteris Encyclicis *Ecclesiam Suam* termino « missio » usum esse. Quam — contra — novam ideam nobis Ipse suggerit? *Dialogus.* Hoc enim verbo utitur quinquagies septies! Beatissimus Pater mandatum missionarium refert: « Euntes, docete omnes gentes », deinde addit: hoc internum impulsum caritatis quod in amore erga omnes homines externatur, vocamus « dialogus ».

Dialogus comprehendit omnem relationem inter Ecclesiam et mundum. In

verbis Summi Pontificis, dialogus, potius quam missio *extera* tantum, missio *totalis* est.

Dialogus implicat responsabilitatem christifidelium, sacerdotum, religiosorum, episcoporum, non modo erga membra Ecclesiae, verum etiam erga atheos, iudaeos, christianos, homines bonae voluntatis; erga civitatem, statum, nationem, mundum. Hoc sensu Summus Pontifex affirmat: Quid est apostolatus nisi dialogus. Novimus sane, schema aliud dari in quo de specificis problematibus Ecclesiae in mundo huius temporis agitur. Attamen hic loquimur de *essentia* Ecclesiae, de Ecclesia in genere sumpta; quapropter nostra haec oratio apte inseritur in schemate *de Ecclesia.*

In sua essentia considerata, Ecclesia completa non est cum tantum ab intra et non ab extra describitur.

Ad extra. Nonne vobis, venerabiles Patres, opportunum videtur huic schemati addere ideam « dialogi » Ecclesiae cum nationibus, cum populis atheis et impoenitentibus, cum pauperibus atque fame laborantibus?

1. *Dialogus cum nationibus.* Ecclesia in schemate describatur uti « domus orationis ... omnibus gentibus » (*Mc.* 11, 17), et non solum uti templum quod ianuis clausis nos protegit, ne Dominus Noster « lapidem super lapidem non relinquat quae non destruatur » (*Mt.* 24, 2).

2. *Dialogus cum atheis et impoenitentibus populis.* Sicut Deus omnipotens civitatem Ninive dilexit. Ita nobis diligendum est modernas civitates impoenitentes.

Exemplum Ionae prophetae reicientes, dialogum cum incredulis amplectabimur, ne compellamur dilectionem erga genus humanum in ventre ballenae addiscere.

3. *Dialogus cum pauperibus atque fame laborantibus.* Christus vere praesens est in Corpore mystico. Ipse realiter praesens est in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento at numquid totum Christum habemus? Nonne Christus quidam incognitus a nobis inveniendus est, Christus nempe in pauperibus praesens?

Forsitan haec vera habetur ratio convocationis huius Sacrosancti Concilii Vaticani Secundi: Concilium Tridentinum Ecclesiam meminit de evangelico consilio castitatis; primum Concilium Vaticanum de evangelico consilio oboedientiae; in hoc Secundo Oecumenico Concilio Vaticano super umeros nostros inicitur consilium evangelicum paupertatis.

Ab intra. Dialogus, ita dynamice intellectus, nos sacerdotes, episcopos atque religiosos, intime renovabit.

1. *Sacerdotes* non amplius erunt sicut qui attendunt venditioni illius olei quod autorhedas alimentat (vulgo "filling station", « distributore di benzina ») quique curam tantummodo habent de emptoribus habitudinariis, de fidelibus nempe qui semel in hebdomada alimentum spirituale quaerunt; verum, erunt potius sicut exploratores qui excavant corda hominum ad inveniendum oleum Spiritus Sancti: sint ipsi Americani vel Afri, Anglicani vel Asiatici.

2. *Episcopi* non amplius videbunt Missiones sicut orphanos ad ostium domorum suorum derelictos, sed potius eas habebunt quo modo legitimi et amati filii aluntur.

3. *Congregationes* religiosorum curabuntur de « sclerosi organizativa » qua modo afficiuntur; illae enim dialogum inter se et cum dioecesi instituent, tamquam inter collaboratores ad gloriam Dei.

Conclusio. In summis rerum, dialogus duo importat: Ecclesiam ad mundum *accedere,* mundum ad Ecclesiam *venire.*

Videamus quomodo Romani Pontifices nostri temporis in sua coronatione sint mundum ingressi:

Benedictus XV, successor Sancti Petri, incoronatus fuit illic ad altare Beatissimae Virginis huius Basilicae id est, quam longius possibile ab ingressu templi.

Pius XI modico progressus, hic ad altare maius, coronatus fuit.

Pius XII, totam Basilicam pertransiens, progressus ad exteriorem partem, vere ingressus est in mundum.

Ecclesia progrediebatur! Ioannes XXIII, sanctus ille homo quem temptamur per acclamationem canonizare, maiora peregit. Primo quidem, mundum est allocutus; deinde, extensis — veluti bernianis carneis columnis — manibus, sibi genus humanum attraxit.

Paulus VI, pastoraliter regnans, non modo extra Ecclesiam exiit, verum etiam coronatus fuit in Sancti Petri platea, hoc est, medio ipso in mundo. Alius Paulus dialogum cum areopago ac foro instituebat. At, sicut Ecclesia ad mundum accessit, ita mundus in dialogo sese cum Ecclesia concessit.

In primo Concilio Oecumenico Vaticano, omnes fere episcopi ex Europa convenerant. Nullus erat episcopus ex Asia vel Africa.

Hodie, Patres huius Concilii, pro rata parte sexagesima secunda ad centesimam (62%) proveniunt ex Asia, Africa, Oceania et Americis septemtrionali ac meridionali. Mundus ad Ecclesiam novum sanguinem, novam rerum ordinem atque Ioanneum « aggiornamento » affluit.

Utinam nobis, qui ianuis clausis protegimur, denuo Christus appareat nosque admoneat illis Apocalypseos verbis: « Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere » (*Ap.* 3, 8).

55

EXC.MUS P. D. ALFREDUS SILVA SANTIAGO

Archiepiscopus tit. Petrensis in Palaestina

Ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provoluti, nos infrascripti, huius Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II Patres, corde magno et animo volenti iis omnibus adhaerentes quae Sanctitas Vestra declarare et significare dignata est in oratione quam ad Patres conciliares in II sessione claudenda habuit, optantes atque rogantes ut oratio illa praeclarissima sit programma ac veluti lumen sub quo iam procedant labores conciliares, signanter quoad tria maximi momenti effata, videlicet: de Beata Maria Virgine nomine Matris Ecclesiae ornanda; de hac Synodo Concilium Vaticanum I continuatura; de confirmandis praerogativis a Christo promanantibus et Summo Pontifici agnitis, haec quae sequuntur suppliciter et enixe postulamus:

1. In proxima III sessione conciliariter, ... [*cf. pag. 679*].

[*Subscripserunt etiam*] Ioseph Luis Castro, ep. S. Philippi; Pius Albertus Fariña Fariña, ep. tit. Citharizenus; Hermannus Frias Hurtado, ep. tit. Baretensis;

Raimundus Munita Eyzaguirre, ep. tit. Maximianensis in Numidia; Muñoz Duque; Pimiento Rodriguez; Grotti J.; de Castro Mayer; Martinez Vargas; Carli A.; de Proença Sigaud; Lacchio S. P.; Cuniberti A.; Rubio L.; Marie A.; Grimault A.; Pereira T. V.

56

Exc.mus P. D. BENIAMINUS SOCCHE

Episcopus Regiensis in Aemilia

In schemate *de Ecclesia,* cap. VIII, pag. 202 « De Maria ut ancilla Domini Redemptoris », linn. 2-3, dictum est: « *iuxta absolutam significationem verborum apostoli* ».

Pro altera vice proponitur verbum « *absolutam* » supprimere. Certe D. N. Iesus Christus Mediator noster est ad Patrem, dum mediatio B. Mariae Virginis apud Iesum Filium suum est.

Sed necesse est textum paulinum (*1 Tim.* 2, 5) funditus inquirere etiam in comparatione cum multis aliis locis, *quia exclusivitatis absolutum sensum prorsus non habet, sed tantum identitatis,* ut clare videtur apud *Rom.* 3, 29-30; *Gal.* 3, 28; *Rom.* 10, 11-12; *1 Cor.* 12, 4-6; *1 Cor.* 12, 11; *1 Cor.* 11, 5; *Phil.* 2, 2; *Iac.* 4, 12; *Ex.* 26, 2; *Num.* 15, 15.

In omnibus his locis verba *unum, unus* significant identitatem et non exclusivitatem, sicut in *1 Tim.* 2, 5.

In *1 Tim.* 2, 4 ait S. Paulus: « Deus omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem venire » quia unus idemque (est omnibus) Deus et unus idemque (est omnibus) etiam Mediator Dei et hominum, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: eis gar Theòs, eis kai mesìtes. S. Paulus non dicit unum vel multos esse mediatores, sed solum significare vult Iesum Christum esse eundem Mediatorem pro omnibus, qui omnes vult salvos: [1] Eis gar Theòs, eis kai mesìtes Theoù kai antròpon. Unus (eis [2]) hic non habet sensum exclusivitatis, sed solum identitatis, ut videmus in sequentibus locis paulinis.

Ad *Rom.* 3, 29-30: « An Iudaeorum Deus tantum? Nonne et Gentium? Immo et Gentium: Quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat: [3] Eiper eis ò Theòs, os dikaiosei. Deus est semper idem unus pro omnibus, qui iustificat. Hic textus eandem logicam structuram habet quae est in textu *1 Tim.* 2, 5: [4] eis gar Theòs eis kai mesìtes.

Ad Gal. 3, 28: « Non est Iudaeus, neque Graecus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu »: [5] pantes gar umeis eis este en Cristò Iesoù.

In Vulgata habetur *unum, en* [6]; textus vero graecus habet *unus, eis.*[7] Etiam

---

[1] Εἰς γὰρ Θεός, εἷς καὶ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων.

[2] εἷς.

[3] Εἴπερ εἷς ὁ Θεός, ὅς δικαιώσει.

[4] Εἰς γὰρ Θεός, εἰς καὶ μεσίτης.

[5] πάντες γὰρ ὑμεῖς εἰς ἐστὲ ἕν Χρίστω ᾿Ιησοῦ.

[6] ἕν.

[7] εἷς.

in hoc textu S. Paulus docet nos semper in eodem Christo Iesu omnes unum esse. Varietati hominum omnium opponitur *unus,* non cum significatione exclusivitatis, sed identitatis pro omnibus.

Ad *Rom.* 10, 11-12: « Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum non confundetur. Non enim est distinctio Iudaei et Graeci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum »:[8] ò gar autòs Kyrios panton.

1 Cor. 12, 4-6: « Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus (tò de autò pneuma[9]); et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus (kai o autòs Kyrios[10]); et divisiones operationum sunt, idem vero Deus (o de autòs Theòs[11]), qui operatur omnia in omnibus ».

Promiscue S. Paulus utraque formula utitur et verborum significatio non mutatur. Unde in omnibus dictis locis, verbis *eis - en,*[12] S. Paulus conceptum identitatis sed non exclusivitatis significare voluit.

1 Cor. 11, 5: « Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: unum enim est ac si decalvetur »: [13] en gar estin kai to autò exureméne. Etiam in hoc loco *en*[14] relatum ad feminam, non numerandi vim habet, sed tantum identitatem denotat inter mulierem sine velo et mulierem tonsam.

Phil. 2, 2: « Implete gaudium meum ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes idipsum sentientes »:

to autò fronete[15] = idem sapiatis

tò en fronountes[16] = idipsum sentientes.

Etiam in hoc loco utraque dictio eundem sensum habet:[17] to autò - to en.

Si igitur omnes dictos textus cum *1 Tim.* 2, 5 comparamus, clare patet etiam his *eis Theòs, eis mesìtes*[18] sensum habere identitatis sed non exclusivitatis pro omnibus hominibus.

Extra S. Pauli epistolas proferamus: *Iac.* 4, 12: « Unus est legislator et iudex, qui potest et liberare »: [19] eis estin o nomothètes kai kritès.

Etiam in hoc loco non dicitur unum legislatorem esse et unum iudicem, sed eandem personam simul legislatorem esse atque iudicem, qui utraque potestate polleat.

Item in Veteris Testamenti libris sive hebraica sive graeca versione, invenimus: *Ex.* 26, 2: « Longitudo cortinae unius habebat viginti octo cubitos: latitudo quattuor cubitorum erat. Unius mensurae fient universa tentoria ». Etiam in hoc loco *una* mensura pro *eadem* sonat: eiusdem mensurae fient universa tentoria.

---

[8] Ὁ γὰρ αὐτὸς Κύριος πάντων.

[9] τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα.

[10] καὶ ὁ αὐτὸς Κύριος.

[11] ὁ δὲ αὐτὸς Θεός.

[12] εἷς - ἕν.

[13] Ἓν γὰρ ἔστιν καὶ τὸ αὐτὸ τῇ ἐξυρημένῃ.

[14] ἕν.

[15] τὸ αὐτὸ φρονῆ τε.

[16] τὸ ἕν φρονοῦντες.

[17] Τὸ αὐτὸ - τὸ ἕν.

[18] εἱς Θεός, εἱς μεσίτης.

[19] Εἷς ἐστὶν ὁ νομοθέτης καὶ κριτής.

Etiam in *Num.* 15, 16: « Unum praeceptum erit atque iudicium, tam vobis quam advenis terrae ». Semper eadem est lex et idem iudicium sive pro Israelitis sive pro advenis.

Conclusio: In omnibus igitur dictis locis *unum* esse ac *idem* demonstravimus. Unde concluditur: etiam igitur in *1 Tim.* 2, 5 Apostolus non unicitatem sed identitatem cum verbo *eis* significare voluit. Quae significatio viget in omnibus supradictis locis apud S. Paulum et alios scriptores sacros, ut vidimus.

Haec est igitur significatio *1 Tim.* 2, 5: Deus omnes vult salvos fieri « quia unus idemque (est omnibus) Deus et unus idemque (est omnibus) etiam mediator Dei et hominum qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus ».

Unde supprimere proponitur verbum « *absolutam* » cap. VIII *de Ecclesia,* pag. 202, lin. 2.

57

EXC.MUS P. D. DINUS STAFFA

Archiepiscopus tit. Caesariensis in Palaestina

Legitur in pag. 60, linn. 23 ss. schematis *de Ecclesia,* Concilii Vaticani I doctrinam, hanc Sacrosanctam Synodum suam facere, ideoque « doctrina de episcopis, successoribus apostolorum, qui cum successore Petri... domum Dei viventis *regunt* » et in pag. 64, linn. 9 ss. « Ordo autem episcoporum, qui collegio apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit... subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam existit ».

Revera haec doctrina proposita fuit in Concilio Vaticano I ab episcopo Henrico Maret his verbis: « Dicatur utique in hoc capite Romanum Pontificem esse fundamentum visibile Ecclesiae, sed non praetermittatur etiam episcopos apostolorum successores esse fundamenta licet secundaria. Falsum est quod in schemate affirmatur: Christum uni Petro, et non etiam collegio apostolorum dixisse: Quodcumque solveris etc. ».

Haec tamen doctrina reiecta fuit, prout patet e relatione generali: « Haec adversantur communi sententiae catholicorum interpretum et theologorum... In apostolo Petro institutum fuit apostolicum munus et officium, quod una cum suprema illius apostolica potestate in successores iure divino iugiter propagaretur; unde Petrus potestatem apostolicam dicitur habuisse ordinariam; secus autem reliqui apostoli. E quibus apparet differentia intercedens inter Petrum et alios apostolos; atque multo magis discrimen apparet inter successores Petri et reliquorum apostolorum successores, id est episcopos, sive seorsum sive simul sumptos » (MANSI, 52, 9).

Institit Maret in sua opinione, die 3 iunii 1870: « ... haec doctrina docet Christum Dominum elegisse duodecim apostolos, illis praemisisse b. Petrum ut caput, sic constituisse unam supremam potestatem in Ecclesia sua, supremam potestatem in duobus elementis consistentem, scilicet in Petro habente iura primatus honoris et iurisdictionis, et in apostolis illi subordinatis sed fruentibus cum illo auctoritate partecipata docendi, pascendi, regendi Ecclesiam universalem; et hic ordo divinus in Ecclesia aeterna debet semper perseverare, et Petrus vivit in Pontifice Romano, et apostoli semper vivunt in episcopis » (MANSI, 52, 432-433).

Iterum haec opinio reiecta fuit in Relatione Generali, diei 15 iunii 1870, in qua legimus, inter alias animadversiones: « ... cum Ecclesia aedificanda sit super

petram fundamentalem Petrum, sequitur quod relatio inter Petrum et apostolos in hoc textu sit relatio inter fundamentum et aedificium. Fundamentum sustinet aedificium, non sustinetur, regit et non regitur; uno verbo a fundamento aedificium absolute pendet, non viceversa. Ergo relatio apostolorum ad Petrum quantum ad rem ipsam est relatio absolutae dependentiae.

Nimirum intellexit Petrus se quidem habere claves ad solvendum in bonum Ecclesiae ex promissione Christi, sed cum impossibile sit ut ipse personaliter per se et immediate in toto orbe potestatem clavium adhiberet, ex institutione Christi intellexit nonnisi per confratres suos apostolos tamquam per ianitores sibi subordinatos illa potestate uti debere. Apostoli ergo solvunt, sed ope clavium quae datae sunt Petro. Ergo haec duo testimonia opposita sensum litteralem non infirmant, sed magis magisque confirmant omnimodam et absolutam dependentiam apostolorum a Petro.

Igitur quod apostoli sint fundamentum, respondeo cum distinctione: sunt fundamentum in fide et praedicatione, concedo; sunt fundamentum in regimine Ecclesiae, nego » (Mansi, 52, 713-717).

Ex his eruendum videtur doctrinam nunc proponi quae facilius componitur cum opinione Henrici Maret quam cum doctrina Concilii Vaticani I.

Quod quidem confirmatur verbis quae legimus in schemate nobis proposito (pag. 61, linn. 34 ss.): « Sicut autem permanet munus a Domino singulariter Petro ut primo apostolorum concessum et successoribus eius transmittendum, ita permanet munus apostolorum pascendi Ecclesiam ab Ordine sacrato episcoporum exercendum ». His enim asseritur Primatum iurisdictionis Petro collatum fuisse ut primo inter membra collegii apostolici, iuxta Ecclesiae notionem traditam a Maret, potius quam Petro ut capiti seu fundamento Ecclesiae: si vero primatus iurisdictionis datus est Petro ut primo inter membra collegii apostolici, iam videtur innui cum collegio, iure divino, hanc potestatem esse exercendam.

Consectaria essent extremae gravitatis: si enim Romanus Pontifex agere debeat collegialiter cum ceteris episcopis, et hoc iure divino, exercitium eius Primatus non est validum, nisi fiat collegialiter, atque ita omnia quae praeteritis temporibus Summi Pontificis ex propria, non collegiali deliberatione egerunt, in rebus praesertim magni momenti, invalida essent iure divino, ideoque prorsus insanabilia.

Ad eamdem tamen conclusionem impingimus, si potestatem regiminis e consecratione episcopali provenire admittimus: actio enim proprie sacramentalis est actio Christi. Sincere autem non video fundamentum quo haec doctrina innitatur: forma enim sacramentalis nullam potestatis regiminis mentionem facit; apostolorum consecratio facta fuit in actu institutionis sacramenti eucharistici, et missio eorundem, cum collatione apostolicae potestatis, post plures hebdomadas; certum est Romanum Pontificem, etsi non episcopum, electionis acceptatione, non consecratione, iurisdictionem universalem consequi, ita ut consecratio iurisdictionem conferret ceteris, non summo Ecclesiae Pastori.

Doctrina Ss. Patrum, antiquorum Scriptorum ecclesiasticorum, Ss. Doctorum Ecclesiae universalis, Romanorum Pontificum, praesertim a S. Leone Magno ad Pium XII, in Petrum indicat iurisdictionis episcoporum fontem. Merito schema nobis traditum monet magisterio ordinario Summi Pontificis obsequium esse praestandum (pag. 68); immerito ergo idem magisterium textus schematis de facto sollemniter parvipendit.

Si vero dicatur doctrinam adhuc esse incertam, agitur de doctrina dubia quam hoc sacrosanctum Concilium haud semel dixit, in ceteris casibus, non esse definienda. Ad quid excipere hanc quaestionem tam disputatam?

Et si est adhuc incertum, quomodo doctrina contraria admitti potest ut omnimode certa?

Propositas difficultates superari non censeo dicendo iurisdictionem in se ipsa episcopis dari immediate a Christo, eius tamen exercitium subesse moderationi Romani Pontificis. Etenim hucusque cum agebatur de Primatu Pontificis, sermo semper fuit de Primatu iurisdictionis, non vero tantum exercitii. Praeterea, ex quo loco Sacrae Traditionis, ne dicam Sacrae Scripturae, eruitur haec pontificiae iurisdictionis limitatio ad solum exercitium? Nihilominus agitur de iure positivo divino, seu revelato, quod proinde constare debet e fontibus revelationis.

Potestas regiminis natura sua postulat subditos: nunc vero, qui sunt subditi quos episcopus regere potest, vi solius consecrationis? Sicut alii animadverterunt in sententiam Bolgeni (cui plura in sua substantia debet schema nobis propositum, quamvis opinio illa merito derelicta fuerit a saeculo cum dimidio) iurisdictio quae natura sua nequeat exerceri, est aliquid iuridice absurdum; iurisdictio est enim essentialiter relatio inter Superiorem et subditos determinatos; iurisdictio est insuper, natura sua, potestas gubernandi seu agendi; iurisdictio ergo sine potestate agendi seu gubernandi ne concipitur quidem. Talis nihilominus esset episcoporum potestas vi consecrationis.

Aut insuper potestas quae collegio episcopali tribuitur est potentia mere passiva, et tunc ab aptitudine non differt positiva et specifica ad iurisdictionem quam omnes admittunt in episcopis; aut haec potestas est activa, i. e. vera iurisdictio, et tunc, sua ipsa natura, exercitium postulat, ita ut Romanus Pontifex, iure divino, nonnisi cum collegio posset Ecclesiam regere.

Si potestas iurisdictionis confertur immediate a Christo aeque ac potestas ordinis, concludendum est Pontificem posse quidem exercitium potestatis iurisdictionis limitare quoad liceitatem, non vero quoad validitatem: ita enim accidit de potestate ordinis. Et sicut debet Pontifex promovere ordinatum exercitium potestatis ordinis, concludendum est Romanum Pontificem obligatione teneri promovendi exercitium gubernii collegialis Ecclesiae. Cur igitur hoc per tot saecula factum non est?

Alia, ob defectum temporis, adnotare non possum, praeter textum Concilii Vaticani primi: « *Uni* Simoni Petro contulit Iesus summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile » (DENZ.-SCHÖN., *Enchiridion,* n. 3053).

Sane quod *uni* datum est, ceteris non potest provenire nisi ab ipso. Concludendum censeo proinde: *neque doctrina de origine immediata iurisdictionis episcoporum, neque doctrina de collegio episcopali, tamquam subiecto plenae ac supremae potestatis in Ecclesia illa certitudine gaudent quae requiritur ut in constitutione Conciliari inserantur.*

Nulla tamen adest difficultas quod Summus Pontifex possit apud se collegium episcoporum, ex totius orbis episcopatus delectum constituere, ut eorum consilio utatur, modo et adiunctis ab ipso definitis.

[*Subscripserunt etiam*] Card. Arcadius M. Larraona; Rufinus card. Santos; Arturus Tabera Araoz, ep. Albacetensis; Aloisius Carli, ep. Signinus; Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis; Raphael Baratta, arch. Perusinus; Giuseppe Battaglia; Ioannes B. Bosio, arch. Chieti; Petrus Severi, ep. tit. Pergamenus;

Carolus Angeleri, ep. aux. Tortona; Xaverius Zupi, arch. tit. Serrensis in Proconsulari; Iesus Sison, ep. Tarlacensis; Arnulfus Arcilla, ep. Sorsagonensis; Flavianus Ariola, ep. Legaspiensis; Emmanuel Del Rosario; Marianus Gaviola, ep. Cabanatuanensis; Epiphanius Surban Belmonte, ep. Dumaguetensis; Teopistus Alberto y Valderrama, arch. tit. Amestrianus, coad. Cacerensis; Antonius Frondosa, ep. Capricensis; Ioseph Cuenco, arch. Jarensis; Ioannes Sison, arch. tit. Nicopsensis; Secundus Tagliabue, ep. Tursi; Aemilius Baroncelli, ep. Recanati; Marius Di Lieto, ep. Asculanus in Apulia; Angelus Rossini, arch. Amalfi; Andreas Cesarano, arch. Manfredonia; Lucianus Marcante, ep. Valva et Sulmona; Victorius De Zanche, ep. Concordia; Ioseph Placidus Nicolini, ep. Assisiensis; Ioseph Lecuona, ep. tit. Vagadensis; Santes Portalupi, arch. tit. Christopolitanus; Carolus Borga y Castrillo, ep. aux. Managuensis; Alexander González y Robleto, arch. Managuensis; Xaverius Ochoa, ep. tit. Remesianensis; Gregorius Espiga e Infante, vic. ap. Palavanensis; Arturus Quintanilla, ep. Coeitevensis; Martinus Legarra, prael. null. Bocas del Toro; Angelus Amercegui, sup. gen. O.R.S.A.; Florentinus Armas, prael. null. Chota; Hector Henricus Santos, arch. Tegucigalpa; Carolus Aloisius Geromini, ep. tit. Zabensis; Peregrinus De la Fuente, prael. Batanensis; Iesus Serrano, ep. tit. Hypselitanus; Abel Isidorus Antezana y Rojas, arch. Pacensis in Bolivia; Ioseph M. Querexeta, ep. tit. Eressiensis; Franco Gomez, vic. ap. Fernando Poo; Pedro Grau, vic. ap. Quibdó; Ioseph Gori, ep. Nepesinus et Sutrinus; Angelus Temiño Saiz, ep. Auriensis; Alfonsus Espino, arch. Monterreyensis; Octavianus Marquez, arch. Angelorum; Anselmus Zarza, ep. Linarinus; Luis Cabrera Cruz, ep. S. Ludovici Potosiensis; Ioseph Anaya, ep. Zamorensis in Mexico; Ioannes Naverreta, arch. Hermosillo; Aloisius Guizar Barragán, ep. Saltillensis; Ernestus Corripio Ahumada, ep. Tampiensis; Carolus Quintero Arce, ep. Vallipolitanus; Manuel Pina Torres, ep. tit. Milevitanus, aux. Tepicensis; Demetrius Mercato, arch. Salernitanus; Vincentius Del Signore, ep. Fanensis; Paulus Savino, ep. tit. Caesariensis in Thessalia; Aurelius Marena, ep. Ruvo et Bitonto; Faustus Mezza, abb. ord. Cavensis; Frederico Pezzullo, ep. Policastrensis; Henricus Nicodemo, arch. Barensis; Petrus Sfair, arch. tit. Nisibenus; Antonius Mabutas, ep. Laoagensis; Pedro Bantigue, ep. aux. Manilensis; Theodulfus Domingo y Sabugal, ep. Tuguegaraoensis; Artemius Casas, ep. Imusensis.

58

Exc.mus P. D. HENRICUS TENHUMBERG

Episcopus tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis

a) Numeri 10 et 11 sat incompleti videntur. Speciatim n. 10, pag. 31, linn. 25-30: fideles regale sacerdotium exercent non solum « in sacramentis suscipiendis » et aliis actionibus ibidem et n. 11 nominatis, sed etiam interdiu in sacramentalibus (cf. const. *de s. Liturgia,* art. 79), immo et in ipsis sacramentis matrimonii et — in casu necessitatis — baptismi administrandis.

Praeterea « ministrantes, lectores, commentatores et ii qui ad scholam pertinent, vero ministerio liturgico funguntur » (const. *de s. Liturgia,* art. 29) et omnes fideles per diversos modos actuose in actionibus liturgicis participandi (non tantum, ut dicitur pag. 32 n. 7: « tum oblatione tum sacra communione ») munere sacerdotali funguntur (cf. const. *de s. Liturgia,* art. 14, 18 et alios sat multos).

b) N. 11, pag. 31, linn. 35-37, loco « Fideles per baptismum... ad cultum religionis christianae charactere deputantur » dicatur: « Fideles per baptismum... ad plenam, consciam atque actuosam liturgicarum celebrationum participationem vi characteris baptismalis ius habent et officium » (cf. const. *de s. Liturgia,* a. 14).

Ratio: termini scholastici « deputari ad cultum » duplici laborant defectu. « Cultus » ex ethymologia tantum aspectum latreuticum non vero sanctificantem et sacramentalem complectitur. « Deputari » vero facile sic intelligi potest, ac si esset necessaria aliqua missio canonica ad actuandam participationem in actibus liturgicis.

59

EXC.MUS P. D. HERMANNUS VOLK

Episcopus Moguntinus

Cap. I, n. 5, pag. 9, linn. 40 ss. Phrasi « Hoc vero ... elucescit » addantur in pag. 10, lin. 2 post verbum « Christi » verba « Patri caelesti oboedientis », ut phrasis sic sonet: « Hoc vero Regnum in verbo, operibus et praesentia Christi, Patri caelesti oboedientis (*Phil.* 2, 8), hominibus elucescit ».

Ratio: secundum S. Scripturam Dominus noster Iesus Christus in verbis, operibus et praesentia plenissime correspondet voluntati Patris sui caelestis. Nam secundum scripturam dicit, quod a Patre audit et facit, quod Pater ei mandavit. « Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est » (*Io.* 9, 4). « Ego, quae audivi ab eo, haec loquor in mundo » (*Io.* 8, 26). « Quia ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar. Et scio quia mandatum eius vita aeterna est. Quae ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor » (*Io.* 12, 49. 50). In oboedientia sua erga Patrem superat Christus inoboedientiam hominum peccatorum, et « propter quod et Deus exaltavit illum » in gloriam Dei Patris (cf. *Phil.* 2, 8 ss. et *Hebr.* 5, 8, 9). Nam in omni peccato est inoboedientia; radix autem et centrum Regni Dei in mundo est dominium Dei in oboedientia erga Deum. Novum initium Regni Dei in mundo improbo statuit Dominus noster in oboedientia sua erga Patrem suum caelestem; miracula sunt signa, non causa Regni Dei. Miracula sunt pauca. Sed ubi est oboedientia erga Patrem in Filio incarnato, ibi est Regnum Dei. Cum ergo oboedientia Christi non est unum elementum cum aliis in constitutione Regni Dei, sed elementum commune in verbis operibus et in ipsa Incarnatione (cf. *Phil.* 2, 5 ss.), propono, ut pauca ista verba « Patri caelesti oboedientis (*Phil.* 2, 8) » addantur.

60

EXC.MUS P. D. IOANNES IULIANUS WEBER

Archiepiscopus-Episcopus Argentinensis

Quamquam spatium temporis ad ultimas series schematum episcopis missas et ab eis examinandas nimis breve sit, liceat tamen, post sat durum laborem aliquas animadversiones ad Commissiones conciliares mittere, saltem quoad textus de quibus subscriptus Episcopus aliquam competentiam habere potest.

In genere schemata bona apparent, et ingentem laborem ex parte Patrum et

peritorum in redactione demonstrant: cum omni acribitate et aequanimitate textus confecti sunt.

Schema *de Ecclesia* in genere valde melius est schematibus de eadem re nobis adhuc transmissis, et aliqua capita perpulchra apparent. Cum autem aliquas partes schematis consistant ex textibus e variis schematibus depromptis, aliquando quod nobis traditur apparet magis ut opus musivum (gallice « mosaïque ») quam ut redactio ab uno auctore scripta. In aliquibus locis, praesertim in transitionibus de una re ad alteram, aliqua elaboratio ut supplementum utile desideraretur. Sed transeamus ad singula capita.

Cap. I: *de Ecclesiae mysterio,* pag. 15, linn. 27 s. nimis apparent ut sectio extranea textui qui praecedit.

Cap. II: *de populo Dei,* pag. 29: origo biblica expressionis « populus Dei » videtur omissa aut saltem nimis abbreviata (cf. praesertim *Ex.* 19, 6; 23, 32; *Is.* 43, 20 s.). De hac re in decursu sessionis II Concilii, die 24 octobris 1963, ad secretariatum notam remisi.

Cap. III: *de constitutione hierarchica Ecclesiae*: haec notare licebit:

a) Pag. 62, lin. 9 ante finem, legatur: « Docet autem Sancta Synodus solemniter episcopali consecratione... », ut controversia de hac re tollatur de medio.

b) Pag. 63, n. 22, aliquam scrupulosam mentem manifestat, dum tam multis locis locutio sit de Primatu Romani Pontificis, quam nemo in Concilio negat et cui nemo minatur. Affirmetur clare in textu una vel altera vice, et sufficiet ad doctrinam clare firmandam.

c) Pag. 72, n. 28. Quod de presbyteris traditur, non satis loquitur de unitate in gratia sacramentali inter episcopum et suos sacerdotes, quos adscivit suo apostolatui, et quibus aliquid de sua paternitate transfudit (cf. textum priorem schematis).

d) Pag. 73, lin. 6 paragraphi II legatur: « In singulis localibus fidelium congregationibus *et dioecesanis servitiis,* episcopum... ». Multi enim sacerdotes in nomine episcopi, extra paroecias operantur (v. g. in scholis, in nosocomiis, in operibus socialibus, in apostolatu laicorum... ».

e) Pag. 74, in n. 29, lin. 9, de diaconibus, legatur: « assignatum fuerit *catechumenos ad baptismum praeparare,* solemniter... ».

Cap. V: *de universali vocatione ad sanctitatem...,* quod recte a cap. VI « De religiosis », claritatis causa dividitur, pag. 143, post par. I utiliter locutio esset « *de statu viduitatis et caelibatus in mundo,* extra vocationem religiosam », qui suam particularem vocationem ad sanctitatem colere satagant.

Cap. VII: *de indole eschatologica vocationis nostrae,* pag. 183, n. 49, lin. 12 legatur: « ... canimus. *Haec autem communicatio recte in Symbolo Apostolorum " Communio sanctorum ", in gratia scil. Christi, vocatur.* Universi enim... ».

Cap. VIII: *de B. Virgine Maria...* Recte hoc caput in fine schematis *de Ecclesia* ponitur, ut digna corona totius redactionis. Liceat unam animadversionem afferre. Pag. 203, lin. 3 legimus Virginem « etiam titulo Mediatricis condecorari... ». Utile esset praecisionem afferre hanc Mediationem Mariae exerceri eius « pia intercessione », et quidem « in Christo », cum membrum nobilissimum sit de Corpore mystico Christi. Expressio « Mediatio in Christo » (« Mittlerschaft in Christus ») admittitur a quibus fratribus dissidentibus (e. g. a theologo lutherano Asmussen in suo opere: *Maria, die Mutter Gottes,* pag. 51). Haec mediatio Ma-

riae parallelum habet, quamquam in valde minore aspectu, in mediatione fidelium Christi, qui pro invicem orare possunt ad Dominum (cf. *1 Thess.* 5, 28; *Col.* 4, 12; *Eph.* 5, 18-20). Haec animadversiones proponuntur ad causam oecumenicam fovendam. Legatur ergo forsan: « titulo mediatricis, in *Christo scilicet et per suam piissimam intercessionem,* decorari... ».

* * *

Ecclesiae filii unanimes B. Mariam Virginem venerantur ut matrem Domini nostri Iesu Christi, et semper felices sunt Deum « collaudare, benedicere et praedicare » eiusdem Virginis celsitudines celebrando. Ut Genitrix Filii Dei, Maria, tam in Scripturis quae opus nostrae salutis annuntiant aut referunt, quam in disquisitione theologica huius mysterii, locum eximium et unicum tenet: intime coniuncta est cum vero Filio viscerum suorum. Recentiores disquisitiones exegeticae, praesertim in Evangelium Ioannis et in cap. XII Apocalypsis, Dei genitricem monstrant non solum ut membrum dignissimum Ecclesiae Novi Testamenti, sed ut figuram, immo ut « vicariam », si fas est dicere, eiusdem Ecclesiae, in Incarnatione, ad nuntium angeli, et in opere redemptrice Domini per crucem. Propter suam divinam maternitatem a culpa originali et ab omni peccato praeservata est, et tandem in caelum assumpta.

Laude dignum est praesens schema *de B. Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae* quod omnia quae de B. Virgine praedicanda erant in clara luce ostendit. Specialiter merita textus nobis propositi extollere licet quoad sequentia puncta:

1. Exponit clare praerogativas Christi Matris, ut apparent in Scripturis, praesertim in Evangelio, et in vivis traditionibus Ecclesiae.

2. Non separat Mariam de fratribus et sororibus eius secundum carnem: Maria remanet similis nobis, absque peccato; non extra Corpus mysticum Christi sistitur. Eius privilegia fructus sunt sanguinis Crucis. Fide, sicut et nos, Domino adhaesit (*Lc.* 1, 45). Immo cognitio mysteriorum quibus cooperabatur paulatim etiam in ea crevit (*Lc.* 2, 34-35; 50), dum omnia in puro corde servavit, conferens ea in mente sicut et puer Iesus proficiebat sapientia, aetate et gratia coram Deo et hominibus (*Lc.* 2, 52).

3. Schema affirmat principium absolutum quod Paulus infallibiliter exposuit: « Unus enim est Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (*1 Tim.* 2, 5-6).

4. Aliquos Patres et Romanos Pontifices secutum (cf. pag. 214 testimonia allata), schema decorat Deigenitricem titulo « Mediatricis ». Cum autem Maria Christo intime coniungitur et a corpore eius mystico nullatenus separatur, haec Mediatio fieri nequit nisi « in Christo », et quidem per suam piam intercessionem, ut ait Liturgia (Oratio post antiphonam « Salve, Regina »). Similis est Filio suo de quo Scriptura dicit quod sit « semper vivens ad interpellandum pro nobis » ad Patrem (*Heb.* 7, 25; *Rom.* 8, 34; *1 Io.* 2, 1). Hoc munus Mariae iam apparet in narratione ioannica de miraculo aquae in vinum conversae in Cana Galilaeae, ubi primum « signum » Christi obtinuit per precationem suam, in decursu nuptiarum quae novam oeconomiam salutis figurabant. Et nos ipsi, ad imitationem Mariae, quamquam in valde minore mensura, mediatores esse possumus ad Deum, orando scilicet pro invicem, sicut Paulus frequenter adhortatur (*1 Thess.* 5, 28; *Col.* 4, 14; *Eph.* 5, 18-20). Sic intellecta, Mediatio Mariae nullo modo fratres nostros

adhuc dissidentes offendere potest. Orientales scenam « intercessionis » seu « Deisis » saepe in iconibus figurant; ex protestantibus, theologus nomine Asmussen, ut legitimam doctrinam mediationis in Christo agnoscit (« Mittlerschaft in Christus »), in opere scilicet cui nomen « Maria, die Mutter Gottes » (pag. 51). Praesens schema ergo grandem valorem oecumenicum habet.

5. Omitti schema feliciter controversias inter theologos et distinctiones mere scholasticas: haec omnia nondum matura sunt et fidelibus valde extranea. Textus ergo valorem etiam pastoralem habet.

His omnibus dictis, schema plene laudandum est et in sua sobrietate conservandum, quin novis additionibus aggravetur.

61

Exc.mus P. D. MATTHIAS WEHR
Episcopus Trevirensis

Ad art. 39 (pag. 139, linn. 10-17): mutato ordine verborum dicatur: « ... ad gloriam Dei. Haec autem Ecclesiae sanctitas in gratiae fructibus, quos Spiritus in fidelibus producit, incessanter manifestatur et manifestari debet. In Ecclesia enim omnes, sive ad hierarchiam pertinent sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur, iuxta illud apostoli: « Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra » (*1 Thess.* 4, 3). *Eadem Ecclesiae sanctitas* multiformiter exprimitur apud singulos... ». *Ratio*: mutato hoc modo ordine verborum, clarius magisque organice apparet ordo sententiarum.

Ad art. 41 (pag. 142, lin. 14): deleto verbo « peculiari » dicatur « *suo* modo ». *Ratio*: clarius ostendatur singulis ordinibus inferioribus non eodem gradu participationem fieri sacerdotii Christi.

Ad art. 41 (pag. 143, lin. 1): dicatur: « ... ut, humanis operibus *addicti,* seipsos *adiuvante gratia* perficiant... ». *Ratio*: vitetur opprobrium cuiusdam pelagianismi fovendi.

Ad art. 41 (pag. 143, lin. 5): deleatur verbum « ad ». *Ratio*: Christus in caelis gloriosus non ad modum hominis in terra constituti operatur, sed cum Patre salutem omnium efficit.

Ad art. 42 (pag. 144, linn. 2-5): deletis verbis « omnis sanctificationis media » dicatur: « Vinculum enim perfectionis est caritas (cf. *Col.* 3, 14), *quippe* quae *omnes quodammodo virtutes et opera amplectatur,* reg*at*, inform*et* ad finemque perduc*at*... ». *Ratio*: inter media sanctificationis pag. 143, linn. 39-40 etiam sacramenta enumerantur, quae minime a caritate regi dici possunt.

Ad art. 42 (pag. 144, linn. 23-27): deletis verbis « ... fovetur ... quae eminet », dicatur: « Sanctitas Ecclesiae item speciali modo manifestatur pretios*o* *illo* gratiae divinae don*o*, quod a Patre... ». *Ratio*: non omnino constat Dominum multiplicia consilia proposuisse discipulis, cum plerumque per modum praecepti loqueretur, e. g. in sermone in monte habito. Quare haec quaestio opportune exegetis relinquatur mentioque consiliorum hoc loco omittatur.

Ad art. 42 (pag. 145, linn. 8-10): deletis verbis « illi scilicet » et « in re perfectionis ultra mensuram praecepti » dicatur: « ... abrenuntiantes *seque* homini propter Deum *plene* subicient*es,* ut Christo *quam maxime conformentur* ». *Ratio*: 1. Melius videtur, ut structura grammaticalis antecedentis partis sententiae

retineatur, praesertim cum incisum, quod verbis « illi scilicet » initium sumit, de solis oboedientiam profitentibus agat.

2. Verba « in re perfectionis ultra mensuram praecepti » in se quidem vera sunt, attamen quadam ambiguitate laborare videntur, quo fit, ut facile intellegi queant, ac si peculiaris perfectio reservetur consilia evangelica profitentibus, quod evidenter contra mentem Concilii esset. Quare verba ista opportunius omittantur.

Ad art. 43 (pag. 155, lin. 3): loco « castitatis » dicatur « *virginitatis* (vel *continentiae*) Deo dicatae ». *Ratio*: in art. 42, cap. V (pag. 144, linn. 28-29) sermo est de « virginitate vel caelibatu »; congruit autem, ut in eadem re terminus non mutetur. Si vero verbum « virginitas » opportunum non censeatur, saltem loco verbi « castitatis » ponatur « continentiae », cum omnis forma castitatis Deo dicata esse debeat.

Ad art. 44 (pag. 156, linn. 2 et 10): loco verborum « per vota » resp. « votis » dicatur « *per sacram professionem* ». *Ratio*: conceptus religiosi tum in hoc capite tum in schemate *de religiosis* sensu latiore adhibetur atque omnes comprehendit, qui per sacram professionem Deo mancipantur, non solos eos, qui vota nuncupant. Quare, ne opinioni ansa praebeatur conceptum religiosi hoc loco ad vota emittentes coarctari, opportunum videtur termino generaliore uti, quin aliquid de ambitu conceptus religiosi praeiudicetur.

Ad art. 44 (pag. 156, lin. 13): loco verbi « consecratur » dicatur: « *dedicatur* ». *Ratio*: consecratio stricte dicta est actio Ecclesiae sive sacramentalis, sive liturgica sive iuridica, qua persona vel res ex usu mere profano eximitur et in usum exclusivum divinum transfertur. Termini quidem « (se) consecrare, consecratio » recentioribus temporibus saepius modo activo adhibentur atque idem fere significant ac « (se) dedicare, (se) devovere, dedicatio ». At nemo non videt hoc fieri sensu valde lato et improprio, quia sensu proprio nemo seipsum « consecrare », id est sanctum constituere potest. Quare in constitutione dogmatica Concilii hic usus termini « consecrare, consecratio » melius vitetur.

Ad art. 44 (pag. 156, linn. 14-17): quae hoc loco dicuntur, per se vera quidem sunt, sed aliqua ambiguitate laborare videntur, ita ut facile concludi possit Instituta, in quibus vota « perfectiora », scil. perpetua emittantur, altiore gradu « perfectionis » gaudere quam alia. Atque hoc modo quaedam comparatio singulorum Institutorum fieri posset, a Concilio nullatenus intenta.

Ad art. 45 (pag. 158, linn. 5-7): textus hoc fere modo mutetur: « Ecclesia autem *sacram* professionem religiosam *emittentibus* non tantum sua sanctione *iuridica* status canonici dignitatem *confert,* sed *eundem* actione sua liturgica etiam statum Deo consecratum *constituit* ». *Ratio*: 1. Verbum « exhibere » in textu impresso adhibitum valde ambiguum est atque idem significare potest ac « monstrare, dare, efficere ». Hoc loco, coniunctum cum particula « ut », vix aliter intellegi quit ac « monstrare, ostendere ». Ecclesia autem actione sua liturgica non tantum *ostendit* statum religiosum esse Deo consecratum, sed potius reddit seu efficit consecratum.

2. Sacra professio intellegi potest qua actus profitendi et qua conditio, quam professus acquirit. Hoc tantum sensu dici potest eam « ad status canonici dignitatem erigi ». Quare, ut quaevis ambiguitas evitetur, textus modo proposito mutetur.

3. Maioris claritatis causa opportunum videtur, ut verbo « sanctione » nota declarativa adiciatur, scil. sanctione *iuridica.*

Ad art. 46 (pag. 159, lin. 12): deletis verbis « praedictae consecrationis praxis » dicatur « *sua dedicatione* ». *Ratio* patet ex iis, quae supra dicta sunt ad art. 44, pag. 156, lin. 13.

Ad art. 47 (pag. 159, linn. 19-22): deletis verbis « unius et indivisae... fons et origo » dicatur, uti in priore schemate exstat: « ad maiorem gloriam *Christi, qui omnis sanctitatis est origo et exemplar* ». Quod si fieri nequeat, saltem dicatur: « ad maiorem gloriam *Dei Patris, qui per Christum in unitate Spiritus Sancti* est omnis sanctitatis fons et origo ». *Ratio*: SS. Trinitas est Pater, Christus Filius Patris ac Spiritus Sanctus. Christi persona, quae est una de SS. Trinitate, non potest simul esse finis et medium. Sententia theologica de persona Christi virtualiter duplici non est digna, qua utatur Concilium.

[*Subscripserunt etiam*] Bernhard Stein, Carolus Schmidt, aux. Trevirenses.

62

Exc.mus P. D. IOSEPH WEIGL
Episcopus Ikelaensis

In pag. 66, linn. 1-2 schematis *de Ecclesia* dicitur: « Cura Evangelium ubique terrarum annuntiandi ad corpus Pastorum pertinet... ». Sanctum Evangelium secundum voluntatem Christi in universo mundo est praedicandum. Voluntas haec nondum est impleta, adhuc exstant populi multi, nationes integrae, qui nec Christum nec salutem per eum cognoscunt. Quid potest et quid debet fieri, ut semper magis impleatur voluntas Domini!

1. Scimus, quod copia eorum, qui praedicant Evangelium deficit tum in patria, tum in missionibus. Muneri Ecclesiae docendi mundum universum solummodo fit recta responsio, si vires, quibus Ecclesia potest disponere una ex parte melius organizantur, alia ex parte melius distribuuntur.

2. Plenissime concordor cum mons. Kaiser ex Caravelli in Peru affirmante, omnem organisationem et potentiam saecularem vires suas melius distribuere quam accidit in Ecclesia nostra. Sicubi in patria nostra esset necessitas vel periculum maximum, nonne omnes usque ad ultimum ibi concurrerent, ubi damnum maximum imminet, etsi alibi utiles essent? Ita sit et in Ecclesia! Cogita de Africa, America Latina et de Asia. Cogita de ingenti numero infidelium et de parvo coetu christianorum, qui continuo per ipsum paganismum adversantur et insuper sub comminatione Communismi et Nationalismi versantur.

3. Ut detur illustratio pro mala distributione sacerdotum in mundo. Nostris regionibus catholicis europaeis quislibet potest sibi invenire sacerdotem, si vult in doctrina catholica instrui vel sacramentis Ecclesiae assisti. Sacerdos in missionibus saepe distat plus quam centum Km. Occasio confessorem adeundi vel Eucharistiam recipiendi nisi post tres menses saepe non detur. Gravissime censetur, magnam distantiam in missionibus secumferre, quod permulti moriuntur sine assistentia sacerdotis. Parvis paroeciis in Europa, si deprivarentur sacerdotibus, ut sic melius serviatur missionibus, adhuc daretur possibilitas celerrime vocandi sacerdotem ad moribundum — modernis mediis communicationis datis.

4. Quomodo possumus in realitate auxilium ferre? Plurimi episcopi in regionibus catholicis volunt revera adiuvare, sed perdifficile est traditiones antiquas

rompere et petitiones ex parte fidelium perenne repetitas efficaciter resistere. Patet, omnis paroecia nihil omittit, ut sibi conservet proprium pastorem. *Concilii et conferentiarum episcoporum esset,* non obstante tendentiis contrariis ex parte fidelium, decisionem hanc magnanimiter facere et ad bonum Ecclesiae universalis in realitatem conducere. Sic ex detrimento parvo, a singulis dioecesibus subeundo, bonum maximum fieret missionibus et sic Ecclesiae universali. Dico bonum, sed nihil aliud est nisi debitum. *Concilium et conferentiae episcoporum iterum et iterum inculcent,* ut *fideles apostolice sentiant et unum vel alium sacerdotem saltem ad tempus pro missionibus liberarent.* Paroeciae parvae unificentur, sacerdotes in scholis, officiis et in administratione substituantur laicis apte ad hoc instructis.

Pro missionibus esset hoc auxiliorum urgentissimum et optimum simul. Assistentia hac, episcopis missionariis ex episcopis in patria, per Concilium et Conferentia episcoporum facta, *novam vigorem afferret operi apostolico.* Nos sumus testes, quomodo adversarii Ecclesiae omnes vires colligunt, ut allicerent nationes in evolutione. Eo magis debemus sequi voluntatem Christi, et mittere laboratores in messem maturam in missionibus.

63

PLURES PATRES CONCILIARES

Pur apprezzando i lodevoli sforzi compiuti per migliorare il testo dello schema *de Ecclesia,* e in particolare i capitoli « de Populo Dei », « de universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia », « de Religiosis » affinché la costituzione *de Ecclesia* acquisti una organicità maggiore e raggiunga il suo scopo pastorale di rinnovare ed intensificare la vita cristiana di tutto il popolo di Dio, *ci sembra necessario chiedere*:

I - Che là dove si tratta del Popolo di Dio e se ne descrive la natura si parli chiaramente della santità quale nota essenziale del Popolo di Dio: la definizione di questo Popolo, in quanto partecipante della vita di Cristo *deve* essere data in relazione alla santità ossia alla piena unione a Lui, perché questo è lo scopo della nostra inserzione in Cristo. La frase inserita nel Textus emendatus, cf. p. 33, linn. 4-9, è assolutamente insufficiente in quanto ha carattere di inciso e non di definizione del Popolo di Dio in relazione alla santità.

Un ampliamento che veramente faccia comprendere che la santità è la caratteristica principale del Popolo di Dio è dunque necessario: *a*) affinché tutte le membra di questo Popolo si rendano conto che in virtù della loro appartenenza ad esso, devono essere sante; *b*) perché l'argomento della santità del Popolo di Dio è il fondamento di tutto ciò che si dice a proposito delle categorie di persone esistenti in seno ad esso. Questa realtà deve dunque essere chiaramente esposta — almeno nel suo aspetto ontologico — prima che ci si occupi delle varie categorie: Gerarchia, Laici, Religiosi.

II - Che si effettui una inversione nell'ordine attuale dei capitoli in uno dei due modi seguenti:

1) *Prima soluzione*: che anche la questione « De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » (attuale capitolo 5) venga trasferita alla prima parte della Costituzione e messa come capitolo 3.

Questo conferirebbe a tutta la Costituzione una vera organicità di pensiero

anche perché tratterebbe in primo luogo di tutte le questioni generali riferentisi al Popolo di Dio per occuparsi in seguito delle categorie di persone che lo costituiscono. (E questo era stato formalmente chiesto da 680 Padri [di cui 17 Cardinali] unitisi in un Intervento con una serie di Postulata di cui questo era il principale; dal Cardinale Frings che parlava a nome di 66 Padri di lingua germanica e delle lingue scandinave [*De Eccl.* E/508, 30 sept. 1963]; da S. E. Mons. Florit a nome dei Vescovi d'Italia [*De Eccl.* E/503, 30 sept. 1963] e da altri ancora).

2) *Seconda soluzione*: (nel caso in cui la precedente non fosse attuata) che l'ordine dei capitoli sia: 4) « De Laicis »; 5) « De Religiosis »; 6) « De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ».

Una nuova ordinazione dei capitoli, effettuata nel senso o della prima o della seconda delle soluzioni prospettate, è comunque necessaria per i seguenti motivi:

a) per evitare di creare l'impressione che la vocazione alla santità sia riservata ai religiosi; il che invece avverrebbe se si mantenesse l'ordine attuale in cui si parla dei religiosi e di loro soltanto immediatamente dopo e in stretta relazione col capitolo « De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ».

D'altronde è evidente che, avendo definito i laici: « omnes christifideles praeter membra ordinis sacri et status religiosi in Ecclesia sanciti », ed essendo dunque i religiosi positivamente esclusi da questa categoria di persone, è assolutamente necessario trattare anche di questi ultimi dei quali non si può certo ignorare l'appartenenza alla Chiesa e il loro momento ecclesiologico — sia come individui sia come membra di uno stato che esiste per volere di Cristo;

b) perché la distribuzione attuale dei capitoli non è né logica, né organica, anzi in essa si ha una vera frattura: dopo aver parlato nei capitoli 1 e 2 di questioni generali, nei capitoli 3 e 4 si tratta di alcune categorie di persone per poi tornare nel capitolo 5 a parlare di una questione generale e, infine, nel capitolo 6 ad occuparsi di un'altra categoria di persone.

III - Che nel trattare della vita religiosa si esponga chiaramente il valore ecclesiologico dell'olocausto che la tipifica affinché quanti seguono questa vocazione la vedano sempre maggiormente come associazione al sacrificio di Cristo che si immola per la Chiesa, e la vivano quindi con rinnovata intensità e generosità a bene degli altri.

IV - Che si perfezioni ulteriormente il capitolo sui religiosi indicandone più chiaramente la funzione ecclesiologica e introducendo in esso chiare ed eloquenti frasi tratte dalla recentissima allocuzione di S. S. Paolo VI del 23 maggio 1964.

In questa allocuzione infatti il S. Padre ha chiaramente descritto il valore della vita religiosa, la sua importanza per la Chiesa e il modo in cui il desiderato rinnovamento si deve effettuare.

Sarebbe deplorevole se il Concilio non facesse sue queste chiare formulazioni e se la dottrina da esso proposta non avesse la stessa ricchezza dottrinale di questo recentissimo documento pontificio.

Le formulazioni che devono essere desunte da tale discorso sono principalmente:

1) quella a proposito del valore perenne della vita religiosa: « Hic enim status, qui e votorum evangelicorum professione indolem propriam accipit, est,

secundum exemplum et doctrinam Iesu Christi, perfecta vivendi ratio, quippe quae eo spectet, ut caritas augescat et ad absolutionem perducatur »;

2) quella sul valore speciale della consacrazione specifica comportata dai voti: « Ita fit, ut professio votorum evangelicorum adiungatur consecrationi, quae propria est baptismatis, et hanc, quasi quaedam consecratio peculiaris, compleat, eo quod christifidelis se Deo penitus committit ac devovet, totam vitam suam efficiens eius unius famulatum ».

[Incidentalmente sia notato che questo passo — da ricollegarsi alla idea della chiamata fatta da Cristo — potrebbe costituire il logico passaggio dal capitolo « de laicis » a quello « de religiosis »];

3) quelle riferentisi al modo in cui il rinnovamento deve avvenire: « Denique maximi momenti opus hoc est, ut Instituti sui leges [Religiosi] ad mutatas temporum condiciones assidue accommodent. Id ita tamen est procurandum, ut propria Instituti natura et disciplina indemnis servetur. Religiosa enim quaelibet Familia suum peculiare munus habet, eidemque omnino necesse est ut fidelis permaneat; hinc vitae ubertas Instituti sita est, atque hic etiam caelestium gratiarum copia numquam defutura. Nulla ergo disciplinae renovatio inducenda est, quae cum Ordinis vel Congregationis natura non congruat, aut a mente Conditoris quoquo modo discedat. Quae quidem disciplinae renovatio hoc etiam postulat, ut a competenti auctoritate tantummodo procedat »;

4) quelle riferentisi al rapporto fra vita interiore e apostolato: « In huiusmodi autem Institutorum renovatione procuranda, semper cura habenda est, ut spirituali sodalium vitae praecipuae semper partes tribuantur. Quare apud religiosos omnes, quorum munus est sacri apostolatus operibus vacare, omnino nolumus, falsa illa quicquam valeat opinio, operibus externis primas dandas esse curas, intimae vero perfectionis studio secundas, quasi id aetatis huius ingenio et Ecclesiae necessitatibus postuletur »;

5) quelle che parlano dell'accordo con la Sacra Gerarchia nell'apostolato esteriore: « Magnopere etiam nobis cordi est, ut religiosorum sodalium navitas cum Sacrae Hierarchiae normis concordi ratione procedat. Religiosorum enim Ordinum exemptio nullo modo constitutioni divinitus Ecclesiae datae repugnat, vi cuius quilibet sacerdos, praesertim in sacri ministerii perfunctione, sacrae Hierarchiae parere debet. Religiosi enim sodales semper et ubique Romani Pontificis potestati, utpote supremo suo Moderatori, in primis subiciuntur (can. 499, par. 1). Instituta religiosa igitur praesto sunt Romano Pontifici in iis operibus, quae ad bonum Ecclesiae universae pertinent. Quod autem attinet ad sacri apostolatus exercitium in variis dioecesibus, religiosi sodales subsunt etiam episcoporum iurisdictioni, quibus auxilium praebere tenentur, salva semper apostolatus natura ipsorum propria et vitae religiosae necessitatibus. Ex quo patet, quantopere conferat ad Ecclesiae bonum socia atque adiutrix religiosorum opera dioecesano clero praestita, cum vires unitae fortiores validioresque evadant ».

[*Subscripserunt*] Em.mi PP. DD. cardd. Larraona, Richaud, McGuigan, Quintero, Albareda, Quiroga, Ferretto, Giobbe, Cento, Rugambwa, Pizzardo, Copello, Marella; beat.mi PP. DD. patr. Stephanus Sidarous, Albertus Gori, Petrus Meouchi; exc.mi PP. DD. arch. Perantoni, Addazi, Marcello Lefebvre, Pollio, Capozi, Uluhogian, Périer, Melendro, Ferreira da Silva, Achkar, Pocock, Léonard, Olaechea Loizaga, McCarthy, Van Miltenburg, Ambrosi, Rakotomalala, Ryan, Evangelisti, Ghattas, Labrador, Acciari, Hermaniuk, Rezende Costa, Lacchio, Nunes Gabriel,

Grauls, Lopez Aviña, Adam, Thoyer, Strebler, Kuo, Gottardi, Pérez, Habozian, Ramantoanina, Heerey, Cucherousset, Scalais, Kerketta, Rohracher, Chavez, Wijnants, Zoungrana, Paternain, Mihayo, Mathias, Sartre, Scandar, Assaf, Bosio, Imberti, Markall, Graffin, Const. Stella, Calabrìa, Vanni, Marioni, Lionetti, Rizzo, Palombella, Dadone, Nigris, Camozzo, Carullo, Baratta, Bonfiglioli, Baudoux, Zoa, Moscato, Kozlowiecki, Gaddi, Bertazzoni, Margiotta, Zaffonato, Bucko, Garcia de Sierra y Mendez, Fasola, van den Hurk, Nicodemo, Flahiff, Philippe, Ursi, Gleeson, Picchinenna, Ocampo Berrio, Howard, Olçomendy, Fares, I. A. Fernandes, Porter, Tani, Albanesi, Zerba; exc.mi PP. DD. ep. Pezzullo, Bassi, Romoli, Baldini, Sola y Farrell, Connolly, Könner, Guffens, Gagnor, T. V. Benedetti, Ammann, Ciuchini, Mangers, Häring, Baroni, E. G. Butler, Holterman, Ochoa, R. C. Kowalski, O'Gara, Sloskans, Battistelli, Tinivella, Arduino, Z. A. Testa, Beltramino, Arthurs, A. G. Schmitt, Terzi, Kurz, Bonhomme, Landersdorfer, Pinto, Reiterer, Sanschagrin, Filippini, M. Fernandes, Kihangire, Russel, Buis, Schlotterback, Lecuona Labandibar, Granados Garcia, Daly, Alex. Roy, Strei, Magliacani, Olano y Urteaga, Trudel, Brellinger, Rancans, Lucas, Champagne, McBride, Nuer, Tigga, Gonzales Ruiz, Kelleter, Ceol, Wildermuth, Serrano Pastor, Routhier, Valdes Subercaseux, Maryanayagam Swamidoss Pillai, Glennie, Abasolo y Lecue, Laudadio, Trevor Picachy, Boileau, D'Mello, Hagarty, Rouanet, Dodds, O'Loughlin, D. Gleeson, Cobben, Tortora, V. M. Costantini, Mason, U. T. Stella, Kwao Amuzu Aggey, Vanuytven, Velasco, Sansierra Robia, Vollaro, Grüter, Cotey, Begin, Russo, Haene, Ag. Olbert, Gonçalves da Costa, Messmer, Melotto, Bokenfohr, Fady, Fenech, Kuijpers, Van Hoeck, Gachet, Torres, Amadouni, Ferroni, Verhille, Chedid, Haelg, Deane, Martinez Aguirre, Raspanti, Bertrand, Hodapp, Cavallera, Lacoursière, Magliano, Compagnone, Ungarelli, de Vito, Temiño Saiz, Guibert, Couderc, Dav. De Souza, D'Rosario, Cousineau, Willekens, Bouque, Battaglierin, Esteves Dias, McCoy, de Uriarte Bengoa, Paz, Fauret, de Sa y Seabra, Hoang Van Doan, Saboia Bandeira de Mello, Xenopoulos, Urbšs, Trapani, Bampi, Pace, D'Amato, Otunga, Delphis des Rosiers, Corboy, Benitez Fonturvel, Craven, E. Romero, Hil. Dupont, Ang. Martinez, Gaumain, Aurrecoechea Palacio, Côté, Véniat, Katkoff, Kennally, Guiot, Cuniberti, Mercier, Tissot, Rendeiro, Olazar Muruaga. Loosdregt, Zohrabian, Reddington, Moynagh, van den Bronk, C. M. Fernandez, Redois, Arango Henao, Barbisotti, Muñoz Vega, Chilouet, Spiess, Komba, Noser, Mazzieri, Van den Bosch, Bello, Grau y Arola, Lawton, Metzinger, Tarantino, Crivellari, Faresin, Fedders, Daubechies, Maillat, McEleney, Andrea Dupont, Hart, Poreku Dery, McGinley, C. C. Luna, Pasini, Pietrulla, Doggett, Niccolai, Silveira de Mello, Musto, Niedhammer, McGettrick, van Kester, Bouckaert, Andreas Lefebvre, Cazzaro, Talleur, Zimmermann, Mazzoldi, Henschke, Cioli, Coronado, Plumey, Pflaum, Gomez Villa, Hickey, Chambon, Dondeo, Keuppens, Lemay, Cueto, Carlo Schmitt, Black, Pesce, Liston, Farah, Cristea, Ruotolo, Tabera Araos, Oviedo Gavada, Michelato Danese, Luisi, Rosenhammer, Trevisan, Rey, Chizzini, Ariz Huarte, Boghaert, Ubaldi, G. Stella, Mazzocco, Pizzoni, Franciolini, Baroni, Ottaviani, Tinti, Liverzani, Battaglia, Lamont, Ribeiro de Santana, Kettel, Lucas, Martinez y Dalmau, Cléret de Langavant, Angelini, Th. Holland, Kelly, Pelanda, Sevrin, Bessone, D'Aversa, Coscia, Scheffer, Goody, Moro Briz, Gonzalez Moralejo, Flores Martin, Franco Cascón, Peralta y Ballabriga, Carli, Catarella, Monaco, Palmerini, De Chiara, Pedicini, Bonacini, Riezzo, Zuccarino, Petrilli, Cialeo, Billington, Hoffmann, Faveri, Tagliabue,

Pelaia, Allorio, Baud, Leverman, Lanzo, I. A. Martin, Oullette, Pennisi, Severi, Chiocca, Jannucci, Nuzzi, Rinaldi, Calabretta, Mancini, Teutonico, Cognata, Scola, A. Sorrentino, Harrington, Ibberson Webster, Hacault, Jennings, Vendargon, Tscherrig, Leary, Mekkelholt, Hidalgo Ibanez, Rodriguez Diez, Alcaráz y Alenda, Flanagan, Cunningham, Añoveros Ataùn, Jacono, Caroli, Marchesi, Wilhelm, Bell, Prasko, Ravetta, Salv. Sorrentino, De Cocq, Azzolini, Adrian, Le Blanc, Sanz Esparza, van Melckebeke, Gagnon, Douville, Arokiaswami Sundaram, Borromeo, Foery, Fenocchio, McManus, Moll y Salord, Lajali, Caminada, Morstabellini, Vozzi, Poletti, Olivetti, Salvucci, J. Gori, Senner, Dalvit, Carter, Pearson, Ricceri, Cavagna, Sargolini, Navagh, Howard Hodges, Bianconi, Niccoli, Marcante, Spense, Bagnoli, Arattukulam, Brzana, Doody, Buyse, G. I. Smith, Ricote, Garneri, Ona de Echave, Caillouet, Piché, I. I. Oste, Chitsulo, Chabukasansha, Pirotto, Cecchi, Gùrpide Beope, Mennona, David, Fresnel, Ackerman, Cannonero, Piasentini, Durick, Bergonzini, Restrepo, Eust. Smith, Guilly; rev.mi PP. DD. prael. null. Gomes de Arruda, D'Antonio, Legarra Tellechea, McNabb, Kühner, Gauci, Armas Lerena, Salas Valdès, Roig, Olwell; rev.mi PP. DD. abb. null. Gavazzi, Franzoni, Tranfaglia, Zilianti, Coggin, Gomez, Groner; rev.mi PP. DD. praef. ap. Breen, Venceslao a Ss.mo Sacr., de Hornedo, Moretti, Calzolari, Previtali, Maleddu, Desperben, Quint, Erviti, Fady, Pessers, McGarry, Boerkamp, Ferrara; rev.mi sup. gen. De Santis OMD, Gaddo IC, Michele OSST, Vanier FSCI, Marinucci OAD, Sudres CSV, Ziggiotti SDB, Adrover CR, Boeris CRS, Van Kerckhoven MSC, Buckley OSFS, Fini CPS, Schweizer SDS, Doury RSV, Schot B, Salvini CVUOSB, Zambarbieri FDP, Scrivano PDC, Gabriel-M. FSG, Soetemans CSSL, Moscatello S. Ord. Cist. S. Bern., Almarcegui ORSA, Piersanti CCRRMM, Tomek Sch. P., Sépinski OFM, Welykyj Ord. S. Bas. S. Iosaphat, Florina IMC, Systermans SSCC, Alberione SSP, Tumler Ord. Teut., Rubio OESA, Minciacchi CSI, Lalande CSC, De Palma SCI, Prou Congr. Gall. OSB, Torbay Ord. Lib. Maron., Hage Ord. Bas. S. Io. B. Melk., Janssens SI, Schütte SVD, Gaudreau CSSR, Strittmatter Congr. Am. Cass. OSB, Gut OSB, Degrijse CICM, Calmels Ord. Praem., Huot SSS, Hoffer SM, Briani FSCI, Braunstorfer S. Ord. Cist. Congr. SS. Cord. Iesu, Van Engelen S. Ord. Cist. BMV Med., Brechter OSB Congr. Ottil., Charles Raphael FMS, Schweiger CMF, Youakim Ord. Bas. Ss. Salv. Melk., Kleiner S. Ord. Cist., Riha OSB Congr. Austr., Healy O. Carm., Pagani F. Imm. Conc., Dufault AA, Anastasius a Ss.mo Rosario OCD, Placidus Staeb OSB Congr. Brasil.

64

QUIDAM PATRES CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

1. Quoad ordinem et nexum cap. V et cap. VI (vel cap. V sectionis A et B): quamvis cap. V et VI quoad rem iam discussa sint, nihilominus sive ordo capitum in toto schemate sive eorum nexus ad ultima capita schematis adhuc sub lite sunt (cf. relatio gener. p. 170). Ideo Patribus subsignatis sequens propositio placet.

Ad solvendam quaestionem de ordine et nexu cap. V et VI (vel cap. V, sect. A et B) procedendum esse videtur de interna eorum relatione et eorum loco in toto schemate:

a) *Problema solvendum.* In duobus capitibus (de mysterio Ecclesiae, de populo Dei) agitur de *natura* Ecclesiae.

In cap. III et IV (de constitutione hier. Eccl., de laicis) magis agitur de *ordine* populi Dei, seu de *structura* Ecclesiae.

Multis Patribus videtur ad haec capita de structura agentia trahi etiam debere caput (vel sectio) *de religiosis.* At, hoc in casu, caput *de universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia* tamquam interruptio cursus idearum considerari deberet. Ideo his Patribus videtur hoc caput de « Sanctitate » trahi debere ad cap. I vel II huius schematis (cf. pag. 175 s.).

Ita remanerent tria capita: de hierarchia; de laicis; de religiosis. Quo in casu nihilominus altera exsurgit quaestio, utrum hic ordo omnibus probetur (agnoscendae enim essent rationes adductae in schemate pag. 155, n. 43, linn. 26-32).

b) *Propositio solutionis.* Ad solvendam quaestionem de divisione capitum, et ad vindicanda iura imprimis 679 Patrum et aliorum in « Relatione adiuncta » pp. 174-179 nominatorum, et denique ad evitandum ulteriorem laborem a relatore pag. 177 assignatum, hac via procedendum esse videtur:

aa) Unum tantum caput (V) ponendum esse videtur, duabus tamen cum sectionibus.

bb) Hoc unum tamen caput recipiat superscriptionem, quae clare indicat hic non iam agi de structura Ecclesiae seu de ordine populi Dei, sed *de interna vita Ecclesiae,* vel etiam de eius fine.

Ita cap. V titulus sonare posset: *De fine* (vel *vita*) *Ecclesiae* seu *De eius vocatione ad sanctitatem.*

Sectio I: *De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia* seu de eius *vita spirituali.*

Sectio II: *De vocatione et testimonio religiosorum in Sancta Ecclesia.*

Ita 1. cursus capitum et idearum a cap. III et IV ad VI et VII imperturbatus remaneret;

2. clare appareret locum *Religiosorum* in schemate *de Ecclesia* correspondere eorum missioni et vocationi, et eorum missio in Ecclesia secundum propriam eius naturam describi posset;

3. bene praeparetur cap. VI de indole eschatologica...

c) *Mutationes inde sequentes.* N. B.: Paucae tantum mutationes ex hac clariore dispositione sequuntur.

aa) In cap. III de hierarchia et IV de laicis forse brevis sententia inseri poterit *religiosos* in utraque parte Ecclesiae ut est inter sacerdotes et laicos, locum habere, ne « religiosi » ex capitibus, quae de ordine seu de structura populi Dei agunt excludi videantur. Attamen partim iam factum est (cf. cap. III, n. 28, pag. 73, linn. 39-42; cap. IV, n. 31, pag. 118, linn. 12-15); et praecise his locis apparet, de religiosis in alio contextu agendum esse, scil. in quaestione *de vita Ecclesiae.*

bb) Praeter inscriptiones cap. V et sectionum A et B, etiam prooemium huius cap. mutandum esset. Proponimus hanc fere formam, maximam partem ex n. 39 desumptam:

Cap. V: *De fine Ecclesiae* seu *De eius vocatione ad sanctitatem*:

N. 39 (Prooemium totius capitis) (A). Ecclesia (B) cuius mysterium a Sacra Synodo proponitur, indefectibiliter sancta creditur. *Deus* enim, qui « solus Sanctus » celebratur (1) *omnes homines suae bonitatis et dignitatis participes reddere et in communionem suae gloriae adducere decrevit. Ideo* Iesus Christus, Dei Filius

incarnatus, ex hominibus peccatoribus « *Ecclesiam sanguine suo acquisivit* » (*Act.* 20, 28) *et tamquam sponsam sibi paravit* (cf. *Apoc.* 21, 9). Tradi*dit* enim seipsum pro ea « ut illam sanctificaret *mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* » (*Eph.* 5, 25-27). *Ecclesiam ergo sanctam Deo adducere finis est Christi missionis sicque oeconomia salutis perficitur.* Haec autem Ecclesiae *sanctitas nil aliud est nisi Dei gratia et vita per Spiritum Sanctum eiusque dona in Ecclesiam diffusa* (C - prius D), *ut multiplices fructus ibi producat et gloriam Dei manifestet. Ad hanc autem sanctitatem* in Ecclesia omnes (D - prius C), sive ad hierarchiam pertinent sive ab ea pascuntur, vocantur, iuxta illud Apostoli: « Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra » (*1 Thess.* 4, 3). Multiformiter vero haec sancta vita exprimitur apud singulos, ... (et reliqua sicut n. 39).

Sequitur: Sectio I: de universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia 40 (olim 29) et ss.

Sectio II: *de vocatione et testimonio religiosorum in Ecclesia Sancta.* 43 (Hic numerus brevi introductione forte induci potest, ut nunc relatio ad sectionem I melius pateat). Sequentem formulam proponimus: *Sanctitatis vero Ecclesiae ad quam omnes eius membra vocata sunt, testimonium praecipuum reddere debent Religiosi, sacerdotes et laici, viri et mulieres, et quidem vita sua secundum consilia Evangelica ad imaginem Christi formanda.*

2. *De Ecclesia. Cap. 7, vix.* « *De indole eschatologica vocationis nostrae ac de nostra unione cum Ecclesia caelesti.* In genere: multum iuvaret si ea quae hic dicuntur arctiori nexu cum doctrina de universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia coniungerentur, nempe demonstrando quomodo sancti in medio huius saeculi sanctitatem assecuti sunt, inter quos B. Virgo specialissimo modo pro sua constanti fidelitate recensenda est, et quomodo iidem sancti nunc in caelis glorificantur et pro nobis orant, inter quos eminentissimus locus Beatissimae Mariae congruit, quippe quae pro nobis adhuc in terris peregrinantibus, una cum Filio suo, constanter intercedit.

3. Ad cap. VIII (vel VII): de B. M. V. Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae. *a*) In genere: forma qua doctrina de B. M. V. in hoc capite praesentatur, minus placet, quia relatio B. M. V. ad Ecclesiam non satis exhibetur. Postquam enim Patres in aula, etsi cum parva maioritate, statuerunt doctrinam de B. M. V. schemati *de Ecclesia* inserendam esse, respectus ecclesiologicus in hoc ultimo capite praedominare debet. In praesenti forma capitis vero aspectus christologicus, etsi omnino retinendus, ita praevalet, ut fluxum idearum perturbet. Uti in Relatione generali dicitur, hoc caput « quasi coronidis instar » schema *de Ecclesia* concludere deberet. Si ita est, cap. de B. M. V. optime sub titulo et themate « *typi Ecclesiae* » praesentatur, ita tamen ut praecipua dogmata de B. M. V. imprimis eius dignitas ut Matris Filii Dei (Theotokos) exhibeantur.

b) In specie: sequens divisio commendanda esse videtur:

I - *B. M. V. ut typus Ecclesiae peregrinantis*: 1. Apte incipi potest cum paragrapho pag. 203 (De Maria Ecclesiae typo...), ita tamen ut ad Ecclesiam peregrinantem primo limitetur. Efferatur magis *fides* B. M. V., qua Mater credentium et fidelium effecta est, uti pag. 203 iam insinuatur.

2. In singulis mysteriis vitae B. M. V. haec relatio ad Ecclesiam pere-

grinantem ostendi potest non vero ad modum alicuius enarrationis historicae (quam nimis sapit n. 53) sed adhibitis elementis theologicis.

3. Simul praecipua dogmata (vel tituli) B. M. V. hic inseri possunt, in quantum imprimis ei ut typo Ecclesiae peregrinantis conveniunt: Immaculata Conceptio, Nova Heva, eius Virginitas et Maternitas; tota eius figura in historia salutis in quantum in vita terrestri B. M. V., humili et pauperi, aspicitur.

II - *B. M. V. ut typus Ecclesiae consummatae*: 1. procedi potest a dogmate *assumptionis*;

2. inseratur optimus passus, n. 54, pag. 202-3, scil. *de B. M. V. Mediatrice.*

III - *De cultu B. M. V. in Ecclesia*: laudanda hic est moderatio textus, qui et ad traditionalem pietatem incitat et excessus reiicit.

IV - *Conclusio* breviter exhibeat nexum ad *totum* schema de Ecclesia. Quae n. 53 habentur, ad concludendam tantam constitutionem de Ecclesia, uti nunc habetur, inepta sunt.

4. Ad partes schematis *de Ecclesia* iam discussas.

a) Quamvis de cap. I-IV discussio non iam admitti potest, tamen ob rei momentum nova animadversio ad n. 17 (ex cap. II, de populo Dei) proponitur (ad instar saltem alicuius « placet iuxta modum »).

b) Ratio: haec paragraphus ad instar fundamenti theologici « Propositionum de activitate missionali Ecclesiae » concipitur. Cf. *De Ecclesia,* pag. 54 (A), et schema *de activitate missionali,* pag. 7, linn. 29-31. At ut tale sufficere non potest. Tamquam Patres conciliares in missionibus laborantes imprimis desideramus: *aa*) ut magis efferatur *mandatum* missionis, ut inculcetur urgens et numquam cessans necessitas evangelizandi; *bb*) ut ostendatur illud mandatum ipsis quoque « Ecclesiis localibus novis » incumbere. Qui audit et accipit Evangelium ipse praedicator eius evadere debet.

c) Proponimus hunc fere textum: Sicut enim Filius missus est a Patre ut homines per Adae peccatum misere lapsos Deo reconciliaret, « ut vitam habeant et abundantius habeant » (*Io.* 10, 10) et ipse collegium apostolorum misit (*Io.* 20, 21) dicens, « euntes docete omnes gentes... et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 18-20). Quod mandatum annuntiandi Evangelium Ecclesia in apostolis recepit adimplendum usque ad ultimum terrae (cf. *Act.,* 1, 8). Collegium re vera apostolorum statim, mandato Domini obsequens, ad annuntiandum Evangelium singulos apostolos in varias mundi plagas misit (cf. *Act.* 8, 15; 15, 22) ut toti mundo et omnibus gentibus Evangelium salutis in Iesu Christo annuntiarent. Post mortem vero apostolorum, Ecclesiae onus Domini graviter incumbit usquedum omnibus gentibus Lumen Salutis elucescat. Huic mandato fideliter obsequens, Ecclesia etiam hodie ad omnes gentes Evangelii Praecones mittere non desinit, qui illis Lumen Evangelii afferant et ex omnibus gentibus novos fideles ad Christum adducant usquedum Ecclesiae locales inter eas firmiter condantur cum omnibus elementis necessariis ad plenam vitam christianam sub propriis pastoribus et propria hierarchia agendam.

Hoc opus perdurare debet usquedum illae Ecclesiae locales et ipsae capaces evadant, quae mandatum Domini exsequantur et ipsi Evangelium aliis annuntient. Etenim Ecclesia adhuc hodie intuitu tot gentium, quae nondum vel

parum Verbum salutis receperunt, sua facit verba Apostoli: « Vae enim mihi est si non evangelizavero! » (*1 Cor.* 9, 16).

Fides enim ex auditu (*Rom.* 10, 12)... Sed, sicut ait apostolus: « Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » (*Rom.* 10, 14. 15).

[*Subscripserunt*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis; Guido del Mestri, arch. tit. Tuscaniensis; Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis; Marcellus Daubechies, ep. Kasamaensis; Ioseph Fady, ep. Lilongweensis; Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson; Adolphus Fuerstenberg, ep. Abercornensis; Renatus Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidon, ep. Mzuzuensis; Iacobus Corboy, ep. Monzeensis; Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramittenus; Clemens Chabukasansha, ep. tit. Cibiraensis; Rupertus Hillerich, praef. ap. Solweziensis.

INDEX

DOCUMENTA

PROCESSUS VERBALES CONGREGATIONUM GENERALIUM

SESSIO PUBLICA IV
(14 septembris 1964)

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio generalis LXXX

Congregatio generalis LXXXI

Animadversiones scripto exhibitae quoad cap. VII schematis de Ecclesia

Congregatio generalis LXXXII

APPENDIX

I - Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de Ecclesia post periodum II usque ad 10 iulii 1964

II - Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de Ecclesia post diem 10 iulii 1964